PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXIX.

FLORUS DIACONUS, LUPUS FERRARIENSIS, RODULFUS BITURICENSIS, WALTERIUS AURELIANENSIS, ROTHADUS II SUESSIONENSIS, NICOLAUS PAPA I.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

Ex typis societatis dictæ Societas anonyma impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum PAULO DUPONT, Directore. — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques-Rousseau, 41. (Cl. 42.4.80.

SÆCULUM IX

NICOLAI I

PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ ET DECRETA

AD PRÆSTANTISSIMAM EDITIONEM CONCILIORUM MANSI ACCURATISSIME
EXPRESSA ET JUXTA TEMPORUM SERIEM DIGESTA.

PRÆCEDUNT

B. SERVATI LUPI ABBATIS FERRARIENSIS; FLORI DIACONI LUGDUNENSIS,
RODULFI BITURICENSIS, WALTERII AURELIANENSIS, ROTHADI II SUESSIONENSIS,

OPERA OMNIA

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXIX CONTINENTUR.

ANNO DOMINI DCCCLX.

FLORUS DIACONUS LUGDUNENSIS

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Galland., Bibliotheca veterum Patrum, tom. XIII.)

Wandelbertus (*a*) Florum nostrum *Magistri* nomine insignitum, subdiaconum Lugdunensis Ecclesiæ appellavit, dum ait : *Ope et subsidio præcipue usus sum sancti et nominatissimi Flori, Lugdunensis Ecclesiæ subdiaconi, qui ut nostro tempore revera singulari studio et assiduitate in Scriqturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia et veritate cognoscitur abundare.* Hinc facile factum ut magistri nomen illi adhæreret. Subinde et diaconus audit. Trithemius monachum scribit S. Trudonis Leodiensis diœcesis, jurene an injuria, ut contendit Oudinus (*b*), nihil interest. Augustinum maxime habebat in deliciis. Varia scripsit quorum catalogum habes apud Fabricium (*c*) et Caveum (*d*). Adversus Joannem Scotum scripsit an. 852, nomine Ecclesiæ suæ Lugdunensis, ad id electus, ut Mauguino videtur (*e*), quod in sermone quodam, ab Hincmaro memorato (*f*) insigne specimen ediderat A doctrinæ suæ de præscientia et prædestinatione. Quo in opere non quidem scripta Erigenæ depravavit, ut vult Matthæus Westmonasteriensis (*g*), sed aliquando adversarii sensum non satis videtur assecutus, ut bene Usserius (*h*) interpretatur. Visum est nobis ex illo afferre duntaxat libellum *de Electionibus episcoporum*, quem in Agobardo suo vulgavit Baluzius V. C., pag. 254, nec tamen a bibliographis vulgo commemoratum videmus. Fragmentum ejus ediderat Massonus, et ex illa Baronius, quod etiam, paulo tamen diversum, repræsentat Petrus de Marca in Concordia sua (*i*). Fatetur Cavæus ignorare se quamdiu post scriptum in Erigenam superfuerit auctor noster : at cum Matthæus Westmonasteriensis, superius laudatus, de eo mentionem faciat ad an. 883, sub eo anno illum afferre nequaquam incommodum existimavimus.

(*a*) Præf. ad suum Martyrol.
(*b*) Tom. I, pag. 1806.
(*c*) Bibl. med. tom. II, p. 63, edit. Patav.
(*d*) Ad an. 837.
(*e*) Dissert. Hist., cap. 10, pag. 156.

B (*f*) De Prædest. cap. 6.
(*g*) Ad an. 883.
(*h*) Histor. Gottesch., cap. 9.
(*i*) Lib. VIII, cap. 14, num. 14, num. 2 et 3.

NOTITIA BIBLIOGRAPHICA.

(Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)

Drepanius Florus, non diversus, ut videtur, a magistro Floro, diacono Lugdunensi, de cujus scriptis Caveus ad annum 837. Ejus observatis pauca hæc habeo, quæ addam.

1. Præter *Commentarium in Pauli Epistolas* ex Augustino, et sub Bedæ vulgatum nomine, scripsit et alium similem Florus in easdem Pauli Epistolas ex Cypriano, Hilario, et aliis Patribus, manuscriptum in Carthusiæ Majoris bibliotheca, de quo Baluzius in epistola ad Tourneminium (*a*).

2. Opusculum *de Actione Missarum*, collectum ex verbis SS. Patrum Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii, Fulgentii, Severiani, Vigilii, Isidori, Bedæ, Aviti, et ex antiquis mysteriorium libris ex Petri Francisci Chifletii editione recusum in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. XV, p. 62, sed nuper ex codice reginæ Sueciæ Christinæ longe integrius et emendatius vulgatum est pag. 579 tomi noni Monumentorum Edmundi Martene et Ursini Durandi, Parisiis, 1933, folio.

C 3. Præter *Poematia novem*, in Georgii Fabricii Poetis Christianis et in Bibliothecis Patum sæpius edita, et separatim in lucem data ab Andrea Rivino (*b*) Lipsiæ 1653, 8, et cum notis, et illa *poematia sex*, quæ vulgavit Mabillonius tom. I Analect., pag. 388 seq. (editionis novæ pag. 412) de quibus singulis diligenter Polycarpus Leyserus in Historia poetarum medii ævi pag. 246 seq., alia adhuc nuper ex ms. Bigotiano legenda dederunt laudati viri Martene et Durandus tomo V. Anecdotorum, quæ sunt carmine hexametro : *In Evangelium Matthæi*, pag. 595 ; *Gesta Christi Domini*, pag. 601 ; *In Evangelium Joannis*, pag. 603 ; *Oratio ad Christum cum commemoratione antiquorum* (*c*) *miraculorum Christi, Dei nostri*, pag. 608 ; *Epigramma libri homiliarum totius anni ex diversorum Patrum tractatibus ordinati*, pag. 612 ; *Epistola* tertia (*d*) *ad Modoinum*, Augustodunensem episcopum, pag. 616, quæ incipit.

Salve, sancte parens, Christi venerande sacerdos

(*a*) *Journal des Savants* an. 1716, pag. 234, seq.
(*b*) Subjunctis nonnullis carminibus Theodulfi et Jonæ Aurelianensium episcoporum, Modoini episcopi Augustodunensis, et Laidradi atque Agobardi Lugdunensium.
(*c*) In Veteris Testamenti libris descriptorum.

D (*d*) Prima apud Georgium Fabricium et alios incipit :

Salve, Pater, profluas hilari de pectore grates.

Secunda apud Mabillonium :

Egregio, Modoine, viro tibi mitto salutem.

De hoc Modoino Sammarthani, tom. II. Galliæ Christianæ, pag. 36.

Augusti montis (*a*) pastor in arce potens.

Titulus in apside memoriæ S. Justi. pag. 618.

4. Opusculum *adversus Amalarium* Lugdunensem chorepiscopum, *de Corpore Christi tripartito*, in tomo nono monumentorum Martenii et Durandi, pag, 641. De illo Amalarii errore dixi supra tomo I. Florus hoc opusculum per modum epistolæ scripsit: *Dominis beatissimis, reverentissimis, et piissimis pastoribus gregis Christi, rectoribus Ecclesiæ Dei, prædicatoribus ac propugnatoribus, catholicæ fidei.* Drogoni *sacri consilii magistro et pontifici clarissimo,* Heti *Trevirorum antistiti,* Aldrico *reverentissimo Cenomanorum episcopo,* Rabban *abbati venerabili et ex provincia Lugdunensi prima,* Alberico *Lingonum et* Foræ *Cabilonensi reverentissimis episcopis, Ecclesiæ catholicæ indignus filius et pietatis ac paternitatis vestræ exiguus servulus* Florus Subjicitur deinde, pag. 649, *Opusculum de eadem causa in concilio episcoporum apud Carisiacum palatium acta ;* et pag. 166 : *Epistola Flori ad Theodonis Villæ concilium adversus libros Amalarii.*

5. *Contra Joannis Scoti erroneas definitiones.* Scripsit nomine Ecclesiæ Lugdunensis ; in Gilberti Manguini Nindiciis graciæ et prædestinationis ex sæculi noni scriptoribus, tom. I, pag. 585, 738, Parisiis, 1659, 4, et tom. XV Bibliothecæ Patrum, edit. Lugdun., pag. 611. Videndum fueritne alius a nostro *Florus Prudentius Galindo, episcopus Tricassinus,* cujus et aliæ exstant adversus eumdem Scotum lucubrationes ab eodem Manguino editæ. Vide etiam quæ contra sententiam Floro nostro scriptum illud tribuentem disseruit Menetrierius in Memoriis litterariis Trevoltinis anni 1795, pag. 514 seqq.

6. Alterius etiam vetustioris *Flori*, monachi. S. Trudonis, ordinis Benedictini, diœcesis Leodicensis, circa annum 760, clari sunt *Additamenta ad Martyrologium Bedæ* cum illo vulgata ab Henschenio in Actis sanctorum ante tomum secundum Martii, et novissime cum Bedæ Historia ecclesiastica gentis Anglorum ex recensione Joannis Smith, Cantabrigiæ, 1722, fol. Adde Carolum Cointe tomo IV Annalium Francorum, pag. 470 seq. Adjecit etiam elegiacos quosdam versus in calce cujusdam veteris commentarii in Psalmos, qui in codice mille annorum manuscripto in bibliotheca Mediolanensi Ambrosiana servatur. Carmen hoc edens Muratorius Antiquit. tom. III, pag. 856, in ea est opinione, ejus auctorem ipsum esse Lugdunensem diaconum, sæculi sui lumen ; æque tamen judicat commentariorum illorum auctorem a S. Hieronymo, cujus nomen ibidem præfert, longe esse diversum. Porro in eo carmine ad Eloardum abbatem directo Florus recensuisse se commentarium illum narrat. Eamdem commentationem ex Elonensi codice sibi notam cidem Floro Usserius in Histor. Gottesch. et Caveus ascribunt, sed ex carmine a Muratorio relato nullum aliud ab eo munus præstitium dicimus quam correctoris. Cæterum et ipse Florus Hieronymo vindicare opus illud visus est.

(*a*) *Dunum* Celtæ montem vel clivum, ut Græci βοῦνον et θῖνα appellant. Vide Cangium.

FLORI DIACONI

LIBER DE ELECTIONIBUS EPICOPORUM,

COLLECTUS EX SENTENTIIS PATRUM.

(Apud Galland., ubi supra.)

I. Manifestum est omnibus qui in Ecclesla Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione episcopali, et sacrorum canonum auctoritas, et consuetudo ecclesiastica, juxta dispositionem divinæ legis et traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet ut pastore defuncto, et sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis et concors ejusdem cleri et totius plebis consensus elegerit, et publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo episcoporum numero consecratus, locum decedentis antistitis rite valeat obtinere ; nec dubltetur divino judicio et dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine et legitima observatione fuerit celebratum.

II. Hæc sunt quæ et in Conciliis Patrum, et in decretis apostolicæ sedis pontificum statuta repeniuntur, et ab Ecclesia Christi et initio comprobata reperiuntur, et comprobantur. Unde et beatus martyr Cyprianus de sancto Cornelio urbis Romæ pontifice, cum episcopatum ejus adversus quosdam superbos et invidos calumniatores defenderet, hæc ipsa in testimonium sanctæ et legitimæ ordinationis ejus prosecutus est dicens (*epist.* 111) : « Factus est Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum consensu ; cum nemo episcopus inibi factus esset, cum gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato, et omnium nostrorum consensione firmato, quisquam jam episcopus fieri voluerit, on nimodis necesse est ut ecclesiasticam non habeat ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet per consensum unitatem. Post primum secundus esse non potest. Quiquis enim post unum, qui per electionem consecratus est, esse voluerit, jam non secundus ille, sed nullus est. »

III. Juxta hæc verba beati Cypriani, ordinatos fuisse constat, et legitime præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites, absque ullo consultu mundanæ potestatis, a temporibus apostolorum, et postea per annos fere quadragintos. Ex quo autem Christiani principes esse cœperunt,

eamdem episcoporum ordinationibus ecclesiasticam A libertatem ex parte maxima permansisse, manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus imperator orbis terræ monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asiæ videlicet, Europæ et Africæ, omnes qui ordinandi erant episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra et rata ordinatio, quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam et religiosæ observationis formam celebravit.

IV. Quod vero in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem et concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam B regio potentatu, sed solo Dei nutu, et Ecclesiæ fidelium consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed sancti Spiritus donum, sicut ostendit apostolus, ubi ad episcopos loquitur, dicens (*Act.* xx, 28): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Unde et in Epistola ad Hebræos (*cap.* v, 4-6) ait: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, sicut Aaron. Sic et Christus non semetipsum glorificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* In quibus Apostoli verbis evidentissime demonstratur, ad hoc munus adipiscendum atque sumendum sufficere unicuique C gratiam Dei, cooperante fide et devotione gratiæ ejus, absque his autem humano arbitrio nemini posse concedi. Unde graviter quilibet princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat, quod sola divina gratia dispensat; cum ministerium suæ potestatis in hujusmodi negotium peragendo adjungere debeat, non præferre.

V. Denique ut istius rei nonnulla proferantur exempla, puto quod de ordinatione beati Martini, quando ex monasterio sub alia occasione eductus, et a populo comprehensus, atque ad Ecclesiam perductus est, et continuo ab episcopis, qui ad hoc invitati fuerant, consecratus, nemo principum hujus sæculi fuerit interrogatus. In Ecclesia quoque Lugdunensi sic religiosa olim et venerabilis consuetudo fuit, sicut antiqua narrat historia: scilicet ut, defuncto pontifice, omnis in unum conveniret Ecclesia, et triduano jejunio communi voto ac supplicatione celebrato, quemcunque eis Dominus per revelationem sive ex eorum clero seu aliunde ostenderet, ipsum sine dubio antistitem constituerent. Quod de beato Eucherio præfatæ urbis episcopo, et doctore egregio, sanctissimæ Vitæ ejus liber manifeste testatur impletum. Qui cum esset ex nobilissimo senatorum genere oriundus, et huic sæculo abrenuntians, omnique facultate sua in pauperes ob amorem Christi distributa, partibus Provinciæ in quodam specu retrusus, atque ibi soli Deo jejunus, et orationibus vacans latitaret, tali revelatione ostensus, atque inventus in pontificali regimine locatus est. Ex quo certissime constat quod omni illo tempore quo tantam bonitatem sive gratiam omnipotens Deus in illa voluit Ecclesia demonstrare, valebat ac sufficiebat ad consecrationem rectorum sola ejus gratia et fides Ecclesiæ devota.

VI. Sed et in Romana Ecclesia usque in præsentem diem cernimus absque interrogatione principis, solo dispositionis judicio, et fidelium suffragio, legitime pontifices consecrari: qui etiam omnium regionum et civitatum quæ illi subjectæ sunt, juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant atque constituunt sacerdotes; nec adeo quisquam absurdus est, ut putet minorem illic sanctificationis divinæ esse gratiam, eo quod nulla mundanæ potestatis comitetur auctoritas.

VII. Quæ omnia non ideo dicimus quasi potestatem principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed ut clarissime demonstretur, in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam vero potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus Patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.

FLORI DIACONI

OPUSCULUM

DE EXPOSITIONE MISSÆ

Ex ms. bibliothecæ Reginæ Sueciæ auctius et emendatius.

(Marten., ampl. Colleet.. tom. IX.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Quod hactenus in Bibliotheca Patrum legebatur abbreviatum magistri Flori opusculum in canonem missæ. prodit nunc primum integrum ac numeris omnibus absolutum ex vetustissimo codice reginæ Sueciæ, sæculo x saltem exarato, ac proinde ad auctoris ætatem proxime accedente, ex quo Romæ existens Mabillonius illud describi curavit. Nam cum illud cum edito diligenter contulisset, ne partem quidem quartam Florianæ expositionis in Patrum Bibliotheca contineri animadvertit, ac proinde non immerito existimavit publica luce dignum, idque ipsum optasse videtur claræ memoriæ cardinalis Bona, qui et ipse reginæ Sueciæ codicem examinaverat.

Floruit autem Florus circa annum 840, regnante apud Francos Carolo Calvo, fuitque Lugdunensis Ecclesiæ diaconus, ut vulgo dicitur, sive subdiaconus, ut placet Wandalberto, qui ipsum, uti et Walfridus Strabo, ob præclaram eruditionem et indefessam legendi scribendique assiduitatem mirum in modum prædicat. Si enim ille in præfatione ad suum Martyrologium : *Ope*, inquit, *et subsidio præcipue usus sum sancti ac nominatissimi viri, Flori; Lugdunensis Ecclesiæ subdiaconi, qui, ut nostro tempore revera singulari studio et assiduitate in divinæ Scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia et varietate cognoscitur abundare.* Ex hoc Wandalberti loco refutata manet Joannis Trithemii opinio, asserentis Florum fuisse Trudoniensis monasterii monachum, nisi forte sub vitæ finem monasticæ professioni nomen dederit. Cum autem in sanctorum Patrum lectione, quorum egregiam librorum copiam habebat, esset versatissimus, hoc opus aliaque ab eo edita ex eorum præsertim dictis et sententiis composuit, quorum persæpe integra verba uno tenore prosequitur, nonnunquam mentem solum exprimit. Expositioni missæ aliud ejusdem Flori opusculum subjicere libet adversus Amalarium, quod ex duobus antiquissimis mss,, uno Pelteriano, altero Achillis Harlæi, ante annos 800 exaratis, olim descripsit Mabillonius.

1. Incipit opusculum de actione (*a*) missarum collectum quam maxime, et in ordinem digestum ex verbis sanctorum Patrum Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii, Fulgentii, Severiani, Vigilii, Isidori, Bedæ, Aviti, sicut suis locis per singula lit-

A teræ nominum quæ forinsecus prænotantur ostendunt; sed et ex antiquis mysteriorum libris quædam verba necessario sumpta sunt. Quod autem eadem nomina in ipsa opusculi serie ubique inserta non sunt, illa necessitas fecit, ne frequens eorum interpositio fieret absurda et incommoda ipsius dictionis et sensuum interruptio. In qua tamen expositiuncula non tam verba, quæ satis simplicia sunt, sed potius ipsius mysterii ratio et actio imponitur et commendatur, videlicet qua fide celebrandum, quanta pietate sit amplectendum.

2. (Aug. *in Psal.* XXXIII, n. 4.) In mysterio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod sancta Ecclesia per universum mundum pro salute ejusdem mundi offert, maxime nobis humilitas commendatur. Unum (*b*) enim nobis fecit idem Dominus

B Jesus Christus per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo ; redire autem ad eum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis proponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumebat, etsi existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant prophetæ et patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. Erant autem, ut legimus, sacrificia antea Judæorum secundum Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponamus nobis

C ergo ante oculos duo sacrificia, et illud secundum ordinem Aaron, et hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptum est enim : *Juravit Dominus, et non pænitebit eum, tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Hoc autem manifeste dici-

D tur de Domino nostro Jesu Christo. Quis ergo erat Melchisedech? utique, sicut legimus, rex Salem. Salem civitas fuit anteà illa, quæ postea, sicut docti

(*a*) Per actionem missarum intelligunt auctores liturgici canonem missæ. *Actio dicitur ipse canon.* inquit Walfridus Strabo lib de Rebus eccles., c. 22, *quia in eo sacramenta conficiuntur Dominica. Canon vero eadem actio nominatur, quia in ea est legitima et regularis sacramentorum confectio.* Et Micrologus cap. 12: *Orationem quam canonem sive actionem propter regularem sacramentorum confectionem, Romano more appellamus, quis composuerit aperte non legimus.*

(*b*) Apud Augustinum legitur *viam*, et quidem, ut videtur, melius.

prodiderunt, Jerusalem dicta est. Ergo antequam A ibi regnarent Judæi, ibi erat ille sacerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi sacerdos Dei excelsi. Ipse occurrit Abrahæ, quando liberavit Loth de manibus persequentium, et prostravit eos a quibus ille feriebatur, et liberavit fratrem. Post liberationem fratris occurrit ei Melchisedech. Tantus erat Melchisedech a quo benediceretur Abraham. Protulit panem et vinum et benedixit Abraham, et dedit ei decimas Abraham. Vide quid potulit et quem benedixit, et dictum est postea : *Tn es sacerdos in æternum secundnm ordinem Melchisedech.* David hoc in spiritu dixit longe post Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchisedech. De quo ergo alio dicit : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* nisi de illo cujus novimus sacrificium ? B

3. Sublatum est enim sacrificium Aarou, et cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Dominus itaque noster Jesus Christus in corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus et songuinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Ecce cibus sempiternus; sed manducant angeli, manducant sempiternæ virtutes, manducant cœlestes spiritus, et manducant et saginantur, et integrum manet quod eos satiat et lætificat. Quid autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, et C ad parvulos perveniret. Unde autem fit tibi lac? unde autem cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit; quod man ducat mater, hoc manducat infans; sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et utilitate [a] mamillæ et lactis succo de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Vide ergo humilitatem, quia panem angelorum manducat homo. Et scriptum est : *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 24), id est Verbum illud quo pascuntur angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Phil.* II, 6). Saginantur illo angeli; D sed *semetipsum exinanivit,* ut manducaret panem angelorum homo, *formam servi accipiens in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* ut jam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini novum sacrificium.

4. (Aug. *in Psal.* LXIV, 1.) Ipse ergo a Domino Deo missus sacerdos noster, assumpsit a nobis quid offerret Deo. Illas sanctas primitias carnis ex utero Virginis holocaustum obtulit Deo : extendit manus in cruce, ut diceret : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2), sicut novimus, quia Dominus circa vesperam pependit in cruce, et impietates nostræ propriatæ sunt; alioquin absorbuerant nos. Merito illi cantavimus in psalmo : *Et impietates nostras tu propitiabis* (*Psal.* LXIV, 4). Tu sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio. Ipse sacerdos est, qui nunc ingressus est interiora veli. Solus ibi ex his qui carnem gestaverunt interpellat pro nobis. In cujus rei figura in illo primo populo, et in illo primo templo, unus sacerdos intrabat in Sancta sanctorum (*Heb.* IX, 7), populus omnis foris stabat, et ille qui solus ingrediebatur interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante. Quid enim ageretur in illo populo Judæi nescierunt; sed modo sciunt; de illis quippe dictum est : *Quandiu legitur Moyses, velamen supra cor eorum positum est, ibi velamen figura est; sed tolletur figura, et apparebit veritas* (*II Cor.* III, 15). Sed quando tolletur velamen? audi Apostolum : *Cum autem transiens ad Dominum auferetur velamen* (*Ibid.*, vers. 16). Propitiatis ergo peccatis nostris et impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, et auferetur velamen Propterea et Domino crucifixo velum templi scissum est. Itaque nec carnem præputii circumcidimus juxta ritum Mosaicæ legis, nec abstinemus carnibus, quas eadem lex dicit immundas, nec sabbata et neomenias et dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimas pecorum sacrificamus Deo, nec pascha in ove et azymis similiter celebramus, et si qua alia fuerunt vetera sacramenta, quæ omnia umbras futurorum appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore revelanda quæ nos revelata percipimus, ut remota umbra nuda eorum luce rueremur. Nam et exuendo veterem hominem circumcidimur in exspoliatione corporis carnis, et quos cibos illi vetant in pecoribus, nos vitamus in moribus, et exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, cui et animas nostras in desideriis suis pro sanguine intelligenter effundimus, et Christi velut Agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur, qui propter similitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur, nec eum negat in crucis carnibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus, et lunæ novæ observatio vitæ novæ est sanctificatio, et pascha nostrum est Christus, et azymus noster sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis; et quæcunque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cujus regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem et prophetas non solvere, sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit, ut alia essent quæ nuntiarent venisse jam Christum,

[a] Apud Augustinum *et per humilitatem mamillæ et lactis succum,* etc.

quam fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum. Quoniam ergo sicut scriptum est in Cantico canticorum, *aspiravit dies* (*Cant.* II, 17), removeantur umbræ; spiritualis significatio jam lucescat, carnalis celebratio jam quiescat, audiamus Dominum vetera Judæorum sacrificia repudiantem, et novum Christi sacrificium apertissime promittentem per Malachiam prophetam dicentem : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia nomen meum magnum est in gentibus, dicit Dominus exercituum* (*Malach.* I, 10). Certe hic negare non possunt Judæi, non solum non accipere sacrificium de manibus eorum, sed nec se illi offerre manibus suis. Locus enim unus est lege Domini constitutus, ubi manibus eorum sacrificia jussit offerre, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quem pro suis meritis amiserunt, etiam sacrificium quod ibi tantum licebat offerri in locis aliis offerre non audent. Ecce omnimodo impletum est, quod ait propheta, *Et munus non suscipiam de manibus vestris.* Neque hoc ita prædictum et impletum est, ut eos prophetica sententia respondere permittat. Quod manibus non offerimus carnem, corde et offerimus laudem, secundum illud in psalmo : *Immola Dei sacrificium laudis etiam* (*Psal.* XLIX, 14), hinc enim contradicit eis qui dicit : *Non est mihi voluntas mea in vobis.* Deinde ne existiment Judæi, quod illis non offerentibus, nec illo accipiente de manibus eorum Deo, sacrificium non offeratur, quo quidem ille non eget, qui honorum nostrorum nullius indiget : tamen quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis utile est, audiant ipsum Dominum contestantem, imo aperiant oculos et videant, quia *ab ortu solis usque ad occasum*, non in uno, sicut in illis fuerat constitutum, sed *in omni loco* offertur sacrificium Christianorum, nec cuilibet Deo, sed ei qui ista prædixit Deo Israel. Unde alibi dicit Ecclesiæ suæ : *Et Redemptor tuus Deus Israel, Deus universæ terræ vocabitur* (*Isa.* LIV, 5). Hoc sacrificium mundum offertur Deo Israel, non ab una gente Judæorum, de cujus manibus non se accepturum prædixit, sed ab omnibus gentibus, quæ dicant : *Venite, ascendamus ad montem Domini*, nec in uno loco sicut præceptum erat in terrena Jerusalem ; sed in omni loco usque in ipsam Jerusalem ; nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Christo enim dictum est, et de Christo tantummodo ante prædictum est : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Quid est *juravit Dominus*, nisi inconcussa veritate firmavit? Et quid est *non pœnitebit eum*, nisi hoc sacerdotium nulla alia ratione mutabit? neque enim sicut hominem pœnitet Deum, sed Dei dicitur pœ-

A nitentia quævis ab illo institutæ rei cujusque mutatio, quæ credebatur esse mansura, proinde cum dicit *non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, satis ostendit eum pœnituisse, hoc est eum mutare voluisse sacerdotium, quod constituerat secundum ordinem Aaron, sicut de utroque videmus impletum. Nam et Aaron sacerdotium jam nullum est in aliquo templo, et Christi sacerdotium æternum perseverat in cœlo. Hunc sacerdotem et hoc sacerdotium magnifice commendat apostolus, cum gratiam Evangelii a regalibus cæremoniis distinguens, scribit ad Hebræos : *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium :* B *unde et salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro eis. Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non haberet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, primo pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo* (*Hebr.* VII, 28). Et iterum : *Talem habemus pontificem, qui consedit ad dextram majestatis in cœlis, sanctorum minister et tabernaculi veri quod fecit Deus et homo* (*Hebr.* VIII, 1). Sancti ergo patres nostri in Veteri Testamento uni Deo et Creatori omnium victimas obtulerunt, quas sibi ipse offerri voluit, per earum similitudinem promittens victimam veram, per quam nos sibi peccatorum remissione reconciliavit in Christo Jesu Do- C mino nostro, ut ei offerretur similitudo, promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis et sanguinis Christi. Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudine promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoria celebratur. Proinde prima sacramenta, quæ observantur et celebrantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi, quæ cum suo adventu Christus implevisset, oblata sunt; et ideo oblata quia impleta, non enim venit solvere legem sed adimplere. Alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fidei revelata, et in libertate vocatis filiis Dei jugo servi- D tutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat, qualia sunt in Ecclesia baptismus Christi, eucharistia Christi, signaculum (*a*) Christi. Hinc est quod cautissimo divisionis ordine Ecclesia Dei vivi, quæ est columna et firmamentum veritatis, tempora venturi Christi venientisque discernit, et omissis sacrificiis quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert, quo Christus jam passus ostenditur, qui propterea verus est sacerdos, quia semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit, sicut Apostolus testatur dicens : *Estote ergo imita-*

(*a*) Id est confirmationis sacramentum : unde et apud Græcos episcopus confirmans hanc adhibet formam : *Signaculum doni Spiritus sancti*, et Ordo Gelasianus *signum Christi in vitam æternam. Amen.*

tores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (*I Cor*. xi, 1), ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est per mediatorum Dei et hominum, hominem Christum Jesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamus Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio per indulgentiam illius, non per nostram potentiam, quia et ipsa quantulacunque virtus quæ dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa.

5. Propterea ergo nobis per Mediatorem præstita est gratia, ut polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mundaremur, per hoc scilicet quod eramus et non eramus. Eramus enim homines, sed justi non eramus; in illius autem incarnatione, natura humana erat, sed justa, non peccatrix erat. Hæc est mediatio, qua manus lapsis jacentibusque porrecta est. Hoc est semen dispositum per angelos, in quorum edictis et lux dabatur, quia et unus Deus coli jubebatur, et hic mediator venturus promittebatur. Usus sacramenti fide etiam justi antiqui mundari pie vivendo meruerunt, sicut beatus Petrus apostolus ad quosdam qui in lege justificari quærebant, manifeste testatur, dicens : *Quid tentatis Dominum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus; sed per fidem Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi?* (*Act.* xv, 10). Omnis itaque hominum multitudo, propter quos a dæmonum dominatione liberandos Christus advenit, in illo habent misericordiam purgationem et mentis et spiritus et corporis sui. Propterea quippe totum hominem sine peccato ille suscepit, ut totum quo constat homo, a peccatorum peste sanaret. Gratia quippe Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem, et spem dilectionis suæ donaret hominibus homine medio, qua ad illum ab hominibus uniretur, qui tam longe erat, immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab impiis, beatus a miseris, et quia naturaliter indidit nobis ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus. Hac Dei gratia qua in nos ostendit magnam misericordiam suam, et in hac vita per fidem regimur, et post hanc vitam per ipsam speciem, incommutabilis veritatis ad perfectiouem plenissimam perducimur.

6. Hanc igitur gratiam purgationis et redemptionis nostræ, quam nobis Dominus et Salvator in sacramento sui corporis et sanguinis commendavit, longe antequam pateretur in populis prædicavit; sed pridie quam pateretur, id est ea nocte qua tradebatur, in cœna discipulis suis tradidit. Nam beatus Joannes evangelista statim post illud de quinque panibus miraculum, quo in quinque millia hominum satiata sunt, narrat eum fugisse in montem, declinando scilicet a turbis, quæ tanti signi admiratione permotæ, cupiebant rapere et facere eum regem, et mox veniente nocte ambulantem super mare venisse Capharnaum, atque ibi jam die altera occurrentibus sibi turbis et inter alia quærentibus et dicentibus : *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* respondisse eis : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Cumque respondissent : *Quod ergo tu signum facis, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo.* Et post paululum : *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet nunquam.* Et item : *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducaverunt manna in deserto et moriui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si qui ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et rursus post aliqua : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus : qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Post hoc subjunxit Evangelista : *Hæc dixit in synagoga docens in Capharmum* (*Joan.* vi, 28, 35, 47, 54, 59), quod totum, sicut ipse Evangelii secundum Joannem textus ostendit, manifeste anno integro ante passionem Domini gestum est. Nam sicut idem evangelista scribit, quando illud de quinque panibus miraculum factum est. *Proximum erat pascha, dies festus Judæorum* (*Ibid.*, vers 4); nec tamen in ipso, sed in pascha anni sequentis eum ad passionem venisse commemorat. Hinc est quod in illa cœna paschali, quando Dominus traditus est, nihil de ipso corporis et sanguinis ejus mysterio idem beatus Joannes commemorat; quia videlicet copiosius hoc et sublimius in præcedentibus Evangelii sui partibus explicaverat, et a reliquis tribus evangelistis, quod in eadem cœna in commemoratione Dominicæ passionis ad salutem fidelium fuerat traditum, diligenler noverat commendatum. Verba quippe Matthæi hæc sunt : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, et fregit, deditque discipulis suis et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in*

remissionem peccatorum (*Matth.* xxvi, 26). Marcus A vero sic ait : *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem,et benedicens fregit, et dedit eis,et ait : Sumite, Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes,et ait illis : Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur* (*Marc.* xiv, 22). Lucæ vero his verbis, narratio explicatur : *Et accepto calice gratias egit, et dixit, Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens* : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens : Hic calix Novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur* (*Luc.* xxii, 17). Beatus etiam B Paulus, commemorans sacratissimæ illius cœnæ mysterium, inter alia sic dicit : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Simititer et calicem postquam cœnavitt dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem* (*I Cor.* xi, 25). Quantum est istud et ineffabile salutis mysterium et pietatis sacramentum, tanta contestatione prædictum, tanta veritate commendatum,ut prius hoc Dominus corpus et sanguinem suum assereret,quam pro nobis suum corpus et sanguinem traderetur nemo enim potest passionis Domini corporisque ejus et sanguinis pro C majestate rei sacramenta cognoscere.

7. (Fulg. *epist*, 14, *ad Ferrandum*, n. 43.) Notandum quoque diligenter, quod in eadem cœna et Judaicum Dominus pascha comedit,quod oportebat auferri [a],et sacramentum corporis sui et sanguinis dedit,quod ad salutem fidelium oportebat institui. *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Manducavit ergo pascha, quo passurus significabatur, antequam pro nobis voluntarie pateretur. Comedit pascha Judæorum, quo promissus est Christus, ut veniret ad pascha nostrum, quod immolatus est Christus.

8. (Aug., *epist.* 54, *ad Januarium.*) Aperte enim dicit Evangelium, quod manducantibus illis accepit Jesus panem et benedixit. Cum etiam superius dixis- D set:Cum sero autem factum esset, discumbebat cum duodecim.Et manducantibus illis dixit:Unus ex vobis tradet me,post enim tradidit sacramentum; unde liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini,non eos aecepisse jejunos,nequaquam tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ,quod a jejunis semper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani Dominicum prius intraret, quam ceteri cibi.Ideo enim per universum orbem mos iste servatur, neque enim quia post cibos dedit Dominus,propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debebunt,aut sicut faciebant quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere; ait enim : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare* (*I Cor.* xi, 18), hanc ipsam acceptionem eucharistiæ Dominicam cœnam vocans. *Unusquisque enim,* inquit, *suam cœnam præoccupat ad manducandum* (*Ibid.*, vers. 21); unde et indigne dicit acceptum ab eis,qui non discernebant a cæteris cibis veneratione singulariter debita. Continuo quippe cum dixisset *judicium sibi manducat et bibit,* subjecit,*non dijudicans corpus Domini* (*Ibid.*,vers.29); namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat; et ideo non præcipt, quo deinceps ordine sumeretur,ut apostolis,per quos ordinare Ecclesias disposuerat servaret hunc locum.

9. (Cyprian., *epist.* 63, *ad Cecil.*) Neque enim quia post cœnam calicem obtulit Dominus, etiam Dominici diei sacrificium post cœnam celebrare debemus.Christum offerre oportebat circa vesperam diei,ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum et vesperam mundi,sicut de paschali agno in Exodo scriptum est : *Et immolabit cum omnis multitudo filiorum Israel ad resperam* (*Exod.* xii, 6). Et iterum in psalmis : *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* cxi, 2).

10. (Aug.,*epist.* 149,*ad Paulinum,* n. 16.) Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens:*Propter quod,fratres,cum convenitis ad manducandum,invicem exspectate.Si quis esurit,domi manducet, ut non in judicium conveniatis*, statim subtexuit, *cætera autem cum venero ordinabo* (*I Cor.* xi, 33). Unde intelligi datur quia multum erat ut in Epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia,ab ipso ordinatum esse,quod nulla horum diversitate variatur.Nam et ubi ad Timotheum scribens ait:*Obsecro itaque primo omnium fieri obsecratioues, orationes. interpellationes, gratiarum actiones* (*I Tim* ii, 1), hoc constituisse intelligitur, quod omnis et pene omnis frequentat Ecclesia,ut obsecrationes accipiamus dictas quæ fiunt in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur,quam totam benedictionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive, ut quidam codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur.Tunc enim antistites velut advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt pote

[a] Apud Fulgentium legitur *offerri*, sed sive *offerri*, sive *aufferri* legas,utraque lectio bona, et certe non ea quam profert Florus noster spernenda videtur : nam in Dominica cœna Judæorum pascha finem accipiebat et debebat auferri.

stati. Quibus peractis, et participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter præscriptis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, *pro omnibus hominibus, pro regibus et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (*I Tim.* II, 2), ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, æstimaret non esse ista facienda pro iis a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde adjungit et dicit : *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Domino, qui omnes homines vult salvos fieri et in agnitionem veritatis venire* (*Ibid.*, vers. 3). Et ne quisquam dicere posse esse salutis viam in bona conversatione et unius Dei omnipotentis cultu, sive participatione corporis et sanguinis Christi : *Unus enim Deus*, inquit, *unus enim Mediator Dei et hominum homo Jesus Christus*, ut illud quod dixerat, *omnes homines vult salvos fieri*, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem nostrum Deum, quod semper erat Verbum, sed hominem Christum Jesum cum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Ideo enim Christus mediator Dei et hominum dictus est inter Deum immortalem et mortalem hominem Deus et homo reconcilians hominem Deo, verus rex, verus sacerdos. Ergo petit homo a rege Christo regatur, si forte peccaverit, eodem sacerdote Christo expletur.

11. (*a*) Primo igitur convenientibus in unum, et astantibus in domo Dei fidelibus, præcedente modulatione divinarum laudum, præcedente lectiene apostolorum et Evangeliorum, præcedente etiam nonnunquam sermone et allocutione magistrorum, subjuncta quoque symboli confessione, et oblatione populorum, et initiata consecratione sacramentorum, in quibus omnibus mens astantium ad divina et cœlestia cogitanda ac desideranda præparatur, assistit sacerdos altari, et celebraturus divina mysteria, Ecclesiam salutando orat, et orando salutat dicens :

12. *Dominus vobiscum.* Qui salutationis sermo non humano arbitrio compositus, sed ex divinæ Scripturæ auctoritate desumptus probatur, ubi frequenter et singulariter et pluraliter positus legitur. Singulariter, sicut ait angelus ad beatam Mariam : *Ave gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28); et sicut ad Gedeon similiter salutando dixit : *Dominus tecum, virorum fortissime* (*Jud.* VI, 12). Pluraliter autem, sicut in libro Ruth, qui utique sicut cæteri sacræ Scripturæ libri divina et mystica continet, legitur Booz salutando dixisse messoribus : *Dominus vobiscum.* Cui et ipsi resalutantes dixerunt : *Benedicat tibi Dominus* (*Ruth.* II, 4). Et sicut in historia libri Paralipomenon propheta missus a Deo invenitur salutasse Asa regem Juda cum exercitu suo, invocato Dei auxilio, victores de prælio revertentes. Ait enim : *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Et

(*a*) Hic solum incipiunt editi.

A addidit : *Si quæsieritis eum, invenietis : si autem dereliqueritis illum, derelinquet vos* (*I Par.* XXVIII, 9). Unde patet quia sicut NIHIL PEJUS potest esse homini quam derelinquere Deum et derelinqui a Deo : ita econtrario nihil melius est quam habere Deum et esse cum Deo. Et quia salutare nihil est aliud quam salutem optare, hæc est vera salutatio, veræ salutis optatio, id est cum ecclesia sua tanquam in templo suo, cum dicit Apostolus : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 16). Et Ecclesia habet Dominum secum inhabitantem et illuminantem, regentem et protegentem, ut ille sit ei Deus, et illa sit populus, sicut propheta promisit dicens : *Et inhabitabo et inambulabo cum illis, et ero eis Deus, et erunt ipsi populus* (*II Cor.* VI, 16), ut dum B tantæ beatitudinis dono Ecclesia Dei et possidet Dominum et possidetur a Deo, quatenus et ipsa sit hæreditas Domini, et Dominus pars hæreditatis ejus, impleatur in illa quod Psalmista ait : *Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXII, 12). Hoc est enim summum hominis bonum possidere Deum, et possideri a Deo; ipsum solum diligere et ipsi soli servire, illi soli adhærere, ut dicat illi anima devota : *Mihi autem adhærere Deo bonum* (*Psal* LXXII, 28). Et iterum : *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9), ut adhærens Domino, unus cum eo spiritus fiat, dicente Apostolo : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Nam et ipse Apostolus in Epistolis suis ita salutat dicens, ut aliquando dicat : *Dominus cum omnibus vobis;* aliquando : *Deus au-* C *tem pacis sit cum omnibus vobis* : item aliquando *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres, amen* (*Gal.* VI, 18). Et nonnunquam sub distinctione personarum, totam invocans Trinitatem, ita salutat : *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* (*II Cor.* XIII, 13). In quibus omnibus hoc optat fidelibus scribens, quod sacerdos ad altare assistens, scilicet, ut habentes Deum non deserantur ab eo. Recte ergo Ecclesia tam salubri sacerdotis voce accepta, et ipsa resalutando orat, et orando resalutat sacerdotem, dicens :

13. *Et cum Spiritu tuo.* Nihil enim melius invenit Ecclesia quod optaret sacerdoti, nisi quod sacerdos D optat Ecclesiæ, id est ut idem Dominus qui dignatur esse cum Ecclesia, dignetur etiam esse cum spiritu sacerdotis, ac sic in utroque benigna illa Domini promissio impleatur, qua ascensurus in cœlum omnibus fidelibus promisit dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII,). Hoc ergo tantum bonum sibi invicem optant et postulant, et sacerdos Ecclesiæ, et Ecclesia sacerdoti, ut sicut ejus gratia illuminatur, ejus præsentia confortatur, ejus protectione munitur; semper eum manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus. Hoc etiam modo

aliquoties salutat Apostolus, et pluraliter, ut superius memoravimus, ubi ait : *Dominus Jesus Christus cum spiritu vestro, fratres, amen* (*Gal.* VI, 18). Et singulariter, ubi ad Timothæum salutans dicit : *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo, amen.* Et bene Dominus cum spiritu hominis esse optatur, quia in spiritu et mente rationali creatus est homo ad imaginem et similitudinem Dei : et ibi est capax divinæ gratiæ et illuminationis, ut in quantum ei datur possit sentire dulcedinem suavitatis, et splendorem præsentiæ ejus, ut fiat in eo illud quod Psalmista ait : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9) Et iterum : *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Ibid.*, vers. 6). Sic namque sanctificatio spiritu hominis per inhabitationem Dei, efficitur homo etiam in corpore templum. Unde ait apostolus : *Corpora vestra templum est Spiritus sancti quem habetis a Deo* (*I Cor.* VI, 19)) Sed et illa salutatio episcopalis ad populum, qua dicitur *Pax vobiscum*, sive *Pax vobis*, similiter non humano sensu inventa, sed de Scripturæ sanctæ auctoritate sumpta est. Nam et in Veteri Testamento invenitur dixisse angelus Danieli prophetæ : *Noli timere, vir desideriornm, pax tibi, confortare, et esto robustus* (*Dan.* X, 19). Et in Novo, id est in Evangelio, pene semper ita Dominus legitur apostolos salutasse dicendo : *Pax vobis;* et eisdem apostolis eamdem salutationis formam commendavit dicens : *In quamcunque autem domum intraveritis, salutate eam dicentes: Pax huic domui, et si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super illum* : *sin autem, pax vestra ad vos revertetur* (*Matth.* X, 13). Merito ergo et apostolorum successores, id est ecclesiarum præsules hac salutatione utuntur, domum Dei salutantes, ubi oportet omnes esse filios pacis : *Beati* enim *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9), ut salutatio pacis super eos requiescens, et salutantibus et salutatis possit esse fructuosa. Pax autem quæ sive per angelum, sive per Dominum, sive per pastores ecclesiarum fidelibus imprecatur, non est mundana aut caduca, sed divina et æterna, quæ nos Deo conciliat, et contra tentationes diaboli atque adversitates sæculi ipsius protectione munitas, tranquilla proximis charitate conjunget. Hanc enim Dominus Ecclesiæ suæ commendavit dicens : *Pacem relinqvo vobis, pacem meam do vobis.* Et continuo subjunxit, *non quomodo hic mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* XIV, 27). De hac iterum dicit : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis*; *in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Hanc et Apostolus fidelibus implorat dicens : *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* (*Phil.* IV, 7), quæ passionum tempore servanda est, et ubique fideliter tenenda, quando attentius et devotius ea hora cum in domo Domini et in conspectu Dei assistitur, et vota et munera omnium sacris altaribus offeruntur; quando aliter divinam majestatem nobis propitiare

A non possumus, nisi sincero charitatis affectu illud implere studeamus, quod de hac re specialiter Dominus præcipit dicens : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V, 23).

14. (GREG., *homil.* 8 *in Ezechiel.*) Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quavis longe positum longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut videlicet Conditor, dum tale munus nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat, quia munus

B pro culpa sumit. Veritatis autem voce testante didicimus, quia servus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit. Sed quia conservo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, et hoc est jussus exigi, quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

15. (S. CYPR.) Summopere autem necesse est, ut quando stamus ad orationem, quando tam sancta et veneranda mysteria sub oculis Dei geruntur, toto corde ad precandum invigilemus. Cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacer-

C dos ante illam sacrosanctam orationem, præfatione præmissa, parat fratrum animos dicendo : *Sursum corda*, ut dum respondet : *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere, claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se adire hostem Dei tempore orationis patiatur. Obrepit enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in voce, quando intentione sincera Deum non vocis sonus; sed animus et sensus debeat orare, quasi sit aliud quod magis cogitare debeamus, quam quod cum Deo loquimur. Quomodo a Deo audiri postulamus, cum non ipsi non audiamus? Volumus esse Deum memorem nostri, quando memores nostri ipsi non sumus,

D hoc est quando oramus, majestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est vigilare oculis et corde dormire, cum debeat Christianus, etiam dum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico canticorum : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet dicens : *Instate orationi vigilantes in ea* (*Col.* IV, 2), docens scilicet et ostendens, eos impetrare quod postulant a Deo posse, quos ipse videt in oratione vigilare. Quid est ergo sursum habere corda, nisi ea quæ sursum sunt quærere, quæ sursum sunt sapere? quærere videlicet amando, sapere intelligendo,

sicut Apostolus eodem sermone admonet dicens : A *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* *Col.* III, 1). Hunc ascensum cordis nostri qui fit ad Deum a convalle plorationis, id est ab humilitate contribulationis, non nostris viribus, sed auxilio Dei ostendit nobis Psalmista dicens : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII, 6). Ascensus enim utilis non potest esse, nisi primo humilitatis a convalle nobis ascendendum esse meminerimus. Convallis enim locus est terræ depressus. Docens ipse Dominus a convalle plorationis ascendendum, quando pro nobis humiliari usque ad mortem crucis et pati dignatus est. Hoc exemplum non relinquamus. Istam B convallem plorationis martyres intellexerunt, et inde ut coronarentur ascenderunt. Amor sanctus ad superna elevat, et ad æterna inflammat. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest; mundata vero ab affectibus et sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, ex duabus alis resolutis, id est duobus præceptis dilectionis Dei et dilectionis proximi, volat ad Dominum, ascendens volando, quia ascendit amando ad illam scilicet supernam Jerusalem matrem omnium nostrum, quæ est in cœlis. Ab illa enim peregrinamur in hæc vita, ad ejus reditum suspiramus tandiu miseri et laborantes, donec ad illam redeamus, nec cives nostri angeli dimiserunt in peregrinatione ; sed annuntiaverunt nobis ipsum regem venturum ad nos. Et venit ad nos, et contemptus est inter nos a C nobis, et postea nobiscum, et docuit nos contemni, quia contemptus est ; docuit tolerare, quia toleravit ; docuit pati, quia passus est; et promisit resurrecturos, quia resurrexit, in seipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo prophetæ et patres antiqui antequam Dominus Jesus Christus veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset et ascendisset in cœlum, suspirabant tamen illi civitati, quantum nos oporteat desiderare quo nos ipse præcessit, et unde nunquem recessit. Antiqui sacerdotes qui non tam curabant de cultu sermonis, quam de salute et ædificatione plebis, propter idiotas et rusticanos, non sursum, sed vulgari sermone *Sursum corda* dicere solebant, ut res tanta plenius omnium sensibus commendaretur. Monet autem adhuc sacerdos et dicit : D

16. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* (*a*) Gratiarum actio Patri luminum semper a nobis debetur, a quo sine ulla dubitatione omne datum optimum, et omne donum qerfectum, Scriptura teste, descendit. Nemo est enim donis Dei beatus, qui donanti exsistit ingratus, quia et hoc quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valemus, quod jubente admonemur. Et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono sursum levati cordis non nobis gloriam, quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc jestum est ; recordari oportet semper hæc verba unde sint, quas actiones et quanta sanctitate commendentur, teneamus et habeamus quod accipimus, et datori gratias agamus. Quamvis enim accipere et habere nostrum sit, id tamen habemus quod accepimus, quoniam superbienti, et ex eo quod habebat, quasi a seipso habere impie glorianti Veritas per Apostolum dicit : *Quid enim habes quod non accepisti; quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* *I Cor.* IV, 7.) Merito ergo in illo verissimo et singulari sacrificio Domini, Deo nostro agere gratias admonemur, ut agnoscat homo, si quid bene vivit, Dei gratia se habere, et ut perficiatur in dilectione justitiæ non se aliunde consecuturum. quia cogitatio pium facit. Ipsa est illa sapientia quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo omne est datum optimum, et omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis actionibusque gratiarum, ut cultor ejus non in seipso, sed in illo glorietur. *Non enim spiritum hujus mundi accepimus*, ut ait idem Apostolus, *sed Spiritum qui ex Deo est* (*I Cor.* II, 12), ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quis est autem spiritus mundi hujus, nisi superbiæ spiritus, quo cor insipiens obscuratum est eorum, qui cognitum Dominum, non ut Deum, gratias agendo glorificaverunt? Consideremus ergo hæc, et de omnibus beneficiis Dei semper illi gratias referamus, interque omnia opera ejus, nihil est quod vel considerare libentius, vel laudare dulcius debeamus, quam quod Christus factus est humilis, et ad hominem, qui cadendo ad ima dejectus fuerat, sponte descendit, ut vel sese erigendum crederet qui jacebat. Denique ut levaret in cœlum spem nostram, levavit primo carnem nostram, et non dubitaremus secuturum quod promisit nobis, illuc jam præcessit quod accepit ex nobis.

17. (FULG., *epist.* 14 *ad Ferrand.*, n. 44.) Ideo ergo præcipue in ipso sacrificio corporis Christi a gratiarum actione incipimus, ut Christum non dandum, sed datum nobis in veritate monstremus ; et in eo quod gratias agimus Deo, in oblatione corporis et sanguinis Christi cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum; nec redimendos nos illo sanguine, sed redemptos. Vera est enim beati Petri prædicatio dicentis: *Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vestra vana conversione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati et incontaminati Christi* (*I Petr.* I, 18). Bene itaque admonenti sacerdoti et dicenti *Gratias agamus Domino Deo nostro*, respondet Ecclesia :

18. *Dignum et justum est.* Quid enim potest esse magis Deo dignum, aut quid ei justius a nobis rependi potest, quam et tantæ misericordiæ Dei, cui vicem referre non possumus, debitas gratias reddamus, audientes Apostolum exhortantem nos et dicentem : *Gratias agentes Deo et Patri, qui dignos*

(*a*) Vide sancti Augustini sermonem 227, ad infantes, de Sacramentis.

nos fecit in sorte sanctorum in lumine, qui eripuit A *nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum?* (*Col.* I, 12, 13, 14.) Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, et gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Qui ergo per hanc gratiam eripimur de potestate tenebrarum, id est diaboli et angelorum ejus, et transferimur in regnum Filii dilectionis Dei, ut efficiamur genus electum, regale sacerdotium, habentes in eodem Filio per sanguinem ejus redemptionem, remissionem peccatorum; quid dignius agere possumus, quam quod beatus Petrus apostolus admonet dicens: *Et virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum; qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui* B *non consecuti misericordiam, nunc autem misericordia consecuti?* (*I Petr.* II, 9.) Hanc ergo Ecclesiæ responsionem confirmat sacerdos, et in Deum mente suspensus, cognoscente secum omni Ecclesia proclamat et dicit:

19. *Vere dignum et justum est, æquum et salutare.* Quod est justum, hoc est et æquum, sed repetitio sermonis, confirmatio est veritatis, nam justitia et æquitas una res est, sicut cantamus in psalterio de Domino: *Judicabit orbem terræ in justitia et populos in æquitate* (*Psal.* XCV, 10). Salutare autem dicitur, quod est salubre, et quod salutem conferat. Vere ergo ut incessanter gratias agamus, dignum est tantis Dei beneficiis, justum nostris obsequiis, æquum ipso pondere rationis, salutare manifesto fructu salutis, quo et Deum laudantes salvantur, et C ingrati ipsius judicio reprobantur. Nam Deum fideliter laudantes vere salvantur, sicut in psalmo cantatur: *Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero* (*Psal.* XVII, 4.) Ingrati autem reprobantur, sicut aperte in Evangelio ipse Dominus ostendit, qui ex decem leprosis ejus virtute mundatis, unum ad se suppliciter revertentem, et magna voce gratias agentem, laudavit, et gratia fidei salvavit, dicendo *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena;* et continuo clementer adjunxit: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit* (*Luc.* XVII, 18). Novem autem reliquos, licet crediderint se per eum posse mundari, quando una voce clamaverunt dicentes: *Jesu præceptor, miserere nostri;* tamen quia tantæ virtuti extiterunt ingrati, D velut infideles, nescire sed ostendit, dicendo: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* (*Matth.* XXV, 12.) Nescire autem Dei reprobari est: unde et quibusdam dicturus est: *Amen dico vobis, nescio vos*, Ex quo quantum malum sit gratiarum actionem Deo debitam negligere, evidenter ostenditur, quando eos quos credentes mundavit, etiam mundatos istius culpæ merito tanquam infideles abjecit. Gratias autem agere debemus semper et ubique, id est in omni tempore et in omni loco, ut impleatur in nobis quod cantamus in psalmo: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Et iterum: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino* (*Psal.* CII, 22).

20. (AUG., *Enar.* II *in Psal* XXXIII, n, 4.) Quis est ergo qui benedicit et gratias agit Domino in omni tempore, nisi humilis corde? Ipsam enim humilitatem docuit Dominus noster in corpore suo, quia cum commendat corpus et sanguinem suum, humilitatem suam commendat. Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore tuo, quia et Job non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus divitem fuisse. Ablata sunt omnia uno tempore, et implevit quod in hoc psalmo scriptum est dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est.* Post: *Sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21). Ecce habet exemplum benedicentis in omni tempore. Non habebat quæ teneret, sed habebat quod laudaret. In laude Dei sui quasi in rerum copia quiescebat. Deus illi solatium fuit, ne possessionum damnis periclitaretur. Nunquid enim perdidit Deum, quamvis perdiderit quod dederat Deus? Plus est enim habere eum qui dat, quam illa quæ dat. Si enim pulchra sunt quæ dat, quanto pulchrior ille qui dat? Si magna sunt, quanto major ipse largitor? Et certe quæ in hac terrena vita dederit Deus, aut dum vivimus nos deserunt, aut a nobis morte deseruntur. At vero ipse Deus æterna possessio semper præsens nunquam deserit possidentem. Sint ergo casta vota fidelium, vilescat temporale bonum, et veniat æternum. Inhæreat Deo anima pia in eum oratione suspensa, et per spirituales amplexus ei connexa desideret illud quod secum ipse largitur. Quantum est quod nobis exhibebit Deus, si seipsum nobis nolit exhibere? Si ergo bona suppetunt sæculi, sit misericordiæ faciendæ materies: si defuerint, sit patientiæ fidelis occasio. Tali enim devotione etiam in omni loco Deo gratiæ aguntur, quia qui ubique est præsens, ubique agnoscit laudatorem suum, etiam cum ore quiescente, et tacente lingua, secreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit, cum agit in silentio quod canitur in psalmo: *Benedic, anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus* (*Psal.* CII, 1). Quisquis ergo supplicaturus et gratias acturus Deo, locum sanctum et aptum requiris, interiora tua munda, et omni inde mala cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum, volens in templo orare. In te ora, et ita age semper, ut te templum Dei sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

21. *Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere.* Subjungit ad quem dirigat orationem dicendo: *Domine, sancte Pater omnipotens, æterne Deus*, et per quem eamdem orationem dirigat addendo: *Per Christum Dominum nostrum.* Quod ergo dicit, *Domine*, refertur ad creaturæ subjectionem, de quo et in psalmo canitur: *Quoniam omnia serviunt tibi* (*Psal.* XV, 1). Et alibi: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quid est enim *bonorum meorum*,

nisi a te datorum? quomodo eget aliquo bono, a quo omne bonum datur? Ideo verus est Dominus, qui servo suo non indiget. Et quo servo indiget? Quod vero adjungit *sancte Pater*, refertur vel specialiter ad unigeniti Filii generationem, in qua coæternus et coæqualis Patri, de qua etiam Propheta ait : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* xxxv, 8) vel generaliter ad omnium filiorum Dei adoptionem, cujus tanta est gratia, ut cum haberet unicum, noluerit illam esse unum, sed ut fratres haberet, adoptavit illos qui cum illo possiderent vitam æternam, pro quibus ipse eisdem verbis Patri supplicans ait : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (*Joan.* xvii, 11). Hæc ergo vox, ut dicatur Deo *Pater sancte*, et propria est unici Filii per naturam, et communis omnium adoptione filiorum per gratiam, per quam etiam concessit ut orantes dicant: *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* vi), 9), qni vere omnipotens et æternus est Deus, omnipotens scilicet virtute, qua omnia condidit et continet et regit, veraciter Scriptura dicit, *quia tihi impossibile nihil est.*

22. (Id. *ibid.*) Qui tamen si compos est, ut nunquam suæ rationis instituta convellat. Ipsius est etiam vera æternitas, cui quod est esse perpetuum est, qui initio carens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Tota autem oratio et gratiarum actio, quam semper et ubique debemus, dirigitur et offertur Deo Patri per Christum Dominum nostrum, tanquam per mediatorem et conciliatorem Dei et hominum, de quo Apostolus ait : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Jesus Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (*I Tim.* ii, 5). qui cum in natura deitatis sit unum cum Patre, suscipiendo naturam nostram, factus est nobis mediator ad Patrem. Ideo enim mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus, non mediator homo præter deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate non est mediatrix. Sed inter solam divinitatem et humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas, et divina humanitas Christi, qui etiam semetipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium. Per ipsum ergo et petitiones et laudes suas offert Ecclesia Deo Patri, sciens per eum solum se posse accipere quod postulat, per eum solum placere posse quod laudat, sicut in Evangelio promittit dicens : *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* xvi, 23). Hæc est enim mediationis gratia per quam exauditur Ecclesia, secundum quam et Apostolus exhortatur dicens : *Per ipsam ergo offeramus hostiam laudis semper Deo* (*Hebr.* xiii, 15), id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Idem namque mediator Dei et hominum Deus super nos homo A propter nos per humanitatem interpellat pro nobis apud Patrem, per divinitatem exaudit et præstat cum Patre, sicut ipse testatur dicens : *Quia ego ad Patrem vado, et quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam, ut clarificetnr Pater in Filio* (*Joan.* xiv, 12). De qua mediatione et advocatione etiam beatus Joannes apostolus ait : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* ii, 2), quia qui per humanitatem interpellat pro nobis cum Patre, idem per divinitatem propitiatur nobis cum Patre. Orat itaque sacerdos pro Ecclesia, orat Ecclesia pro sacerdote, sicut orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, qui dicit : *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi* (*Coloss.* iv, 3). Et B pro Petro orat Ecclesia cum esset in vinculis, quomodo et Petrus pro Ecclesia, quia omnia pro invicem membra orant. Caput pro omnibus interpellat, de quo scriptum est : *Qui et est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* viii, 34).

23. (Greg. lib. xxii *Moral.*, n. 42). Unigenito enim Filio pro homine interpellare est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare, eique pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo servavit : qui quoniam hoc quod moriendo in sepulcro posuit, resurgendo super angelos elevavit; recte sacerdos adjungit et dicit :

24. *Per quem majestatem tuam laudant angeli.* C Hæc est enim ineffabilis gloria Salvatoris et mediatoris nostri, qui, ut Apostolus ait, *purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* (*Heb.* i, 3). Cujus nominis altitudinem alibi exponens dieit : *Propter qaod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Phil.* ii, 9), quatenus per eumdem mediatorem laudet, adoret et contremiscat majestatem Dei Patris non solum Ecclesia hominum in terris, sed etiam Ecclesia angelorum in cœlis.

25. (Aug., *serm.* cccxl, n. 11). Sic enim Ecclesia tota et una accipienda est, non solum ex ea parte D qua peregrinatur in terris a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, et post captivitatem vetustatis cantans canticum novum; verum etiam ex illa quæ in cœlis semper ex quo condita est cohæsit Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Hæc in sanctis angelis beata persistit, et suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulantur, quia utraque una erit consortio æternitatis, et nunc vera est vinculo charitatis. Hæc ergo quæ peregrinatur in terris, sanguine Mediatoris nullam habentis peccatum, ab omni est peccato redempta,...ejus non est. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* viii, 32). Non

enim pro angelis mortuus est Christus ; sed ideo etiam pro angelis fit ipsa redemptio hominum, quoniam cum ipso redimus in gratiam post inimicitias quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione, ruinæ illius angelicæ damna reparantur. Propter hoc ait Apostolus, *instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt et quæ in terris* (*Eph.* I, 10). In ipso instaurantur, quippe quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt in æternam vitam a corruptionis vetustate renovantur, ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificantur cœlestia cum terrestribus, et terrestria cum cœlestibus, quoniam sicut Apostolus dicit : *In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis* (*Col.* I, 22). De ipso namque et alibi idem Apostolus ait : *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ* (*Ib.*, vers. 18). Et iterum : *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis* (*Col.* II, 10). Omnes ergo qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, et in ejus fide et ipse sanati sunt, in cujus et nos, ut esset ipse totius caput civitatis Jerusalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adjunctis etiam legionibus et exercitibus angelorum, ut fiat una civitas sub uno rege, et una quædam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace ac salute, laudans Dominum sine fine beato fine. Istorum vero trium ordinum, spirituum, id est angelorum, dominationum, potestatum, qui divinam majestatem laudare, adorare, et tremere dicuntur, talis est differentia.

26. (GREG. ; *hom.* 34 *in Evang.*, n. 8 et seq). Quod angeli, qui Latine *nuntii* interpretantur, ex ipso nomine officium suum nobis indicant, quia videlicet a Deo missi, voluntatem ejus hominibus nuntiant, sicut legimus in Veteri Testamento missos angelos ad Abraham, ad Loth, ad Jacob, ad Moysen, ad Josue, ad Daniel et Tobiam, et in Novo frequenter, unde et per Psalmistam dicitur : *Benedicite Domino angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonis ejus* (*Psal.* CII, 20). Et iterum : *Qui facit angelos suos spiritus* (*Psal.* CIII, 4), ac si aperte dicat, qui eos quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit angelos, id est nuntios facit. Dominationes autem vocantur et angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sint. Potestates etiam vocantur hi qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenatur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. Hi ergo tam beati et sublimes in cœlestibus spiritus per Christum Dominum nostrum majestatem

A Dei laudant, sicut ad eos gratulando dicitur in psalmo: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum virtutes ejus* (*Psal.* CXLVIII, 1). De quibus et Deus in libro Job loquitur dicens : *Quando facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei voce magna* (*Job* XXXVIII, 7). Adorant quoque eamdem divinam majestatem, sicut in hymno confessionis Esdræ ad ipsum Deum dicitur : *Tu ipse, Domine Deus, qui fecisti cælum, cælum cæli et universa quæ in eo sunt, et tu vivificas omnia hæc, et exercitus cæli te adorant* (*II Esd.* IX, 6). Tremunt etiam sicut per figuram de eis in libro Job dicitur : *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus* (*Job* XXVI, 10).

27. (ID., XVII *Mor.*, n. 44). Quia ipse quoque virtutes B cœlestium quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed iisdem timor ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis. Cum igitur in cœlestibus tanta sit devotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, consideret hæc homo, cui dictum est : *Quid superbit terra ?* et audiat Apostolum monentem : *Cum metu et timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Phil.* II, 12). Sequitur sacerdos in Dei laudibus, et dicit :

28. *Cæli cælorumque virtutes ac beata Seraphim socia exsultatione concelebrant.* Subauditur hoc quod jam supradictum est, *majestatem tuam*. Hanc namque non solum, ut præmissum est, angeli, dominationes, et potestates laudant, adorant, tremunt ; sed etiam cœli, et cœlorum virtutes, et Seraphim C concelebrant, id est in commune celebrant, concordi devotione et communi gaudio laudant. Nam celebritas est conventus populi in laude, et celebrata dicimus in celebri, id est in frequentissimo conventu acta. Celebrat itaque et concelebrat majestatem Dei beatus ille populus angelorum, de cujus inenarrabili multitudine scriptum est : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII, 10), quia adest illis semper vultus præsens Dei, dicente Domino in Evangelio : *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est* (*Matth.* XVIII, 10). Qui dum sine defectu conspicitur et amatur, amatur et laudatur, electorum civium mera lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conventu gratulantur. Ipsa est enim domus Dei D æterna, de qua in Psalmis canitur : *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Et iterum : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te* (*Psal.* LXXXVI, 7). Ideo hic bene dicitur, quia majestatem Dei socio, id est juncta exsultatione concelebrant, quoniam, ut jam dictum est, sine intermissione laudantes vicissim de illo, et de se in illo lætantur, sicut de ipsis Seraphim manifeste in Isaia legitur, *quia volabant alter ad alterum, et dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus*, etc. (*Isa.* VI, 3).

29. (AUG.) Merito enim laudant cui ministrant, et assistunt, et dant gloriam in excelsis Deo, quia illi

debent quod sunt, illi debent quod vivunt, illi debent quod juste vivunt, illi debent quod beate vivunt, ne putemus hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat angelus antequam fieret? quid est angelus si deserat qui creavit? Hunc ergo omnium creatorem laudant et concelebrant cœli, sicut eum laudant sol et luna, omnes stellæ et lumen. Unde in psalmo dicitur: *Laudate eum sol et luna; laudate eum omnes stellæ et lumen. Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 3).

30. (AUG.) In hymno quoque trium puerorum ad laudem Dei elementa omnia provocantur, non quod elementa muta habeant sensum laudandi; sed quia cuncta bene cogitata laudem pariant, et impletur cor consideratione creaturæ ad eructandum hymnum Creatori. Et quia longum fuit in ista gratiarum actione totos angelorum ordines, qui in Scripturis novem inveniuntur, sigillatim ponere; post cœlos ponuntur Virtutes, quo nomine omnes cœlestes spiritus nonnunquam generaliter appellari solent, ut est illud in psalmo: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXI, 6). Et iterum: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 10). Tamen proprie in ordinibus angelorum Virtutes illi spiritus vocantur, per quos signa et miracula frequentius fiunt. Ad ultimum ponuntur seraphim, qui est summus ordo angelicorum spirituum; et vere beata, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardent amore. Unde et Seraphim *ardentes* vel *incendentes* interpretantur: quia quo subtilius claritatem divinitatis aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt.

31. (VIGIL.) Sciendum quoque quod cherubim et seraphim per *m* litteram prolata, juxta proprietatem linguæ Hebrææ, masculini sunt generis et pluralis numeri tantum. Si autem per *n* litteram dicantur, sicut in psalmis et hymnis, et in præsenti gratiarum actione ponitur, Græca declinatione in neutrale genus mutantur, velut cum dicimus lucida sidera, speciosa nemora, jucunda littora: sic et beata seraphin neutrali genere et plurali numero accipimus. Illud autem attentissime cognoscendum, quod ante ita sancti angeli et cæteræ cœlorum virtutes majestatem Dei Patris laudare, tremere, et communi exsultatione concelebrare dicuntur per Christum Dominum nostrum, tanquam hæc venerationis et glorificationis obsequia soli Deo Patri deferant, non etiam Filio et Spiritui sancto. Certissima enim fide tenere et scire debemus, quia totius sanctæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut una est divinitas et individua majestas, ita ei in omnibus æqualis honor et individua glorificatio debetur; nec ullo modo aut Pater sine Filio, aut Filius sine Patre et Spiritu sancto aut laudari, aut adorari, aut ullo divini cultus obsequio honorari potest.

32. (VIGIL.) Nulla enim est in Trinitate distantia; sed sive quis Patrem adoret, ibi est Filius et Spiritus sanctus. Sive Filio et Spiritu sancto supplicet, ibidem sine dubio et Pater invenitur, quia dum Patrem aut Filium invocas, totam Deitatis unitatem, totam amplecteris Trinitatem. Si enim vere et fideliter creditur, quia Pater in Filio et Filius in Patre est, sicut Isaias ad eumdem Filium loquitur dicens: *In te est Deus, et non est Deus præter te* (*Isa.* XLV, 14). Et in Evangelio: *Ego,* inquit, *in Patre et Pater in me est* (*Joan.* X, 38), nulli dubium, quod similiter ut Patri etiam Filio, qui in eodem Patre consubstantialiter manet, a nobis sacrificium immoletur. Cum enim ita in se invicem, ut separari nequeant manent, quod uni exhibueris, utrisque exhibitum crede. Denique Filius ait: *Qui me vidit vidit et Patrem. Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* XIV, 9), sic visio Filii Patris est contemplatio, Patris honorificentia sive gloria, dicente eodem Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

33. (AUG.) Quid si inveniuntur qui Patrem honorificant, et non honorificant Filium? Non potest, inquit, fieri. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum; sed ne forte Patrem quidem honorifices tanquam majorem, Filium vero tanquam minorem, corrigit te ipse Filius et revocat te dicens, ut omnes honorificent Filium non inferius, sed sicut honorificant Patrem. Quidquid ergo mandatis cœlestibus obsequendo divinitati exhibemus, sive in sacrificiorum ritu, sive in supplicatione precum, sive in alio quolibet munificentiæ genere et Patri et Filio æqualiter debetur, ac si nullum venerationis honorem privatim possidet Pater, qui non ad Filii et Spiritus sancti pertineat dignitatem. Nam si sacramentum regenerationis baptisma ad eos æqualiter pertinet, dum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti beata illa secundæ nativitatis gratia celebratur, nulli dubium quod et mysteriorum sacrificia communi dignitatis honore Pater et Filius et Spiritus sanctus possidet, quia inseparabili Deitatis unitate Trinitas ipsa connexa est. Ut autem ad solum Patrem oratio dirigatur, id apostoli sancti, sancto per eos ordinante Spiritu, sanxerunt, ut qui multorum deorum errores unius Dei prædicatione nitebantur evellere, sub Trinitatis sacramento uni personæ in sacrificiorum ritu supplicandum esse decernerent, ne qui unum Deum, ob falsorum deorum exstirpandos errores, prædicabant, in pluralem divinitatis numerum incidisse arguerentur ab his qui ineffabile Patris et Spiritus sancti mysterium ignorabant. Rectissime ergo constitutum est, ut quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unius Deitatis, unius naturæ, unius æqualitatis, unius denique potestatis exsistunt, una ex eis persona propter unitatis mysterium retinendum in sacrificio invocarentur. Nec alia debuit, nisi quæ prima est, in qua cæteræ duæ naturaliter manentes exsistunt. Quod vero per Filium invocamus, cum ad eum dicimus: *Per Jesum Christum Filium tuum,* hic, ut supra jam dictum est, ex ea parte percipitur, qua pro nobis sacerdotis officio functus est, Tunc cum Deo Patri immaculatam suæ carnis ho-

etiam in ara crucis obtulit, unde vas electionis, *Considerate*, inquit, *apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit eum* (*Heb.* III, 1). Factus ergo sacerdos pro nobis interpellet necesse est; sed ea, ut diximus, parte qua hominis gerit naturam. Unde et apostolus non divinitati, sed humanitati ejus hac intercessionis ejus mysterium coaptavit dicens: *Unus enim mediator Dei et hominum homo Jesus Christus* (*I Tim.* II, 5). Quod autem oratio et adoratio sicut Patri, ita etiam et Filio deferatur, ostendit Isaias dicens: *Ipsum gentes deprecebuntur, et erit nomen ejus gloriosum* (*Isa.* XI, 10). Et iterum ubi inducit Deum Patrem loquentem ad Filium, *labor Ægyptiæ, negotiatio Æthiopiæ et Sabaim, viri sublimes, ad te transibunt, et tui erunt. Post te alligabunt vinculis alligati, et te adorabunt, teque deprecabuntur, quoniam in te est Deus, et non est præter te* (*Isa.* XLV, 14), Item in Joel: *Omnis qui invocaverit nomen Domini solvus erit* (*Joel.* II, 32); quod de Filio dictum apostolus edocet tunc, cum Judæorum incredulitatem exprobrans ait: *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomoda invocabunt eum, in quem non crediderunt?* (*Rom.* X, 13). David etiam supremarum sedium confessorem Filium deprecans ait: *Qui sedes super cherubim, appare coram Ephraim. Benjamin et Manrsse. Excita potentiam tuam et veni, et salvos facias nos* (*Psal.* LXXIX, 3). Audi etiam Spiritum sanctum quemadmodum laudis sacrificium et Filio, et Patri, et sibi præcipit immolari, ubi vere individua Trinitas cum personarum distinctione evidentius demonstratur. Dicit ergo idem Spiritus sanctus in psalmo: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et honorificabis me* (*Psal.* XLIX, 14). Ecce Spiritus sanctus et Deo Filio sacrificium laudis et Patri altissimo vota ne sibi invocationis et glorificationis hostiam a veritatis cultoribus suadet exhiberi.

34. (Hug.) De illo quippe dicit Apostolus: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo et non estis vestri: quia empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI, 15). Quemnam Deum nisi Spiritum sanctum, cujus corpora nostra esse dixerat templum?

35. (Vigilius.) Debetur ergo gloria Spiritui sancto Quod vero virtutes angelicæ cum Patre simul etiam Filium laudent atque glorificent, ostenditur nobis in Deuteronomio, ubi ita ad Filii venerationem cœlestis invitatur exercitus: *Lætamini, cœli, simul cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei. Lætamini, gentes, cum populo ejus, et glorificent eum omnes filii Dei.* In Apocalypsi quoque beatus Joannes postquam vidit quatuor animalia et viginti quatuor seniores coram Agno, qui librum signatnm aperuit, cecidisse dicentes: *Dignus es accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo,* subjunxit voces militiæ cœlestis redemptioni nostræ congratulantes, et ait: *Et vidi et*

A *audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna, dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem* (*Apoc.* V, 9-12). Post hæc, inquit, *vidi, et ecce multitudo magna, quam dinumerare nemo poterat ex omni gente et tribu et populo et lingua stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro sedendi super thronum, et Agno* (*Apoc.* VII, 9, 10). Ecce laudis sacrificium indiscrete Patri et Filio sanctorum immolat chorus, quorum voces multitudo angelorum adorando, et *amen* respondendo, confirmat, sicut statim in eodem libro sequitur: *Et omnes angeli*

B *stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes: Amen* (*Ibid.*, vers. 11). Sanctum quoque Spiritum in eadem gloriæ sublimitate beatus Petrus prædicat dicens: *Spiritui sancto misso de cœlis, in quem desiderant angeli prospicere.* Sequitur sacerdos et dicit:

36. *Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur.* (Greg., lib. II *Moral.*, II. 10.) Voces angelorum sunt in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis, quales ergo oportet esse voces nostras, quas in conspectu Dei cum angelicis laudibus deprecamur admitti, id est intromitti, ut possimus dicere: *Intret in conspectu tuo.* Et iterum: *ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.* Utique tales voces et talis clamor non est in sono

C oris, sed in desiderio cordis. Voces enim apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen desideramus, clamantes tacuimus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Sic Moyses ab strepitu verborum tacebat, et tamen silens aure divinæ pietatis audiebatur, cui dicitur: *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV, 15). Intus est ergo in desiderio clamor secretus, qui ad humanas aures non pervenit, et tamen auditum Conditoris replet; et quia superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus hominum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum*

D *Dei*, merito sancta Ecclesia, quæ illis socianda est in cœlo, et cum illis in Dei laudibus permansura, jam nunc ipsis vocibus Deum laudat in terris, quibuscum sancti angeli laudant in cœlis, et hoc non superba præsumptione, sed supplici confessione, et sic desiderans majestatem Dei credere et confiteri in mundo sicut ab angelis videtur, et laudatur in cœlo. Hæc enim confessio non est peccati, de qua nobis præcipitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V, 16). Et Psalmista ait: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam* (*Psal.* XXXI, 5), sed laudis et gratiarum actionis, qualis intelligitur in psalmo ubi canimus: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus,*

et mirabilia ejus filiis hominum (*Psal.* cvi, 8). Et qualem Dominus Jesus, qui nullum omnino habebat peccatum, in Evangelio Deo Patri offert dicens : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et revelasti ea parvulis* (*Matth.* xi, 23). Una igitur confessione, id est laude et gratiarum actione, jam nunc cum angelis sociantur, laudantes de cœlestibus et terrestribus tanquam qui fecit cœlum et terram dicentes.

37. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, pleni sunt cœli et terra.* Istæ sunt voces angelorum laudantium in cœlis hunc hymnum gloriæ Dei. Et Isaias propheta se audisse testatur, quando gloriam Dei vidit, et seraphim istis vocibus eum collaudantia audivit. Et beatus Joannes in Apocalypsi sub figura quatuor animalium introducit. Legitur namque in Isaia de seraphim laudantibus ita : *Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus* (*Isa.* vi, 3). In Apocalypsi vero de quatuor animalibus sic legitur : *Et requiem non habebant, die ac nocte dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est* (*Apoc.* iv, 8). Manifestum est ergo quod in his verbis divinæ laudis, quæ ad imitationem supernarum virtutum juxta Isaiam decantat Ecclesia, unus sermo de Apocalypsi additus sit : nam in Isaia tantum *Dominus sabaoth* legitur ; in Apocalypsi vero *Dominus Deus omnipotens,* et ideo non humano arbitrio, sed utriusque Scripturæ auctoritate conjuncta dicimus : *Dominus Deus sabaoth.* Item in Isaia legitur : *Plena est omnis terra gloria ejus*, tanquam hoc angeli non ad ipsum Deum, sed de ipso ad invicem dicant, nos autem conversa ad eum voce dicimus : *Pleni sunt cœli et terra gloria tua* : quod non humano sensu præsumptum, sed de alia Scriptura assumptum et additum est, loquente ipso Deo in Jeremia propheta et dicente : *Cœlum et terram ego impleo.* Quidquid autem in Dei laudibus Scriptura dicit, recte et ad ipsum dicitur gratulando, et de ipso ad alios exhortando vel instruendo.

38. (Hieron.) Sabaoth autem est de decem nominibus Dei apud Hebræos, et latine interpretatur exercituum, sive virtutum, sicut frequenter in prophetis positum est : *Hæc dicit Dominus exercituum.* Et in psalmo : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*Ps.* xxiii, 10). Qui ideo Dominus exercituum et Dominus virtutum vere dicitur, quia omnis militia cœlestis exercitus, omnes supernæ virtutes atque angelicæ potestates ejus imperio subjacent, ejus serviunt voluntati.

39. (Greg., lib. xvii, *Mor.*, n. 19.) Angelicos enim spiritus recte militiam dicimus, quia decertare eos contra potestates aerias non ignoramus : quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quod agendum (*a*) contra immundos spiritus appetunt ex adjutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia nascente Rege nostro scriptum est : *Subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis* (*Luc.* iii, 13).

40. (Ambr.) Quid sibi ergo vult in hoc hymno angelico sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? si una laudatio, cur trina repetitio, nisi quia Pater et Filius et Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret ; non bis, ne Spiritum sanctum præteriret ; non quater, ne creaturam conjungeret ; et ut ostenderet unam esse Deitatem, cum tertio dixisset, *sanctus, sanctus, sanctus,* addidit singulariter *Dominus sabaoth.* Sanctus igitur Pater, sanctus Filius, sanctus et Dei Spiritus, tota videlicet Trinitas adoratur et laudatur ab angelis. Hanc seraphim glorificant et omnes potestates virtutesque cœlestes. Adjungunt autem huic hymno angelorum sumpta ex Evangelio verba turbarum laudantium Deum et regem nostrum venientem Hierosolymam, atque dicentium :

41. *Hosanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.* Ita enim ex Scriptura prophetica et evangelica completur plena laudatio, cum post laudem et gloriam sanctæ Trinitatis adjungitur etiam gratiarum actio de adventu Salvatoris, qui unus in ipsa et ex ipsa Trinitate pro salute nostra homo factus in mundum venit, et eamdem salutem moriendo et resurgendo perfecit. *Mortuus est enim propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* xiv, 25). Unde rite illi gratias agentes, dicimus *Hosanna,* id est salus in excelsis.

42. (Vigilius.) Hoc est enim quod in psalmo canitur : *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Ps.* iii, 9). Hoc quod in magnæ devotione laudis in Apocalypsi sanctorum chorus resonat : *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno* (*Apoc.* vii, 10). Recte quoque subjungimus : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, juxta quod in Evangelio Judæis non credentibus dixit : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me* (*Joan.* v, 45), assumunt autem versiculum laudis turbæ de psalmo centesimo decimo septimo, quem de Domino cantatum esse manifestum est : quod cum turbæ dicunt hosanna, hoc est quod ibi dicitur : *O Domine, salvum me fac ! o Domine, bene prosperare !* et statim subjungitur : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Ps.* cxvii, 25). Quod vero in ejusdem laudis persecutione subjungitur *Hosanna,* id est salus sive salvifica in excelsis, aperte docet adventum Domini in carne, non solum humani generis in terra, sed et angelorum in cœlis esse salutem : quia dum nos tendenti ad superna perducimur, eorum profecto numerus, qui Satana cedente erat minoratus, impletur. Hinc etenim Paulus ait : *Instaurari omnia Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt in ipso* (*Ephes.* i, 10). Recte igitur *Hosanna in altissimis* in ejus laude canitur,

(*a*) Apud Gregorium legitur *agendo*.

cujus tota incarnationis dispensatio pro implenda gloria patriæ cœlestis apparuit. Post has laudes et gratiarum actiones, pro tanta gratia redemptionis nostræ, quæ in illo divino mysterio agitur et commendatur, facto totius Ecclesiæ silentio, in quo cessante omni strepitu verborum, sola ad Deum dirigatur intentio, et devotio cordium, sociatis sibi omnium votis et desideriis, incipit sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysterium Dominici corporis et sanguinis consecratur. Sic enim oportet, ut in illa hora tam sacræ et divinæ actionis, tota per Dei gratiam a terrenis cogitationibus mente separata et Ecclesia cum sacerdote et sacerdos cum Ecclesia spiritali desiderio intret in sanctuarium Dei supernum et æternum. Et quoniam *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV, 24). Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum, sic eumdem Deum Patrem deprecetur, et dicat.

43. *Te igitur, clementissime Pater*, usque, *hæc sacrosancta sacrificia illibata*. Dirigitur ergo oratio sicut et reliquæ orationes juxta regulam fidei, et morem Ecclesiæ ad clementissimum Patrem, cujus erga nos peccatores et indignos tanta extitit clementia et misericordia, quantam Apostolus commendat dicens : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 32). Et iterum : *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, per hanc gratiam spiritum adoptionis accepimus* (*Ephes.* II, 4), quam commendat Apostolus dicens : *Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15). Et ideo in hoc Spiritu adoptionis, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia eos quos replere dignatur, inenarrabili desiderio gementes et postulantes facit, clamat sacerdos cum Ecclesia non voce, sed corde dicens : *Te igitur, clementissime Pater, supplices rogamus et petimus*. Quæ supplicatio et inclinatio cordis ad Deum tantæ reverentiæ et humilitatis esse debet, ut imitari queat illud quod de sua supplicatione Apostolus dicit : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur* (*Eph.* III, 14). In qua flexione genuum non corporis prostratio, sed supplex affectus, et cordis contritio intelligitur. De qua Psalmista ait : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies* (*Ps.* L, 19). Secundum hoc ergo dicitur : *Supplices rogamus ac petimus*, et hoc per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, per quem omnis supplicatio et petitio nostra ad Deum dirigi debet, tanquam per verum mediatorem et æternum sacerdotem, qui sedet ad dexteram Patris, et interpellat pro nobis. Pro qua autem re dicit sacerdos ad Deum Patrem *rogamus et petimus*, nisi pro eo quod sequitur, videlicet ut ea quæ ipsi offeruntur dona, munera sancta, sacrificia accepta, id est beneplacita habeat et benedicat? Sacerdotum est enim offerre et majestatem Dei invocare; Dei est autem dignanter suscipere, et ea quæ offeruntur benedicere, sicut in lege præcipit sacerdotibus dicens : *Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis*, et post verba benedictionis subjungit : *Invocabunt nomen meum super filios Israel et ego benedicam eis* (*Num.* VI, 23, 27). Quid apertius? Illi invocabunt et ego benedicam, et tamen supra eis dixerat, sic benedicetis, sed illi exorando, ille largiendo. Ita ergo et in oblatione divini sacrificii sacerdotes exhibent offerendi et supplicandi ministerium; sed Deus largitur benedictionis donum per unum et verum sacerdotem, per quem et oblata sanctificat, et sanctificata acceptat, dicunt itaque.

44. *Uti accepta habeas et benedicas*, ac si suppliciter dicant : Petimus ut hæc Spiritu tuo sanctifices atque ore tuo benedicas, ut quod nostræ humilitatis geritur ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem subjungitur : *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, non aliud atque aliud dicitur; sed res una pro sui magnitudine diversa appellatione laudatur, et laudando commendatur. Quæ enim divinis offeruntur altaribus et *munera* appellantur, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Si offers munus tuum ad altare* (*Matth.* v, 23), et *dona* vel *sacrificia* dicuntur, sicut ostendit Apostolus dicens : *Omnis namque sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (*Hebr.* v, 1), sed, ut dictum est, ipsa sermonum repetitio tanti sacramenti est commendatio, et piæ devotionis excitatio, quia hæc sunt vere *sancta* et *illibata*, id est inviolata et incontaminata sacrificia, quæ nulla digne possunt verba laudare, quæ in mysterio Dominici corporis offeruntur, in cujus figuram hostiæ illæ veteris legis immaculatæ ac sine ullo vitio jubebantur offerri, qualis solus inventus est Christus sine ullo omnino peccato. Sequitur sacerdos et dicit.

45. *In primis quæ tibi offerimus* usque *famulo tuo papa nostro*. (AUG. *in psal.* CXXX.) Sic omnino dignum fuit ut inciperet sancta oblatio, videlicet pro Ecclesia Dei sancta catholica toto terrarum orbe diffusa. Ipsa est enim universitas sanguine Domini redempta. Ipsa est hæreditas a Patre ei promissa et data, sicut ipse Pater loquitur in psalmo : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Hæc unitas corporis Christi templum Dei est, cui Apostolus dicit : *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III, 17), omnes qui credunt in Christum, et sic credunt ut diligant. Hoc est enim credere in Christum diligere Christum. Tanquam lapides sunt vivi, de quibus templum Domini ædificatur. Hoc autem templum est ubi rogatur Deus et exaudit. Quisquis enim præter templum oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem supernam, non exauditur ad vitam æternam, quæ non conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. Qui orat in pace Ecclesiæ, in unitate corporis Christi, quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto

orbe terrarum. Et ideo exauditur qui orat in templo, quia ipse orat in spiritu et veritate merito ab ea et pro ea, quia in ea incipit divina oblatio, tanquam dicatur Deo de illa et in illa : *Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ et in mari longe* (*Psal.* LXIV, 6). Ipsa est namque unitas, quæ a finibus terræ, id est ab Oriente et Occidente, Septentrione et Meridie ad Dominum clamat, et dicit a finibus terræ : *Ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum* (*Psal.* LX, 3).

46. (ISID. lib. VIII *Origin.*, c. 1.) Hinc et Ecclesia Græce dicitur, quod in Latinum vertitur convocatio, eo quod omnes ad se convocet, et catholica appellatur, id est universitatis. Non enim, sicut conventicula hæreticorum, in aliquibus regionum partibus coarctatur; sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Hinc et universitas ab uno cognominata est, eo quod in unitatem colligitur, unde ait Dominus in Evangelio : *Qui mecum non colligit, spargit*, id est qui in unitatem meam non colligitur, a me divisus in dispersionis perditione dissipatur. Pro hac itaque primum in illa oblatione postulatur, ut eam Deus toto orbe terrarum pacificare dignetur, videlicet ne per hæreses ac schismata ejus unitas dilanietur, aut adversitate persecutionum ejus tranquillitas perturbetur. Ut enim hanc pacem tam interius quam exterius faciat Deus Ecclesiæ suæ, et ipse Apostolus orat dicens : *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* (*Phil.* IV, 7). Et omnem Ecclesiam orare admonet, cum ait : *Volo igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Et post paululum : *Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate* (*I Tim.* II, 1). Postulatur autem omnipotens Deus, ut illam custodire, adunare et regere dignetur. Ipse est enim verus custos populi sui, id est veri Israel, de quo in psalmo cantatur : *Ecce non dormitavit neque dormiet qui custodit Israel* (*Ps.* CXX, 3). Et iterum : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Id ipsum autem videtur adunare quod pacificare, id idipsum custodire quod et regere; quia Ecclesiam suam Deus et pacificando adunat, et adunando pacificat, et custodiendo regit, et regendo custodit. Pacificando namque adunat cum omnium fidelium corda in sua pace conjungit, cum omnium fidelium mentes per unitatem fidei, spei et charitatis unius efficit voluntatis, et per Spiritum sanctum charitate diffusa, impleatur in ea quod scriptum est : *Multitudinis credentium autem erat cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32). Et *ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Ps.* CXXXI, 1). Custodiendo quoque regit eamdem Ecclesiam, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat et dirigit. Cu orantes in psalmo dicimus : *Salvum fac populum tuum, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos et extolle eos usque in æternum* (*Ps.* XXVII, 8).

47. Quod vero post generalem Ecclesiæ commendationem adjungitur : *Una cum famulo tuo papa nostro*, ipsa unitas ecclesiastici corporis fortius commendatur, quia divinæ religionis cultum, ut beatus Leo scribit, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut hujus muneris sacramentum in beatissimo Petro apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus esset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XV, 18). Unde constat, sicut iterum beatus papa Pelagius docet, ab universi orbis communione separatos esse qui, qualibet dissensione, inter sacra mysteria apostolici pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant. Sequitur in mysterio :

4 . *Et antistite nostro, et omnibus orthodoxis atque apostolicæ fidei cultoribus.* Sicut enim universali, Ecclesiæ commemoratio propter unitatem societatis et pacis conjungitur commemorationi apostolici pontificis, ita dignum et religiosum est ut singulæ Ecclesiæ commemorationem subjungant suorum antistitum, probantes se per illam orationem dominicæ oblationis servare cum eis unitatem spiritus in vinculo pacis. Ὀρθόδοξοι autem Græce, Latine *rectæ gloriæ* dicuntur, eo quod nullo hæretico depravati, rectæ fidei confessione Deum glorificent. Iidem ipsi ergo sunt catholicæ et apostolicæ fidei cultores, catholicæ, id est universalis, quam universa ubique servat Ecclesia, ejusdemque et apostolicæ, quam in toto mundo apostolorum doctrina fundavit.

49. Cultores autem hujus fidei non possunt dici, nisi illi qui recte credunt et veraciter diligunt. Hoc enim unusquisque colit quod maxime diligit. Unde et de quibusdam gulæ et ventris amatoribus ait Apostolus : *quorum Deus venter est* (*Phil.* III, 19). Ille ergo veritatis cultor, qui jungit fidei dilectionem, ut Deum, de quo recte credit, diligendo colat, et colendo promereatur. Ipsa est fides quam commendat Apostolus dicens : *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* VI, 15). Neque enim in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda religio est; sed apud eos solos qui Christiani, catholici vel orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes et recta sectantes.

50. Completa hac oratione, qua in primis universalis Ecclesia cum apostolico pontifice et omnibus orthodoxis Deo commendatur, adjungitur in conclusione more solito : *Per Christum Dominum nostrum.* Aliter enim nec oratio nec oblatio Ecclesiæ Deo of-

ferri potest, nec illa (a) pro quibus Deus exoratur accipere, nisi per unum mediatorem Dei et hominum, qui interpellat pro nobis. Quod ergo offert Ecclesia, offert per illum; quod Deus eamdem Ecclesiam pacificare, custodire, adunare dignetur, præstat per illum : per ipsum nostra ad Deum vota ascendunt, per ipsum divina ad nos dona descendunt. Hoc namque ipse in Evangelio commendat dicens: *Quia ego ad Patrem vado, et quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio* (*Joan.* XII, 23). Quam petitionis formam in omni oratione sua custodit Ecclesia. Sequitur in mysterio.

51. *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, et omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio.* In quibus verbis cum primum dicitur : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, et sic deinde subjungitur : *et omnium circumastantium*, manifestum est quod, quasi quidam locus sit, ubi, aliquibus specialiter nominatis, etiam cæterorum qui assistunt in Ecclesia commemoratio adjungatur. In quo itaque loco aut liberum est sacerdoti, quos desideraverit particulariter nominare, et nominatim Deo commendare : aut certe illud ab antiquis observatum est, ut ibi offerentium nomina recitarentur, quod videtur beatus papa Innocentius in quadam epistola significare, ubi ait : « Superfluum est, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ne tunc eorum nomina, quorum sunt edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsi mysteriis viam futuris precibus aperiamus.» Fit ergo hæc oratio ad Deum Patrem, ut memor esse dignetur famulorum famularumque suarum, utriusque videlicet sexus sibi servientium, non solum eorum qui nominantur, sed et omnium circumastantium, ac de omnibus et pro omnibus simul dicitur, *quorum tibi fides cognita est et nota devotio*, id est, quam recte credant, quam devote te diligant, tu solus vides in conscientiis singulorum. Tu es enim scrutans corda et renes, et tibi veraciter dictum est : *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*, qui in tuis cultoribus magis oblationem fidei et devotionis requiris; fidei, cum per legislatorem tuum dicis : ***Audi**, Israel, **Dominus Deus** tuus **Deus** unus est* (*Deut.* VI, 4) ; devotionis, cum statim adjungit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (*Ibid.*, 5). Et hanc [cum] fidem et devotionem Deo offerre, hoc est vere sacrificium salutare, est attendere mandatis. Sequitur in mysterio :

52. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero.* In quibus verbis considerandum est, quod tota Ecclesia offerat Deo illud sacrificium laudis; et quia de omni multitudine circumstantium fidelium dicitur : *Qui tibi offerunt.* Quod enim adimpletur proprie ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide et devotione cunctorum. Omni enim Ecclesiæ dicitur per beatum Petrum apostolum : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9), offerre spiritales hostias et acceptabiles Deo per Jesum Christum. Omnem ergo Ecclesiam sacerdotium sanctum appellat, quod sola domus Aaron in lege nomen et officium habuit, quia nimirum omnes fideles summi sacerdotis membra existunt, cuncti oleo lætitiæ signantur, illius corpori uniti, qui rex summus et sacerdos est verus. Regnum suis tribuit ut rex, et ut pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans, quanquam et in eadem lege Veteris Testamenti hujus spiritualis sacerdotii, quo tota Ecclesia consecratur, evidenter mysterium commendatur, cum ille agnus in pascha mactandus, quod vobis immolatus est Christus, non a solis sacerdotibus, sed ab universo generaliter populo jubetur immolari, dicente Domino : *Immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam* (*Exod.* XII, 6). Hunc namque agnum in paschali solemnitate immolatum eadem lex et victimam et hostiam et sacrificium esse commendat, præcipiente Domino, et dicente : *Non immolabit super fermento sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victima solemnitatis phase* (*Exod.* XXXIV, 25). Et iterum : *Nemo*, inquit, *qui fuerit immundus super anima sua, in via procul in gente vestra, faciat phase Domino mense secundo* (*Num.* IX, 10). Et post pauca : *Si quis autem mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo* (*Ibid.*, 13). Offerunt ergo sacerdotes Ecclesiæ, offert per ipsos et in ipsis tota Ecclesia Deo sacrificium laudis, quod a cultoribus suis sibi offerri ipse præcepit, dicens : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde **Altissimo** vota tua* (*Psal.* XLIX, 14).

53. (AUGUSTINUS.) Non quod a nobis tanquam indigens expetat laudem; sed ut in ea nobis consulat ad salutem, sicut et in eodem psalmo iterum dicit : *Sacrificium laudis honorificavit me, et illic via est, ubi ostendam salutare meum* (*Ibid.*, 33). Quid est enim salutare Dei, nisi Filius Dei, Salvator mundi ? Ipse igitur sacerdos et victima sacrificium laudis implevit, malorum operum tribuens indulgentiam, et bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim Dominus sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Hoc ergo sacrificium laudis, id est oblationem Dominicæ passionis, in qua nulla nostra merita agnoscimus, sed solam Dei gratiam collaudamus; quia in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia unigenitum Filium suum misit Deus in mundnm, ut vivamus per eum, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hanc offert devotio fidelium pro se suisque omnibus, id est ad se vel genere vel familiaritate, vel qualibet alia conditione, sub ejusdem fidei professione pertinentibus, tam viventibus videlicet quam mortuis. Et hoc qua spe fideles

(a) Id est Ecclesia constans ex omnibus fidelibus.

faciant subjungitur, quæ non pro aliquo temporali lucro, sed solummodo *pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ*, pro spe videlicet æternæ salutis. Spe enim salvi facti sumus. Nec solum pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est corporali sanitate. Incolumitas enim sanitatis integritas. Utraque enim salus, animæ scilicet et corporis, ab illo est, de quo in psalmo canitur : *Domini est salus. Tibi*, inquit, *reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero*, juxta quod in psalmo redditur: *Et redde Altissimo vota tua*, vota videlicet fidei et piæ devotionis, per quam nosmetipsos Deo vovimus et reddimus. Quisquis enim bene cogitat quod Deo voverat et quæ vota persolvat, hac exigitur, hac debetur, ut seipsum voveat et reddat. Sed sicut videndum est quid offerat, ita etiam considerandum est ubi offerat; quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est, unde multum consequenter adjungitur in mysterio.

54. *Communicantes et memoriam venerantes, in primis*, etc., usque *et omnium sanctorum tuorum*. (Aug). Quos dicit communicantes et memoriam venerantes beatæ Genitricis Dei, et apostolorum et martyrum, et omnium sanctorum, nisi et seipsum sacerdos qui offert, et omnes circumstantes, qui simul offerunt unum sacrificium laudis? Quod ut Deo possit esse acceptum et beneplacitum, non alibi hoc offerunt et sacerdotes et Ecclesia cum sacerdotibus, nisi in communione et societate sanctorum, in quibus voluit idem omnipotens Deus Ecclesiæ suæ constare fundamentum, sicut Apostolus dicit : *Estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Eph.* II, 19). In eorum ergo communione et memoriæ veneratione tanquam in templo vero Dei, offert devotio fidelium Deo vota et munera sua. et ideo fiunt communicantes eorum memoriæ tanquam filii patrum et sectatores præcedentium. Quid est enim *communicantes*, nisi *communionem et societatem tenentes*? Et quid est eorum memoriam venerari, nisi cum pietate et humilitate eorum vestigia sequi? Ad hanc societatem nos beatus Joannes apostolus invitans ait : *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis*. Et quasi interrogaremus quid nobis prodesset illa annuntiatio, ait : *Ut et vos societatem habeatis nobiscum*. Et ne quis contemnendum putaret hanc societatem tanquam hominum, continuo adjunxit : *Et societas vestra sit cum Patre et Filio ejus* Jesu Christo, manifeste ostendens, quia quicumque societatem cum Deo habere desiderant, primo Ecclesiæ societati debent adunari, illamque fidem addiscere, et ejus sacramentis imbui, quam apostoli ab ipsa præsente in carne Veritate perceperunt. Pro ipsa enim et sancti martyres passi sunt, et ipsa catholica fundatur Ecclesia, cui beatæ et gloriosæ Virginis partus exstitit salutis exordium.

55. (Aug.), *serm.* 186). Quæ vere semper creditur virgo, quia vel si Domino nascente corrumperetur ejus integritas, non jam ille Virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia, cui pro humani generis salute vero homini facto singulari munere datum est ut, statim ex quo in utero Virginis concipi et homo fieri inciperet, verus esset et Deus : unde et eadem gloriosa semper virgo Maria vera Dei genitrix credenda est et confitenda. Ipsa ergo in hac venerabili communione sanctorum prima ponitur, per quam et illi et nos meruimus auctorem vitæ suscipere, et ei conjungitur communicatio beatorum apostolorum et martyrum, non solum qui hic nominatim exprimuntur, sed et omnium quorum nec numerum nec nomina scire possumus. Et tamen, si istis paucis nominatis pie adhæremus, etiam illis quos nosse non possumus, in horum communione copulati sumus. Sequitur in mysterio :

56. *Quorum meritis precibusque concedas*. Propter merita namque et intercessiones sublimium justorum, quos intercessores et patronos quærimus, nostræ infirmitati Dominus miseretur et propitiatur, ut in omnibus, sive adversis, sive prosperis, ne vel in istis deficiamus, vel in illis decipiamur, protectionis ejus muniamur auxilio.

57. (Vigilius). Denique defesso ab hostibus Ezechiæ et auxilium ejus invocanti ait : *Civitatem hanc salvabo, et protegam eam propter me, et propter David servum meum* (*IV Reg.* XXXI, 6); et Moyses ita deprecans Deum placere curabat : *Quiescat*, inquiens, *ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens : Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli* (*Exod.* XXXII, 13). Nec dubitandum est fidelium petitiones a spiritibus justorum sciri, quia qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quia sit foris aliquid quod ignorent. Postulat ergo Ecclesia suffragia sanctorum martyrum, nec tamen erigit altaria in quibus sacrificent martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro. (Aug., *de Civ. Dei*, l. XXII, c. 10). Ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote qui sacrificat invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriis sacrificet eorum, quia Deo sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. Sequitur in mysterio :

58. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, etc., usque *Per Christum Dominum nostrum*. Et in his verbis unitas Ecclesiæ offerentis ostenditur, quando in illa sacrosancta oblatione communis servitus exhibetur Deo tam a sacerdotibus quam a cuncta familia domus Dei. (*Ibid.*, lib. X, cap. 19). Hæc autem est servitus quæ nulli alii debetur, nec sanctis angelis, nec sanctis animabus, nisi uni Deo vivo et vero, de quo nobis præcipitur : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10). Etsi enim ab homine sit vel offertur, tamen sacrificium res divina

est, unde et alibi divina lege præcipitur: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli.* Unde merito illi in cœlestibus sedibus constituti immortales et beati, quia nos mortales et miseros, ut immortales beatique simus misericorditer diligunt; nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cujus et ipsi nobiscum sacrificium esse petiverunt. Cum ipsis enim sumus una civitas, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. Oratur itaque Deus ut hanc oblationem, quam illi soli debita servitute defert Ecclesia placatus accipiat. Hæc est vera oblatio, iu qua Fllius offertur, Pater reconciliatur, et vitali oblatione placatus dies nostros in sua pace disponat, ut, etsi in mundo pressuram habemus, in illo pacem habeamus. Finito autem hujus mortalitatis cursu, ab æterna damnatione ereptos, in electorum suorum grege nos annumerare dignetur. (Greg.) Quia ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotente disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereamur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. Sequitur in mysterio :

59. *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus,* etc. Oratur Omnipotens, ut oblationem suis sacris altaribus impositam et tantis precibus commendatam, ipse per virtutem descendentis ita legitimam et perfectam eucharistiam efficiat, ut in omnibus sit ascripta, id est in numerum placiturum sibi numeretur recepta; sit etiam ratá, id est immobili firmitate perpetua. Hoc namque dicitur ratum, quod est immobili ratione firmum et inconvulsum. Sit quoque ejusdem Spiritus sancti operante virtute, rationabilis et per hæc omnia singulariter Deo grata et acceptabilis, ut, quamvis de simplicibus terræ frugibus sumpta, divinæ benedictionis ineffabili potentia efficiatur corpus et sanguis unigeniti Filii Dei, sicut ipse testatur : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.*, vi, 56), ut per hunc cibum et potum impleatur in mentibus sumentium quod ipse promittit dicens : *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (*Ibid.*, lviii). Hæc est ergo vera et æterna hostia, quia vera et æterna est virtus, vera et æterna per eam perficitur salus. Est enim novi et æterni Testamenti. Hæc est rationalis hostia, plena videlicet rationis, plena mysterii, quæ tunc tractabili tractatione in veteribus sacrificiis fiebat, sed nunc spiritali ratione celebratur, et fidei puritate exhibetur, juxta Apostolum fidelem præcipientem rationabile obsequium nostrum. Ut enim hoc Apostolus diceret, utique de spiritali sacrificio loquebatur. Unde et alibi ait : *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari* (*Hebr.* ix, 23); ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis. Ut enim corda fidelium fierent cœlestia, et, sicut portaverant imaginem terreni, portarent et imaginem ejus qui de cœlis est, et qualis cœlestis tales fierent et cœlestes, non brutorum animalium cruore, sed rationabili sanguinis Christi cruore mundari debuerunt; qui, ut idem testatur Apostolus, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc namque nobis in sacramento corporis et sanguinis Filii Dei quotidie instauratur. (Aug., lib. xx *contra Faust*, c. 13). Hoc corpus et hic sanguis non in spicis et in sarmentis colligitur, sed certa consecratione mysticus fit. Novus non nascitur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. Quod autem non ita sit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, quo divinum altare Christus implevit. Invitavit ergo Dominus servos, et præparavit eis cibum ipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait: *Qui manducat me, vivit propter me* (*Joan.* vi, 58). Quando Christus manducatur, vita manducatur, non occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat, quando manducatur. Reficit, sed non deficit ; manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus; nec, quando manducamus, partes de illo facimus ; et quidem in sacramento sic fit, pea partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde suo. Sequitur in mysterio.

60. *Qui, pridie quam pateretur accepit panem,* etc., usque ad *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Unde universalis Ecclesia, ut jugem memoriam Domini et Redemptoris celebret, ipse Dominus tradidit apostolis, et apostoli generaliter omni Ecclesiæ. In his verbis, sine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla civitas, id est nulla pars Ecclesiæ catholicæ conficere potest, id est consecrare sacramentum corporis et sanguinis Domini, ipse Dominus tradidit apostolis, unde universalis Ecclesia jugem memoriam sui Redemptoris celebret, et apostoli generaliter omni Ecclesiæ. Christi ergo virtute et verbis semper consecratur et consecrabitur. Illius sermo est qui cœlestia sacramenta sanctificat. Ille in suis sacerdotibus quotidie loquitur. Illi funguntur officio, ille majestate divinæ potestatis operatur. Ipse est enim ille verus Melchisedech, qui hæc sancta sacrificia, quæ ille tunc in mysterio præfiguravit, per oblationem sui corporis suique sanguinis adimplevit. Ipse ex Spiritus paracliti virtute et cœlesti benedictione sanctum corpus et sanguinem suum esse perficit. Quod autem de pane ait : *Accipite et manducate ex hoc omnes ;* similiter et de calice : *Accipite et bibite ex eo omnes,* commendatio est unitatis et pacis, ut per hoc mysterium Christo participantes, unum omnes simus in illo, sicut Apostolus affirmat, dicens: *Non est Judæus neque Græcus ; non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Gal.* iii, 28). Hanc nempe unitatem in communicatione hujus sacramenti alibi commendat dicens : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ; et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est* (*I Cor.* x, 16)? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane partici-

pamus. Tanta enim Ecclesiæ est in Christo unitas, A ut quomodo una fides et unum baptisma et unum altare, de quo ait Isaias : *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti* (*Isa.* XIX, 19); ita unus ubique sit panis corporis Christi,et unus calix sanguinis ejus. Unde et Ecclesia ex traditione his verbis consecrans mysterium sacri corporis et sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse apostolis: *Accipite et manducate ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens et hunc calicem præclarum.* Attendat fidelis quisque, quid est quod dicat *hunc*, videlicet quod calix, quem sacerdos catholicus sacrificat, non est alius,nisi ipse quem Dominus apostolis tradidit.Sicut ergo de sanguine,sic quoque de corpore sentiendum et tenendum est.Quod autem *præclarum calicem* B dicit, manifeste de psalmo sumptus est : *Et calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5)! Et vere præclarus, quo sanguis offertur immaculatus, nulla peccati macula tectus.Hoc poculo fidelium inebriatur affectus, ut lætitiam induat de remissione peccati. Hac ebrietate animus non confunditur,sed consecratur.

61. Item, quod in his verbis dicitur : *Novi et æterni Testamenti*,manifestum est,quia in Evangelio non legitur, nisi tantummodo. *Calix sanguinis mei Novi Testamenti*, sed quod hic additur *æterni* et in propheticis et in apostolicis litteris continetur.Nam in Isaia legimus,promittente Deo fidelibus : *Et feriam vobiscum pactum*, id est testamentum sempiternum, Et in Ezechiele,ubi promittit Ecclesiæ: *Et suscitabo tibi pactum sempiternum* (*Ezech.* XVI, 80). Et Apo- C stolus dicit : *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (*Hebr.* X, 14). Et iterum : *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem, Agnum ovium in sanguine Testamenti æterni Dominum nostrum Jesum Christum* (*Heb.* XIII, 20). (AUG.) Ideo ergo sanguis Christi novum est testamentum, quia nova dilectio, qua usque ad mortem in novissimis sæculorum temporibus nos dilexit. Dilectio ista nos innovet, ut simus homines novi,hæredes Testamenti Novi,sicut et apostolus docet,dicens : *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis,ad serviendum Deo viventi? Et ideo Novi Testamenti mediator* (*Hebr.*IX,14). Per hunc ergo sanguinem Novi Testa- D menti qui est effusus in remissionem peccatorum, emundavit, id est innovavit conscientiam fidelium, et fiunt iidem fideles juxta eumdem Apostolum hæredes secundum spem vitæ æternæ,et repromissionem accipiunt qui vocantur æternæ hæreditatis.Et ideo sanguis ille Novi et æterni est Testamenti.quia quos a vetustate innovat ad æternam hæreditatem perducit. Hinc Zacharias propheta,velut ad ipsum Dominum loquens ait : *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu,in quo nunc erat aqua* (*Zach.* IX, 10) : quia videlicet per hujus sanguinis effusionem et antiqui justi,spe futuræ redemptionis devincti ab inferni caustris educti sunt,et per eumdem etiam omnes credentes a peccatorum vinculis et de lacu miseriæ et de luto fæcis eripiuntur.

62. Iterum,quod hic dicitur *mysterium fidei*, et in illis verbis Domini quibus mysterium corporis et sanguinis sui tradidit, non legitur, videtur de alio loco Evangelii sumptum esse,ubi, secundum Joannem, de hoc eosdem sacramento quibusdam discipulis non credentibus loquens ait : *Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus et vita sunt, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt* (*Joan.* VI, 64, 65). Ostendit enim se magnum dixisse mysterium,cum ait : *Verba quæ ego locutus sum, Spiritus et vita sunt.* Cum autem adjungit : *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*, ostendit illud mysterium non esse nisi fidei et fidelium,qui illa verba fideliter audiunt; et ideo eis spiritus et vita sunt: quia eos spiritaliter intellecta vivificant (AUG., lib. I *de peccat. Meritis et Remis.*, c. 24). Aut certe hæc verba de Apostolo sumpta sunt, ubi ait : *Habentes mysterium fidei in conscientia pura* (*I Tim.*III, 9), quia sicut sacramentum sanctæ Trinitatis,ita et sacramentum Dominicæ passionis et mortis,quod illa oblatione frequentatur æqualiter necessarium ad salutem,æqualiter in conscientia pura est sumendum ac retinendum. Quod etiam in baptismate celebratur,docente eodem Apostolo ac dicente : *Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu,in morte ipsius baptizati sumus.* Totum ergo quod in hac oblatione Dominici corporis et sanguinis igitur,mysterium est: aliud enim videtur, aliud intelligitur : quod videtur speciem habet corporalem,quod intelligitur fructum habet spiritualem. Sciendum vero quod eumdem calicem Domini sanguinis juxta observantiam Ecclesiæ catholicæ ab apostolis traditam,nisi mixtum aqua offerri non licet,quia vinum fuit redemptionis nostræ mysterium, cum ait : *Non bibam a modo de hoc genimine vitis* (*Marc.* XIV, 25), et de latere ejus quod lancea transfixum est,aquaque cum sanguine egressa vinum de vera carnis ejus vite cum aqua expressum ostendit. Hæc sunt enim sacramenta Ecclesiæ,sine quibus ad vitam quæ vere vita est non intratur.Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum,aqua illa salutare temperat poculum:hæc et lavacrum præstat et potum.

63. Hoc totum Dominicæ oblationis mysterium quanta pietate et amore agendum est et accipiendum sit, commendat nobis ipse Dominus dicendo : *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis* (*Luc.* XXII, 19). Quod exponens Apostolus ait : *Quoties enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* (*I Cor.*XI,26).Illius ergo panis et calicis oblatio mortis Christi est commemoratio,et annuntiatio, quæ non tam verbis quam mysteriis ipsis agitur, per quæ nostris mentibus mors illa pretiosa,altius et fortius commendatur.Quid est enim mortis Christi commemoratio, nisi charitatis ejus commendatio, quam nobis beatus evangelista Joannes commandans,ait: *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat, ab hoc*

mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit (*Joan.* XIII, 1), id est usque ad mortem eum illa dilectio perduxit, quia tantum dilexit eos ut moreretur propter eos. Hoc enim testatus est, dicens : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). Propterea et iturus ad passionem, et per resurrectionis et ascensionis gloriam discessurus e mundo, hoc sacramentum ultimum discipulis tradidit, ut memoriam tantæ charitatis, per quam solam salvamur, arctius eorum mentibus infigeret; quatenus semper memores simus, et quales et quantum ab eo dilecti simus; quales, ne de nobis gloriemur; quantum, ut de illo speremus; quod utrumque diligenter Apostolus imponit et inculcat, dicens : *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6)? Et post paulolum : *Commendat autem,* inquit, *suam charitatem Deus in nobis, quoniam si, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* (*Rom.* VIII, 9, 10). Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendavit, quo usque ipse veniat in fine sæculi, quando erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiu habitur quod de latere Christi emanavit, sed jam ipsa perfectione salutis æternæ, cum tradetur regnum Deo et Patri, ut in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus. (GREG.) Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. Qui, licet surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur; tamen, in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur. Ejus sanguis non jam in manus infidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Sequitur in mysterio :

64. *Unde et memores nos servi tui*, etc., usque ad *calicem salutis perpetuæ.* Quia Dominus et Salvator noster mysterium suæ mortis, quam pro nostra omniumque salute suscepit, tanta pietate memoriæ fidelium commendavit, ut per oblationem et participationem corporis et sanguinis eamdem vivificavit mortem suam. Et quia in participatione corporis et sanguinis sui vivificam suam mortem nos annuntiare voluit Dominus et Salvator noster donec ipse veniat, dignum et salubre est ut, hæc veneranda mysteria frequentando, memores sint sacerdotes et populus, universa videlicet Ecclesia, beatæ passionis ejus. Et vere beatæ, quia sine peccato suscepta, totius mundi peccata delevit, et quia non solum, ut Apostolus ait : *Mortuus est propter delicta nostra*, sed etiam *resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25), memores simus resurrectionis quoque ejus ab inferis; et, quoniam resurgens a mortuis et assumptus in cœlum, sedet a dextris Dei, simus memores etiam gloriosæ ascensionis ejus. Hæc est enim tota salus nostra et vita, si incessanter memores simus. Memores igitur Dominicæ passionis, resurrectionis et ascensionis, tam sacerdotes quam plebs fidelis offerunt præclaræ, id est præcellenti et gloriosæ majestati Dei, non de suo, sed de ejus donis ac datis, juxta quod scriptum est : Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi in mysterio Dominici corporis et sanguinis vere hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Quæ trina repetitio tanti mysterii est laudatio. Hæc namque hostia, quam hostiam puram, sanctam, immaculatam dicimus, id est panem sanctum vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ, sumentibus vita æterna est, dicente Domino : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (*Joan.* VI, 59). Quam vero hostiam puram, sanctam et immaculatam offert Ecclesia, nisi quam a Domino accepit? id est panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. In hoc enim pane sumentibus vita æterna est, sicut ipse Dominus panis vivus et panis vitæ de se ipso ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). Et iterum : *Panis enim Dei est qui descendit de cœlo et dat vitam mundo* (*Ibid.* 33). Et alio loco dicit : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (*Ibid.*, 59). Et quod iste sit panis corporis ipse exponit dicendo : *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*Ibid.*, 52). Ergo et calix sanguinis ejus, calix est salutis æternæ, quia sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum. De hoc canitur in psalmo : *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 13). Est enim calix iste salutaris accipienti, et in sacramenti perceptione, in passionis imitatione, sicut a sanctis martyribus acceptus est. Hunc panem significavit manna, hunc panem tribuit altare Dei. Noverunt fideles Christi corpus, si in Christi corpore homo fuerit, accipiet de Christi spiritu. Sicut autem corpus nostrum sine spiritu non potest vivere, sic non habebit spiritum vitæ, nisi qui in Christi corpore fuerit inventus. Qui vult vivere, accedit, credat, vivat Deo de Deo; incorporetur, ut vivificetur. Hoc est enim manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere, sicut ipse dicit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ergo in illo* (*Joan.* VI, 57). Sequitur in mysterio.

65. *Supra quæ propitio ac sereno vultu*, etc., usque *immaculatam hostiam.* Oratur Deus ut super hæc numera vitæ et salutis, quæ præclaræ majestati ejus offeruntur, propitio, id est placabili et sereno vultu respicere dignetur, non quia vultus ejus aliquando serenatur, ut ipse sit Pater luminum, ut beatus Jacobus dicit : *Apud quem non est transmutatio, nec vi-*

vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I, 17). Et beatus Joannes testatur : *Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (*I Joan.* I, 5). Sed qui semper in lumine est, tunc super nos serenat, ac illuminat vultum suum quando declarat super nos misericordiam, sicut in psalmo orantes dicimus : *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri* (*Psal.* LXVI, 2). Sicut e contrario de quibusdam, qui ejus misericordia indigni sunt, ipse dicit : *Abscondam faciem meam ab eis* (*Deut.* XXXI, 17). Et iterum quibus se placabilem præbet, promittit dicens : *Et non avertam faciem meam a vobis* (*Jerem.* III, 12). Unde et beatus Daniel istis ipsis verbis exorat, dicens : *Exaudi, Domine, preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, et propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum* (*Dan.* IX, 17). Neque enim Deus humana forma faciem aut vultum habere putandus est : quia, ut Dominus in Evangelio ait : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IX, 24). Sed facies et vultus Dei præsentia ejus est. Quid est enim facies Dei super nos illuminata, nisi præsentia declarata, cum misericordiam et bonitatem ipsius præsentem nobis adesse sentimus? Sic et respicere Dei visitatio pietatis ejus est, sicut in psalmo orantes dicimus : *Deus virtutum, converte nos, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam* (*Psal.* LXXIX, 15). Oratur itaque omnipotens Deus, ut placabilis ac propitius factus, sereno vultu, id est declarata bonitatis et pietatis suæ præsentia, respiciat dignanter Ecclesiæ suæ munera, et accepta et beneplacita habeat, sicut munera pueri sui justi Abel, cujus fides et justitia et oblationis acceptio et in lege veteri commendatur, ubi scriptum est ? *Et respexit Deus ad Abel et ad munera ejus* (*Gen.* IV, 4); et in Evangelio : *A sanguine Abel justi* (*Matth.* XXII, 35); et in Apostolo, ubi scribit : *Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus* (*Hebr,* XI, 4), quæ non ætate, sed simplicitate et puritate, puer Dei appellatur. Sicut etiam de David, qui mortuus est senex, in Evangelio dicitur : *In domo David pueri sui* (*Luc.* I, 69). Et, *sicut sacrificium,* inquit, *patriarchæ nostri Abrahæ.* Utique quod sacrificium in oblationem unigeniti filii Isaac offerens cum Deo holocaustum, quod ita acceptum fuit ut mereretur audire : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi* (*Gen.* XXII, 12), etc. Qui quidem patriarcha non tantum est Israeliticæ plebis secundum carnem, sed etiam nostræ secundum fidem. Adjungitur adhuc : *Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech,* de quo manifeste scriptum dicit : *Et Melchisedech rex Salem protulit panes et vinum. Erat enim sacerdos Dei altissimi, et benedixit Abraham* (*Gen.* XIV, 18), cujus sacerdotium et sacrificium tantum magnificatur, ut dicat de eo Apostolus : *Primum quidem Melchisedech, qui interpretatur rex justitiæ, deinde rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia,* A *neque initium dierum neque finem habens, assimilatus per omnia Filio Dei, qui manet sacerdos in æternum* (*Hebr.* VI, 3). Quod vero post hæc omnia subjungitur *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam,* ad superiora referendum esse videtur, ubi dictum est : *Super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris,* ut ad complendam petitionem subjunctum sit. Hoc autem totum exoratur omnipotens Deus, ut sacrificium Ecclesiæ ita acceptum habeat, ut sacrificium justi Abel, et patriarchæ Abrahæ, et summi sacerdotis Melchisedech ; quia et in illis antiquis sacrificiis imago erat hujus veri sacrificii, et hoc ipsum uni Deo auctori utriusque Testamenti et utriusque sacrificii ordinatissima temporum dispositione tunc placebat in præfiguratione venturæ veritatis, quod B et nunc placet in adimpletione ejusdem veritatis. Nam et in sacrificio Abel, quod de primogenitis ovium et adipibus earum oblatum, sacrificio Cain quod ex terræ fructibus offerebatur, prælatum est, Novi Testamenti fides præfigurabatur, qua innocentia gratiæ Deum laudans, Veteris Testamenti terreni operibus anteponitur, et in immolatione unici et dilecti filii Abrahæ immolatio ejus præfigurabatur, de quo dicit Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (*Matth.* XVII, 5). Unde ait Apostolus : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Et sacrificium Melchisedech tam vera erat significatio sacrificii Christi, ut inde prædictum sit : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Sequitur in mysterio :

C 66. *Supplices te rogamus, omnipotens Deus,* etc. Hæc verba mysterii tam profunda, tam mira et stupenda quis comprehendere sufficiat ? quis inde digne aliquid loquatur? magis veneranda sunt et pavenda quam discutienda. Beatus tamen Gregorius, idoneus tanti mysterii interpres, in quodam loco aliquid de iis tanquam de re ineffabili pene ineffabiliter loquitur (GREG., l. IV *Dialog.*, 60). Quis enim fidelium, inquit, habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choris adesse, summis ima sociari, terram cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Idem etiam doctor quomodo accipiendum sit sublime altare Dei in conspectu divinæ majestatis ejus quodam D loco subtiliter ostendit, exponens illum versiculum psalmi. *Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris* (*Psal.* CXVII, 27). Dies, inquit, solemnis est Domino conjunctio cordis nostri ; sed tunc in confrequentatione dies solemnis constituitur, cum in lacrymas pio amore ejus assidue mens movetur, cui velut si diceremus : Quandiu ista acturi sumus? quandiu tribulatione afficimur? Illico terminum quousque fieri debeat subjunxit, dicens : *usque ad cornu altaris*; cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris, ubi cum venerimus, jam nulla necessitas est ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus.

Beatus quoque Augustinus de eodem sublimi altare dicit, exponens versiculum psalmi : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* (*Psal.* xxv, 6), sic breviter designat : Munda, inquit, faciam inter innocentes opera mea, quibus amplexabor sublimia tua. Item alio loco (*In psal.* XLII, n. 5), exponens illum versiculum : *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam*, de eadem re sic dicit : Est enim quoddam altare invisibile, ad quod non accedit injustus, ille solus accedit qui ad istud securus accedit. Illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam ; quale ibi sacrificium est, ipse qui intrat assumetur in holocaustum. Et repetit aliis verbis quid hoc altare sit, ad Dominum inquiens : *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Item alibi idem doctor exponens eumdem versiculum, quem et beatus Gregorius : Sic enim est, inquit, in domo illa sempiterna secrificium laudis, et sacerdos sempiternus est, et altare sempiternum, pacata mens ipsa justorum. Non ergo sufficiat in terra dies ille solemnis quo Agnus occisus est, sed constituite illum in condensis sempiternum, alta et secreta rimantes, quo usque perveniaris, exaltatis a Deo mentibus vestris, usque ad ejus divinitatem. Et quid ibi aliud, nisi laudes cantabimus ? quid ibi aliud dicemus, nisi *Deus meus es tu*, et *confitebor tibi* ; *Deus meus es tu, et exaltabo te* ? (*Ps.* CXVII, 28.) Non strepitu verborum istud dicemus, sed dilectio inhærens illi, per se ipsam clamat istam vocem : Dilectio ipsa vox est. Hæc de sublimi altare Dei in conspectu divinæ majestatis ejus necessario in hoc loco ex sanctorum Patrum verbis posita sunt, ut quis carnaliter cogitans, æstimet in cœlis esse altare corporeum, ex cœlesti sive supercœlesti corpore factum ; sed potius, juxta sensum spiritalium Patrum, intelligamus sublime altare Dei, rationabile et intelligibile esse in electa et rationali creatura, angelica videlicet et humana, quæ in sanctis angelis, ex quo condita est, in sui contemplatione Conditoris sublimata, et sibi nimium per spiritum pacis unita, verum et sublime altare Dei existit, ex quo accipit Deus sempiternum sacrificium laudis et hostiam jubilationis, ad cujus altaris unitatem adjungitur nunc per fidem, et in futuro per divinæ contemplationis spectem omnis multitudo hominum electorum. Sed quandiu in ista mortalitate vivunt, antequam reipsa ingrediantur ad illud altare Dei, antequam perveniant usque ad cornu altaris, ut orationibus et supplicationibus suis, tanquam in inferioribus adhuc positi, a supernis virtutibus juventur, ut earum interventione exaudiantur, et quasi de sublimitate altaris suscipiantur ; sicut legimus, et Danieli oranti et deprecanti Gabrielem angelum apparuisse, eique dixisse : *Ab initio precum tuarum egressus est sermo, et ego veni propter sermones tuos, et nemo est ut adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester* (*Dan.* IX, 23). Et in Zacharia propheta legimus pro consolatione et liberatione populi Dei angelum deprecantem et dicentem : *Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est* (*Zach.* II, 12). Et respondit Dominus angelo verba bona, verba consolatoria. Similiter et ad Tobiam Raphael angelus dicit : *Quando orabas tu cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino, et nunc misit me Dominus ut curarem te*, etc. (*Tob.* XII, 12). Fit ergo et in ista oratione et oblatione sacra consecrationis aliquid incomprehensibile et ineffabile, et multo his omnibus mirabilius, ut per angelica ministeria et supplicationes tanquam de sublimi altari divinæ majestatis conspectibus offerantur in illa immolationis hora, cum aetantibus sibi ministris cœlestibus Christus, ut proposita consecret, adesse credendus est ; de qua re commodum videtur beati Ambrosii verba ponere de Expositione Evangelii secundum Lucam (*lib.* I, *n.* 28) : Non enim dubites, inquit, assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus : unde non immerito etiam Zachariæ deprecanti apparuit angelus a dextris altaris incensi, quia veri sacerdotis jam nuntiabatur adventus et cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Sic ergo cogitanda sunt, ut aliquid quo nihil sit melius atque sublimius illa cogitatione conemur attingere.

67. Similiter quoque et illud quod sequitur : *Ut omne, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.* Ista enim munera, ista sunt dona super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens Deus reficiens, glorioso Filii sui corpore vivificat, sanctificat, æternitati præparat, per hæc corda fidelium omni benedictione replet cœlesti et gratia, tribuens corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur suos misericordia, confirmat spe, munit charitate, ut, tanta Domini participatione, intra se Deum suscipientes, templum ejus effici mereantur. Quid sit ergo per participationem corporis et sanguinis Filii Dei omni benedictione cælesti et gratia repleri, et quantum hoc bonum debeat esuriri ac sitiri, audiamus beatum Ambrosium dulciter docentem et exhortantem : « Christus Ecclesiæ cibus, Christus est potus. Caro Dei cibus, et Dei sanguis est potus. Christus nobis quotidie ministratur. Cibus iste non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Hic est panis vitæ : qui ergo vitam manducat mori non potest. Accedite ad eum, et satiamini, quia panis est. Accedite ad eum, et potate, quia fons est. Accedite ad eum, et illuminamini, quia lux est. Accedite ad eum et liberamini, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, et absolvemini, quia remissio peccatorum est. Corpus Domini Jesu postulatio est divinæ reconciliationis et protectionis æternæ. Accipe tibi munimentum, suscipe Dominum Jesum tuæ mentis hospitio : ubi corpus ejus, ibi Jesus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum, cœlestis fui-

gore prudentiæ intelliget locum testamentis suis interclusum esse per Christum. Qui sit iste quæris? Audi ipsum dicentem : *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet ; et qui credit in me non sitiet unquam* (*Joan.* VI, 35). » Sequitur in mysterio.

68. *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei*, etc., usque *lucis et pacis indulgeas deprecamur.* Orat pia mater Ecclesia etiam pro defunctis suis, et eos sacræ oblationis intercessione commendat, certissime credens quia sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viventium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum, sicut beatus Joannes testatur dicens : *Et sanguis Filii ejus Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (*II Joan.* I, 7). Procedunt enim fideles de corpore exeuntes ad Dominum, sed non præceduntur ab Ecclesia, quia præcedunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis : cum signo fidei, quia ex aqua et Spiritu sancto renati, quia Christi cruce et passione signati. Dormiunt autem tanquam vere in resurrectione suscitandi. Dormiunt ergo in somno pacis, quia ab unitate et societate Christi et Ecclesiæ, nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt : in quibus etsi aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, et per orationem Ecclesiæ reconciliati, (AUG.) et remissionis mysterio societati, utique in pace obierunt, miserante illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, alioquin nec ad altare fieret eorum memoria in commemoratione corporis Christi, nec aliquid prodesset, ad ejus baptismum in periculis currere, ne sine illo finiatur in hac vita ; nec ad reconciliationem, si forte per pravam vel malam conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles etiam defuncti membra sunt ejus ? Quamvis ergo nondum cum suis corporibus, jam tamen animæ regnant cum Christo. Unde et in Apocalypsi legitur : *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboris suis, opera enim illorum sequuntur illos* (*Apoc.* XIV, 13) ; et ipse est verus sabbatismus fidelium, id est requies, de qua dicit Apostolus ? *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei* (*Hebr.* IV, 9). Qui enim ingressus est in requiem ejus, requievit ab operibus suis, quemadmodum et a suis Deus. Regnat itaque cum Christo nunc Ecclesia in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus : *Mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur* (*Rom.* XIV, 9). Unde et alibi ait : *Quoniam non posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, cum illo vivamus* (*I Thess.* V, 9). In quibus verbis vigilantes, viventes, dormientes, mortuos intelligi voluit, sicut iterum dicit : *Sive ergo vivamus, sive moriamur, Domini sumus* (*Rom.* XIV, 8).

69. (GREG.) Nam luce clarius constat quia perfectorum justorum animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur, quod et ipsa Veritas attestatur dicens : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV, 28), quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illic procul dubio colligentur et animæ justorum. Et Paulus dissolvi desiderat et cum Christo esse. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam in cœlo esse negat, qui etiam dissolutione sui corporis atque inhabitatione patriæ cœlestis dicit : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum nan mavu factam æternam in cælis* (*II Cor.* V, 5).

70. (VIGILIUS.) Verum hoc de apostolis, martyribus, confessoribus, cæterisque viris fieri notandum est. Nam sunt quorumdam justorum animæ; quæ adhuc mansionibus differuntur, in quo dilationis cœlesti regno, licet in beata requie, quibusdam damno ostenditur quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt. At vero nonnulli propter bona fidei opera ad electorum sortem præordinati, sed propter mala aliqua quibus de corpore exierunt post mortem sereno, castigandi recipiuntur flammis ignis purgatorii, et vel usque ad diem judicii longa examinatione a vitiorum sorde mundantur, vel certe prius amicorum fidelium precibus, eleemosynis, jejuniis, fletibus et hostiæ salutaris oblationibus, pœnis absoluti, et ipsi ad beatorum perveniunt requiem. Illis ergo eorum sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic vivendo obtinuerunt ut eos etiam post mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est, quod *tutior via sit*, ut bonum quod quisque post mortem sperat agi per alios, agat dum vivit ipse pro se. Beatius quippe est liberum exire quam post vincula libertatem quærere. Propter illa ergo verba quibus dicitur, *qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis*, usus fuit antiquorum, sicut etiam Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est tabulis, nomina defunctorum, atque ita post lectitionem nominum subjungerentur verba sequentia : *Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locnm refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.* Ipsis videlicet quorum nomina memorantur, et cæteris omnibus in Christo quiescentibus *locum refrigerii*, ubi non sentiunt ardores pœnarum. *et lucis*, de qua Psalmista : *Et placeam coram Deo tn lumine viventium* (*Psal.* LV, 14). *Et pacis*, de qua justus Simeon : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* II, 59). Et in qua sanctorum martyrum animæ quiescunt, dicente Sriptura : *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* (*Sap.* III, 2. 3)

71. Hanc autem piam et religiosam observantiam, quam ex apostolica sine dubio traditione susceptam

universa in mundo uniformiter et celebriter tenet Ecclesia, etiam Veteris Testamenti Scriptura et consuetudo a Patribus custodita diligentissime commendat. Legimus namque in Machabæorum libris, quod vir fortissimus et pontifex Judas, duodecim millia drachmas argenti nisit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum qui in bello ceciderant, considerans quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam; ubi et hoc in laudibus fidei ejus adjungitur, quia et sancta et salubri cogitatione pro defunctis exorabat, ut a peccato solverentur. Sequitur in mysterio :

72. *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*, etc., usque *Per Christum dominum nostrum*. Commendatio pro spiritibus defunctorum per oblationem pietatis, ut in beatis electorum sedibus mereantur obtinere locum refrigerii, lucis et pacis. Consequenter oratur omnipotens Deus ut etiam cæteros fideles, qui superstites sunt et vivunt. id est sacerdotes et populum, per virtutem et gratiam ejus Deus venerabilis sacramenti auxilio ad eamdem beatitudinem perducat, Totius namque Ecclesiæ vox est, id est sacerdotum et plebium cum humilitate et contritione cordis dicentium Deo : ***Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*** : quia, licet omni tempore peccatores nos esse ex corde cognoscere debeamus, tamen maxime hoc attentius agendum et confitendum est, cum in illo sacro mysterio celebratur remissionis gratia, indulgentia peccatorum, et cum humilitate et contritione cordis dicendum Deo : ***Nobis quoque peccatoribus famulis tuis***, quia, sicut scriptum est, etsi peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam, non de ullis nostris meritis, sed *de multitudine miserationum tuarum sperantibus*, corde in psalmo cantamus: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (*Psal.* L., 3). Recordanda namque sunt in hoc loco, et diligenter inculcanda verba Apostoli, dicentis : *Omnis namque sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro se offerre pro peccatis* (*Hebr.* v, 1). Ad quod beatus Gregorius in quodam loco exhortans dicit. « Sed necesse est ut, cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus ; quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim vere pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit. Oratur itaque omnipotens Deus, ut non solum defunctis, quorum supra commemoratio facta est, sed etiam nobis peccatoribus, de multitudine miserationum suarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare dignetur cum suis sanctis apostolis et martyribus et omnibus sanctis pro modulo nostro; quibus nunc sociamur per communionem fidei, cum ipsis etiam societatem vitæ et beatudinis æternæ in futuro accipiamus. Intra quorum nos consortium ut

A nos Dei pietas introducat petimus : ut nobis non nostri meriti æstimator, sed veniæ sit largitor ; ut, quia sanctorum societati per meritum jungi non possumus, per indulgentiam conjungamur. Si enim æstimemur, et divino judicio ponderemur, nullus ad apostolornm et martyrum societatem assurget. In fine autem hujus orationis, sicut et in cæteris præcedentibus adjungitur, *Per Christum Dominum nostrum*, et statim conclusio totius consecrationis sequitur dicendo :

73. *Per quem omnia semper bona creas*, etc. Per ipsum enim omnipotens Deus hæc bona omnia quæ sacris altaribus consecrantur non solum in exordio mundi creavit, condendo quod non erat ; per eumdem unigenitum Verbum suum dlxit, et factum

B est : *Germinet terra herbam virentem et afferentem semen, lignumque pomiferum faciens fructum* (*Gen.* I, 11) : in qua creatione utique et herba frumenti et lignum vini exortatum est; sed etiam semper eadem bona creat propagando et reparando, ut per annos singulos et novæ segetes et nova vina nascantur. De hac namque operatione regendæ, propagandæ et reparandæ creaturæ, ipse unigenitus Filius in Evangelio dicit ad Judæos indignantes quod in sabbato curaret : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, tanquam diceret : Non sex tantum diebus primis, ut putatis, Pater, operatus est, sed usque modo operatur, non novum creaturæ genus instituendo, sed quæ in principio creaverat, ne deficiant, propagando. (VIGIL.) *Et ego*, inquit, *operor*, subauditur usque modo, cum eo cuncta disponens, regens,

C accumulans. In quibus verbis æqualem se Deo Patri manifestissime prædicavit : quia quorum una eademque operatio, procul dubio æqualis est et majestas. Per ipsum enim, ut dictum est, Deus Pater hæc omnia bona semper creat, et creato ac suis conspectibus oblata sanctificat, ut quæ erant simplex creatura, fiant sacramenta ; sicque sanctificando vivificet, ut sint mysteria vitæ, ut sumatur in eis vita, ut vitalem substantiam accipientibus subministrent. Sanctificando autem et vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictione cœlesti et gratia accumulat. Ita vero sanctificata, et vivificata, et benedicta præstat nobis per eumdem secum pariter sanctificantem, vivificantem et benedicentem, qui nobis de corpore et sanguine suo dedit tam salubrem refe-

D ctionem. (AUG.) Manducent ergo qui manducant, et bibant qui bibunt, esuriant et sitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici est. Sed sic reficeris, ut nou deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, et integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritaliter bibatur:

74. Per ipsum ergo, ut dictum est, Deus Pater hæc omnia bona sanctificando et vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictiene cœlesti

et gratia accumulat et præparat nobis. *Per ipsum et cum ipso et in ipso est Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria. Per ipsum* scilicet, tanquam per verum mediatorem Dei et hominum; *cum ipso*, tanquam coæquali; *in ipso*, tanquam vere consubstantiali. *Omnis* vero *honor et gloria* est Deo Patri per Filium, et cum Filio, et in Filio in unitate Spiritus sancti, qui, ex Patre Filioque procedens, unitatem deitatis possidet cum Patre et Filio, atque ideo simul adoratur et conglorificatur. Insinuatur in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu sancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas per omnia sæcula sæculorum. Hæc est quod beatus Judas apostolus in fine Epistolæ suæ velut distincte designanter exponit, dicens: *Soli Deo Salvatori nostro per Dominum nostrum Jesum Christum gloria, magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum* (*Jud.* xxv). Cœpit enim sæculum, id est temporalis mutabilitas a conditione creaturæ: currunt sæcula præsentia, mutabilium rerum cursu labentia: succedent vero sæcula futura, incommutabili rerum statu æternaliter permanentia. Verum quia hæc omnia in æterna Dei sapientia, sine ullo omnino initio vel mutabilitate fixa sunt: quia, ut in Evangelio legimus, *quod factum est in ipso vita erat* (*Joan.* I, 3), bene intelliguntur ita dici sæcula sæculorum, tanquam sæcula in sapientia Dei inconcussa stabilitate manentia, istorum quæ cum tempore transeunt efficientia sæculorum. Aut certe simpliciter accipienda sunt sæcula sæculorum, vel ut consequentia præcedentium, vel ut continuata sibi commistione copulentur, quæ appellantur sæcula sæculorum, donec totum potens sæculum, quod ex diversorum temporum sæculis contexerunt, perveniat ad finem, et succedat futurum sæculum, quod non habet finem, ubi Deus videbitur et laudabitur sine fine. *Amen* autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur verum, non ubicunque et quomodocunque, sed mystica religione. (AUG.) Hoc ergo ad tanti mysterii consecrationem, sicut et in omni legitima oratione respondent fideles, et respondendo subscribunt. Adjungit autem adhuc sacerdos et dicit: *Oremus*.

75. *Præceptis salutaribus moniti*, etc. Dignum profecto fuit ut tota hæc tam sacrosancta actio Dominica Oratione (*a*) concluderetur, et petitiones fidelium, quas vel propter futuram, vel propter præsentem vitam nos Dominus docuit, per eamdem passionis ejus commemorationem efficacius commendarentur. Admonetur ergo tota Ecclesia, et dicitur a sacerdote *Oremus*, et orat Ecclesia cum sacerdote, non voce, sed corde: labia clausa sunt, sed patet conscientia: silentium est, clamat pectus, sed auribus ille audit qui miseretur. Nam et Susanna dum damnaretur ab injustis judicibus, tacebat et orabat: os ejus non audiebatur ab hominibus, cor ejus clamabat ad Deum. Nunquid quia vox ejus ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa, sed quando oravit, nemo hominum scivit. Orat ergo sacerdos simul cum Ecclesia, conversus ad Dominum, et dicit: *Præceptis salutaribus moniti*, etc. Hoc itaque nobis super omnia salutare est, quod nobis tantam gratiam per Unigenitum suum contulit Deus Pater, ut tantam bonitatem cogitantes et amantes, sic agamus, ut non jam filii sæculi, sed Dei simus. Præceptis ergo salutaribus jussi, et divina institutione formati, non præsumptionis temeritate, sed obedientiæ pietate præsuminus dicere Deo:

76. *Pater noster, qui es in cœlis*, etc. Orationem (*b*) dicimus Dominicam ad nostram proficientem salutem, qua nos unigenitus Filius per lavacrum regenerationis et spiritum adoptionis, Dei filios esse dicere monuit, dicere jussit! et non humana, sed divina institutione ipse nobis orandi formam tribuit, ut Deo audeamus dicere: *Pater noster qui es in cœlis*, (AUG.) Credimus vero ubique esse Deum et divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc ergo inhabitationem ubi gratia ejus dilectionis agnoscitur, non dicimus: Pater noster, qui es ubique, cum et hoc verum sit; sed *Pater noster, qui es in cœlis*, ut templum ejus potius in Oratione commemoremus, quod et nos nosse debemus. (SEVERIANUS.) Et in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem et adoptionis familiam pertinemus. Nec se Filius in hac Oratione prætermisit, sed in Patris unitate conjunxit, qui et in Patre se orari jussit. Cum enim Patrem rogas, Filii nomen imploras.

77. *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus a Deo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterum a quo Deus sanctificatur qui ipse sanctificat? sed ipse dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Levit.* XI, 44). Hoc petimus et rogamus ut, qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus. Admonemur etiam desiderare ut nomen ejus, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est non contemnatur; quod non Deo sed hominibus prodest.

78. *Adveniat regnum tuum.* Hac petitione desiderium nostrum ad futurum regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur; id est ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis, id est ut regnum ejus mereamur agnoscere.

79. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Non ut Deus faciat quod non vult; sed ut facere possimus quod Deus vult, ut, sicut angeli sancti, ita et

(*a*) Sic S. Augustinus, serm. 227, ad infantes: *Ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis et reddidistis. Post ipsam dicitur* Pax vobis, *et osculantur se Christiani in osculo sancto.*

(*b*) Quatuor S. Augustini sermones habemus ad competentes de Oratione Dominica, scilicet 56, 57, 58 et 59, duosque inter supposititios 64 et 65, in quibus doctrina hic exposita fusius traditur.

nus faciamus ejus voluntatem. Possumus etiam per cœlum et terram intelligere spiritum et carnem: quoniam spiritus e cœlo, caro e terra esse cognoscitur. Sed spiritus cœlestia quærit, caro terrena concupiscit, et ideo petimus ut voluntatem Dei his duobus concordantibus faciamus. Potest et sic intelligi, ut pro infidelibus, qui sunt adhuc in terra, orare intelligantur fideles qui fidei dono cœli nuncupantur; ut circa illos voluntas Dei fiat, ad ipsum convertendo; ut terra imitetur cœlum, et homo angelum, infidelis fidelem. Ac per hoc oramus et petimus, ut precem pro omnium salute faciamus.

80. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qua petitione nostra sufficientiam quotidiani victus petimus; nomine panis totum significantes, quoniam panis Græce, Latine dicitur totum id sacramentum fidelium, quod in hoc quoque tempore necessarium est non tamen ad hujus temporis, sed ad illam æternam felicitatem assequendam. Nam panis vitæ Christus est, quem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et eucharistiam quotidie sumimus, intercedente aliquo graviori delicto, a Christi corpore separemur, ipso dicente: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi; si quis ex hoc pane ederit, vivet in æternum* (*Joan.* VI, 41). Sicut ergo manifestum est eos vivere qui corpus ejus vere et digne accipiunt, ita contra timendum est ne qui separantur a Christo corpore perpetua pereant morte, criminante Christo: *Nisi comederitis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Ibid.* 54). Et ideo panem nostrum, id est Christum quotidie nobis dari petimus, ut qui in eo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus, sine quo vivere in æternum non valemus.

81. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic admonemur quid petamus et quid faciamus, ut accipere mereamur. Post subsidium cibi, petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat. Admonemur enim quod peccatores sumus, quia pro peccatis nostris rogare compellimur, ne quis sibi quasi innocens placeat. Instituitur et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Addidit Deus plane legem, certa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod ipsi debitoribus dimittimus: scientes impetrare non posse veniam, quam pro peccatis nostris petimus, nisi et ipsi circa debitores nostros paria fecerimus, dicente Evangelio: *In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur nobis* (*Luc.* VI, 38). Et alio loco: *Cum statis ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, remittat vobis peccata vestra* (*Marc.* XI, 35). Excusatio denique tibi in die judicii nulla superest, cum secundum tuam sententiam judicaris, et, quod feceris aliis, hoc et ipse patieris. Similiter quod fecimus cæteris, faciet nobis, dicens in Evangelio: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra: si non remise-* A *ritis, nec Deus dimittet vobis delicta vestra* (*Matth.* VI, 14).

82. *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus ne deserti ejus adjutorio, alicui pravæ tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit, et idcirco postulamus ut, ejus adjutorio fulti, ita maneamus vincti, ut ab hoste maligno non subjiciamur tentati:

83. *Sed libera nos a malo.* Hic admonemur cogitare nondum nos esse in eo bono in quo nullum patiamur malum. Quæ petitio ita late patet, ut homo Christianus, in qualibet tentatione et tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat. Et quando dicimus: *Libera nos a malo*, nihil B remanet quod ultra adhuc debeamus postulare, quando semel protectionem Dei adversus mala petimus. *Amen* signaculum Dominicæ Orationis, quod interpretatur *vere*, sive *fideliter*, attestatio est veritatis, quod ex Apostoli traditione etiam ad cæteras orationes consuete respondet Ecclesia, sicut Apostolus ad Corinthios scribit, dicens: *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quidem nescit quid dicas?* (*I Cor.* XIV, 16.) Ex quo ostenditur non posse ideo tam respondere verum esse quod dicitur, nisi ante intellexerit. Post Orationem Dominicam, quam ad completionem perfecti mysterii tota ad Deum fundit Ecclesia, sequitur in conclusione ejusdem Orationis sacerdos et dicit:

84. *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus ma-* C *lis*, etc. In quibus verbis mala præterita, a quibus petimus liberari, peccata nostra transacta intelligenda sunt; quorum etsi actio jam cessavit in nobis, tamen reatus manet, nisi divina indulgentia deleatur. Unde admonet Scriptura divina, dicens: *Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur* (*Eccli.* XX, 1). Mala vero præsentia, quia quotidie peccamus, necesse habemus dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Possunt et quotidiana peccata nostra in animo, et accidentes sæpe diversis languores et afflictiones in corpore exstrinsecus irruentes, innumeræ calamitates, ut fames, pestilentia, gladius, et cætera hujusmodi, quæ omnia quotiescunque patimur, ejus debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate et animas curat D et corpora. Et novit quando filiis suis, quos ad æternam hæreditatem præparat, et flagellum correptionis et dulcedinem consolationis adhibeat. Futura enim mala quid aliud intelligenda, nisi quæcunque nobis accidere possunt saluti et paci contraria, sive per tentationes diaboli, sive per adversitates et miserias sæculi? Et maxime illa sunt pro quibus effugiendis præcipue orare debemus, ut liberemur a ventura damnatione æterna, quæ sine dubio malis constat esse futura. Orat ergo sacerdos, imo tota Ecclesia cum sacerdote, ut quod in fine Orationis Dominicæ dictum est: *Sed libera nos a malo*, ita nobis per Dei misericordiam præstetur, ut liberemur ab omnibus

malis,id est quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præsenti accidunt,vel in futuro accidere posse formidantur. Unde et Dominus,sciens fragilitatem nostram in tantis periculis constitutam,misericorditer admonet, dicens : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* xxvi, 41). Et iterum : *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante filium hominis* (*Luc.* xxi, 35). Sequitur sacerdos et dicit :

85. *Et intercedente pro nobis beata et gloriosa*, etc. Dominus populo Israelitico,cum detineretur in Babylonica servitute captivus,dicens inter alia per Jeremiam prophetam : *Et orate pro pace civitatis ad quam transmigrare vos feci, quia in pace ipsius erit pax vobis* (*Jer.* xxix, 7),similiter et Apostolus populum Ecclesiæ exhortatur dicens : *Volo igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et his qui in sublimitate sunt,ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate* (*I Tim.* ii, 1). Juxta hanc ergo formam per prophetam et Apostolum divinitus constitutam,populus fidelium in hujus sæculi peregrinatione, tanquam in Babylone captivus, et supernæ patriæ suspirans, orat etiam pro pace temporali, ne impediatur a pace spiritali et æterna, ut, remotis per Dei pietatem persecutionibus, seditionibus, hostilitatibus, quietam et tranquillam vitam agat Ecclesia in omni pace. Et hoc orat generali observantia sine intermissione in omni Dominica oblatione in qua, juxta præceptum apostolicum,obsecrationes suas, et orationes,et postulationes, et gratiarum actiones offert Deo. Hoc autem, paucissimis sed eminentissimis sanctis nominatis,a Deo exorat, videlicet ut intercedente in primis Dei Genitrice, per quam humano generi salus exorta est, et beatis apostolis Petro et Paulo atque Andrea, impetrare mereatur. In qua postulatione non cæterorum sanctorum intercessio prætermittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetuntur,quia,ut omnes sibi in Deo sociati et uniti existunt,ita omnes unum desiderant et rogant pro salute hominum,et ut in uno omnes pariter habeantur,et in uno omnes pariter negligantur. Non enim amant sancti suos electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores,magisque offensurus est quisquis ita agendum putat,eos ad quos se contulerit,quam eos a quibus abstulerit. Unitate enim gaudent et in Christo unum sunt.

86. Quod ergo dicit Ecclesia : *Da propitius pacem in diebus nostris*,manifeste juxta exemplum quod in Isaia legitur,hoc facit. Cum enim prædixisset idem propheta Ezechiæ regi nostro venturæ captivitatis mala, compunctus respondit : *Bonum verbum Domini quod locutus est? fiat tantum pax et veritas in diebus meis* (*Isa.* xxxix, 8), videlicet futura humiliter,Dei judicio reservans,de præsenti vero quod ad suam et populi sui salutem pertinebat,deprecans : *Fiat*, inquit, *pax et veritas in diebus meis* : pax, ne regni tranquillitas ab hostibus turbaretur ; veritas vero, ut in ipsa pace Dei cultus, religionis veritas, servaretur.Unde et Apostolus ubi hæc orari præcepit,utrumque simul posuit : *Ut quietam*, inquit, *et tranquillam vitam agamus in omni pietate*. Nam et quies et tranquillitas pertinet ad pacem, pietas ad divini cultus religionem.Ita ergo et Ecclesia deprecatur pacem fieri in diebus nostris,quod et post nos alii, et post ipsos alii usque ad consummationem sæculi utique similiter orabunt.

87. Cum autem ipsam pacem postulet,subjungit videlicet *ut ope*,id est auxilio et protectione *misericordiæ Dei adjuti*,quantum ad interiorem religionis devotionem pertinet, *simus semper a peccatis liberi* ; quantum vero ad interiorem pacem,simus etiam *ab omni perturbatione securi*. Nam pax in qua non divinæ religioni,sed mundanæ cupiditati servitur,non est justorum,sed iniquorum,de qualibus Psalmista ait : *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (*Psal.* lxxii, 3). Sequitur quod et in ista et in omnibus fere orationibus ecclesiasticis in conclusione subjungi solet :

88. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium*, etc. (Fulg., *epist.* 14, *ad Ferrandum*, n. 36). Quod utique certa ratione, ut sæpe dictum est, catholica concelebrat Ecclesia,propter illud utique sacramentum, quod mediator Dei et hominum factus est et homo Christus Jesus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta,non utique manufacta,sed in ipsum cœlum, ubi est in dextera Dei, et interpellat pro nobis. Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus,qui per ejus mortem reconciliati sumus, cum inimici essemus. Christus namque in forma Dei permanens unigenitus Deus, cui cum Patre hostias offerimus,formam servi accipiens,sacerdos factus est,per quem hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerre possimus. Nec tamen hostia a nobis offerri potuisset,si Christus pro nobis factus hostia non fuisset. Cum vere dicimus *Filium tuum*,et adjicimus : *Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti*, illam utique unitatem commemoramus,quam naturaliter habet Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ubi ostenditur quod idem ipse Christus pro nobis sacerdotali est functus officio,cui naturalis est unitas cum Patre et Spiritu sancto. Cum vero *in unitate Spiritus sancti* dicimus unam naturam Spiritus sancti cum Patre Filioque monstramus.Unitas autem naturæ,quid aliud quam Trinitatem esse unum Deum,et hoc unum ostendi et regnum ? Ubi autem regni naturalis est unitas, una regnandi permanet et potestas. Vivit ergo et regnat Christus Dominus noster cum Patre in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, sicut ipse in Apocalypsi loquitur, dicens : *Ego sum primus et novissimus ; et vivus fui, et mortuus ; et ecce sum vivens in sæcula sæculorum* (*Apoc.* i, 17). Ipsi namque dicitur in Psalmo : *Thronus tuus,Deus, in sæculum sæculi*. Et iterum : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum* (*Psal.* cxliv, 13). De quo

et in Evangelio ad beatam Mariam angelus dicit : *Et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33).

89. Hac oratione expleta, commiscens sacerdos Dominicam oblationem, ut calix Domini totam plenitudinem contineat sacramenti, tanquam per ejusdem mysterii copulationem imprecatur Ecclesiæ pacem, dicens : *Pax Domini sit semper vobiscum*, cui tantum bonum Ecclesia imprecatur, respondens : *Et cum spiritu tuo*. (Aug., *serm.* 227.) Quid est autem pax Domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi finem temporis non habet, et ipsa est omnis piæ actionis intentionisque perfectio. Propter hanc pacem in eum credimus et speramus, et amore ipsius, quantum donat, accendimur : propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit, quoniam qui adhæret Domino unus spiritus est. Imprecata igitur pace, incipiens a sacerdote, dat sibi mutuo omnis Ecclesia osculum pacis, ut, omnibus vera pace unitis, fiat in eis locus Dei, sicut dicitur in psalmo : *Et factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV 13). Et impleatur in Ecclesia quod alibi Psalmista dicens : *Deus in loco sancto suo, Deus inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII, 17). (Vigil.) Et hoc utique ex traditione apostolica servat Ecclesia, cui frequenter ab ejusdem apostolis dicitur : *Salutate invicem in osculo sancto* (*Rom.* XVI, 16), id est osculo vero, osculo pacifico, osculo columbino, non ficto et subdolo, quali usus est Joab ad occidendum Amasiam, quali Judas ad tradendum Salvatorem, quali utuntur hi qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Illi ergo osculo sancto salutant invicem qui non diligunt verbis nec lingua, sed opere et veritate.

90. Inter hæc omnia cantatur ab omnibus, et cantando oratur dicentibus : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, etc. (Aug.) Nullus enim tollit peccata, nisi ille de quo dictum est : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile. (Vigil.) Quomodo autem apostolus Petrus ostendit, qui ait : *Non corruptibilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Christi* (*I Petr.* I, 18). Et in Apocalypsi Joannes apostolus : *Qui dilexit nos*, inquit, *et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I, v), quando sanguinem suum dedit pro nobis in cruce, vel quando quisque nostrum in mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, verum etiam tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur.

91. Post hæc ergo sumpta eucharistia, id est bona gratia, gratia enim Dei pro omnibus gustavit mortem, et celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus *Amen*. (Aug., *serm.* 272.) Hæc est enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

92. Finitis vero omnibus, astanti et observanti populo absolutio datur, inclamante diacono : *Ite, missa est*. Missa ergo nihil aliud intelligitur, quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronuntiat, cum populus a solemni observatione dimittitur. Unde et missam catechumenorum canones dicunt, quando post Evangelii lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum, nisi baptismi fonte regeneratum, interesse licet. Tunc enim, clamante diacono, iidem catechumeni mittebantur, id est dimittebantur foras. Missa ergo catechumenorum fiebat ante actionem sacramentorum : missa fidelium fit post confectionem et participationem.

FLORI DIACONI
OPUSCULA ADVERSUS AMALARIUM

(Apud Marten., ibid.)

I

Incipit epistola Flori *totius veritatis plena, contra falsiloquas adinventiones* Amalarii, *quondam Lugdunensis chorepiscopi, de Corpore Domini tripartito*.

1. Dominis beatissimis, reverentissimis, et piissimis pastoribus gregis Christi, rectoribus Ecclesiæ Dei, prædicatoribus ac propugnatoribus catholicæ fidei, Drogoni sacri consilii magistro et pontifici clarissimo; Heti Trevirorum antistiti, Aldrico reverentissimo Cenomannorum episcopo, Rabban abbati venerabili, et ex provincia Lugdunensi prima Albarico Lingonum reverentissimis episcopis, Ecclesiæ catholicæ indignus filius, et pietatis ac paternitatis vestræ exiguus servulus Florus.

Obsecro, mansuetissimi et benignissimi servi Christi, ut extremitatem meam periculis Ecclesiæ Dei condolentem et compatientem, ac pro hoc necessitates ejus humiliter et fidenter ad vos referentem, in ipsius Christi, et Dei Ecclesiæ piæ matris amore, pio ac benigno suscipiatis affectu. Exigua quidem et indigna est persona quæ loquitur; sed Domini est

eres, Domini est causa quam loquitur: digna certe, quæ a melioribus suggereretur, et idonea quæ ad vestrum jam olim judicium examinanda perferretur; sed quoniam fortius clamare solent qui atrocius vapulant, et qui maxima cogente indigentia importunius postulant, miseratione potius quam indignatione digni habentur: sit et mihi minimo sub vestra pietate tutum ac liberum inter flagella vapulantis Ecclesiæ tristius vociferari, de cladibus ejus ac miseriis conqueri, et a vobis paternæ opis auxilium deprecari.

2. Idcirco enim ad vos, o domini et Patres beatissimi, qui et dignitatis culmine, et fidei sinceritate, et Dei timore, et scientiæ probitate præcellitis, et Lugdunensi Ecclesiæ quidem familiarius obstricti estis, querelam hanc potissimum credidi deferendam: ut quanto plures divini muneris largitate præitis, tanto instantius et religiosius pro divinæ fidei et veritatis tuitione certetis; memores Spiritus sancti per Salomonem talibus, quales Christi estis gratia, prsclamantis: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare necesse est* (*Prov.* XXIV, 11). Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. Præcessit enim in præfata nuper Ecclesia per prælatum ejus Amalarium error insanus et vanus, fidei et veritatis inimicus, religioni et saluti contrarius, quem primum quidem, aggregata presbyterorum synodo, circumsedentibus omnibus, et velut præceptorem audientibus, viva voce conatus est serere, imo tota intentione et studio per totum triduum proponendo, exponendo, exigendo, omnibus inculcavit et tradidit, quasi Novi Testamenti minister tabulis cordis carnalibus cuncta quæ asserebat, indelebiliter vellet imprimere. Deinde etiam magnum quemdam codicem quatuor voluminibus diffusum, a se compositum atque digestum, legendum transcribendumque tradidit, asserens eum Officialem nuncupari, tanquam de sacris officiis prudentissime et sufficientissime disputantem, qui tantis vesaniis et erroribus confertus est, ut quibuslibet etiam imperitis palam ridendus conspuendusque videatur. Protulit quoque Antiphonarium velut a se digestum atque correctum, cui talia ex suo sensu inseruit, ut pro ejus impudenti audacia frons legentis pudore ac rubore feriatur. Novissime vero novum digessit volumen, et apud Lugdunum ornate indui, ac vittis sericeis distingui fecit: quod ad palatium ferens, vel principi, vel magistro consilii dicitur oblaturus. In quo vere tam inepto eloquio, tam absurdis sensibus, tam exquisitis et inauditis phantasiis involvitur, ut putes eum lymphatico more bacchari. Vocat hujus insulsissimæ garrulitatis librum, *Embolim opusculorum suorum*, et rectissime omnino; est enim multiplicium errorum ejus velut cameli gibbus procrescens ac redundans argumentum [*al.*, augmentum].

3. De singulis autem pauca proponere, et vestræ gravitati fastidiosum, et meæ supplicationis sermoni videtur incongruum, quem metuo rebus frivolis facere prolixiorem, ne in seriis ac necessariis onerosior videatur. Certe libri ipsi fere ubique dispersi, fere omnibus noti sunt, neque ullatenus ambigo quin gravium ac prudentium virorum judicio severius reprehendantur, quam exiguitatis meæ aut comprehendi ingenio, aut exaggerari possit eloquio. Attamen, ne frustra opem sanitatis videar implorare, si dissimulo aut formido vulnus detegere, nonnulla vel breviter replicabo. Vos ut cœlestis cooperatores medici, sive antidoto fidei, sive scapello, aut cauterio sincerissimæ veritatis curate languida, resecate putrida, urite vitiosa, et saluti corporis Christi in commune prospicite. Absit, absit a vestræ gravitatis censura, ut in hujusmodi erroribus et ineptiis confutandis, aut personæ respectu, aut adulationis fuco, aut humanæ offensionis seu discriminis metu cujusquam pii et fidelis animus retardetur. Cum res fidei, cum causa Ecclesiæ, cum negotium Christi agitur, sola fides, sola mater Ecclesia, solus amator veritatis, imo Veritas, Christus præ oculis habeatur.

4. Docet præceptor ipse Amalarius egregius, ita corpus Christi esse triforme et tripartitum, ut tria Christi corpora: primum quod ipse suscepit, secundum in nobis, qui super terram ambulamus; tertium in illis qui sepulti jacent. Asserit in mysterio sacrificii hac de causa tres debere fieri partes: unam calicis pro Christo, alteram in patena pro vivis, tertiam in altari pro mortuis. Dicit panem illum esse carnem Christi, sanguinem animam, ut sit totus Christus. Hæsitandum dicit, utrum corpus Christi de altari sumptum, in corpore nostro maneat usque in diem sepulturæ, an recipiatur invisibiliter in cœlum, an quando venam incidimus, cum sanguine profluat, an cum cæteris quæ in os intrant, in secessum labatur. Epistola ejus est in suo Officiali libro, ad juvenem nescio quem episcopum scripta, quæ hoc continet: Ubi etiam de sputis et flegmatibus spurcissime disputat, et cum sit tam sordide mentis putidæque doctrinæ, se spiritalem jactat, qui omnia dijudicet, et alios carnales et animales vocat. Calicem Domini vocat sepulcrum, presbyterum Joseph ab Arimathia, archidiaconum Nicodemum tanquam sepultores Christi; diaconos retro acclines apostolos, se in passione Domini velut contrahentes et occultare volentes; subdiaconos ad faciem erectos, mulieres libere astantes. Aliam partem mysticæ orationis, qua corpus Domini consecratur, Christo tribuit oranti in monte Oliveti; aliam in cruce pendenti, et post nescio quas fatuas divisiones, aliam morienti. Cum vero presbyter inclinatur, hoc esse: *Et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30).

5. In anno legitima jejunia ad quatuor humores refert, quibus corpus vegetatur humanum, et pro his fieri asserit in eisdem jejuniis. Duas lectiones quarta feria ad missam legi, propter duo sidera ipso die condita, ut paganis ejus verbis utar, Phœbum et

sororem ejus Phœbam. Nam et sanctum David semper in Domino fortem et bellicosum, morte ethnico arsisse dicit in Marte, quem dæmonem esse pessimum inventorem [*al.*, incentorem] tumultuum atque bellorum proclamat etiam poeta gentilis dicens : *Sævit toto Mars impius orbe.* In Evangelio majoris Litaniæ, per panem intelligit fruges terræ ; in pisce genita ex aquis ; in ovo animalia quæ ex utroque sexu gignuntur in terris ; talemque phantasiam sensus sui evangelico præferens sensui, asserit pro talium rerum conservatione tunc a fidelibus celebrari litanias. Nam et messes tunc in profectum sunt, inquit, et pisces tunc veniunt, et pulli campos tundunt. Addit insuper et quasdam significationes monstruosas, et instar antipodarum capite deorsum, pedibus sursum versis, ita ut in his præcedat res ipsa, et sequatur figura ; cum e contrario umbræ legis, juxta Apostolum, res designent futurorum bonorum. Cum ab altari sumitur Evangelium, ipsum altare significat Jerusalem, unde Evangelium processit. Locus altaris locum illum significat, ubi Jacob dormiens angelos vidit. Romanus pontifex, cum sabbato ante Palmas eleemosynam dat, mulierem significat quæ Dominum unxit.

6. Jam de sacerdotum et ministrorum sacris vestibus, de vasis divini ministerii, de cantorum tabulis, de signis æreis, de ipsis etiam indumentorum et calceamentorum fimbriis, coloribus et speciebus, de officiis quoque sacris, et psalmorum distributionibus, quam inepta et fatua et omni risu digna contingit, quasi ei soli licuerit post legem et prophetas, post Evangelia et apostolos, res typicas et mysticas in Ecclesia statuere, ita ut mysteriorum ejus prævaricator habeatur, qui usu et consuetudine simplici aliud quid celebrare præsumpserit. Dicit se in talium phantasiarum adinventionibus sancti Augustini auctoritatem sequi, eo quod obscura quæque et ambigua tandiu ille tractari jubeat atque versari, donec ad dilectionem Dei vel proximi intelligentia perducatur : in quibus duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ. Nec considerat, nimia novitatum cupiditate cæcatus, hæc illum de sacrarum Scripturarum indagandis sensibus tradidisse : nempe libri in quibus hæc loquitur, de Doctrina Christiana titulantur, de sola in his Scripturæ sacræ intelligentia regulæ traduntur, multa ibi de rebus, multa de signis disseruntur ; et tamen de hujusmodi significationibus quas iste perquirit, nihil penitus dicitur, imo in libris ad Januarium, omnem ecclesiasticarum observationum varietatem triplici genere distinguit, universas videlicet aut ex Scripturæ sacræ auctoritate, aut ex generali Ecclesiæ traditione, aut ex diversorum locorum multiformi consuetudine eas asserens propagatas : et primas quidem ostendit numero esse paucissimas, sed observatione facillimas, significatione præstantissimas ; secundas quoque pari religione asserit venerandas ; in tertiis vero nullam omnino significationem, nullum requirens mysterium, sincerissimam atque gravissimam B. Ambrosii sententiam sequitur, ac velut cœleste oraculum sequendam proponit, quam eidem respondit de talibus consulenti : « Ad quamcunque, inquiens, Ecclesiam deveneris, ejus morem serva, si non vis alteri esse scandalum, nec quemquam tibi. » In eisdem ad Januarium libris. « Quidquid humana auctoritate statuitur, ac veluti sacramentum et mysterium tenetur, nullatenus approbandum, imo et indubie asserit, resecandum. »

7. Quid igitur novellus iste præceptor de mysteriis suis faciet ? qua ratione tot vanitatum suarum commenta defendet ? Scripturæ sanctæ auctoritas deest, Ecclesiæ in talibus generalis traditio, et regula nulla est, doctrina Patrum repugnat, Libellum Romani ordinis tantæ auctoritatis habet, ut eum pene ad verbum nitatur exponere ; et tamen statim sibi ipse contrarius asserit hunc Romano archidiacono, cujus traditionibus gloriatur, ignotum. Quod si Scripturarum sensus ad suas fabulas trahit, et commenta erroris sui ex his fulcire conatur, quis hanc nesciat hæreticorum propriam esse insaniam ut sua semper mendacia veritatis specie pallient, vertentes, juxta Isaiam, argentum in scoriam, et cœlestis vigorem vini terrenæ fatuitatis aquæ miscentes ? Ignoscat mihi indigno et exiguo vestra paternitas, si rem necessariam fidei et salubrem Ecclesiæ devota supplicatione suggessero. Claudendus est plane juxta legis præceptum bos cornipeta, et os ejus sempiterni freno silentii constringendum, imo quia jam aut virum aut mulierem fortassis invasit, id est, vel qui sibi fortis videtur, vel qui vere infirmus in fide est, scandalizavit, divinarum sententiarum capidibus [*f.* cuspidibus *vel* lapidibus] obruendus, nec carnes ejus, id est doctrina et sensus, ullatenus comedendæ. Nam quoties de his arguitur vel monetur, nequaquam, ut piorum moris est, libenter et humiliter acquiescit, sed tunc jactantius et insolentius cornua erigens, multiplicat vesaniam, suam sic sentire clamans omnem Germaniam, sic totam Italiam, sic ipsam Romam, se fuisse Constantinopoli, se apud Istriam sive Lucaniam, et idcirco in talibus singularis auctoritatis existere. Nec ei sat est quod ipse tantis implicatur erroribus atque phantasiis, nisi et totum pene orbem sui complicem infamet. Persistit namque, sub multorum pontificum ficta auctoritate, suum de sacrosanctæ eucharistiæ divisione ineptissimum, imo blasphemum, confirmare sensum. Neque enim nos cujusquam morem Ecclesiæ reprehendimus, nec alteram alteri superbe præferimus, quas omnes in Christo constat vinculo pacis unitas, et sancti Spiritus distributione distinctas, sed sensum profanum redarguimus, quem manifestissime et Scripturæ sanctæ, et fidei catholicæ, et unitati Ecclesiæ inimicissimum constat. Vere nulli unquam licuit corpus Christi dicere triforme vel tripartitum, quod Apostolus unum semper et unicum proclamat, dicens : *Unus panis, unum corpus multi sumus* (*I Cor.* x, 17). Et iterum : *Multi unum corpus sumus in Christo* (*Rom.* xii, 5). Et alibi : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*

(*Eph.* IV, 14). Vere unius capitis Christi unum est omnium electorum corpus; uno spiritu vegetatum, suo capiti inseparabiliter unitum, suorum membrorum indissolubili connexione solidatum atque compactum, sola gratiarum varietate distinctum, nec mortalitate divisum, nec ipsa morte solvendum. Neque enim quia talium figmentorum doctor, cum adhuc mortaliter vivit, pater autem forsan mortuus et pulveri redditus est, idcirco vel a Christo, si ejus membra meruerunt, vel a se invicem, quantum ad gratiam unitatis corporis Christi attinet, mortalitatis aut mortis obstaculo divisi sunt, quoniam conditio mortalitatis et mortis ad pœnam pertinet prævaricationis antiquæ, non ad spiritalis innovationis ineffabilem unitatem. Unitatem istam sola charitas compaginat, sola iniquitas dissecat, testante Apostolo : B *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17), et Propheta e contrario inclamante : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum* (*Isa.* LIX, 2).

8. Reprehendit sanctus Augustinus Tichonium quod, in libro Regularum, unam de septem de corpore Domini bipartito nominaverit, mutatoque nomine irreligioso, potius eam de corpore Domini vero atque simulato, vel de corpore Domini permisto, asserit nuncupandam ; ita sanctus Pater edocuit esse nunc propter unam bonorum et malorum piscium captionem in Christi corpore permistionem.

9. Divisionem vero repudiavit, quoniam indissolubilis sacramenti unitas nullam penitus recipit sectionem. Quam misera autem anxietate ventilatur et coarctatur, cum corpus Christi humanæ corruptionis C sordibus inquinari formidat, et idcirco vel in cœlum recipi invisibiliter vel in corporis nostri velut conditorio reponi mira vanitate delirat! Addit quoque *usque in diem sepulturæ*, metuens videlicet ne vel tunc, nisi nescio quo invisibli modo, a nobis discretum fuerit corpus Christi, nostri corporis conditione in pulverem dissolvatur. Quid autem honoris ei confert, si ex venæ incisione, mirum cur non et narium fluxu simul simul fluere opinatur? annon videmus quibus et quam sordidis animalibus sive locis fusus pateat sanguis humanus? absint ab animo fideli de mysterio salutari atque cœlesti tam ineptæ et sordidæ cogitationes! Prorsus panis ille sacrosanctæ oblationis corpus est Christi, non materie vel specie visibili, sed virtute et potentia spirituali. Ne- D que enim in agro nobis corpus Christi gignitur, aut in vinea sanguis ejus exoritur, vel torculari exprimitur. Simplex e frugibus panis conficitur, simplex e botris vinum liquatur, accedit ad hæc offerentis Ecclesiæ fides, accedit mysticæ precis consecratio, accedit divinæ virtutis infusio ; sicque, mire et ineffabili modo, quod est naturaliter ex germine terreno panis et vinum, efficitur spiritualiter corpus Christi, id est vitæ et salutis nostræ mysterium, in quo aliud oculis corporis, aliud fidei videmus obtentu ; nec id tantum quod ore percipimus, sed quod mente credimus, libamus. Unde et fideliter petimus ut quod A ore contingimus, pura mente capiamus. Mentis ergo est cibus iste, non ventris ; non corrumpitur, sed permanet in vitam æternam, quoniam pie sumentibus confert vitam æternam. Pie autem sumit qui, spiritu fidei illuminatus, in illo cibo et potu visibili virtutem intelligibilis gratiæ esurit ac sitit ; et minus indulgentiæ, et salutis spiritaliter percipit... nullatenus cogitanda vel metuenda est in hoc mysterio ulla pollutio. Christus enim Dei virtus, et Dei sapientia in eo sumitur ; quæ sapientia, ut Scriptura testatur, candorem lucis æternæ, et emanatio quædam claritatis Dei sinceris, et ideo nihil inquinatum in illam incurrit, attingit autem ubique suam munditiam. Corpus igitur Christi, ut prædictum est, non est in specie visibili, sed in virtute spiritali, nec inquinari potest fæce corporea, quod et animarum et corporum vitia mundare consuevit.

10. Obsecro, Patres beatissimi, ut reminiscantur piissima corda vestra, et cum omni timore ac tremore cogitent, quanta exstiterit in antiquis Patribus cautela fidei et cura veritatis, et quanto zelo perfidiæ semina et impietatis scandala exstirpaverint, quatenus Ecclesia Christi sponsa, Agni sponsi ac Domini sui sanguine redempta et ornata, sine macula inveniretur et ruga. Taceo Sabellium et Arium, qui in summæ atque individuæ, et coæternæ Trinitatis fide peccaverunt ; prætermitto Nestorium, et Eutychen, quos in fide incarnationis Unigeniti impia sensisse vulgatum est. Nec illos contingo qui, licet eamdem fidem Trinitatis tenentes, schismate obstinationis spiritu ab Ecclesia recesserunt. Ad eos venio quos, in cultu et celebratione sacrorum sanctorum seu in superstitiosis quibusdam observantiis evanescentes, antiqua sinceritas foras misit. Sunt Cataphryges funesta, et Manichæi spurca celebrantes mysteria jure damnati ; habeantur etiam Adamitæ ob impudentiam jure ab Ecclesia pulsi. Nudi enim viri, et feminæ ad imitationem Adæ mysteria exercebant, Ecclesiamque suam paradisum vocabant, et tamen a superstitiosi cultus observantia quantum differt superstitio nuditatis. Artonitæ, qui græco eloquio ex pane nuncupantur et caseo, merito judicentur extranei, quoniam pro pane et vino evangelico in mysteriis suis, velut Cain et Abel imitatores, panem et caseum offerebant. Aquarii quoque similiter, utpote aquam solam contra præceptum Evangelicum offerebant, et tamen pie considerandum quod et hi et illi ob hoc solummodo abjecti sunt, quia in mysterio sacrificii, contra evangelicum et apostolicum constitutum, vel mutare quidpiam, vel addere aut subtrahere præsumpserunt. Hæc igitur in sacris rite improbata jure videntur esse punita, utpote quibus tantum mysterium impie violatur. Oro, quid commeruerunt Euchitæ, græco vocabulo ab orando nuncupati? quid Dactylici a digito, quid Ascitæ ab utre vocitati deliquerunt, ut Ecclesia excluderetur? Bona est oratio, et tamen primi ob nimium orationis excessum repulsi : bonum est et silentium ; sed ob nimiam silendi superstitionem, ita ut digitum labiis opponerent,

secundi abjecti sunt. Jam vero Ascitæ quid agebant? quam leve nunc, quam non curandum, quam etiam ludicrum putaretur? utrem inflatum, et opertum ebrii circumvenientes (*al.*, circumeuntes), se utres novos evangelico vino repletos dicebant. Cavendum ergo, Patres Beatissimi, et paterna vigilantia providendum, ne forte et nunc hostis antiquus, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, qui magnum de modico sæpe malum excitat, et de scintillis conflat incendia nova, per has novas phantasias in simplicium et ignorantium cordibus errorum semina nutriat. Curandum etiam ne per earum imperitissimum actorem divina volumina violentur: confert enim ea assidue cum Hebræis, et, quia nullam linguæ eorum, nullam litterarum familiaritatem habet, frequenter, ut audio, quæ sunt recta pervertit. Nam et in hac parte tantam Patres adhibuere cautelam, ut Evangelia quæ beatus Hieronymus ab Esitio, sive Luciano falsata esse commemorat, inter libros non recipiendos abjecerint. Quanto etenim magis istius emendatio debet esse suspecta, qui in tantis, ut res ipsæ demonstrant, præceptum calcat Scripturæ dicentis : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28).

11. Hæc sunt, o sanctissimi Patres, quæ pro timore Dei, pro honore fidei, pro amore vestro, imo totius Ecclesiæ, mansuetudini vestræ credidi intimanda. Nunc precor indignus, et obsecro per Dominum nostrum Jesum Christum, qui dilexit Ecclesiam suam, et seipsum credidit (*al.*, tradidit) pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, ut inflammemini veritatis zelo, et una cum sancto concilio expugnetis errorem insulsissimum, neque de hac solum nostra, quæ prædæ et direptioni et conculcationi patet, sed et ex aliis Christi Ecclesiis hujus superstitionis pestilentiam exterminetis. Credite enim, domini, omni mihi veneratione dignissimi, quia nihil ita hæc misera et miserabilis plangit Ecclesia sicut veritatis, quam non audit, dispendium, et multiplicium errorum, quos tolerare compellitur, incrementum. Videtis, sanctissimi, pro qua et adversus quem supplicem : pro Ecclesia videlicet Christi, cui fidem et charitatem usque ad mortem debeo ; adversus fabricatorem mendacii, et cultorem perversorum dogmatum, qui temporibus prudentissimorum antistitum, temporibus religiosissimi principis, contra veritatem Scripturarum, contra auctoritatem ecclesiasticorum patrum, contra omnem rationis ordinem, Ecclesiæ Dei vivi, qui est columna et firmamentum veritatis, ausu temerario atque sacrilego, tanta errorum et superstitionum scandala inferre conatus est : quæ procul dubio habent initium truncum, et medium putridum, et finem ruinosum. Nam aut humiliter confitebitur errorem, ut possit dignam præbere satisfactionem ; aut, si insaniarum suarum commenta pertinaciter atque impudenter asserere maluerit (quod ei non expedit, nec optamus), habet præcedentium in talibus rebus, ut supra ostendimus, exempla, quorum exitus pertimescat.

EXPLICIT.

II

In nomine Domini Jesu Christi, incipit opusculum de causa fidei, apud Carisiacense episcoporum concilium nuper habita.

1. Res nuperrime apud Carisiacum palatium, in generali et valde celebri episcoporum concilio, super quibusdam causis fidei et observationibus ecclesiasticis acta est, adeo memorabilis et salubris, ut, licet in omnium fere notitiam propalata sit, dignissima tamen existat quæ ad utilitatem et ædificationem fidelium litteris mandari, et cunctorum sensibus solertissime debeat commendari.

2. Cum enim in sacrosancto sacerdotali conventu inspirante Domino, qui in nomine suo congregatis medium se affuturum promisit, clarus fidei ac veritatis fulgor aperitur, non oportet divinum munus obtegi, sed, ad illluminationem Ecclesiæ et laudem nominis Dei, aperta luce omnibus declarari, ipso Domino dicente : *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in cælis* (*Matth.* v, 15.) Hac igitur intentione, ut Deus inspicit, præfatam rem laudabiliter atque utiliter gestam, tenui licet eloquio, brevissime, quantum potero, cæteris (*al.*, litteris) tradere et piorum auribus, Christo Domino auxiliante, inculcare curabo. Quod præcipue nobis, id est universo clero Ecclesiæ Lugdunensis necessarium duxi, ut quorum fides hactenus infausti et fantastici erroris fabulis improbe afflicta est, nunc paterno adjuta ac roborata suffragio, et evasisse se gaudeat et vicisse.

3. Auctor hujus inauditi exsecrandique erroris Amalarius omnibus notus est. Hic in tantum præsumptionis erupit, ut, spreta Scripturarum veritate, calcata sanctorum Patrum auctoritate, doctrina damnabili sinceritatem fidei catholicæ violaverit, et simplicem ecclesiasticæ observationis cultum fallaciarum nebulis involvere ac decolorare ausus sit. Quam vanitatum suarum pestiferam vanitatem, non tam viva quam mortua voce, sed et librorum multiplicium monumentis longo jam tempore, ubi poterat, velut sator nocturnus tritico agri Domini zizania interserens, longe lateque disseminavit, Scripturarum testimoniis abutens ad aniles ineptias suas, et orthodoxorum Patrum sententias coaptans fabulis suis.

4. Sensit, imo ingemuit hoc malum præsens Ecclesia, cum in celeberrimo presbyterorum conventu, præsentibus chorepiscopis et archidiaconibus, præsentibus etiam nonnullis aliis ex clero, tam inepta et fidei contraris docere præsumpsit, ut omnium horreret auditus ; cum postmodum etiam detestan-

dum opusculorum suorum codicem omni parochiæ nostræ velut legendum transcribendumque ingessit; sed et ante paucos dies cum alium librum suum huc detulit dementissimus, adinventionum suarum phantasmatibus plenum. Quæ omnia, magis odio et oblivione quam relatu digna, libenter nunc silentio præterirem, nisi hæc vel tenui commemoratione præstringere, rei gestæ quam explicandam suscepi ordo et causa deposceret. Neque enim finis quæstionis potest rite agnosci, nisi ante initium sollicitius prænoscatur.

5. Asserit itaque doctor præfatus, inter alia, corpus Christi triforme et tripartitum esse, imo tria esse Christi corpora. Corpus Christi quod in sacramento a fidelibus sumitur, vel in cœlum invisibiliter recipi, vel in corporibus sumentium manere usque in diem sepulturæ, vel ex incisione venarum cum sanguine fluere, vel in secessum labi opinatur. Diaconos, altari cum assistunt inclines, asserit significare apostolos in passione Domini metuentes atque latitantes; subdiaconos, mulieres cruci intrepide assistentes; presbyterum, Joseph ab Arimathia; archidiaconum, Nicodemum; calicem, sepulcrum; oblationem Dominici corporis dicit crucifixionem; lignum ipsum designare dicit doctores; lignum unde pendet, crucem; funem quo attrahitur, fidem; tintinnabulum quo resonat, linguam; manum trahentis cum levatur, vitam contemplativam; cum deponitur, activam. Exorcismos catechumenorum, ad spiritalem emundationis affectum simpliciter depromendos, ad quinque sensus corporeos nimia carnalitate convertit.

6. Hisdem ipsis, sicut aures et nares, ita et oculos tangendos melius indicat. Antiphonarium Joannis Apocalypsi comparat. Atque has omnes et innumerabiles alias nænias per sanctum dicit Spiritum revelari, sibi usurpans testimonium Petri apostoli dicentis: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (*II Petr.* I, 21). Ex quo manifeste et se prophetam, et doctrinam vanissimam et risu dignam, heu! miserabiliter deceptus, vult credi prophetiam. Verum, ut quod cœptum est breviter explicetur, ubi doctrinæ hujusmodi contagium ad subversionem simplicium in hac Ecclesia disseminari cœpit, pastor de commissi gregis salute sollicitus, cum multi mœroris amaritudine religioso principi causam innotuit, conquerens ac deplorans magnum Ecclesiæ vulnus, et exsecrandam fidei maculam, sub istiusmodi novitatum præsumptione nutriti, nisi velocius Deo debita ejus providentia subveniret. Pii principis cura ardenter ac laudabiliter in Dei rebus sollicita, cum ob pleraque Ecclesiæ negotia in prædictum palatii locum reverendos Patres episcopos convenire jussisset, causam ad cognitionem atque examen concilii eorum proferri fecit, cumque in eorum auribus, tam inepta et profana novarum adinventionum commenta recitarentur, ipso quoque qui ea de cordis sui audacissima vanitate protulerat præsente; et res blasphemas religiosus horreret auditus; exigunt ab eo, si vere sua esset doctrina. Negare non potuit, utpote quæ in libris quamplurimis ab ipso editis fere ubique vulgata sit. Interrogant ubi hæc legerit. Tunc ille, maximo constrictus articulo, rem quæ neque de Scripturis sumpta est, neque de catholicorum Patrum dogmatibus tracta, sed nec ab ipsis etiam hæreticis præsumpta (quia aliud quod diceret penitus non habebat) in suo spiritu se legisse respondit. Sed mox tam superbam et fatuam responsionem veneranda synodus exsecrans, dixit: « Vere ille fuit spiritus erroris. Meminerant enim beatum dixisse Apostolum: *Novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium* (*I Tim.* IV, 1). De qualibus et Ezechiel dicit: *Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* (*Ezech.* XIII, 3.) Et iterum: *Videntes vana et divinantes mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus, cum Dominus non sit locutus* (*Ezech.* XXII, 28). Unde et istiusmodi præsumptores Deus per eumdem prophetam suo deceptos esse judicio testatur, dicens: *Et propheta cum erraverit a me, et locutus fuerit verbum in nomine meo quod non præcepi ei, ego Dominus decepi prophetam illum* (*Ezech.* XIV, 9). Quos omnes Spiritu Dei vacuos, et spiritu proprio inflatos, alienandos penitus a sanctorum cœtu terribiliter denuntians in concilio, ait: *Populi mei non erunt, et in Scripturas domus Israel non scribentur, nec terram Israel ingredientur* (*Ezech.* II, 10); cumque, illo reticente ac de mendaciorum suorum deprehensis fallaciis confuso, veneranda synodus plurima loqueretur, deliberatum est doctrinam hanc esse omnino damnabilem, et ab omnibus catholicæ fidei cultoribus funditus respuendam, præcipiente nobis Apostolo, ac dicente: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (*Hebr.* XIII, 9). Diversam esse istam doctrinam a sinceritate veræ fidei, et omnino ab Ecclesia peregrinam, quippe quam nemo orthodoxorum Patrum novit, nulla veritatis ratio fulcit, sed novitius atque adventitius error induxit; umbras et figuras in cæremoniis Testamenti Veteris exstitisse; novum adventum Christi veritate fulgere, et fidei puritate atque observantiæ simplicitate consistere, testante Apostolo: *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova. Omnia autem ex Domino, qui reconciliavit nos sibi per Christum* (*II Cor.* V, 18). Omnia igitur, id est et vetera et nova, et typum legis et Evangelii veritatem, unius et solius Dei, non cujusquam hominis aut angeli, auctoritate constare. Unde nemini omnino, post utriusque Testamenti ministros divino spiritu illustratos, divina auctoritate subnixos, in quibus et per quos ea quæ diversis temporibus ad salutem populi sui congrua judicavit, evidenter Deus et operatus est et locutus, licuisse aut licere nova figurarum genera vel mysteriorum sacramenta sancire, et ideo rationabile obsequium Ecclesiæ sive in ornatu vestium, sive in multiplici vasorum ministerio, in

simplicitate veritatis et fidei puritate, procul omni superstitionis phantasmate, remota omni nebulosi dogmatis vanitate, pure Deo et simpliciter exhibendum esse ; in his honorem religionis, reverentiam divini cultus, lætitiam Christianæ devotionis, non figuras aliquas vel mysteria vanitatis. Jam vero illud quod corpus Christi triforme et tripartitum dicere, imo tria Christi corpora inauditæ temeritatis audacia asserere præsumpsit, in tantum sacerdotes Domini exsecrati sunt, ut hoc, sicut supra ostensum est, de spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum sumptum dicere minime dubitarint, tanquam cum angelo Domini detestantes Satan, qui dextris Jesu magni et veri sacerdotis adversari conatur, et exsufflantes dicerent : *Increpet Dominus in te, Satan, et increpet in te qui elegit Jerusalem* (*Zach.* III, 2).

7. Corpus autem Domini, quod in mysterio a fidelibus sumitur, absit ut tam sordida vel superstitiosa mente quis appetat, ut aliquid horum quæ immundissime auctor doctrinæ confinxit, in suo animo et cogitationibus versari permittat ! Quapropter cum omni desiderio et supplicatione pietatis divinam misericordiam implorandum, ut non solum ab auribus, verum etiam a cordibus nostris, talium phantasmatum ac sordium labe remota... sempiternum munditiæ suæ, mentes nostras emundet, quatenus tam divinum gloriosumque mysterium puro sensu cogitantes, pura pietate sumentes, incorruptæ purificationis gratiam consequamur. Cum enim Dominus dicat : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* xv, 1) ; et : *Pater meus dat vobis panem de cælo verum* (*Joan.* VI, 32) ; et : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Ibid.*, 56) ; et : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (*Ibid.*, 58) ; sicut nihil vitæ æternæ cibo nisi vera animæ refectio appetenda est, ita nihil penitus cogitandum, nisi quod spiritale et immortale est. Quid autem mirum si, fidei gratia et virtute divina, talis cibus sic sumitur ut absorbeatur quod mortale est a vita ? *Hic est*, ait Dominus, *panis de cælo descendens ; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* (*Ibid.*, 50). Sed quid pertinet ad virtutem sacramenti, quod pertinet ad visibile sacramentum ? Qui manducat intus, non foris ; qui manducat in corde, non qui premit dente. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum ; qui credit, manducat ; invisibiliter saginatur, quia et invisibiliter renascitur. Sacramenta sunt ista ; ideo autem dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem ; quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Manet igitur in mente fidelium incorrupta venerabilis mysterii virtus, et efficacissima potentia, purgans delicta, emundans conscientias, perficiens gratiam redemptionis et salutis. Unde ait beatissimus Joannes : *Et sanguis Filii ejus Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (*I Joan.* I, 7). Vas quoque electionis Paulus : *Quanto magis*, inquit, *sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX, 14). Sed et princeps apostolorum Petrus : *Scientes*, ait, *quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine tanquam Agni incontaminati et inviolati Christi* (*I Petr.* I, 18). Non ergo corruptibili redempti sumus. Hoc fidelis sumit ad vitam, indignus ad pœnam ; hoc pretium redemptionis et viaticum salutis unusquisque fidelium sub hora mortis fideli pietate exposcit. Hoc se peccatorum veniam adepturum, a malignorum spirituum incursu in ipsa morte tuendum, ad paradisi amœna præsumit admittendum. Cumque pulvis revertitur in terram suam unde erat, spiritus tamen, hujus muneris solatio fretus, hujus gratiæ præsidio munitus, redit ad Dominum qui dedit illum, nec in depositione corruptibilis corporis sui amittens incorruptibilem gratiam corporis Christi. Hæc, prout Deo annuente potui, de concilio venerabilium episcoporum, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, et confirmationem catholicæ fidei nuper habito, brevi paginula annotare curavi, verba eorum et sensus quibus valui verbis, et Scripturarum testimoniis explicans, et excogitati nuper et exsecrandi erroris confutationem. In omnium qui hæc legere vel audire voluerint notitiam perferens, ut, repudiata atque damnata profani dogmatis fabulosissima vanitate et vanissima fabulositate, procul abjectis et libris et verbis mendacissimis vaniloqui doctoris, de purissimo Scripturarum fonte, de sincerissima Patrum doctrina, de venerabilis concilii auctoritate, fidei et scientiæ hauriamus fluenta, servantes sollicite semel traditum nobis fidei thesaurum, et fugientes oppositiones scientiæ falsi nominis, et profanas vocum novitates, de quibus Apostolus fideli discipulo ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (*I Tim.* VI, 20), cum ergo istiusmodi pseudoscientia et profana vocum novitas fidei excidium et naufragium faciat, velut scyllam quamdam et charybdim eam vitemus, metuamusque intima cordis formidine, ne forte jam in illo tempore esse cœperimus de quo idem terribili denuntiatione clamat Apostolus : *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt ; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* III, 4), statimque subjungit : *Tu vero vigila*, videlicet ne, dormientibus patrisfamiliæ servis, inimicus homo superseminet zizania in medio tritici. Audiamus eumdem Apostolum alteri charissimo discipulo dicentem : *Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita ; sunt enim inutiles et vanæ* (*Tit.* III, 9). Et protinus adjungit : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita ; sciens quia subversus est ejusmodi, et peccat proprio judicio condemnatus* (*Ibid.*, 10, 11). Sed et alio loco dicit : *Si*

quis autem docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi,et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens sed languens (*I Tim.* VI, 3, 4). Circa quæstiones et pugnas verborum nonne videtur Apostolus in his verbis velut digito monstrare præfatum nostri temporis vaniloquum præsumptorem,qui spernens sanos sermones Domini Jesu Christi,conculcans doctrinam pietatis,totus circa novas quæstiones et inutiles adinventiones languidus et inquietus oberrat? Dominus enim noster Jesus Christus,qui est verus et Veritas,verissimum corporis et sanguinis sui mysterium in Evangelio exponere dignatus ait : *Amen,amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivit propter me* (*Joan.* VI, 54, 56, 57).Panis enim Dei est qui descendit de cœlo,et dat vitam mundo; *et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*Ecce sanos sermones Domini nostri Jesu Christi, ecce doctrinam pietatis. Ecce verba vitæ æternæ, de quibus ipse ait : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Ibid.*, 64). Et Petrus ad illum : *Domine*, inquit, *verba vitæ æternæ habes* (*Ibid.*, 69). Audiamus ergo verba vitæ ex ore vitæ. Carnem suam dicit a fidelibus manducari,et sanguinem suum potari; vere illum cibum carnem suam esse, vere illum potum sanguinem suum existere confirmat; seipsum asserit a fidelibus suis comedi, et sine hoc cibo neminem vere per hunc mundum vivere testatur; hunc esse panem de cœlo descendentem,id est carnem quam ipse tradit pro mundi vita.Hic panis cœlestis,quia cœleste,imo super cœleste Verbum, nostri quidem generis, sed cœlestis originis,caro factum est,et habitavit in nobis,neque carnem illam Dei genitrix ex voluntate viri, sed ex superventu Spiritus sancti et obumbratione concepit virtutis Altissimi. Ideo et de hoc pane olim fuerat prophetatum : *Panem cœli dedit eis,panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 25). Verbum enim Dei manens in cœlestibus supernis panis angelorum caro factum est,ut panem angelorum manducaret homo.Quomodo igitur iste profanæ novitatis præsumptor,et quantum in se est,tantæ pietatis violator, per quam in Christo fideles, et in suis fidelibus Christus manens,caput corporis Ecclesiæ existit? Quomodo,inquam,unum cœlestem panem in tria dividit? aliud illic asserens esse Christum,aliud viventes fideles,aliud jam defunctos.Et Christum quidem calicis particula contineri,viventes in patenæ fragmentis,defunctos autem in tertia quadam altaris particula censeri.Ita errore sacrilego implicatur ubi Dominus Jesus Christus asserit semetipsum a fidelibus manducari, et vere carnem suam esse cibum,vere sanguinem suum potum,iste contendit vivos comedi,et defunctos. Arguit,ipso in

A se loquente, Apostolus hunc errorem : *Calix*, inquiens, *benedictionis cui benedicimus,nonne communicatio sanguinis Christi? et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* (*I Cor.* x, 16.) Iste autem e contrario in presbyterorum concilio docet : Sanguis ille anima Christi est. Quid hac novitate profanius? Apostolus omni divisionis suspicione sublata,clamat assidue : *Multi unum corpus sumus in Christo* (*Rom.* x. 5). Et iterum : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus,sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (*Ephes.* IV, 4). E rursus, caput et corpus Christum et Ecclesiam unum Christum esse contestans, dicit : *Sicut enim corpus unum est, et membra multa, omnia autem membra corporis cum* B *sint multa; unum corpus sunt.Ita et Christus* (*I Cor.* XII, 12). Unde et Corinthios male divisos, et texturam Dominici corporis schismatibus disrumpentes objurgans clamat : *Divisus est Christus?* (*I Cor.* I,13.) Hanc quoque unitatem in sacrificio sacro sancto mysterio asserens designari. *Unus panis*, inquit, *unum corpus*; *multi sumus, omnesque de uno pane participamus* (*I Cor.* x, 17).Ita igitur omnes tam antiqui quam moderni,tam viventes quam dormientes, in Christo unus panis sumus,Christo incorporati et uniti,ut tamen omnes ad vitæ et salutis gratiam capiendam de uno participemur : illo videlicet qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo. Sic omnes sancti sunt lapides vivi, sed per eum vivificati; de quo illis per Petrum apostolum dicitur : *Ad quem accedentes lapidem vivum,et ipsi tanquam lapides vivi* C *superædificami* (*I Petr.* II, 4). Sic omnes efficiuntur lux, dicente Domino : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14,) sed ex illo illuminati de quo Evangelista ait : *Ecce lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Sic ergo et unus panis existunt,sed illius participatione vitalem substantiam trahentes; qui dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41).Participantur quidem et communicant sibi invicem omnes fideles per societatem et communicationem spiritus,per unitatem fidei,spei et charitatis, dicente Apostolo : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis* (*II Cor.* XIII, 13). Omnis tamen hæc participatio et communicatio,quæ illis non utique de invicem sed D ad invicem existat, ad illum tendit et ex illo solo vegetetur qui est fons vitæ, de quo beatus Joannes dicit : *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum, et communio nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo* (*I Joan.* I, 3). Christus enim Jesus caput et vertex Ecclesiæ,et idcirco ad vitæ æternæ commercium illi connectitur et cohæret, et in illum tota concurrrit Ecclesia,ut fonte capitis totum corpus irrigetur et vivat, dicente Apostolo : *Veritatem autem facientes in charitate,crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis,*

secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate (*Eph*. IX, 15, 16). Et iterum : *Nemo vos seducat Eph.* V, 6), volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus per connexum et conjunctionem subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei. Hanc unitatem ineffabilem Ecclesiæ, id est corporis sui, ipse Dominus Jesus quem omnium caput significabat dicens : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor Joan.* X, 16). Pro hac adunatione et unitate corporis sui suscepit mortem, testante Evangelista. Quia Jesu moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios qui erant dispersi congregaret in unum, pro hac Deum Patrem, in qua nocte tradebatur, exorare dignatus est, dicens : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (*Joan*. XVII, 11). Et post pauca : *Non pro his autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan*. XX, 21) ; et : *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut nos unum sumus, ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum* (*Joan*. XXII, 23). Hæc est ineffabiliter mirabilis unitas Domini Jesu, et corporis ejus, quam nemini licitum est violare aut dividere, præcipiente lege de agno paschali : *Os non comminuetis ex eo* (*Joan*. XIX, 36). Vere enim, quantum in se est, os Agni nostri comminuit qui virtutem et robur tantæ compaginis infringit. Hujus unitatis mysterium, jam olim in Adam et Eva præfiguratum, et in novissimis temporibus in Christo, et in Ecclesiam revelatum Adam prophetavit; Apostolus exposuit, dicens : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Ephes*. V, 31). Sacramentum, inquit, hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia, quod ipse Dominus Jesus in Evangelio memorans adjunxit, dicens : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus junxit, homo non separet* (*Matth*. XIX, 6). Volumus scire quanta vigilantia cavendus sit, quantumque nefas præsumat, qui hanc unitatem violare ac dissolvere conatur? Audiamus beatum Joannem apostolum dicentem : *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus* (*I Joan*. IV, 1). Audiat ergo hoc etiam iste, qui ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, et non spiritum Dei sequens, sed spiritum suum, Jesum, quantum in se est, solvit ac dissipat, dividens eum in tres partes, in tres formas et in tria corpora. Audiat, inquam, et æterno silentio conticescat : *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus*. Audiamus et apostolum Paulum, nos in semel tradita fidei veritate solidantem atque dicentem : *Si quis vobis evangelizaverit præter quam quod accepistis, anathema sit* (*Gal*. I, 9).

8. Ignoscat mihi indigno, o Domini venerabiles, vestra dilectio, quia hæc non superbiæ fastu, nec malitiæ alicujus instinctu, sed amore Ecclesiæ hujus dominæ et nutricis meæ loquor, cui non solum, prout Deus inspirare dignatur, exhortationis verbum, sed et omne debeo charitatis et pietatis obsequium ; præsertim hoc tempore quo tam lacrymabili calamitate, peccatis nostris exigentibus, afflicta est, ut habeat episcopum sine potestate, magistrum sine veritate. Nunc ad finem sermonis commodum duxi paucas ecclesiasticorum Patrum sententias ponere, quibus adversus omnia fallaciarum commenta, quæ huic Ecclesiæ ineptus fabulator conatur ingerere, velut turribus et propugnaculis muniamur, fiatque in nobis, divina favente gratia, quod Apostolus optat et obsecrat dicens : *Obsecro autem vos, fratres, ut et idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (*I Cor*. I, 10) ; et iterum : *Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate radicati, et superædificati in ipso, et confirmati fide* (*I Col*. II 7). Itaque alio loco : *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera et miserationes, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam* (*Phil*. II, 1, 2, 3) ; et alibi : *Et si quid*, ait, *aliter sapitis, et hoc vobis revelavit Deus* (*Phil*. III, 15). Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. Panem qui in mysterio sumitur, corpus et carnem Christi esse, imo ipsum esse Christum et Dominum, ex libro sancti Cypriani de oratione Dominica, panem nostrum quotidianum [invenimus.]

9. Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est, sed Dominus noster est ; et quemodo dicimus Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est ; sic et panem nostrum vocamus, quia Christus eorum, qui corpus eorum contigimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis, quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam ejus quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et dicente : *Ego sum panis vitæ de cœlo descendi; si quis ederit de hoc pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita* (*Joan*. VI, 41). Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum sit eos vivere qui corpus ejus attingunt, ita contra timendum est et orandum ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, extraneus remaneat a salute, com-

minante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI,54),et ideo panem nostrum, id est Christum,dari nobis quotidie petimus,ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

Item ex tractatu psal. LXXX *S. Hieronymi.*

10. Vis accipere Domini cibos? vis comedere ipsum Dominum tuum et Salvatorem?Audi quid dicat: *Dilata os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX, 11). Dilatate ora vestra, ipse est et Dominus et panis. Ipse hortatur nos ut comedamus, et ipse noster cibus est ; quantumcunque dilataveris, tantum accipies.

Item ex homilia sancti Augustini.

11.In altaris mysterio Dominum sumi,nec aliqua posse divisione partiri, qualem vocem Domini audistis invitantis nos. Quis invitavit? quos invitavit? et quid præparavit? Invitavit Dominus servos, et præparavit eis cibum seipsum.Quis audeat manducare Dominum suum? et tamen ait : *Qui manducat me, vivit propter me* (*Joan.* VI, 57). Quando Christus manducatur,vita manducatur,nec occiditur ut manducetur,sed mortuos vivificat quando manducatur. Reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare panem istum, ne forte finiamus illum, et postea quem manducemus non inveniamus. Manducatur Christus ; vivit manducatus, quia resurrexit occisus ; nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit,et norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accepit partem suam;unde et ipsa gratia partes vocantur.Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo,manet integer totus in corde tuo;totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem. Implevit illam, nec recessit ab illo;veniebat in carnem,ut eum homines manducarent; et manebat integer apud Patrem, ut angelos pasceret.Quod enim scitis, et qui scitis et qui nescitis scire debetis.Quando Christus factus est homo, panem angelorum manducavit homo. Unde, quomodo,qua via,quibus meritis,qua dignitate panem angelorum manducaret homo,nisi creator angelorum fieret homo?

Item sancti Gregorii de eadem re, ex homilia Natalis Domini.

12. Qui ergo,æternus permanens, temporalis apparuit, alienum est ubi descendit;et, quia per prophetam dicitur : *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6), factus homo, fenum nostrum vertit in frumentum, qui de seipso ait : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII, 24). Unde et natus in præsepio reclinatus ponitur,ut fideles omnes,videlicet sancta animalia,carnis suæ frumento reficeret, ne ab internæ intelligentiæ pabulo jejuna remanerent.

Item ejusdem in alia homilia de eadem re.

13. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.Fecit quod monuit,ostendit quod jussit,bonus pastor pro ovibus animam suam posuit,ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suæ alimento satiaret.

Ejusdem de ea re ex Dialogorum libris.

14. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat,quæ illam nobis morte Unigeniti per mysterium reparat : qui licet surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominatur : tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur,ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium,sed in ora fidelium sumitur.

Mysterium vestis Christi, id est corporis ejus, scindi non oportere ; ex libro S. Cypriani de Ecclesiæ Unitate.

15. Dominus dicit : *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est : *Tres unum sunt* (*Joan.* V, 7) ; et quisquis credit hanc veritatem de divina firmitate venientem sacramentis cœlestibus hærentem,scindi in Ecclesia non posse hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis, ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi,quis Christum potius indueret,integra vestis accipitur, et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Loquitur ac dicit Scriptura : *De tunica autem, quia de superiori parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem : Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit* (*Joan.* XIX, 23). Unitatem ille portabat de superiore parte, id est de cœlo et Patre venientem,quæ ab accipiente scindi omnino non poterat, sed totam semel et solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit Ecclesiam Christi. Contra denique, cum Salomone moriente regnum ejus et populus scinderetur, Achias propheta Jeroboam regi obvius factus in campo in duodecim scissuras vestimentum suum discidit dicens: *Sume tibi decem scissuras, quia hæc dicit Dominus : Ecce scindo regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem sceptra, et duo sceptra erunt ei propter servum meum David, et propter Jerusalem civitatem quam elegi, ut ponam nomen meum illuc* (*III Reg.* XI, 31). Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit.At vero, quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohærens divisa a possidentibus non est;individua, copulata, contexta, ostendit populi nostri,qui Christum induimus,concordiam; cohærente sacramento vestis et signo, declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut au-

deat scribere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi?

16. Ille sacerdos vice Christi vere fungitur, quidquid Christus fecit imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre quomodo ipsum Christum videt obtulisse. Non est ergo quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem; quærendum est enim ipsi quem sint secuti : nam, in sacrificio quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus; utique id non obaudire et facere oportet quod Christus facit, et quod faciendum esse mandavit, quando ipse in Evangelio dicat : *Si feceritis quod mando vobis, jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* xv, 15). Et quod Christus debet solus audiri. Pater etiam de cœlis contestatur dicens : *Hic est filius meus dilectissimus in quo bene sensi, ipsum audite* (*Matth.* xvii, 5). Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum esse putaverit, sed quod, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei virtutem. Cum per Isaiam prophetam Deus loquatur, et dicat: *Sine causa autem colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes* (*Matth.* xv, 9). Et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetit dicens : *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* vii, 9). Sed et alio loco ponit et dicit : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum* (*Matth.* v, 19). Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis, et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliquid quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare? Tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio, societasque sanctorum, universale sacrificium offertur Deo per sacerdotem magnum : qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cum itaque nos hortatus esset Apostolus, *ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam* (*Rom.* xii, 1), intulit post aliquanta : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (*Ibid.* 4, 5); hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus in Christo, demonstratur quod in eadem re quam offert ipsa offeratur.

Ecclesiarum diversitates fidei unitate constare, ex libris sancti Cypriani de unitate fidei.

17. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci charitate fundatum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt numerositas [*al.*, universitas] licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non potest; a fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa, illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.

Non pro locis res, sed pro nobis rebus loca amanda, ex epistola S. Gregorii ad Augustinum episcopum Anglorum scripta.

18. Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritum. Sed mihi placet ut, sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite elige, et in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua quam de multis Ecclesiis colligere potuisti, infunde; non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

In vestibus et cultu ecclesiastico non superstitiosum mysterium præferri, ex epistola S. Celestini papæ ad episcopos Galliarum scripta.

19. Didicimus quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. *Et post pauca* : Amicti pallio et lumbos præcincti credunt se sanctæ Scripturæ fidem non per spiritum, sed per litteram completuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes una cum baculo in manibus teneantur? Habent suum mysterium, et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis quam decet significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur sic : *opera vestra luceant*, indicatur. Habent tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, et procul a cæteris degunt. Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vorsatur. Discernendi a plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim sunt potius quam ludendi, nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

Item S. Hieronymi de simplici ministrorum et sacerdotum ornatu, ex libris dialogorum Attici et Christoboli.

20. Adjungis gloriam vestium et ornamentorum Deo esse contrarium. Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si episcopi, si presbyteri, si diaconi et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerit? Cavete, clerici, cavete, monachi, viduæ et virgines, periclitamini nisi sordidas vos atque pannosas vulgus aspexerit. Taceo de hominibus sæculi, quibus aperte bellum indicitur, et inimicitiæ contra Deum, si pretiosis atque nitentibus utuntur exuviis. In sacerdotio Ecclesiæ non mysticum vestium ornatum, sed splendorem quærendum animarum, ipsa consecratio monstrat pontificis, ita se habens :« Deus qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret; et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda, poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus, Domine, gratiam largiaris ut, quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. »

Falsos codices, et a fidei sinceritate discordes, in nullo usu lectionis habendos : quin potius igni tradendos, ex epistola sancti Leonis papæ ad Turibium Asturicensem.

21. Curandum ergo est, et sacerdotali diligentiæ maxime providendum, ut falsi codices, et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ sunt, sed etiam penitus auferendæ atque ignibus concremandæ, quia, quamvis sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis.

22. Hæc, domini venerabiles, tam de Scripturis sacris, quam de Scripturarum sanctarum dictis, sedula intentione collegi, ac reverentiæ vestræ audienda seu et legenda proposui, quatenus, ea et hujusmodi meditantes, contra novellæ præsumptionis auctorem, qui, in similitudinem harioli et conjectoris æstimat quæ ignorat, fidei et veritatis firmitate munita dicamus cum Ecclesia : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine* (*Psal.* CXVIII,

A 85. Atque intelligamus quam verum sit quod Spiritus sanctus Salomonis ore præcecinit, dicens : *Multi sibi in novalibus patrum et aliis congregantur absque judicio* (*Prov.* XIII, 23), neque enim sic nostra calamitate et humilitate abuti debet, ut imitator insolentissimæ jactantiæ Naas regis filiorum Ammon, qui interpretatur *serpens*, dicere nobis, velut habitatoribns Jabes Galaad, oppugnator veritatis iste præsumat : *In hoc feriam vobiscum fœdus ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium Israel* (*I Reg.* XI, 2). Vere enim dextrum oculum conatur eruere, qui lumen rectæ fidei laborat exstinguere. Utilius illi a nobis optandum est, quod parabolice per Salomonem dicitur : *Oculum qui subsannat patrem, et despicit partum matris suæ, effodiant*
B *eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ* (*Prov.* XXX, 17). Vere etenim subsannat Patrem, qui Filii dividit unitatem, testante ipso : *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum* (*Joan.* V, 23), et prorsus despicit partum matris suæ Ecclesiæ, qui mysterium redemptionis, quo ex ejus utero ad vitam gignitur, puritate sincera venerari contemnit. Expedit nobis in talem oculum, qui ducatum promittit luminis, et e contrario tenebris caligat erroris, præceptum evangelicum : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te* (*Matth.* V, 29). Cupit nequam iste oculus hæreditatem patrum auferre : nititur vineam ipsorum in hortum olerum commutare, id est, fortia et fructuosa ac meracissima eorum dicta vilibus et cito arescentibus ac decidentibus fabulis enervare; sed
C filii martyris lapidati respondeant ei cum Naboth : *Propitius mihi sit Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum* (*III Reg.* XXI, 3). Si ob hujus responsionis honestam libertatem vel infamandi falsis testibus, vel etiam lapidibus obruendi essemus, habeamus Deum clementissimum consolatorem atque ultorem dicentem : *Si non pro sanguine Naboth et filiorum ejus quem vidi heri, dicit Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus.*

FINIT.

III

Epistola FLORI *Lugdunensis diaconi ad Theodonis villæ concilium adversus libros Amalarii.*

D Sancto et venerabili concilio, apud Theodonis villam habito.

Audite, Patres beatissimi et reverendissimi, a Deo convocati et in Deo uniti, propter Deum auxiliante ipso laborantes et laboraturi, atque in illo et cum illo post beatum laborem requieturi, audite ita ut audiat vos Deus, ac mementote Apostoli, rectores Ecclesiæ, exhortantis et dicentis : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX, 28). Sermo de fide agitur, et catholica veritate, quam prælatus ecclesiæ Lugdunensis depra-

vare et subvertere lingua et calamo non desistit, A errorisque ac mendaciorum suorum vos ipsos venerabiles Ecclesiæ Christi oculos intantum socios et complices esse confirmat, ut in publico Ecclesiæ nostræ conventu jactare ausus sit, ad hoc vos suis persuasionibus in generali synodo fuisse perductos, ut omnes manu propria suis ineptissimis libris subscribere, et sic unanimiter sentire atque observare velletis. Cui ego per majores natu respondi, non solum me de tantis viris id credere nullatenus posse; sed etiam mihi indigno, qui sum canis mortuus, et pulex exiguus, tres prius digitos quibus scribimus radicitus amputari vellem, quam errores hujusmodi manus propriæ subscriptione firmarem. Addidi etiam quod si libri illi in bono concilio fuerint discussi et dijudicati, erunt procul dubio anathematizati: B quos etiam chorepiscopo Ecclesiæ nostræ velut valde utiles omnibus jussit transcribere; quos cum ego ex parte aliqua relegissem, et mendaciis plenos deliramentisque vidissem, dehortatus sum ne hoc penitus fieret, librosque suo quantocius auctori restituendos admonui, metuens videlicet ne oves Christi, id est simplices quosque, ex eorum lectione quædam vanissima curiositatis scabies aspergeret, et ardentes papulæ diri erroris exurerent. Collegi autem ipse ac digessi in ordinem, propriisque sermonibus explicavi nonnulla quæ in generali presbyterorum concilio proposuit, disseruit, commendavit, ex quibus ejus vanitas contemptui, imo exsecrationi pateat. Sed ne quis me falsa putet asserere, veniat liber illius in medium, et fœditatem sui publice legentibus atque audientibus denudabit, ex quo et ista, quæ C sincerissimo examini vestro adjudicanda offero, verissime ab illo prolata probabitis, cum illic multa insaniora legeritis, testes sunt horum chorepiscopi, testes archidiaconi, testes omnes qui aderant presbyteri Lugdunenses, a quibus hæc continuo irrisa ac repudiata, imo plancta et plorata cognovi, cum, divinis assueti fluentis, de lacuna lutulenta bibere cogerentur, murmurantes in nequissimo pane doctrinæ, de quo Ecclesiasticus loquitur liber: *In nequissimo pane murmurabit civitas (Eccli.* XXXI, 29). Et testimonium nequitiæ illius verum est, nec vero ille divina docet, sed sua concinnat et fabricat, et juxta Salomonem, *in similitudinem harioli et conjectoris æstimat quod ignorat* (*Prov.* XXIII). Succurrite igitur, Patres piissimi, succurrite animabus nostris *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V, 6), et, juxta quemdam patrem antiquum, si quid in fide falsi admittitur, intrat putredo de veneno serpentis, nascuntur vermes corruptionis, et nihil integrum remanebit. Testis est mihi omnipotens Deus, quia hæc non impulsu iracundiæ tanquam læsus exaggero, quæ ab ipso statim exordio, dum adhuc se mihi utcunque blandulum exhiberet, dolere ac detestari cœpi, nec divinæ ordinationi seu imperiali piæ provisioni, quod ille forsan jactitat velut rebellis existens, cum id mea exiguitas nec cogitare unquam poterit, sed erroris odio, et amore veritatis, Ecclesiæ quoque matris meæ vulneribus condolens, cujus uberibus ab infantia alitus sum, in qua et administrationis locum, et doctrinæ ac prædicationis officium indignus exercui. Certe vitam ego egentissimus, vel etiam moriar, si placet: tantum pateat vulnus, putridum, pateat sanies putrida; et omnes qui hoc tabescunt contagio, vobis opitulante Christo medicantibus, gravi veterno depulso, optata gaudeant sanitate.

FLORI DIACONI MARTYROLOGIUM

(*Vide Martyrologium venerabilis Bedæ, hujusce Patrologiæ tom.* XCIV, *pag.* 798, *et ad annum* 876, *Usuardi Martyrologium, in quibus eduntur Flori* AUCTARIA).

FLORI [a] DIACONI

SERMO DE PRÆDESTINATIONE [b]

(Bibl. Patr. max.)

Omnipotens Deus, quia verissime verus et solus D Deus est, omnino in sua æterna et incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens: *Deus æterne, qui es absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII, 42). Præscivit ergo sine dubio et

(*a*) De Floro ejusque sermone hæc habet Hincmarus in libro de Prædestinatione cap. VI, pag. 27. « Hoc capitulum, sicut conferentes ex scripto Flori, Ecclesiæ Lugdunensis ministri, quod olim in Bonoilo a venerandæ memoriæ Heriboldo episcopo Antissiodorense accepimus, excerptum ex maxima parte invenimus. Quapropter utcunque a ratione non invenitur penitus alienum. De præscientia enim Dei catholicæ fidei adversa non loquitur, » etc.

Idem in Præfatione ejusdem operis. « In capite indiculorum sequentis operis sermonem Flori, quem

(*b*) Vide de hoc opere L. Cellotium S. I. P. in Historia Gotteschalci, libro I, cap. 26.

bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis ipse fecit sua gratia ut boni essent; in malis vero non ipse fecit ut essent mali, quod absit; sed tantum præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Unde Scriptura incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo: *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi.* Quod ergo impie agunt impii et iniqui, et spatium temporis vitæ hujus, quod eis Deus dedit ad bene agendum, ipsi e contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei, sed ipsorum est culpa, et ideo recte damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injuste constituit, et *qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 6), id est, et bene agentibus bona æterna, et male agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, et per gratiam suam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos, id est, et in præsenti sæculo bene victuros, et in futuro feliciter remunerandos, utrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Unde Apostolus: *Vasa misericordiæ* ejus appellat, dicens: *ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (*Rom.* IX, 23). E contrario autem, malos et præscivit per propriam malitiam malos futuros, et præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Juda proditore, *quod eum esset traditurus*, sicut Evangelium dicit, *cum esset unus ex duodecim* (*Joan.* VI, 72). Præsciebat etiam æternam ejus damnationem cum diceret: *Væ autem homini illi per quem Filius tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* (*Marc.* XIV, 21). Sic et de impiis Judæis præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in psalmo: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 22). Præsciebat et subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem psalmo subjunxit: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (*Ibid.*, 29). Sed in istis et in omnibus iniquis illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo et de prædestinatione Dei omnino sentiendum est, quia in bonis prædestinavit, et ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, et pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Unde ait Apostolus: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (*Ephes.* I, 5). Et in alio loco: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII, 29). Prædestinavit itaque electos suos, ut et nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, et in futuro efficiantur conformes imaginis Filii Dei, per eamdem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati et glorificati. Prædestinavit omnino ut et hic essent boni, non ex se, sed ex illo; et illic beati non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis et de eis futura præscivit et prædestinavit. In malis vero et impiis non prædestinavit omnipotens Deus malitiam et impietatem, id est ut mali et impii essent, et aliud esse non possent. Sed quos præscivit [*cod. Her.*, sed quia eos præscivit] et prædestinavit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio: non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimetipsis exstiterunt causa perditionis. Deus autem judex justus et ordinator justus ipsius damnationis: non enim prædestinavit injusta, sed justa; prædestinavit tamen et coronas justis et pœnas injustis, quia utrumque est justum. Quam justitiam ejus commendans nobis Apostolus, ait: *Nunquid iniquus Deus qui infert iram? Absit* (*Rom.* III, 5). Et quia modo omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam: et qui pereunt, suo contemptu et duritia pereunt; quia tantam bonitatem Dei contempserunt, iterum alio loco dicit: *An divitias bonitatis et patientiæ, et longanimitatis ejus contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam*

mutuante Heriboldo quondam Antissiodorensium venerabili episcopo in synodali conventu apud Bonoilum transcripsimus, et post reversionem de tumultu Brionensi, quodam offerente clerico, ex scrinio Ebonis, sicut ipse dixerat, venerabilis Gratianopolitani episcopi accepimus, integram hic ponere dignum duximus, quia et constructione et sensus veritate caute incedit, exceptis duobus locis, in quibus eum ita dixisse non credimus, sicut in eo scripto invenimus, quem de scrinio venerabilis Ebonis accepimus, cum in aliis sic catholice dixerit, sicut patebit legentibus: maxime quia in eodem scripto, quem per manus præfati Heriboldi sicut ad se a prædicto Floro transmissum accepimus, aliter invenerimus, quam in isto quem postea accepimus reperiamus. Qua de re immutatum ab aliquo suspicamur. Quæ loca antequam sermonem illum scribere adoriamur specialiter designare curabimus. Ubi enim dicit: *Sed quos præscivit, et prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio*; in illa rotula scriptum habetur quam de Heriboldo accepimus: *Sed quia eos præscivit et prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, prædestinavit ad æternam damnationem, qua ipsi punirentur justo judicio.* Et in eo loco ubi scriptum est: *Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit, ut impunitus non esset;* invenimus in rotula, quam a prædicto Heriboldo accepimus: *Sed vere prædestinavit pœnam, ut omnis malus impunitus non esset.* Quod in sequentibus ipse demonstrat dicens: *pœnam eorum et præscisse, quia Deus est, et prædestinasse, quia justus est.* Cætera catholici lectoris judicio derelinquimus. Sed idcirco hunc sermonem ex integro ponere necessarium duximus, quia ex eo confictor in proximo subsequentium capitulorum duo capitula de Præscientia et Prædestinatione confuso et præpostero ordine, ac sensu falsissimo, in secundo capitulo studuit compilare, sicut qui hunc et illa legerit aperte intelliget. »

et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 4-6). Hinc etiam alia Scriptura testatur dicens : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et æstimantes amicum defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius* (*Sap.* I, 13, 16). Non ergo omnipotens Deus ulli hominum causa mortis vel perditionis existit, sed ipsam mortem et perditionem manibus et verbis ipsi impii sibi accersunt, dum nequiter operando, et nequius aliis persuadendo, et sibi et illis damnationem adducunt : dum viam iniquitatis et perditionis amantes, a recto itinere deflectuntur, et ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiæ quasi ex voto et sponsione festinant, fœderati mortis et vitæ æternæ inimici, ipsi secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die justi judicii Dei, quia unusquisque secundum opera sua recipit, nemo ex Dei præjudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit ut impunitus non esset [*cod. Her.*, prædestinavit pœnam, ut omnis malus impunitus non esset] : quia et unaquæque lex juxta crimen non habet, ne sit injusta; et tamen criminosum punit, ut vere sit justa. Qui ergo dicit quod hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, et ideo aliter evenire non potest; similiter quoque et de justis, tanquam et ipsi ideo salventur quia prædestinati ad salutem, aliud esse non potuerunt; qui ergo hæc tam confuse et insulse dicit, et illis tollit meritum damnationis, et istis meritum salutis. Ac per hoc quid aliud agit, nisi ut et pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, et his qui salvantur sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi juste damnentur, quia justi esse non potuerunt, nec isti juste remunerentur, quia aliud quam justi esse nequiverunt : ut in utraque parte et perditio et salus non sit ex judicio propriæ actionis, sed ex præjudicio divinæ præordinationis. Et ubi erit illud : *Qui reddet unicuique secundum opera sua?* (*Rom.* II, 6.) Et iterum : *Nunquid iniquus Deus qui infert iram? Absit* (*Rom.* III, 5). Aperte namque causa perditionis illorum qui pereunt, in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinavit, ut aliud esse non possent : quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ catholicæ fides, cujus filii et sectatores esse debemus, ita nobis firmissime tenendum insinuat, ut superius juxta Scripturæ sanctæ auctoritatem breviter designavimus : videlicet, omnipotentem Deum in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est; pœnam vero eorum et præscisse quia Deus est, et prædestinasse quia justus est, ut et in illis sit meritum suæ damnationis, et in illo potestas et judicium juste damnantis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus

A est : præscivit vero multa quæ ipse facturus non est : sicut omnia mala : quæ mala utique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, et suo vitio *vasa iræ apta in interitum* (*Rom.* IX, 22) perseveraverunt, et in massa damnationis vel originali vel actuali merito permanserunt. In bonis autem omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum est, utrumque præscivit et prædestinavit, ut et in præsenti vita per suam gratiam existerent boni, et in futura etiam beati. Utriusque enim boni eorum, id est et præsentis et futuri, ipse est auctor et ipse largitor, et idcirco sine dubio utriusque præcognitor et prædestinator : quia et ipsi ex seipsis non solum aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt antequam per eum, qui justificat impium, ex impiis

B justi efficerentur. Sive autem in illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis quia per gratiam Domini Salvatoris est sanata, ut ex mala et prava fieret bona et recta, est procul dubio dignissime coronata : in istis autem, quia non acquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, justissime per eumdem judicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum quod de libero arbitrio juxta veritatem fidei catholicæ est tenendum, quod scilicet omnem hominem liberi arbitrii condiderit Deus. Sed quia *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12), ita istud liberum arbitrium in universo humano genere

C illius prævaricationis merito vitiatum et corruptum, ita obcæcatum est et infirmatum, ut sufficiat homini ad male agendum, id est ad ruinam iniquitatis, et ad hoc solum possit esse liberum : ad bene vero agendum, id est ad exercitium virtutis et fructum boni operis, nullo modo assurgat et convalescat, nisi per fidem unius Mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu et donum Spiritus sancti instauretur, illuminetur atque sanetur : sicut ipse Salvator in Evangelio promittit dicens : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Et Apostolus ait : *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17). Ut per hanc gratiam Christi et Spiritus Christi humanum liberum arbitrium liberatum, illuminatum atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ : *Do-*

D *minus illuminatio mea et salus : quem timebo?* (*Psal.* XXVI, 1.) Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad bene et pie vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroborandumque committat, de quo idem Psalmista dicit : *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet* (*Psal.* XXXVI, 23). Illum oret atque illi supplicet dicens : *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur me omnis injustitia* (*Ps.* CXVIII, 133). Et iterum : *Domine, deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua* (*Ps.* V, 9). Et cætera similia. Hæc vobis breviter rescripsi ad ea quæ jussistis. Nunc fideliter deprecor et ex-

hortor ut in simplicitate et sinceritate veræ fidei fundati, claudatis aures vestras adversus linguam nequam illius vanissimi et miserrimi hominis, qui cum sit paratus ad contentionem, et contumax adA versus veritatem, maluit se infelix, diabolico inflatus spiritu, a Christi Ecclesia et sacerdotibus separare, quam sua profana et inaniloquia deserere.

FLORI DIACONI

SUB NOMINE

ECCLESIÆ LUGDUNENSIS [a]

ADVERSUS

JOANNIS SCOTI ERIGENÆ ERRONEAS DEFINITIONES

LIBER [b]

Ex Bibliotæeca Patrum maxima.

In nomine Domini nostri Jesu Christi incipit libellus Flori *adversus cujusdam vanissimi hominis, qui cognominatur Joannes, ineptias et errores de prædestinatione et præscientia divina et de vera humani arbitrii libertate.*

PRÆFATIO.

Venerunt ad nos (id est, *ad Ecclesiam Lugdunensem* cujusdam vaniloqui et garruli hominis scripta, qui velut de præscientia et prædestinatione divina. B humanis et, ut ipse gloriatur, philosophicis argumentationibus disputans, nulla ratione reddita, nulla Scripturarum sive sanctorum Patrum auctoritate prælata, velut tenenda et sequenda sola sua præ-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Magna est inter theologos de sequentis libri vero auctore disceptatio, aliis Floro magistro seu diacono, aliis Remigio Lugdunensi archiepiscopo, aliis Ebboni Gratianopolitano episcopo illum tribuentibus; pro cujus solutione consule P. Ludovicum Cellotium, S. J. P., in Historia Gotteschalci, lib. II, cap. 24; libro III, c. 15, et lib. IV, cap. 14 et 15.

(*b*) Advertendum imprimis Ecclesiam Lugdunensem disputatione sua præcipue invehi in modum loquendi Joannis Erigenæ, qui Pelagianis favere maxime videbatur, ista ut indoctiores quilibet eo facile decipi et in hæresim labi possent. Quod isto in limine proponere operæ pretium duxi, ut videant nostri sæculi novatores quantum veteres non solum dogmatum, sed etiam nominum ipsorum novitatem horruerint, scientes quod olim scripsit Hieronymus apud magistrum in 4, dist. 13, in fine: « Ex verbis inordinate prolatis incurri hæresim; » itemque libro adversus errores Joannis Hierosolymitani, verborum ambiguitates non esse in Ecclesia admittendas. « Qui pure, inquit, credit, pure loquatur. »

Quis autem fuerit ille Erigena accipe ex Matthæo Westmonasteriensi, ad annum 883: « Eodem anno venit in Angliam magister Joannes, natione Scotus, vir perspicacis ingenii et facundiæ singularis. Hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas transiens, Carolum Calvum adiit, atque in magna ab eo dignatione susceptus, individuus comes ei fuerat mensæ et cubiculi. » Et post aliqua de illius ingenii felicitate recensita, subdit: « Rogatu ejusdem regis Hierarchiam Dionysii Aeropagitæ de Græco in Latinum transtulit, et alium librum edidit quem περὶ Φύσεος μερίσμου, id est de naturæ divisione, intitulavit, esse quem utilissimum ait ad varias quæstiones fere insolubiles enodandas. Si tamen ei in quibusdam ignoscatur in quibus a Latinorum tramite deviavit, cum in Græcos acriter oculos intendit: unde et hæreticus a quibusdam putatus est; scripsit enim contra eum Florus quidam (qualis ille fuerit ignoratur) qui et ejus scripta depravando damnavit. Sunt enim revera in prædicto libro perplarima quæ, nisi diligenter discutiantur, aliena a fide catholica judicantur. » Et statim subdit epistolam pontificis Romani Nicolai [*f.* Marini] ad Carolum Calvum: « Relatum est apostolatui nostro quod opus Dionysii Areopagitæ quod de divinis nominibus et de cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, natione Scotus, nuper transtulit in Latinum, quod juxta morem Ecclesiæ nobis mitti et nostro judicio debuit approbari, præsertim cum idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur olim, non C sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc infamiam idem Joannes Franciam relinquens venit in Angliam, ubi post aliquot annos a pueris quos docebat graphiis perforatus, animam exhalavit tormento gravi et acerbo. Jacuit autem aliquandiu in humili sepultura in beati Laurentii basilica: sed ubi divinitus cecidit super eam sepulturam radius ignis cœlestis, monachi de talibus animati revelationibus, in majorem transtulerunt ecclesiam, et ad sinistram altaris partem honorabiliter locaverunt. » Hæc Westmonasteriensis. His omnibus addit epitaphium Guillelmus Malmesburiensis (*lib.* II, *c.* 4), cujus versus scabri quidem et moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non adeo deformes.

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Joannes
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit sancti regnant per sæcula cuncti.

D Baronius ad annum 882 dicit a nullo causam prodicur ea passus sit, ut martyr dici possit. Genebrar-

sumptione definire ausus est. Quæ a fidelibus et in A doctrina sacra exercitatis lectoribus (eo quo sint vanissima, et contra fidem ac veritatem Dei plena mendacii et, erroris) Deo opitulante facillime judicantur et respuuntur, imo etiam contemptui et risui habentur. Sed quia a multis, ut audivimus, idem homo quasi scholasticus et eruditus admirationi habetur, et talia garriens sive scribens, alios ad hæsitationem deducit, alios, quasi magnum aliquid dicat, erroris sui sequaces efficit, omnes tamen auditores et admiratores suos inani verbositate et ventosa loquacitate perniciosissime occupat, ut non divinis Scripturis, non auctoritatibus paternis se humiliter submittant, sed ejus potius phantastica deliramenta sequantur: necessarium omnino duximus, *ut studio charitatis, et debito nostri loci atque ordinis, ejus* B *insolentiæ*, auctore Domino, responderemus: ut quicunque hæc cum Dei timore et cura salutis suæ [*al.*, sive] fideliter legere voluerint, agnoscant veraciter quantum necesse sit, in his maxime periculosissimis et extremis temporibus, inhærere firmiter Scripturæ sanctæ immobili veritati, obedire humiliter sanctorum orthodoxorum Patrum fundatissimæ auctoritati, claudere et obstruere auditum indisciplinatæ et vanissimæ verbositati: et illud Domini dictum tota intentione pertimescere, quod jam pene videmus impleri, quo ipse ait: *Putas filius hominis veniens inveniet fidem in terra?* (*Luc.* XVIII, 8). Et quod Apostolus in quo idem Dominus loquebatur, terribiliter denuntiat, dicens: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: et* C *a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* IV, 4, 5). Unde et alibi sub persona dilecti et electi discipuli omnem fidelem, et præcipue ordinem pastoralem, solertissime admonet, dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones* ψευδωνόμου γώσεως, id est, *falsi nominis scientiæ. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (*I Tim.* VI, 20, 21). Propositis igitur verbis quæ in decem et novem opusculi sui digessit capitulis, prout Dominus donare dignatur, non nostro sensu, sed sanctarum Scripturarum et beatissimorum catholicorum Patrum ita respondendum aggredimur.

CAPUT PRIMUM.

Primo namque capitulo istiusmodi proposuit definitiones.

1. *Quadruvio regularum totius philosophiæ quatuor omnem quæstionem solvi.*

2. *Unasque prædestinationes non esse* (*a*).

Cui fides Ecclesiæ e contrario respondet, veritatem æterni judicii et ordinationis Dei, quæ vocabulo prædestinationis exprimitur, non esse requirendam philosophis, sed ab apostolis et prophetis Dei: nec in mundanæ doctrinæ quadruviis, sed in una et vera via, quæ dicit de semetipsa: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6); ad quam nos B. Jeremias propheta hortatur et invitat, dicens: *State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris* (*Jer.* VI, 16;) et de qua Isaias propheta ipsi Ecclesiæ promittit, dicens: *Et erit ibi via, et via sancta vocabitur. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam: et hæc erit nobis directa via, ita ut stulti non errent per eam* (*Isa.* XXXV, 8). Quicunque ergo eligunt huic sæculo stulti esse propter Christum, et obedire student Apostolo dicenti: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18), teneant incessanter et indeclinabiliter hanc viam veram, viam bonam, viam directam, quæ ipse Dominus Christus est. Et fugiant humanæ sapientiæ astutiam et deceptionem, de qua idem Apostolus dicit: *Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum* (*Ibid.* 19); et iterum: *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII, 11). Et ideo per hujusmodi philosophiam et inanem fallaciam non est soluta de divina prædestinatione quæstio, sed potius confusa et involuta, et diversis mendaciis atque erroribus accumulata.

Prædestinationem autem æterni consilii et judicii Dei, sive in remuneratione justorum, sive in damnatione iniquorum, et propter unam ac simplicem scientiam divinam, in qua simul atque æternaliter de omnibus præordinatum et præfinitum est, unam veraciter dicimus: et propter duplicem ejus efficientiam, qua alii misericorditer liberantur, alii juste damnantur, duas dicere non timemus; fideliter cum Psalmista ipsi judici universorum dicentes: *Miseri-*

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

dus tamen in Liturgiam D. Dionysii Gallico idiomate, affirmat pueros propter Sacramentoriorum errorem in eum ita sæviisse. Quæ si vera sint, cum in martyribus magis causa quam pœna attendi debeat, in album martyrum non erit recensendus, maxime cum Lanfrancus, lib. de Veritate corporis et sanguinis Christi, eum inter Sacramentarios numeret, ejusque libellum de Sacramento altaris in concilio Vercellensi damnatum dicat. Lectoris prudentiæ omnia discutienda relinquimus: suspectum certe mihi est Genebrardi additamentum, nullo auctore et teste munitum.

Quod ad Scripturæ versionem qua Ecclesia Lugdunensis utitur, incertum est cujusnam sit; certum tamen est multum a Vulgata discrepare, cum nullum proferat testimonium quod ab ea non discrepet; D forte propriam sibi versionem fabricaverat illa Ecclesia, utpote viris apprime doctis refertissima, quia juxta Augustinum (lib. II *de Doctrina Christiana*, cap. 11, et Isidorus *Eccles. Offic.* lib. I, cap. 12) Græci traductores numerari possunt, Latini vero minime; ut enim cuique veniebat in manus Græcus codex, et aliquantulum sibimet facultatis utriusque linguæ habere visus est, ausus est etiam interpretari.

(*a*) Contra Scotum contendit præcipue Ecclesia Lugdunensis duas esse prædestinationes, unam bonorum, alteram vero malorum, dummodo hæc non sit causa malorum culpæ, sed tantum pœna aut præparatio malitiæ, sicuti illa bonorum est causa et præparatio gratiæ.

cordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* c, 1). Et eumdem judicem hujus prædestinationis mysterium apud Patrem æternaliter fuisse dispositum, et manifeste in aliorum obcæcatione et aliorum illuminatione mirabiliter expletum in Evangelio declarantem fideliter audientes, cum in Spiritu sancto exsultans ait: *Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (*Matth.* XI, 25, 27). Quid enim apertius in utramque partem dici potuit, quam cum per adventum suum et superbos dixit excæcatos et humiles illuminatos; hoc est enim: *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Et quid firmius ac fortius de utriusque rei justa et clementi prædestinatione, quam quod statim congratulans subjunxit dicens: *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Et quia Pater omne judicium dedit Filio: et ipse cum Patre in æterno consilio utriusque hæc omnia statuit et præfinivit, quæ in mundo suis temporibus discernit et judicat, continuo de se adjungit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Ibid.*, 27). Omnia scilicet et liberanda et damnanda, et juste excæcanda et misericorditer illuminanda, sicut alibi ipse dicit: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Hoc justum judicium Dei, sicut ipse Dominus et Salvator laudat, et cum gratiarum actione ad Patris gloriam refert, ita omnis Scriptura divina, et omnis sancta Ecclesia catholica in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, quæ Deo offerre consuevit, tanquam justum, et sanctum, et pium fideliter laudando et gratias agendo concelebrat, dicendo cum Psalmista: *Justus Dominus in omnibus viis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Ps.* XLIV, 17); et illud quod legislator in cantico Deuteronomii ait: *Date magnitudinem Deo nostro. Deus, vera opera ejus, et omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, in quo non est iniquitas; justus et sanctus Dominus* (*Deut.* II, 3, 4). Item in psalmo, cum et de electis liberandis, et de reprobis damnandis generaliter dictum esset: *Prope est Domnibus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos: Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet* (*Psal.* CXLIV, 18-20). Utriusque partis justum judicium copiosa et generali laudatione commendatur, cum statim subjungitur: *Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi* (*Ibid.*, 21). Sic et in alio psalmo, cum præmisisset Dei laudationem, mox utramque partem justum Dei judicium in ejus lau-

A dibus commemorans ait: *Lauda, anima mea, Dominum. Laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quandiu fuero* (*Psal.* CXLV, 1); et post pauca: *Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam partientibus, dat escam esurientibus*, etc., usque ubi ait: *Pupillum, et viduam suscipiet, et viam peccatorum disperdet* (*Ibid.*, 7-9). Unde in Apocalypsi post illud extremum judicium et remunerationis justorum et damnationis iniquorum, talis laus et gratiarum actio de utraque re a sanctis Deo offertur, dicente eodem libro: *Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine, Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui* [al., *quia*] *accepisti virtutem tuam*
B *magnam, et regnasti. Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari: reddere mercedem servis tuis prophetis et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis, et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram* (*Apoc.* XI, 16-18). Et multa hujusmodi, quæ in Scripturis sanctis multipliciter inveniuntur, ut nihil melius sit homini fideli quam justum Dei judicium in utraque parte agnoscere et laudare fideliter dicendo: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII, 137).

Hoc etiam sancti Patres et doctores Ecclesiæ sollicite admonent esse faciendum, sicut beatus papa Leo in quodam loco exhortatur dicens: [Nihil nobis debet de Dei judiciis displicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid est aliud quam ex quadam eum parte reprehendere?] Et beatus
C Augustinus, cum tractaret de verbis psalmi ad populum ubi scriptum est: *Sicut defecit fumus, deficiat; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* LXVII, 3): quis, inquit, gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis? Ac per hoc cum Scriptura dicit: *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei,* quis non contremiscat, quis non pavibundus exsiliat? Quid ergo faciemus, et quæ spes nobis est? neque enim hæc frustra cantantur. Aut vero cum hæc dicit Propheta, optat ea hominibus, ac non potius ventura prævidet! In verbis quidem figura optantis apparet, sed intelligitur præscientia nuntiantis. Sicut enim quædam in Scriptura prophetarum tanquam in præteritum facta nar-
D rantur cum futura prædicantur, ita quædam tanquam voto dicantur optantis: sed qui recte intelligunt quod audiunt, visionem prænuntiantis agnoscunt. (*a*) Sicut ergo in verbis præterit temporis futura facta significantur, sic in figura optantis prænuntiantis mens intelligenda est. Sic et de Juda Domini traditore, tanquam (*b*) optat ei Propheta quod ventu-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Multa hic deerant, quæ reposita sunt ex codice ms. Corbeiensi.

(*b*) Ad certitudinem prophetiæ futurum tanquam præteritum narratur, et ad tollendam mali animi suspicionem in ipsis prophetis, quæ futura ab iis prædicuntur et annuntiantur tanquam optata recensentur: non quod reipsa euiquam peccatum aut æternam damnationem optaverint, hoc enim cum charitate qua ipsi pollebant pugnat, sed tantum quod illud longe ante præmonstraverat, vel quod

rum esse prædixit. Et de ipsis Judæis : *Fiat*, inquit, A *mensa eorum in laqueum, et in venationem, et in scandalum* (*Psal.* LXVIII, 23); quod de eisdem prædictum esse sine dubitatione exponit Apostolus (*Rom.* XI, 9); sicut de Juda, quæ sub eadem figura prænuntiata sunt, apostolus Petrus commemorat. Nec sine causa et quæ futura sunt tanquam transacta dicuntur : Deo enim si certa sunt tanquam pro factis habeantur, et tanquam optans videtur dicere Propheta, quod certum prævidet esse venturum : nihil aliud, quantum mihi videtur, ostendens nisi nobis non debere displicere cognitam sententiam Dei, quam fixam immobilemque constituit. Et ideo in Actibus apostolorum cum quidam propheta, nomine Agabus, prædiceret apostolum Paulum in Hierosolyma a Judæis multa esse passurum, et usque ad vincula perventurum : B cum, hoc audito, fratres revocare eum et retinere vellent ne illuc pergeret : *Quid facitis*, inquit, *conturbantes cor meum? ego enim non solum alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* XXI, 10 *et seqq.*); atque ita, cum viderent fratres immobilem viri ad omnia perferenda constantiam, dixerunt : *Fiat voluntas Dei* (*Ibid.*, 14). Nunquid ergo quia dixerunt : *Fiat voluntas Dei*, optaverunt apostoli ut talia pateretur : ac non potius mentem suam sublimi et divino statuto devotissime subdiderunt? sic et Propheta cum dicit : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant, peccatores a facie Dei*, videt hoc certissime peccatoribus imminere ; et placet ei quod Deus statuit, ne Deo ipse displiceat.

Post hæc verba beatissimus doctor, ne tam fixa C et immobilis divini judicii prædestinatio alicui male agendi videretur necessitatem ponere, sed potius salubrem terrorem incuteret, ut qui audiunt, pœnitendo et corrigendo fugiant a ventura ira, ut ita possint evadere quod permanentibus in peccatis ex impietatibus suis certissimum est imminere, ita exhortatur dicens : [Quid ergo faciemus, fratres, nisi ut dum tempus est vitam mutemus, et facta nostra, si qua sunt, corrigamus, ut quod sine ulla dubitatione venturum est peccatoribus, non inveniat super quos veniat, non quia non erimus, sed ne tales inveniat qualibus venturum esse prædictum est.]

Ita fidelissimus doctor et immobilem veritatem divinæ prædestinationis etiam in peccatorum damnatione asseruit, et tamen si seipsos correxerint, atque D in melius mutaverint, evasuros supplicia sincerissime docuit. Quia divina illa prædestinatio in peccatoribus puniendis justum exercet judicium, nulli autem, si convertatur, aufert salutis remedium, quia vera et fidelis est ejus promissio, qua per prophetam non solum pollicetur, sed etiam jurat dicens : *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua et vivat* (*Ezech.* XXXIII).

CAPUT II.

Secundo capite octo nobis prædefinitiones proponit, ita dicens :

1. *Prædestinationem et præscientiam Dei ejus esse essentiam, sicut voluntatem, sapientiam et veritatem.*

2. *Et præscientiam et prædestinationem unum idemque esse.*

3. *Hominem ad Deum, quem libero arbitrio sine labore deseruerat, sine laboris studio et cooperantis gratiæ dono pervenire non posse.*

4. *Prædestinationem in Deo secundum substantiam esse : relative autem fieri non posse.*

5. *Sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes, cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel multiplicari impium est : ita prædestinationes duas asserentem reatu impietatis ligari.*

6. *Unamque esse divinam prædestinationem, sicut unam divinam operationem, sapientiam, voluntatem.*

7. *Et necessitate prædestinationis compelli, sicut nec voluntate.*

8. *Et quidquid de divina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.*

Ecce quanta proposuit, imo velut omnibus sequenda et nemini dijudicanda, absque ullo testimonio Scripturæ divinæ, absque ulla attestatione paternæ doctrinæ, tam multipliciter definivit. Sed nos, Domino adjuvante, vigilanter singula discutientes, quid de eis juxta fidei regulam sentiendum sit discernamus.

Dicit : *Prædestinationem et præscientiam Dei ejus esse essentiam, sicut voluntatem, sapientiam et veritatem.* Nos autem de voluntate quidem, quod essentialiter dicatur in Domino, quia in illa ejus summa et simplici essentia non est aliud velle et aliud esse, sed quod est esse, hoc velle ; et ideo sic est in illo voluntas, ut ipse sit voluntas sua, minime dubitamus. Similiter etiam de sapientia et veritate ; quia sic habet sapientiam, ut ipse sit sua sapientia ; sic habet veritatem, ut ipse sit veritas : nec est in illa simplici natura Deitatis aliud habere et aliud esse ; sed quod est ibi habere, hoc esse, et quod est esse, hoc habere. Proinde si dicamus, ut beatus *Augustinus* ait, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus ; horum omnium, quod novissimum positum est, id est spiritus, quasi tantummodo videtur significare substantiam : cætera vero, hujus substantiæ qualitates ; sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura : quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit autem ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem : sed utrumque secundum substantiam : sic cætera omnia quæ commemoravimus. Cum ergo hæc ita sint, et ista tria, id est voluntas,

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

cum decretum justitiæ divinæ pro eorum punitione viderent, eorum desiderium, non tam in illorum perditionem quam in decretum divinæ justitiæ ferebatur, et sic innumera apud Isaiam et prophetam regium testimonia exponuntur.

sapientia et veritas, ita sint in Deo, ut absolute ostendant naturam Dei, qui est summa voluntas, summa sapientia et veritas, omnem habens potestatem, omnem exsuperans intellectum, et super omnia incommutabilis manens, manifesta est Dei regula, ut substantialiter de Deo dici intelligantur. De scientia quoque manifestum est quia in Deo essentialiter debet intelligi, quia non est illi aliud esse et aliud scire; sed quod illi est esse, hoc scire: nec aliud ei habere scientiam, nisi ipsum esse scientiam: sicut idipsum est ei sapientiæm habere, quod sapientiam esse. Utrum vero sicut dicitur Deus substantialiter scientia, ita etiam substantialiter dici possit præscientia, judicet secundum rationem et regulam fidei qui potest; nobis tamen videtur quod sicut veraciter dicitur de Deo: Non est aliud illi esse et aliud scire, B non ita possit dici de illo nisi vel mendaciter, vel nimis usitate: Non est aliud illi esse et aliud præscire. Quod enim recte et usitate possit dici: Deus scientia est, sicut recte et usitate dicitur: Deus sapientia est, nulli est dubium. Ut autem dicatur: Deus præscientia est, sicut jam diximus, aut non est verum, aut nimis inusitatum.

Similis ratio est vel etiam durior de eo quod definivit, *quia Deus substantialiter prædestinatio est.* Quis enim unquam de Deo dici audivit quod non sit illi aliud esse, et aliud prædestinare; sed quod prædestinare, hoc esse, sicut vere de eo dicitur: Non est illi aliud esse et aliud non esse; sed quod esse, hoc nosse. Ut etiam hoc istiusmodi vocum novitatibus dicere compellamur, quia sicut Deus scientia est, Deus sapientia est, Deus veritas est, ita Deus præde- C stinatio est. Sed nobis melius et convenientius veræ fidei et ecclesiasticæ doctrinæ videtur, ut licet hæc apud nos tria esse videantur, id est scientia, præscientia et prædestinatio, et ea quibusdam proprietatibus discernamus: ut videlicet scientia absolute dicatur, prescientia vero et prædestinatio ad futurorum providentiam referantur: et in ipsis duobus præscientia scilicet in bonis et in malis prænoscendis intelligatur: prædestinatio autem in solis bonis statuendis atque ordinandis, quæ propterea sic dici et distingui necessarium fuit, ut nobis, qui temporales et mortales sumus, et plenissima scientia in Deo, et gubernatio ejus ad creaturas distinctus quodammodo tali distinctione vel, si dici potest, distributione, insinuaretur et commendaretur: commodius tamen D hæc tria in Deo sub uno nomine scientiæ intelligamus, quia quidquid in his tribus a nobis utcunque intelligitur et distincte cognoscitur, in illa ejus summa et una et simplici scientia simul est. Scire enim ejus perfectum et plenum est, nec post minui, vel augeri, aut aliqua rerum varietate permutari. Et ideo quod nos de scientia a præscientia et prædestinatione ejus velut discernendo cognoscere conamur, in ejus perfecta et incommutabili scientia non aliud et aliud, aut aliter vel aliter, sed uno atque eodem modo æternaliter est. Unde et recta moderatione ecclesiasticæ disciplinæ observantum esse credimus, ut recte

A et usitate dicatur esse præscientiam et prædestinationem Dei, sicut omnium conditoris et judicis, ad opera sua: recte etiam et usitate dicatur esse præscientiam et prædestinationem in Deo, id est in æterna, perfecta et incommutabili scientia ejus; non autem inusitate, vel non etiam recte, dicatur Deum præscientiam vel prædestinationem esse. Quia videlicet scientia ejus ad se dicitur; præscientia vero et prædestinatio ad creaturas refertur. Unde in his magis ejus operatio, quæ in ipsis vel erga ipsas creaturas agitur, quam ejus essentia vel substantia, demonstratur. Sic namque dicitur præscientia et prædestinatio Dei vel in Deo, sicut etiam ordinatio vel dispositio Dei vel in Deo: neminem tamen tam absurde vel contentiose locutum audivimus, ut diceret, sicut ordinationem et dispositionem Dei esse, ita ipsum Deum ordinationem et dispositionem esse, vel ita dici et definiri debere.

Unde autem tota hæc tam nova et contentiosa definitio occasionem sumpserit manifestum est. Timet enim ne si præscientia et prædestinatio, sicut et gubernatio Dei, non substantialiter de Deo accipiatur, sed ad ordinationem creaturarum ejus referenda intelligatur, non possit eam dicere duplicem, vel pluralis numeri esse non posse. Unde apud nos nulla contentio est, sive scilicet possint dici pluraliter prædestinationes, sive non possint, dummodo illud fideliter et firmiter teneamus, uno atque eodem divinæ præscientiæ et prædestinationis judicio atque concilio duo quædam certissime adimplenda, id est, et justos æternæ gloriæ præordinatos, et iniquos in impietatibus suis usque ad mortem perseverantes æternis suppliciis destinatos. Utrumque enim Scriptura apertissime dicit de justis: *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam* (*Act.* XIII, 48); de impiis juste damnandis: *Sustinuit Deus in multa patientia vasa iræ aptata in interitum* (*Rom.* IX, 22). Ita enim hoc utrumque in electis, et reprobis uno eodemque divinæ prædestinationis, et judicii effectu peragitur: sicut uno eodemque solis radio et sani oculi vegetantur et languidi exasperantur: sicut etiam uno eodemque igni et limus ei appositus durescit, et cera liquescit: dignetur etiam agnoscere, ita de prædestinatione Dei, sicut de ejus justitia sentiendum, quæ cum sit una, et semper uno eodemque modo se habens, manifeste duplicem recipit distributionem, dum per eam vel dignis præmia, vel indignis supplicia irrogantur.

Certe ipse asserit voluntatem Dei vel in Deo, sicut sapientiam, sicut veritatem, essentialiter dici, quot utique verum est. Nam etsi diceret Deum substantialiter esse justitiam, verissime utique diceret. Cur itaque hæc duo quæ substantialiter in Deo, vel etiam substantialiter Deus esse dicuntur, id est voluntas ejus et veritas ejus pluraliter dicta in Scripturis leguntur: Sicut habetur in Psalmo, ipso Domino dicente: *Mirificavit omnes voluntates meas in eis;* et alibi: *Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas,*

item legimus in psalmo : *Justus Dominus justitias dilexit.* Et iterum : *Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Et alio loco : *Quoniam veritates requirit Dominus.* Et cum non sit aliud lux Dei, et veritas Dei, sed unum simpliciter, et veraciter credatur in Deo, ut quod est lux Dei, hoc sit veritas Dei, et quod veritas, hoc lux. Tamen cum Psalmista dixisset : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam,* statim plurali numero subjunxit : *Ipsa me deduxexerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Cur hoc, nisi quia voluntas, et justitia, et veritas Dei, cum sit in ejus natura, veraciter una et simplex, tamen in largitione donorum ejus, sive in dispositione creaturarum ejus nobis efficiatur multiplex, ita ut etiam Spiritus sanctus, qui unius et simplicis est in Trinitate personæ, propter eamdem distributionem donorum multiformis gratia Dei et septem Spiritus nuncupatur (*a*)?

Quæ omnia idcirco replicamus, ut considerent qui hæc legunt nullum certamen, nullam contentionem esse debere de numero; sive pluraliter prædestinatio Dei dici possit, sive aliqua veraci ratione non possit, dummodo certissime constet duplicem esse ejus effectum, vel in electis scilicet misericorditer præordinatis ad vitam : vel in reprobis, juste præordinatis ad pœnam. Docet beatus Augustinus sicut sapientiam, ita et prudentiam, vel scientiam Domini recte dici, his verbis :[Quis ergo hominum potest istam sapientiam, qua novit Deus omnia, comprehendere, istam (inquam) sapientiam eamdem prudentiam, eamdemque scientiam; quandoquidem a nobis nec nostra comprehenditur.] Ubi etiam post aliqua ita subjungit : [Et putamus nos utrum Dei providentia eadem sit memoria et intelligentia, qui non singula cogitando aspicit, sed una æterna, immutabili, atque ineffabili visione complectitur cuncta, quæ novit tanta mentis infirmitate posse comprehendere. In hac igitur difficultate et angustiis libet exclamare ad Deum vivum : *Mirificata* [al., *Mirabilis facta*] *est scientia tua ex me, invaluit, nec potero ad illam* (*Psal.* CXXXVIII, 6).] (*b*) Ecce doctor eximius eximie de Deo sentiens et loquens confidenter dixit Deum esse prudentiam, confitenter dixit Deum esse scientiam : ubi autem venit ad hoc A utrum similiter Deus dicendus sit providentia, quæ utique sic Dei est, et in Deo, ut ad gubernationem referatur creaturæ, noluit velut temere aliquid de hac re definire : sed velut in magna difficultate, et angustiis deprehensus, maluit eamdem disputationem admirationis et orationis ad Deum exclamatione finire. Quo exemplo etiam nos omnes pensare et dicere debemus quam pie nobis de Deo sit sentiendum : quam moderate et disciplinate loquendum, caute et trepide definiendum.

Post hæc jam dictus disputator more suo velut definiendo subjungit : *Et præscientiam et prædestinationem unum idemque esse.* Nos autem repudiato hujus novitatis errore, teneamus certissimam et firmissimam fidei regulam, et Deo adjuvante fideliter B discernamus aliquando dici præscientiam, quæ omnino prædestinatio esse non possit : quia omnipotens Deus sicut bona, sic etiam mala, id est peccata hominum, vel angelorum futura prescivit (*c*). Quæ tamen ut fierent, justus et *sanctus prædestinare non potuit.* Prædestinatio autem ejus, vel ad conditionem et gubernationem pertinet creaturarum, quæ utique bona et justa est, vel præcipue ac maxime ad opera vel judicia ejus, quæ agit sive acturus est in creatura rationali, angelica videlicet, et humana : dum ex eis alios per gratiam justificat, et beatificat, alios per justitiam deserit et condemnat : quia et eorum bona, id est sanctorum hominum et sanctorum angelorum, ejus sunt dona, vel præmia : et istorum mala, id est æterna supplicia, ejus est juste omnia disponentis justa vindicta. Et idcirco præde- C stinatio ejus *semper in bonis,* semper in operibus suis, quæ in creatura (ut dictum est) rationali vel misericorditer, vel juste exercet : accipienda est, quæ ipse et prædestinando præscivit, et præsciendo æternaliter prædestinavit. Unde manifestum est prædestinationem Dei sine præscientia non esse : præscientiam vero et cum prædestinatione esse in bonis, et justis operibus Dei, et sine prædestinatione in malis operibus hominum et angelorum iniquorum.

Quod totum præfatus Pater, beatus scilicet Augustinus, brevissime ita ostendit dicens (*De Prædest. Sanct. cap.* 10) :[(*d*)Prædestinatio est gratiæ præpa-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Huc usque quæ desunt in ms. cod. Thuano et in impressis.

(*b*) Maluit Augustinus Deum scientiam quam providentiam dicere. Rationes Augustini non proferuntur, hæ tamen sunt : vel quia providentia respectum ad res gubernatas complectitur, ubi scientia simplex est rerum omnium cognitio; vel quia providentia, in actu speciata tantum est in tempore; scientia vero ab æterno; vel quia providentia quæ ad prædestinationem genus esse dicitur, est præparatio mediorum ad finem debitum sive naturalem, sive supernaturalem obtinendum : quamvis absolute loquendo propter maximam attributorum divinorum simplicitatem et identiatem, non minus Deus dici possit providentia quam scientia; hinc est quod veteres Deum θείαν πρόνοιαν communiter appellarunt.

D (*c*) Legant et relegant Calvinistæ apertam sui condemnationem, dum impia et intolerabili blasphemia peccatorum omnium causalitatem Deo audent affingere : iniquitatem, quam rectissima veritas improbat, damnare potest, non facere. » August., epist. 105, ad Xistum.

(*d*) Omnium, ni fallor, primus ita prædestinationem definivit Augustinus, ut videre licet de Prædestinatione sanctorum, cap. 10, eodemque recidit quod scribit libro de Bono perseverantiæ, c. 14 : ut sit, præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quicunque liberantur, et de hac perpetuo loquitur Augustinus quoties prædestinationem ex prævisis meritis factam negat. Ex quo liquido constat eum ab aliis Patribus minime dissentire asserentibus nos ex operum prævisione prædestinatos; agunt enim de prædestinatione ad gloriam : ubi Augusti-

ratio : gratia vero jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus : *Non ex operibus, ne forte quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis*, gratia est; quod autem sequitur : *Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse : potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus? Unde dictum est, *fecit quæ futura sunt.* Præscire autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata. Quia si sunt quædam quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum. Unde dictum est : *Et tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt* (*Isa.* XLV, 11 *sec. LXX*) : Non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est (ut dixi) præparatio : gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Item alio loco (*De Dono persev.*, cap. 14) : [Hæc est, inquit, prædestinatio sanctorum nihil aliud, præscientia, scilicet, et præparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicunque liberantur : cætera autem ubi nisi in massa perditionis divino judicio relinquuntur.] Ex quibus omnibus sancti doctoris verbis clarissime apparet, distincte et proprie in sanctis libris accipi debere præscientiam, et prædestinationem : nec quæ tanta distantia inter se distinguuntur, unum atque idem esse sicut iste definit, intelligi debere. Tamen aliquando ipsam prædestinationem, quæ nunquam sine præscientia est, etiam nomine præscientiæ significari idem doctor ita ostendit dicens (*cap.* 18) : [Aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus : *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit* (*Rom.* XI, 2). Hic quod ait *præscivit*, non recte intelligitur, nisi prædestinavit; quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt, pereuntibus cæteris; ideo cum dixisset, unde nunc agimus, *non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, post aliqua secutus adjunxit : *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt* (*Ibid.* 7). In hac ergo electione et in his reliquiis, quæ *per electionem gratiæ salvæ factæ sunt,* voluit intelligi plebem, quam propterea Deus *non repulit,* quia *præscivit.* Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur : ubi ait Apostolus, *non repulit Deus plebem suam, quam præscivit,* prædestinationem significare voluisse : præscivit enim reliquias quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus : hoc est ergo prædestinavit; sine dubio enim præscivit, si prædestinavit; sed prædestinasse et hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.] Ecce quid sequi debeat, qui juxta piam sancti Patris intelligentiam sane et pure A et sincere de præscientia et prædestinatione divina sentire desiderat. Illa autem novi disputatoris definitio, qua hæc duo tanta discretione distincta, tanta diligentia discreta unum idemque esse definiuntur, merito suæ falsitatis atque fallaciæ penitus abjicienda est. Sive enim hoc ille propterea taliter definire voluerit, ut ea (sicuti jam præmiserat) substantialiter in Deo velut unum esse ostenderet, inanis et frivola est ejus assertio, sive hoc docere voluerit, quod hæc in Scripturis indiscrete et confuse, atque indifferenter intelligenda sint, manifestissimi erroris est.

Subjungit idem disputator et dicit : *Hominem ad Deum quem libero arbitrio sine labore deseruerat, sine laboris studio et cooperantis gratiæ dono pervenire* B *non posse.* In quibus verbis quod dicit primum hominem libero arbitrio Deum deseruisse, jam utique in deserente Deum et deserto a Deo non erat liberum arbitrium ad bonum, illa et naturæ bonæ a Deo conditæ, et gratiæ a Deo donatæ beata libertate, quam Apostolus commendat dicens : *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17); sed erat liberum tantummodo ad malum, et peccato dominante captivum. De qua miserrima libertate et servitute Apostolus conversis fidelibus dicit : *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI, 20). Et iterum : *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati in mortem, sive obeditionis ad justitiam* (*Ibid.* 16). Unde et Dominus ait : *Omnis qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII, 33). Et beatus Petrus apo- C stolus : *A quo enim*, inquit, *quis separatur, ejus et servus est* (*II Petr.* II, 19). Sed et captivitatem peccati beatus Paulus non tacet dicens : *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VIII, 23). Sic itaque homo, ut dictum est, deserens Deum, et desertus a Deo, factus est *liber justitiæ*, cui servire noluit, *et servus peccati in mortem*, quia noluit esse servus obeditionis ad justitiam; et per hoc incipiens habere in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in legem peccati : amissa ergo gratia veræ libertatis, qua Deo poterat cohærere et dicere : *Mihi autem Deo adhærere bonum est* (*Ps.* LXXII, 28), infelici libertate voluntatis suæ adhæsit peccato, et D factus est servus captivusque peccati. De qua servitute et captivitate exire et liberari non potest, nisi per eum qui ait : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Et ideo quando homo deseruit Deum, manifeste tunc amisit libertatem boni, et non remansit liber, nisi ad malum. Unde nescimus cur talis in eo libertas debeat prædicari, ac non potius deleri et caveri.

(*a*) Quod autem dicit, *sine laboris studio, et coope-*

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

nus de prædestinatione ad gratiam loquitur. — Vasquez in quæstione 23, I part. D. Thomæ; Suarez, opusculo de Prædestinatione.

(*a*) Cum Pelagianis tollebat Erigena gratiam prævenientem, et solam cooperantem gratiam statuere videbatur, quod acriter refellit Augustinus, ut docet Bellarminus, lib. VI, c. 15, concl. 4.

rantis gratiæ dono hominem ad Deum pervenire non posse, aliter fides catholica tenet, quæ certissime credit, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, nullo bono opere, nullo bono merito præcedente, solo gratiæ divinæ beneficio hominem salvari et venire ad Deum. Sicut ipse Dominus dicit : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Et Apostolus diligentissime inculcat fidelibus dicens : *Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur ejus fides ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). Et iterum : *Arbitramur justificari hominem ex fide sine operibus legis* (*Rom.* III, 28). Et ne saltem ipsam fidem sibi deputarent, qui veniunt ad Deum atque ita velut sui operis merito et non gratuita Dei dono se putarent esse salvatos, ostendit alio loco etiam ipsam fidem Dei donum esse, cum dicit : *Gratia salvi facti estis, per fidem;* et continuo subjungit : *Et hoc non ex vobis; Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur* (*Eph.* II, 8, 9). Unde etiam Deus, sicut ipse Apostolus commemorat, per prophetam dicit : *Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui his qui me non interrogabant* (*Isa.* LXV. 11). Vel sicut in nostra editione legitur : *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me.* Ecce manifestissima gratia sine operibus, per quam homines non quærentes Deum, non solum veniunt, sed etiam perveniunt ad Deum : sicut innumera parvulorum millia, qui utique nihil boni operari potuerunt, sola fide Ecclesiæ et regenerationis gratia, cum in tali ætate ex aqua et Spiritu renati, et originalis peccati vinculo absoluti, atque ita fuerint defuncti, absque ulla dubitatione ad Deum perveniunt. Aliter ergo sentire, id est hominem absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse, non est catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello cujus titulus est Dogmatum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio (Gennad. *de Eccl. dogmat.*, cap. 21). Sed omnino, ut diximus (sicut et alia nonnulla in eodem libello), Pelagiani erroris est. Et ideo quicunque eum propter alia quædam utilia legit, cum hujusmodi ibi sensus invenerit, meminerit sollicite Apostoli dicentis : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* V, 21).

Addit post hæc ille et dicit, *prædestinationem in Deo secundum substantiam esse, relative autem fieri non posse.* Sed de hoc quid nobis melius aut convenientius videatur, jam supra, ut potuimus, dictum est. Tamen quia hic addidit prædestinationem ad Deum relative dici non posse, manifeste non ita refertur prædestinatio ad Deum, sicut refertur in sancta Trinitate, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque, vel genitor ad genitum, genitus ad genitorem, procedens ad utrumque. Nec sicut Verbum Dei cum intelligitur, Filius refertur ad Patrem, cujus est Verbum. Et cum idem Filius dicitur *imago*, refertur similiter ad Patrem, cujus est imago. Et cum dicitur *splendor gloriæ*, refertur ad æternam lucem, ex qua est, et cujus splendor est. *Candor est enim lucis æternæ* (*Sap.* VII, 25), sicut Scriptura testatur, nec sicut donum Dei. cum intelligitur proprie Spiritus sanctus, refertur ad Patrem et Filium, cujus est donum. Ista namque in illa sancta et summa Trinitate sic referuntur ad invicem, ut singularia ibi sint, nec alterum de altero dici possit : unus enim ibi est Pater genitor, unus Filius genitus, unus Spiritus sanctus procedens : unum Verbum, et imago, et splendor Patris quod est unigenitus Filius : unum donum Dei Patris et Filii, quod est Spiritus sanctus. Et hæc de singulis singula ita ibi intelliguntur, ut uniuscujusque personæ proprietas ad alterum transire non possit : verbi gratia, ut vel Pater unquam Filius dici possit, vel Filius naturaliter Pater intelligatur, vel Spiritus sanctus Pater aut Filius. Manifestum est igitur, ut diximus, quia non ita refertur prædestinatio ad Deum, sicut refertur Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad Patrem et Filium. Neque enim prædestinatio aliqua est proprie in Trinitate personæ, ut ad alteram naturaliter referatur.

Refertur tamen omnino eadem prædestinatio ad Deum, id est ad totam simul Trinitatem, quæ tota est prædestinans quæcunque prædestinata sunt : quia absque dubio refertur prædestinatio ad prædestinantem, sicut et gubernatio ad gubernantem, et dispositio ad disponentem, et ordinatio ad ordinantem. Nec aliquis unquam tam absurde et importune contentiosus fuit, ut Deum omnia disponentem diceret esse dispositionem ; omnia gubernantem diceret esse gubernationem ; omnia ordinantem diceret esse ordinationem ; putamus quod nec omnia prædestinanda prædestinantem quisquam dixerit esse prædestinationem : cum hæc omnia, sicut jam diximus, id est dispositio, gubernatio, ordinatio, prædestinatio, magis ad opera, vel ad operationem Creatoris referenda intelligantur. Sed iste, etiamsi nova contentione affirmare conetur ita esse Deum substantialiter prædestinationem, sicut veritatem, bonitatem, justitiam, ut per hoc velut singulari tantum numero prædestinatio dicenda videatur : sicut singulari tantum numero dicitur Deus, veritas, bonitas, justitia : non tamen ista argumentatione efficere potest ut prædestinatio Dei etiam substantialiter Deus dici possit, non duplicem habeat effectum, et operis distributionem, scilicet vel in præparatione justorum ad vitam, vel in præordinatione impiorum ad interitum : quia et justitia verissime Deus dicitur : nec cum ipsa Deus substantialiter intelligitur, plurali numero recte enuntiatur. Et tamen justitia Dei, quæ etiam Deus est, sine dubio duplicem habet effectum, videlicet vel in remuneratione bonorum, vel in damnatione malorum. Cum ergo ad prædestinantem Deum recte dicatur relative prædestinatio, sicut ad disponentem dispositio, ad gubernantem gubernatio, ad ordinantem ordinatio, ad operantem operatio, ad creantem creatio : et etiamsi aliquid ratione ostendi possit, substantialiter dici debere prædestinationem Dei, vel prædestinationem Deum : duplex tamen ejus effectus Scripturæ sanctæ immobili veritate declara-

tus evacuari nullatenus possit : quid sibi vult ista tam supervacua, vel etiam mendax argumentatio?

Sequitur tamen ille et dicit : *Sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel multiplicari impium est : ita prædestinationes duas asserentem reatu impietatis ligari.* Quibus verbis nos respondemus, verum quidem esse quia essentia, sapientia, scientia, virtus, quando de Deo dicuntur, vel ipse Deus ita dicitur, ut ipse esse essentia, sapientia, scientia, virtus intelligatur, non sunt ista dicenda pluraliter. Quia ipsa Trinitas non tres essentiæ, sed una essentia est, nec tres sapientiæ, sed una sapientia; nec tres scientiæ, sed una scientia; nec tres virtutes, sed una virtus. Tamen quando ad diversam dispositionem vel operationem Dei ad creaturas referuntur, manifeste quædam ex eis etiam pluraliter et multipliciter dicuntur, sicut est illud : *Quoniam Deus scientiarum Dominus* (*I Reg.* II, 3). Et si scientiarum Dominus, utique non alterius, sed suarum. Quomodo ergo hoc intelligendum, nisi quia ipsa scientia, quæ in illo naturaliter una est et simplex, relata, ut dictum est, ad dispositionem vel ordinationem creaturæ, nobis efficitur multiplex? Sic Deus esse virtus dicitur, et tamen eadem ratione dictum legimus : *Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus* (*Psal.* CXLVIII, 2). Et sicut recte Deus dicitur virtus, ita recte dicitur idem Deus potentia, et tamen in psalmo canimus : *Quis loquetur potentias Domini?* (*Psal.* CV, 2.) Si ergo Deus una est scientia, una virtus, una potentia : et tamen juxta veritatem et auctoritatem Scripturæ ipsius Dei recte dicimus, numero plurali atque multiplici, *scientiarum Dominus*, et potentias Domini, et *virtutes ejus*, cur hoc impium esse iste disputator dicit, quod ex veritatis et pietatis fonte procedit? Si autem ista quæ verissime substantialiter in Deo sunt, non impie, sed pie, secundum quemdam modum etiam pluraliter de Deo dicuntur, quomodo reatu impietatis ligatur qui prædestinationem Dei eadem ratione, propter duplicem ejus efficientiam, pluraliter dicere voluerit? Cum tamen hoc nos nec propter eamdem prædestinationis verissime duplicem efficientiam respuamus, nec usquequaque necessario dici existimemus : cum sicut una Dei justitia, ita et una Dei prædestinatio multipliciter valere, certissime intelligenda sit.

Subjungit ille et dicit : *Unamque esse divinam prædestinationem, sicut unam divinam operationem, sapientiam, substantiam voluntatem.* In quibus verbis hoc agere conatur quod et supra, videlicet ut, sicut substantialiter Deus est sapientia, substantialiter voluntas, et ipse est summa substantia, ita creditur idem Deus esse prædestinatio et operatio. Sed de prædestinatione jam multipliciter ostendimus quid nos magis sentiendum esse teneamus. De una vero operatione Dei quam hic addit, ita ut, quantum apparet, operationem Dei, ipsum Deum velit intelligi, diligenter considerandum est quid de hac re juxta regulam fidei sentiendum sit, recte enim dicimus operationem Dei, utique in creaturis quas operatus est, et recte dicere possumus operationem ex Deo, quoniam, sicut Apostolus dicit : *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Sed nunquid recte dicere possumus operationem in Deo, cum Deus in se nihil operetur; sed extra ipsum, id est extra ejus naturam, sit omnis creatura, quam operatus est et in qua usque modo operatur? cum tamen alio modo etiam in ipso dici possit esse creatura, quia utique in ejus potentia et virtute subsistit; unde Apostolus ait, quod jam dictum est, *quia in ipso sunt omnia;* et in alio loco : *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Cum ergo Deus in se ipso, id est in substantia sua, nihil operetur, sed omnis ejus operatio in creaturis, quæ non ejusdem cum eo naturæ vel substantiæ sunt, intelligatur, quomodo recte dici potest operatio in Deo? Et si non recte dicitur operatio in Deo, quanto minus recte dici potest ipse Deus operatio? Quanquam idem omnipotens Deus sicut apud se et in se omnia disponit, sic apud se et in se omnia operetur, quia ut hæc agat, non extra se utique egreditur nec a se excedit, cujus velle fecisse est : sed ipsa potius quæ operatur, vocat ad se, ut ex eo, qui summe est, accipiant esse singula juxta modum suum; et fiat quod Apostolus dicit : *Qui vocat ea quæ non sunt tanquam quæ sint* (*Rom.* IV, 17). Ergo neque aliquid extra se operatur, qui sola et æterna voluntate, absque ullo conatu, absque ullo labore, absque ullo artificio, omnia operatur. Nec iterum aliquid in se operatur, qui in suæ substantiæ perfectione et æternitate nihil efficit, nihil auget, nihil minuit, nihil mutat. Nec tamen, quia ejus velle fecisse est : ideo ejus velle et fecisse unum est. Quia in hoc non Creatoris, et creaturæ significatur unitas, sed solius Creatoris potestas.

Quomodo igitur operatio in Deo, vel ipse Deus substantialiter (ut iste asserit) operatio intelligi potest? nisi forte eo modo dicatur Deus operatio, non quod ipsum vel in ipso aliquis, sed ipse omnia operetur. Sed quia hoc nimis est inusitatum, nec de Scripturæ sanctæ auctoritate sumptum, et vehementer fidei periculosum : ne forte, cum Deus operatio esse dicitur, juxta impium Arianorum errorem, qui hoc de Filio et Spiritu sancto senserunt, ab aliquo factus esse credatur : profecto cohibenda et coercenda est tantæ verbositatis præsumptio, et inter cæteras *vocum novitates*, sicut attentissime admonet Apostolus, *devitanda* (*I Tim.* VI, 20). Et tamen nos, qui simpliciter divinam operationem in operibus et creaturis ejus intelligimus, ipsam ejus operationem plurali numero in Scripturis positam legimus, manifeste Apostolo dicente : *Divisiones vero gratiarum sunt, idem vero spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (*I Cor.* XII, 465). Cum erga ipsa operatio Dei tam aperte pluraliter dicatur, et multipliciter intelligatur in creaturis Dei, quid utilitatis habet istiusmodi argumentatio? *Ad nihil utilis,* sicut Apostolus ait

nisi ad subversionem audientium (*II Tim.* II, 14).

Et tamen ille subjungit, et dicit : *Ex necessitate prædestinationis nihil compelli, sicut nec voluntatem.* Quod utrumque, id est et prædestinatione et voluntate Dei nihil compelli, apertissima veritate falsum est : quia et bonitate prædestinationis Dei frequenter diversis flagellis, et laboribus, et tribulationibus compelluntur electi, sive ut convertantur ad Deum, sive ut vivant secundum Deum. Sicut compulsus est apostolus *Paulus* cum adhuc esset *Saulus* (*Act.* IX) : cœlestis vocis terrore prostratus, divina percussione cæcatus, tanto terrore a suo errore et crudelitate coercitus, utique ut converteretur ad Deum. Et tamen jam conversus, jam apostolus, jam magister gentium effectus, adhuc castigatur, adhuc *colaphizatur, ne magnitudine revelationem extollatur* B (*II Cor.* XII, 7). Et ejusdem divinæ prædestinationis judicio et æquitate reprobi compelluntur; et si non ad inique et impie vivendum, tamen ad æternum pro ipsis iniquitatibus et impietatibus suis supplicium luendum. Similiter et bonitate voluntatis Dei, in qua est utique æterna prædestinatio Dei, et electi flagellantur temporaliter ad correctionem vel probationem, et ejusdem divinæ voluntatis severitate reprobi flagellantur æternaliter ad punitionem. Cum omnipotens Deus, sicut Apostolus dicit, manifesta misericordia et occulto judicio suo, *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18). Utraque enim sunt in Dei prædestinatione, utraque in Dei voluntate, et bonitas scilicet et severitas, de quibus idem dicit Apostolus : *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem*, C *in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate* (*Rom.* XI, 22).

8. Sequitur ille et dicit : *Et quidquid de divina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.* Hæc definitio in eo nobis placet, quia voluntatem Dei dicit prædestinationem Dei. Quid est enim aliud prædestinatio Dei quam æterna et incommutabilis voluntas Dei ad opera sua. Neque enim Deus necessitate, sed voluntate prædestinavit quæcunque prædestinavit. Et sicut *omnia, quæcunque voluit, fecit* (*Psal.* CXIII, 3), sic omnia quæcunque prædestinavit, implevit, imo jam fecit : sicut de eo propheta dicit : *Qui fecit quæ futura sunt* (*Isa.* XLV, 11 *sec. LXX.*). Consequens ergo omnino est, ut et illud quod de Deo dicit Apostolus, *qui vult omnes homines salvos* D *fieri et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim* II, 4). Sicut est in prædestinatione Dei, ita rectissime intelligatur esse in voluntate Dei, id est, ut quos prædestinavit Deus æterna voluntate sua ex omni genere humano electos, ipsos *omnes velit salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, videlicet quia prædestinatio Dei ipsa est certissime voluntas Dei; et, sicut de voluntate Dei veraciter omnino ab apostolo dictum est, *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18), ita et de prædestinatione Dei certissime teneatur : scilicet quod æterna prædestinatione, sicut æterna voluntate sua *Jacob dilexit, Esau autem* A *odio habuit* : *et ex massa eadem fecit, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (*Rom.* XIII, 21). Sed illud bonitate sua, istud justo judicio suo, ut essent *alii vasa iræ, alii vasa misericordiæ* (*Rom.* XXII, 23). Si itaque disputator iste, juxta veritatem doctrinæ apostolicæ, et sicut ipse sua argumentatione conclusit, hæc nobiscum fideliter et simpliciter teneat, nulla erit necessitas quæstionis, nullus exigetur labor syllogisticæ disputationis, sed sola in nobis regnabit tranquillitas pacis.

CAPUT III.

Tertio capitulo hujusmodi definitiones posuit.

1. *Dei prædestinationem sicut essentiam nullum cogere, nullam necessitatem inferre.*

2. *Duas prædestinationes non esse.*

3. *Mortem, peccatum, miseriam a Deo non esse.*

4. *Prædestinationem, ut charitatem, non esse geminam vel duplam, vel multiplicem, et pluralitate carere.*

Ex his quatuor propositionibus jam superius, prout Dominus dedit, tractavimus.

Id est primam qua dicit *Dei prædestinationem sicut essentiam nullam cogere, nullam necessitatem inferre.*

Et secundam qua ait *duas prædestinationes non esse.*

Et quartam qua definivit, *prædestinationem ut charitatem, non esse geminam, vel duplam, vel multiplicem, et pluralitate carere.* Excepto quod charitatem superius inter exempla quæ de substantia Dei intelligi voluit non nominavit. Et manifeste, sicut beatus Joannes apostolus docet : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 16); ita ut secundum regulam fidei veræ rectissime dicamus esse charitatem Dei, et esse charitatem in Deo, et esse charitatem Deum. Quæ tamen charitas quia in Deo substantia est, sicut veritas, justitia, bonitas, cum de Deo intelligitur, non dicitur gemina, quia est in illo subsiantialiter una et simplex; et ideo ibi nec dupla, nec triplex dici potest, quia non duplicatur, nec triplicatur divina substantia, id est ipsa deitas, ipsa veritas : ipsa charitas, Deus Trinitas. Non enim minor est ibi in uno, quam in tribus; nec major in duobus vel tribus quam in uno. Sed quanta est deitas, veritas, charitas, in una persona sanctæ Trinitatis, tanta est in duabus, tanta in tribus, id est perfecta in singulis, perfecta in omnibus. Quia et Pater perfectus Deus, et Filius perfectus Deus, et Spiritus sanctus perfectus Deus, et hi tres unus perfectus Deus. In nobis vero hæc charitas non est substantia, sed donum Dei, sicut Apostolus dicit : *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Et ideo potest in nobis esse et gemina, et duplex, propter duo præcepta ipsius charitatis, videlicet, Dei et proximi; quæ utique in nobis duplicem gignit affectum, *ut diligamus Deum ex toto corde, et proximum sicut nosmetipsos* (*Matth.* XXII, 37, 39). Et quia per ipsum donum charitatis multiplicia et innumera bona operatur Deus in sanctis

suis, dicitur in Scripturis etiam multiplex. Ipsa est enim gratia Dei, de qua beatus Petrus apostolus dicit: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (*I Petr.* IV, 10). Quod autem pluralitate careat charitas, nec plurali numero nec in Deo nec in nobis in Scripturis dicta inveniatur, quis nesciat? De eo autem quod dicit *prædestinationem non recipere pluralem numerum sicut nec charitatem*, jam superius satis dictum, nec assidue repetendum est. Nam et illud quod in prima ex his propositione prædestinationem Dei substantiæ Dei comparat, imo substantiam Dei esse dicit, jam supra, ut potuimus, tractatum est.

Et quod affirmat ipsam Dei *prædestinationem nullum cogere, nullam necessitatem inferre*, si ita hoc dicit quod prædestinatione sua omnipotens Deus neminem cogat ad malum, ut malus sit, et aliud esse non possit, recte omnino dicit: sin autem propterea hoc suspense et inexplicato posuit, ut diceret ipsam prædestinationem nullum cogere, nullam necessitatem inferre, nec addidit, *ad quid* cogere vel *cujus rei* necessitatem inferre, ut malos in sua malitia usque in finem perseverantes, neget justo judicio prædestinationis divinæ æterno judicio puniendos (sicut magis ex omnibus, quæ superius dixit, verum esse apparet) manifeste divinam prædestinationem in parte accipit, et in parte negat: ut eadem Deus prædestinatione sua justos præparaverit ad regnum, reprobos vero non præordinaverit ad supplicium.

3. Restat tertia propositio quam hic posuit et definivit, *mortem, peccatum, miseriam a Deo non esse*. Et de peccato quidem, sicut fides ubique catholica tenet, recte dixit quod a Deo non sit, quia nec voluit, nec præcepit, nec impulit hominem ad peccandum: imo, et antequam peccaret, prohibuit eum a peccato, et mortis supplicio terruit ne peccaret, et, post peccatum, quasi suæ voluntati rebellem et contrarium, juste punivit. Et ideo peccatum non est a Deo, *qui hominem rectum*, et sine peccato condidit, sicut Ecclesiasticus dicit: *Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus* (*Eccli.* VII, 30), sed ab illo est initium peccati qui et primus peccavit in cœlo: et postea hominem ut peccaret decepit, et decipiendo occidit in paradiso: sicut beatus Joannes apostolus testatur, *quoniam ab initio diabolus peccat* (*Joan.* III, 8); et ipse Dominus docet dicens; *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo* (*Joan.* VIII, 44). In eo enim quod *in veritate non stetit*, perdidit seipsum; in eo autem quod peccatum homini propinavit, occidit hominem. Et, sicut primus peccator, ita et primus factus est homicida: quia *anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4.) Unde et ipse in Scripturis dicitur habere *mortis imperium* (*Hebr.* II, 14). Non quod ejus potestate, sed quod ejus maligna invidia mors invaserit et oppresserit omne genus humanum. Unde dicit Scriptura; *Invidia diaboli mors introivit* [*al.*, *intravit*] *in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius* (*Sap.* II, 24). Hunc ejus impium principatum Dominus sua morte destruxit, sicut de eo Apostolus dicit: *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum* (*Hebr.* II, 14). Ipse est enim *Agnus Dei qui abstulit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29). Et ideo bene dixit iste disputator peccatum non esse a Deo. Et tamen hoc ipsum supeflue posuit, cum de prædestinatione divina definiret: quia nemo fidelium dicit Deum peccata prædestinasse.

Quod autem adjunxit *mortem et miseriam similiter non esse a Deo*, manifeste Scripturæ contradicit dicenti? *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt* (*Eccli.* XI, 14). Sed quia iterum Scriptura dicit: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13), vigilanter nobis quærendum est quomodo utrumque fideliter intelligendum sit, videlicet et quod *Deus mortem non fecit*, et quod *mors et vita a Deo sunt*. Ita ergo utrumque recte intelligi potest: Quod *Deus mortem non fecit*, qui hominem immortalem, si non peccasset, creavit. Et iterum, *mors a Deo est*, quia peccantem hominem justa morte damnavit; sicque mors non est ab illo creatione, et tamen ab illo veraciter est ultione. Sicut autem mors ista corporalis, quæ et prima intelligitur, a Deo est, quia ab ipso peccanti homini juste est illata: ita et mors secunda in gehenna homini permanenti in peccatis ab illo juste est inferenda. Ideo et hæc et illa, id est et prima, quæ animam dividit a corpore, et secunda, per quam (ut dictum est) et anima et corpus perditur in gehenna, quia et utique justa, et justo Dei judicio homini illata vel inferenda, a Deo est. Inde et alibi eadem Scriptura dicit de præsenti utique morte corporali: *Noli metuere judicium mortis: memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi* *Eccli.* (XLI, 5). Hoc judicium a Domino omni carni. Et iterum: *Ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt* (*Eccli.* XXXIX, 35). Et quomodo fames et mors creata: non utique aliqua forma, vel formatione, ut existerent condita, sed in occulto dispositionis Dei ad ejus vindictam præparata; ut inde eorum in manifestum prolatio, velut quædam videatur esse creatio. Et iterum eadem Scriptura dicit: *Mors, sanguis, contentio, et rhomphæa, superveniens fames, contritio, et verbera: super iniquos creata sunt hæc omnia, et propter illos factus est cataclysmus* (*Eccli.* XL, 9, 10). Cum ergo mors hominis ex justa et divina ultione veniens tam aperte dicatur, et tam veraciter intelligatur in Scripturis esse a Deo. Unde et beatus *Elias* pro filio viduæ apud quam hospitabatur defuncto supplicans dicebat Deo: *Domine, etiamne viduam istam, apud quam ego utcunque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus* (*III Reg.* XVII, 20)? Et Dominus in Evangelio aperte dicit: *Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (*Luc.*

XII, 5): intelligatur aperta Scripturæ veritas, et conticescat vanitas.

Sicut ergo mors, quæ est utique pœna peccati, ita etiam omnis miseria laborum, tribulationum et calamitatum, quæ consecuta sunt hominem post peccatum, quia divina dispositione et judicio et illata sunt et inferuntur, recte Scriptura dicit esse a Deo, sicut aperte ea testimonia quæ posuimus, ostendunt. Et ideo sicut vere peccatum, quod contrarium est justitiæ Dei, non est a Deo, ita vere pœna peccati, id est mors, et omnis illa calamitas et miseria quæ consecuta est, quia justo judicio Dei competunt, et justa ejus ultione inferuntur, a Deo esse, Scriptura attestante, recte intelliguntur. Ubi, etiamsi diabolus et cæteri angeli maligni aliquid agunt, ministri sunt divinæ ultionis, atque vindictæ, non judices, vel auctores, sicut manifeste libri beati Job historia ostendit, in qua plenissime ostenditur quod non solum ut ipsum vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem sauciaret, vel filios ejus concussæ et corruentis domus oppressione occideret, et copiosam ejus familiam vel gladio irruentium prædonum, vel de cœlo veniente igne consumeret, sed nec ipsa ejus pecora et animantia contingere ausus est, nisi prius, permittente sibi Domino, et dicente: *Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt: verumtamen in eum ne extendas manum tuam* (*Job.* I, 12). Et iterum: *Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva* (*Job* II, 6). Unde et ipse vir sanctus et divina sapientia repletus, cum illi hæc omnia accidissent, non ea deputavit diabolo, quia executor fuerat illius calamitatis, sed ad Deum et ad justum judicium ejus omnia fideliter et humiliter cum gratiarum actione retulit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 12). Similiter et in Evangelio, cum ejiceretur ab homine quem obsederat *legio dæmoniorum,* non habuerunt potestatem introeundi, et perdendi gregem porcorum, nisi ab illo permissi cui dolentes trementesque

A dicebant: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ille dixit eis: Ite* (*Matth.* VIII, 32). Inde est quod etiam in psalmo, ubi narrantur plagæ et calamitates quibus Ægyptus pro sua impietate, Deo juste ulciscente, et Moyse famulo suo mediante ac ministrante percussa est, manifeste Scriptura, etiamsi ministerio angelorum malorum aliqua horum eis inflicta sunt, omnia ad Deum referens dicit: *Convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent. Misit in eos cœnomyiam et comedit eos, ranam et disperdidit eos. Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem,*
B *et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos Psal.* LXXVII. 44-49). Et in alio psalmo, cum impetum ignium et grandinum, tempestatum, et procellarum replicaret, quibus tot naufragia et eversiones et vastitates fiunt in mundo, similiter omnia referens ad Deum, dixit: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (*Psal.* CXLVIII, 8).

CAPUT IV.

Quarto capitulo ponit definitiones quinque hoc ordine.

1. *Tres hæreses, unam Pelagianorum liberi arbitrii sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius. Tertiam* (*a*) *Gotteschalcanam prædestinationibus necessitates etiam inferentem.*

2. *Substantiam hominis esse tria. Id est, esse, velle,*
C *scire. Et hanc peccando non amisisse.*

3. *Nullam naturam posse perire, nec liberam voluntatem eum perdidisse, id est naturam suam.*

4. *Libertatem homini post peccatum remansisse: vigorem et potestatem ejus perdidisse.*

5. *Ea semper naturam inchoare posse, et perficere nonnisi per gratiam.*

De tribus hæresibus quas dicit, primum, id est Pelagianorum, qui liberum arbitrium sine Dei gratia

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Quis fuerit Gotteschalcus accipe ex Pithœo in Annalibus, et Trithemio in Chronico Hirsaugiensi, et Flodoardo lib. III, cap. 13, seu potius Hincmaro, Rhemensi archiepiscopo, qui tunc vivebat, et eumdem Gotteschalcum sæpius vidit et audivit; cujus hæc verba sunt, ad Nicolaum I: « Vobis, ait, pauca aperire desidero quomodo antequam episcopus ordinatus fuissem, iste Gotteschalcus, monachus monasterii ecclesiæ metropolitanæ Rhemensis dicti Orbei diœcesis Suessionensis, ut hujus abbas et monachi eum quibus versabatur testantur, homo animo elatus, quietis impatiens, novorum verborum cupidus, insatiabili honoris ambitione incensus, protervus et tumultuosus; ut inani animi ostentatione famam adipisceretur, certos articulos omnium falsarum doctrinarum elegit et collegit. » Et postea: « Idem Gotteschalcus. ordini sacerdotali a decano Rhemensi initiatus (hæc autem promotio constitutionibus ecclesiasticis reluctabatur), contra suam regulam monasterio egressus, disjunctissimas terras peragravit ut virus suæ falsæ doctrinæ evomeret. Narrat ecclesia Lugdunensis quo pacto in ultimos fines Germaniæ se contulerit evangelicæ prædicationis gratia, et suarum
D concionum exordium sumpserit ab ineffabili prædestinationis mysterio. Coactus redire in Galliam, ab episcopis in concilio Moguntinensi damnatus est, et ex illorum decreto flagellis violenter cæsus; tandem in monasterio Rhemensis diœcesis tanquam in carcere ex ejusdem concilii decreto reclusus est. »

Articuli in prædicto concilio damnati recensentur ab Hincmaro, id est quod sicut Deus quosdam prædestinaverat ad vitam æternam, ita alios ad mortem æternam prædestinaverit (intellige absque ulla malorum operum prævisione); quod Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed eos duntaxat qui salvantur; quod Jesus Christus Dominus non fuerit crucifixus neque mortuus pro redemptione totius mundi, sed tantum pro his qui salvantur; quod nullum ad se diabolus possit rapere pro quo sanguinem suum Jesus Christus Dominus fudit. Hi sunt præcipui inter multos alios a concilio Moguntinensi damnatos. Legendus est Serrarius lib. I, cap. 33, Historiæ Moguntinensis.

homini ad salutem posse sufficere dixerunt, bene novit,et condemnat Ecclesia,sequens vocem Domini suam gratiam in omnibus commendantis,atque dicentis : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). In eo enim quod ait : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum*, declarat gratiæ beneficium,quam in illo manentes ex illo accipiunt ut fructificare possint Deo, *sicut palmes* accipit ex radice vitis. Quod autem subjunxit : *Quia sine me nihil potestis facere*,manifestissime ostendit,liberum hominis arbitrium absque adjutorio ejusdem gratiæ suæ ad boni operis fructum nihil posse.Secunda hæresis quam dicit esse gratiæ solius : quæ sit vel fuerit in Ecclesia,quæ ita prædicaverit sola Dei gratia hominem salvari, ut liberum hominis negaret vel dastrueret arbitrium,nobis minime compertum est. Nam antiquissimi, et impiissimi illi hæretici Marcion, et Valentinus, et Manichæus, qui vel duo vel tria principia introduxerunt, et ideo duas naturas vel angelorum vel hominum assuererunt,id est unam bonam,et alteram malam ; illam ita esse bonam,ut aliud esse non possit ; istam e contrario ita esse malam,ut similiter aliud esse non possit ; nihil omnino de gratia Dei dixerunt,sed solam naturam naturaliter vel bonam esse vel malam stultissime defendere conati sunt. Cum Ecclesia catholica, legis et Evangelii fideliter doctrinis instructa atque munita,unam tantummodo agnoscat ; et prædicet omnium creaturarum cœlestium et terrestrium visibilium et invisibilium esse principium, sanctam videlicet Trinitatem,Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, ex quo omnia, per quem omnia,in quo omnia ; et nullam omnino naturam nisi ab eo, id est optimo Conditore,esse ; et ideo omnem naturam,in quantum natura est,bonam esse,nec malum naturæ naturam,sed vitium naturæ esse. Sed quia mutabilis facta est ista natura in creatura angelica et humana,et a bono in quo condita est,suo vitio potuit labi ad malum ; et a malo, in quo lapsa est, quantum pertinet ad humanum genus quod Dei miseratione salvatur,posse surgere et reformari ad bonum; quantum vero pertinet ad partem angelorum malorum, et perpetuo judicio damnatorum, sic lapsos esse superbiendo a Deo,ut nullo jam mereantur remedio instaurari, non solum perdita in qua conditi fuerant bona voluntate,sed terribili judicio Conditoris,etiam ipsius bonæ voluntatis possibilitate privati.

Cum ergo et illi (de quibus supra dictum) hæretici naturam tantummodo vel defenderint, quasi immutabiliter bonam, vel accusaverint quasi immutabiliter malam ; et ideo de gratia vel de libero arbitrio non appareat quomodo aliquid prædicare potuerint ; et e contrario Ecclesia Dei sic teneat, sicut brevissime commemoravimus : quæ est ista secunda hæresis tam incognita,tam nova et inaudita, quæ, libero arbitrio denegato, solius gratiæ sit prædicatrix ? Nisi quia (ut nobis videtur) disputator iste,vel beatum Augustinum latenter quasi hæreticum aecusat,eo quod manifeste juxta veritatem Scripturarum sola Dei gratia ostendat et doceat hominem posse salvari, nec ad ipsam salutem æternam aliquid humanum arbitrium posse,nisi per eamdem gratiam fuerit reformatum,sanatum,illuminatum ac reprobatum ; aut certe eos qui, secundum ejus venerabilem et catholicam doctrinam nunc de gratia Dei sentiunt et docent : quasi minus illlius dicta intelligentes,hæreticos vocat : videlicet quasi ille non ita de libero arbitrio senserit,nec isti recte ejus verba intelligant ; et ideo errent ex occasione verborum ejus, dum ea aliter intelligunt quam ille qui scripsit. Hac de causa nobis videtur quod callidissime omnino et versutissime velut hæresim solius gratiæ posuerit, nec tamen auctorem, vel sectatores ejus ulla significatione manifestaverit.

Quod si ita est,quid aliud quam Ecclesiam nostri temporis,simul cum eis qui illum ad talia instigant, viperea subtilitate accusat.Et ideo si sunt tales,qui in partibus regni illius,ubi iste impugnator veritatis non solum non arguitur,vel silentium ei imponitur, sed etiam laudi et honori maximo habetur,qui ei in talibus faveant,maxime viri ecclesiastici,quis digne possit dolere,et horrere istud contagii et pestilentiæ malum, quod ab illis partibus tam effrenate et infrunite,tam impudenter et audacter contra cæteras partes Ecclesiæ Dei quietas inter se, et pacificas,et tranquillas exsurgit ? Ubi tale monstrum et prodigium jamdudum a fidelium auribus arcendum sedet,et disputat,et congerit tot mendacia erroris, tot convicia contra fidem veritatis : et nulla pastorum Ecclesiæ vigilantia, vel corrigitur a talibus, vel expellitur.Denique ut manifeste agnoscamus non eum de antiquiori aliqua hæresi dixisse quod solius gratiæ fuerit prædicatrix,non posuit hanc hæresim ante Pelagianam, sed postea, id est a temporibus sancti Augustini usque nunc (*a*), nec potest inveniri toto hoc tempore quod fuit inter illum et nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia exstitisse, nisi quod vel ipsum,ut jam diximus beatum Augustinum,vel nos qui eum sectamur, istius erroris accusat.

Tertiam hæresim ponit prædestinationibus necessitates et vim inferentem. Cujus, ut sibi videtur, auctorem non tacet,vocans eam Gotteschalcanam a quodam videlicet miserrimo et infelicissimo mona-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Affirmat nullos docuisse nos per gratiam solam absque libero arbitrio salvari, quia si qui fuerint, ab Ecclesia tanquam hæretici perpetuo sunt habiti, ita ut particula illa (*nulli*) excludat catholicos, non autem quos Ecclesia condemnavit : aut saltem quia expresse nullus unquam ita docuit,sed solum liberum arbitrium de medio sustulerunt,ut Simon Magus ex Clemente lib. III Recognitionum ; Bardesanes ex Augustino, cap. 33 lib. de Hæresibus ; Manes centum annis post Bardesanem,a quo Manichæi,ex eodem, cap. 70 ; ut videant novatores nostri perversum suum dogma de salute per solam gratiam, absque libero arbitrii concursu et cooperatione, omnibus retro sæculis inauditum fuisse.

cho jamdudum (illic nescimus quo ordine) damnato, et annis jam plurimis carcerali ergastulo retruso,nomine Gotteschalco,qui si aliquid tam grande et periculosum contra fidem catholicam docere præsumpsit, ut necessario synodali iudicio tali ac tanta damnatione plecteretur,profecto dignum fuerat,juxta antiquum Ecclesiæ morem,ut tantus error, propter cautelæ studium, ne eo plures inficerentur, cæteris Ecclesiis in diversis regni partibus constitutis,etsi non in initio, quando tantum malum est deprehensum,vel in fine quando tanta est severitate damnatum; saltem postea per litteras synodicas et ecclesiasticas,ad omnium fratrum et coepiscoporum notitiam perferretur.Quod si more,ut diximus, ecclesiastico semper a Patribus observato factum fuisset, melius nunc sciremus, et paratiores essemus ad redarguenda et convincenda quæ iste eum docuisse proponit, *dicens eum prædestinationibus necessitates, et vim inferentem.*

Quod ergo de prædestinationibus velut pluraliter dictis eum accusat, manifestum est, sicut jam in multis superius demonstravimus, quod non ei tantum displiceat hujus nominis,id est,prædestinationis pluralis numerus,quantum ipsius prædestinationis vere pluralis,id est duplex effectus : tam videlicet (ut frequenter diximus, et ex Scripturis sanctis ostendimus) in præparatione electorum ad vitam,quam in præordinatione reproborum ad pœnam.Quod ut iste contra fidem Ecclesiæ denegaret, tantum et tam lacunosum laborem assumpsit, ut novis argumentationibus nobis persuadere conetur prædestinationem esse substantiam Dei, imo ipsum Deum esse prædestinationem,et ideo pluraliter de ea non debere sentiri : videlicet ut in parte tantum electorum sentienda sit prædestinatio ; in parte autem reproborum minime. Et ex hac occasione, ut justam reproborum prædestinationem ad supplicium æternum evacuet,in tantum prorupit audaciam,ut apertissime contra fidem,et veritatem Scripturarum asserere conaretur quod, sicut peccatum non est a Deo,ita et ejus supplicium, id est omnis miseria et mors,quæ peccantem hominem consecuta est, non sit a Deo. Cum, manifeste a Deo juste damnante et judicante,et miseria laborum et sudorum peccanti homini inflicta sit,et ipsa laborum omnium extrema mors,dicente Domino ad eum de miseriis vitæ laboriosæ : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea : spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ : in sudore vultus tui vesceris pane* (*Gen.* III, 17-19).Ubi statim de extrema mortis pœna subjunxit : *Donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es,et in pulverem reverteris* (*Ibid.*,19). Sed et mulieri quæ ante virum suum peccavit,ipsius peccati pœnam propriam,præter illam, quæ ei cum viro communis est confestim irrogando ait : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos ; in dolore paries filios*, etc. Negando itaque in parte reproborum justam divini judicii prædestinationem, ad hoc devolutus est, ut etiam omnes humanas miserias et ipsam mortem a Deo non esse,id est ad Dei judicium non pertinere assereret : ubi si quæratur ab eo unde sit mors et miseria,si a Deo non est,quid aliud restat nisi ut contra omnem veritatem respondeat aut a nullo esse,aut a diabolo esse ; cum a nullo ea esse dicere insanissimum sit : diabolus autem causas peccandi tantummodo suaserit, ultionem vero peccati non ipse,sed justus judex intulerit.

Quod autem dicit præfatum Gotteschalcum *prædestinationibus necessitates et vim inferentem :* si ita hoc dicit quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim et necessitatem imponat ad malum,id est ut inevitabiliter mali sint,et omnino aliud esse non possint,hoc omnino alienum est a fide catholica : quia omnipotens Deus (qui neminem vult esse malum nimis absurdum et impium est,ut dicatur quod aliquem cogat et compellat esse malum, et (de quo scriptum est : *Justus Dominus justitias dilexit* (*Ps.* x, 8) aliquem compellat esse injustum. Sed hoc agitur in omnibus reprobis, de peccatis eorum et supplicio extremo, quod actum est in primo homine peccante judicio primo : ut,sicut ille nulla Dei impulsione vel compulsione aut prædestinatione compulsus est ad peccandum, sed sua tantum sponte peccavit,judicium tamen et damnationem ipsius peccati nolens invitusque suscepit, quod fuit supplicium hominis primum : ita et omnis reproborum multitudo,quæ ex illa damnatione descendit,non Dei prædestinatione compellitur ad peccandum, cum Deus nulla peccata prædestinaverit ; sed tamen ipsius divinæ prædestinationis justo et æterno judicio compellitur ad luendum supplicium ; recipiens a Deo vim et necessitatem justæ damnationis,quæ nullam habuit vim aut necessitatem perpetrandæ iniquitatis. Neque enim illi qui a sinistris stabunt in judicio, et puniendi sunt igne æterno, volentes suscipient tale supplicium,sed utique nolentes et inviti, et irremediabiliter dolentes ac trementes,divinæ majestatis nutu,et angelico ministerio illuc præcipitabuntur, sicut Dominus aperte in Evangelio dicit : *Sic erit in consummatione sæculi : exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis : illic erit fletus, et stridor dentium* (*Matth.* XIII, 40-42). Istis namque messoribus, id est ministris angelis, quando venerit messio, id est sæculi consummatio, ab ipso judice dicetur : *Colligite zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum ; triticum autem congregate in horreum meum* (*Ibid.*, 30). Ecce qualem vim et necessitatem divinæ prædestinationis erga reprobos Ecclesia Dei juxta evangelicam veritatem credit, id est vim et necessitatem judicii ; non vim, et necessitatem peccati. Qui autem vim, et necessitatem peccandi Deum intulisse homini vel inferre dicit, manifeste horribiliter in Deum blasphemat, quem ad peccata compellendo, utique auctorem peccati esse confirmat. Hoc igitur modo nos, secundum veritatem Dei, de reproborum prædestinatione sentimus : fideliter cum confitentes non pec-

cati eorum, sed justi simplicii auctorem. Et ideo quod iste delirat, quasi hujus prædestinationis prædicatio, necessitatis ad peccandum sit irrogatio, quam sit calumniosum et vanum putamus, quod ex his quæ dicta sunt omnibus clareat.

Post hæc iste subjungit : *Substantiam hominis esse tria, id est esse, velle, scire; et hanc peccando non amisisse.* Nos autem substantiam hominis non aliud esse dicimus, nisi quam Scriptura divina in principio conditionis humanæ demonstrat dicens : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7.) Hæc est enim substantia hominis, qua subsistit et vivit, sicut docti indoctique noverunt, anima scilicet, et corpus sibi vitaliter connexum; sed corpus de limo terræ, anima ex inspiratione Dei. His constat, et ita factus est homo in animam viventem. Cum ergo ita doceat divina auctoritas, et ita teneat catholica veritas, quid sibi vult ista superfluitas, substantiam hominis esse tria, id est esse, velle, scire? cum manifestum sit substantiam hominis non tria esse, sed duo quædam, id est (ut jam diximus) animam et corpus. Sed iste, prætermisso corpore, quod naturaliter ad substantiam hominis pertinet, substantiam hominis esse dicit, esse, velle, scire; quæ utique in sola anima consistunt : quasi substantia hominis non sit, nisi anima sola. Videtur tamen ex disputationibus sancti Augustini in libris de Trinitate occasionem dicendi ista sumpsisse : sed absit ut tantus doctor tam absurde unquam dixerit et imperite, ut cum substantia hominis sit anima et corpus, ille definierit substantiam esse hominis, esse, velle, scire. Non ergo ait (sicut manifeste intelligere poterit qui dicta ejus in eisdem libris diligentissime legerit et perpenderit) substantiam esse hominis hæc tria, id est esse, scire, velle : sed in substantia esse hominis non exterioris, sed interioris, id est in mente rationali, ubi *creatus est homo ad imaginem et similitudinem Dei* (*Gen.* I, 26). Docens ea esse in ipsa mente rationali et intellectuali, naturaliter et substantialiter a Deo insita. Unde et rectissime in eisdem disputationibus dicit hæc tria unius cum ipsa et in ipsa mente esse substantiæ. Quia videlicet ipsa mens sicut substantialiter habet esse, ita substantialiter habet velle : id est substantialiter et naturaliter habet scire posse et velle posse.

Magnum est utique bonum istud naturæ ab optimo Conditore bene et mirabiliter conditæ. Sed si hoc solum habeat mens hominis ut possit esse, possit scire, possit velle, et non habeat ex dono ejusdem Conditoris sui ut possit bene et beate esse, possit pie et recte de auctore suo scire, possit, amando illum, cum illo esse velle, quid ei proderit habere esse, scire, velle, cum totum hoc malo suo habeat, si illud donum Creatoris sui non habeat? habebit enim esse infeliciter, scire fallaciter, velle perniciose et nequiter : sicut etiam angelica natura, in diabolo et angelis ejus damnata, utique habet hæc tria in sub-

A stantia sua spirituali, id est esse, scire, velle : sed tamen esse in pœnale est : scire autem et velle totum ad errorem, totum ad malum conversum est. Quid est ergo quod iste gloriatur naturam humanam peccando ista non amisisse, id est ut possit esse, scire, velle, cum omnium horum bonum et felicitatem omnino amiserit, esse incipiens, misera ex beata, scire amittens divina, et velle perdens cœlestia : nisi quantum ea postea adjuvit et erexit gratia Conditoris, ut amissa bona recognosceret, recognita doleret, dolendo et pœnitendo divinum auxilium imploraret : atque ita quod amiserat suo vitio, divina bonitate reciperet. Propterea igitur ineffabilis misericordia Conditoris non abstulit ei etiam post peccatum hæc naturalia bona sua, id est esse, scire,

B velle, ut haberet cui misereri potuisset : si enim post peccatum noluisset eum esse, simul utique cum ipso et in ipso periret, et scire, et velle : voluit itaque eum esse, ut haberet cui misereretur, voluit eum scire, ut haberet quem sua cognitione illuminaret; voluit eum velle, ut haberet quem suo amore beatificaret. Ita et diabolus qui creaturam Dei disperdere voluit, remansit victus, et Creatoris bonitas, et misericordia permansit invicta. Sed iste cur hoc proposuerit, ex sequentibus ejus propositionibus manifestius apparebit.

Subjunxit enim statim post istas duas propositiones sibi cohærentes et ait : *Nullam naturam posse perire, nec liberam voluntatem eum perdidisse, id est naturam suam* In quibus verbis, quod definivit nullam naturam posse perire; quod utique generaliter

C de omnium rerum natura dixit, unde didicit, aut unde verum esse ostendit? cum manifeste omnis rerum natura sicut voluntate Creatoris potuit ex nihilo subsistere, ut esset quæ ante non erat; ita etiam, si ipse velit, possit perire, et redire in nihilum, ut non sit. Hoc namque et Scriptura ostendit dicens de magnitudine et potentia Creatoris : *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis resistet ei? aut quis dicere ei potest : Quare ita facis?* (*Job.* XI, 8-10.) Certe ipse omnipotens Conditor cum propter nimiam malitiam et impietatem hominum pararet delere mundum diluvio, attestante Scriptura, sic ait : *Delebo, inquit, hominem*

D *quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli* (*Gen.* VI, 7.) Et iterum : *Repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra* (*Ibid.* 13). Sicut ergo illo magno et horrendo diluvio magna ex parte natura mundi deleta est, et in deterius commutata, sicut dictum fuerat : *Et ego disperdam eos cum terra* : et omnis pene natura animalium, quæ in mundo erant, id est tam hominum quam pecorum, aquis deleta est : etiam animæ impiorum, qui tam horrendo supplicio interire meruerunt, reservatæ sunt et transierunt ad majus, id est infernale supplicium; salvatis his solis qui tam exiguo numero in arca Dei

misericordia liberati sunt : nonne (si ita vellet) delere omnem naturam mundi,et mundalium sive cœlestium rerum facilime hoc posset admiranda potentia Creatoris, sicut manifeste in libris Machabæorum.Quidam sancti viri contra adversarios suos dimicaturi dixisse leguntur : ***Nos autem in omnipotenti Deo qui potest et istos contrarios venientes, et universum mundum uno nutu delere,confidimus*** (*II Mach.* VIII, 18). Requirendum autem ab isto est in illa ultima mundi conflagratione,de qua beatus Petrus apostolus dicit : ***In qua cœli magno impetu transient : elementa vero calore solventur*** (*II Petr.* III, 10,) quid sentient tunc futurum de quatuor mundi elementorum natura ? Si enim sic permanebunt ut nunc sunt,quomodo est vera apostolica ista sententia? sin autem maxima ex parte immutabuntur,vel B peribunt,quomodo est vera ista definitio,quod nulla possit perire natura? Certe quatuor vicissitudinum tempora quibus annus ducitur ac reducitur, id est veris, et æstatis, autumni, et hiemis, habent propriæ et distinctæ qualitatem naturæ suæ : sed cum fuerit cœlum novum, et terra nova, et cessaverit cursus iste solis et lunæ ac siderum,quo nunc ad refectionem et quietem mortalium dies noctesque sibi continuatim succedunt,et idcirco etiam illæ quatuor vicissitudines temporum,quæ solis cursu peraguntur, sicut nunc sunt esse non poterunt, quomodo non peribit eorum natura?

Sed et hoc interrogandus est, quid credat tunc futurum innovato cœlo et terra per ignem, et in aliam qualitatem,quæ immortalibus sanctorum corporibus congruat, mirabiliter translatis. Quid, in- C quam, tunc futurum credat de universa natura volucrum, quadrupedum, reptilium, natatilium? Si enim illa tam immmensa conflagratione penitus consummanda credenda sunt, quia nihil jam mortale ille mundus innovatus recipiet,quomodo verum erit ***nullam posse perire naturam***? Maxime cum et de ipso tantæ immensitatis mari in illa tam mirabili rerum commutatione scriptum sit : ***Et mare jam non est;*** si ergo dixisset iste humanam naturam non posse perire, utcunque audiendus esset, non quia Deus non possit eam dissolvere, si velit : sed quia promissio Domini nostri irrita esse non potest,quia ipse promisit dicens : ***Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt*** (*Matth,* x, 30.) Et alio loco : ***Et capillus de capite vestro non peribit*** (*Luc.* D XXI, 18). Cum autem generaliter dicat, nullam naturam posse perire, attendat quid etiam in natura rationali, id est diaboli, et angelorum ejus actum sit divino et terribili judicio, qui non solum velle bonum, sed etiam posse velle ipsum bonum perdiderunt. Postquam autem dixit nullam naturam perire posse,statim qui hæc omnia dixerit ostendens subjungit : ***Nec liberam voluntatem hominem perdidisse,id est naturam suam.*** Videlicet quasi illa falsa et fallaci argumentatione sua,qua ait nullam naturam posse perire, hoc nobis probaverit quod homo peccando liberam voluntatem non amiserit ;

A eo quod,secundum istum libera voluntas ejus,ipsa sit natura ejus. Nos autem, juxta fidei catholicæ veritatem dicimus quod natura illius primi hominis a bono Creatore ex toto bona, et bona voluntate prædita,condita sit. Hoc est enim ***quia creavit Deus hominem rectum*** (*Eccle.* VII, 30),sicut Scriptura dicit, ita tamen ut non tantum naturali bono esset in eo voluntas bona et libera,sed ut vere in eo quod conditus fuerat stare posset,divinæ gratiæ indigeret,et adjuvaretur. Unde illa vox ex persona ejus intelligitur in psalmo dicentis : ***Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum*** (*Psal.* XXIX,7,8). Ubi statim de casu suo subjungit,et dolens dicit ad Deum : ***Avertisti faciem tuam a me,et factus sum conturbatus.*** Quod enim ***in abundantia*** erat, et bonæ voluntatis,et beatæ libertatis ante peccatum,ex Deo illi erat ; cui et dicit : ***Domine,in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.*** Quod autem,avertente Deo faciem suam ab illo,nec cum vultu suo illuminando, ***factus est conturbatus,*** meritum ac pœna peccati fuit. Iste autem qui,absque illo divinæ gratiæ adjumento, in tantum in eo solum naturæ bonum prædicat, ut liberam voluntatem, nec peccando illum amisisse contendat, ita ut etiam ipsam liberam voluntatem naturam ejus esse dicat,manifeste Pelagiano errore involvitur ; asserens hominem sola natura, et ante peccatum liberam voluntatem habuisse,et post peccatum eamdem liberam voluntatem eum non amisisse,et ipsam liberam voluntatem naturam ejus esse: cum profecto non fuerit libera,nisi quandiu Deum pie subdita permansit bona ; ubi autem, Deum contemnendo,et mandatum ejus superbe transgrediendo, peccavit,statim facta sit sub jugo peccati.Quia,sicut ipse Dominus dicit : ***Omnis qui facit peccatum,servus est peccati*** (*Joan.* VIII, 34,36). Et ita quæ ante erat libera ad bonum, post illam miserabilem ruinam,per seipsam non potuit esse libera,nisi ad malum.De quo profundissimo damnationis mala nullatenus valet assurgere ad libertatem bonæ voluntatis,nisi illo liberante qui ait : ***Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.***

Iste autem,qui propterea eum putat non amisisse peccando liberam voluntatem, quia cum ipsa bona et libera voluntate est conditus ; et ideo naturaliter ei inerat ipse bonæ voluntatis affectus, scire debet, quod ideo condidit omnipotens Deus omnem rationalem creaturam,et hominum scilicet et angelorum, bona et recta voluntate præditam, ut quandiu servaret suum ordinem pie Deo subdita,et gratia ejus adjuta, permaneret in ea dignitas sua,id est et naturæ bonum,et ipsius gratiæ donum.Si autem contra Creatorem superbiendo, et de se potius præsumendo,desereret ordinem subjectionis et obedientiæ suæ, continuo, ipsius Conditoris justo judicio, et dono gratiæ privaretur, et natura in deterius converteretur. Unde in psalmo scriptum est : ***Homo cum in honore esset,non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*** (*Psal.* LXXXIV, 13. 21). Erat namque ante peccatum ***in honore***

naturæ bonæ a Deo conditæ; erat *in honore* gratiæ sibi a Deo collatæ. Sed hunc honorem divinæ bonitatis et gratiæ, unde haberet *non intellexit*, cum deserto Creatore de se præsumpsit, et, suggestione serpentis, Deo similis tanquam sub nullo Domino esse concupivit. Unde et ipse merito a Creatore desertus, totus in deterius commutatus est, et anima videlicet et corpore : anima, quia amissa libertate justitiæ, amissa libertate bonæ voluntatis, et peccato dominante depressus, ea quæ sursum sunt, quærere cessavit, et infima, velut bruto, et pecudeo sensu, appetivit; corpore vero, quia mortis conditione damnatus ut in terram et pulverem, unde sumptus est, more jumentorum dissolveretur, justi judicii sententiam excepit. Ecce ad quantum malum devoluta est humana natura, peccati merito tota in deterius commutata, libertate ad bonum amissa, et ad solum malum appetendum libera, nisi ejus gratia sanetur et redintegretur, *qui venit quærere, et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX, 10).

Angelica autem natura quantum in diabolo et angelis ejus depravata, et horribiliter in deterius commutata sit, amisso libero arbitrio ad bonum, ut non solum ad illud ullatenus assurgere, sed nec velle jam possint, et ad solum malum nunquam mutanda malitia conversi, quis digne possit expavescere, quanto minus verbis explicare? Nam et corporis natura ipsa est, et sana, et ægrota : sed quæ valet ac viget bono sanitatis, ejus amissione in deterius versa gravatur et affligitur morbo ægritudinis. Sed iste, qui liberam voluntatem, et liberum arbitrium ad bonum, non credit esse bonum humanæ mentis, sed ipsam mentem, neque esse in mente, sed ipsam mentem, videtur occasionem sumere, sicut jam et supra diximus, ex quibusdam verbis *sancti Augustini* in libris de Trinitate (*lib.* x, c. 11 et 12), cum ille veraciter omnino dicat, et mentem, et scientiam mentis, qua seipsam novit, et voluntatem mentis qua seipsam vult et diligit, unam esse naturaliter substantiam, quæ et est existendo, et seipsam agnoscit sciendo, et seipsam vult diligendo. Vere enim hoc totum, id est et mens, et scientia, et amor sui substantialiter unum sunt. Quæ tamen duo, id est scientiam, et voluntatem mentis, qua seipsam novit et diligit, non dicit ille esse mentem hominis, sed in mente hominis; et ideo hujus disputationis manifestus est error.

Quod cum de libero arbitrio disputatur, quo, libera hominis voluntate, vel bonum vel malum appetitur, non de illa voluntate agitur qua mens diligit seipsam,

A sed de illa voluntate, qua vel summum bonum diligit, cum recta est, id est Deum, vel infimum bonum, cum prava est, id est mundum. Hæc enim voluntas, cum una sit natura cum ea voluntate qua mens diligit seipsam, multum tamen distat affectione : quantum distat inter dilectionem sui, et dilectionem Dei, inter dilectionem sui, et dilectionem mundi. Illa enim voluntate seipsam amat : ista voluntate vel Deum diligit super se, vel mundum infra se. Quæ tamen voluntas, ut diximus, natura una est, sed affectione efficitur diversa. Et singularis est in dilectione sui, et multiplex in dilectione rerum bonarum vel malarum quibus trahitur sive distrahitur. Et ideo cum illa voluntas naturæ, de qua beatus Augustinus disputat, id est qua mens diligit seipsam, nihil per-
B tineat ad liberum arbitrium et liberam voluntatem quo vel bona appetuntur, vel mala, sed tantummodo mentis sit, et ad ipsam referatur; minus callide, vel nimis stulte iste adjungit ei libertatem, et vocat eam liberum arbitrium, vel liberam voluntatem. Quod beatus Augustinus nullatenus dicit, et absit ut diceret. Quis enim nesciat hanc mentis voluntatem, qua seipsam vult et diligit, omnibus hominibus naturaliter esse communem, et semper liberi arbitrii ad seipsam amandum? Quæ enim mens in hominibus est, nisi amentium et dementium, cujus voluntas non naturaliter velit, et mentem cui inest, et seipsam, esse, vivere incolumem permanere? Ad hoc omnium mentium voluntas est libera. Quid enim liberius tali voluntate, quæ mentem, cui inest, diligit esse, diligit vivere, diligit non perire? vel quid magis superfluum
C et supervacuum, ut talis voluntas appelletur libera, quæ nunquam potest esse aliud, ad diligendam se, vel ad mentem cujus est : aut ut eadem talis voluntas appelletur liberum arbitrium, cum arbitrium esse non possit, nisi in diversis rebus, quæ discernendæ, vel dijudicandæ, vel eligendæ, sive reprobandæ sunt? Voluntas vero mentis nihil inter seipsam diversitatis inveniat, sed et seipsam semper æqualiter diligat, et naturali pace atque unitate semper sibi cohæreat.

Desinat itaque dicere, cum de libero arbitrio hominis agitur, quo vel bona ad salutem, vel mala ad perniciem suam diligit, talem voluntatem mentis esse naturam. Quia licet et ipsa sit mentis voluntas, quæ et seipsam, et hæc diligit, tamen alia affectione diligit seipsam, quæ ita naturalis est ut nunquam mute-
D tur; alia affectione diligit ista, quæ omnino variatur et mutatur, dum vel ad bona vel ad mala diligenda convertitur (*a*); nam si talis voluntas mentis, qua non seipsam mens, sed alia vel bona vel mala diligit

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Non assequitur mentem Joannis Erigenæ Ecclesia Lugdunensis, quantum ipse possum conjicere. Nec enim dicit primo Erigena voluntatem et animam ejusdem esse naturæ, sed solum voluntatem ipsius mentis et animæ in dilectione suipsius agere ut naturam, non autem ut liberam. Secundo pie pariter et catholice sentit Erigena cum dicit libertatem in homine post peccatum remansisse, vigorem tamen et potestatem illius amisisse : arguit autem eum Ecclesia Lugdunensis quod accipiat libertatem ut servituti peccati opponatur juxta illud Joan. VIII : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Erigena tamen eam pro facultate ad utrumlibet, tam ad bonum quam ad malum, accipit, quam in homine post peccatum remanere ex Augustino certum est, ita ut disputatio hoc loco videatur esse de nomine. — Bellarminus, lib. v de Gratia, et lib. Arb., variis capitibus.

quibus aut beatificetur, aut misera afficiatur, natura esset hominis, sicut iste dicit, aut bona esset tantummodo, aut mala, et ex alio in aliud mutari non posset. Hæc igitur voluntas, id est talis affectio humanæ voluntatis juxta veritatem Scripturarum Dei, a bono Creatore bona et recta est insita homini, cum crearetur, hæc (in illo cooperante Dei gratia) bona et recta permansit, quandiu Creatori pie obedivit. Sed quia et ipsa humana natura ab incommutabili Creatore mutabilis condita est, et talis affectio mentis humanæ similiter mutabilis est, stetit in bono (adjuvante Dei gratia) et cecidit ad malum occulto Dei judicio, eadem gratia deserta. Et (sicut sæpissime dictum est) quæ erat libera ad bonum, amissa illa felici libertate, cœpit esse sub peccati misera servitute.

4. Adjungit ille quasi definiendo : *Libertatem homini post peccatum remansisse, vigorem et potestatem ejus perdidisse.* In quibus verbis non est diutius morandum : quia, sicut supra jam sæpius diximus, qui ante peccatum erat liberæ voluntatis, et naturæ bonæ, et dono gratiæ ad summum et æternum bonum, ad quod conditus fuerat amandum, et desiderandum, quærendum, inveniendum et contemplandum, peccando [*al.*, peccato] cecidit a tanto bono, et *factus est servus peccati*, sicut Dominus ipse testatur dicens : *Omnis qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34) ; et beatus Petrus apostolus dicit : *A quo enim quis superatur, ejus et servus est* (*II Petr.* II, 19) : ita, amisso dono gratiæ, vitiato et corrupto et depravato bono naturæ, sic miserabiliter a tanta felicitate lapsus est, ut ad illud bonum amandum, et perfruendum, cui inhærere debuerat nullum possit habere recursum, nisi per misericordissimi reconciliatoris et mediatoris auxilium, et sanguinis ejus pretium, a quo redimimur de tanta captivitate, ut recipere possimus pristinam libertatem, et de inimicis efficiamur amici. De quo mediatore Scriptum est : *Unus enim Deus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus* (*I Tim.* II, 5) ; et iterum : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus* (*Rom.* V, 10). Quicunque ergo dicit, post illam transgressionis infelicissimam ruinam, qua, amissa pristina libertate, factus est servus peccati, factus est servus ejus a quo et superatus est, factus inimicus Dei, et indiget uno mediatore et reconciliatore, per quem accipiat redemptionem a servitute, et reconciliationem ad Deum. Post hanc, inquam, tam magnam et miserabilem ruinam, quicunque dicit eum habuisse vel habere libertatem ad verum bonum appetendum, amandum et promerendum, nisi per gratiam veri mediatoris redimatur, justificetur, reconcilietur et reformetur, omnino contra fidem Ecclesiæ sentit, contra veritatem Evangelicam et apostolicam docet, et omnino (quantum in se est) evacuator est crucis Christi, evacuator est mortis Christi. Quia si aliter homo post illud peccatum veram mentis libertatem habere aut recuperare potuit, nisi per redemptionem crucis et mortis Christi, sicut Apostolus ait ad quosdam, qui se aliter putabant posse justificari : *Ergo Christus gratis mortuus est* (*Gal.* II, 21), *et hæc est sapientia verbi, in qua evacuatur crux Christi* (*I Cor.* I, 17). Vere enim si post aliud peccatum veram libertatem homo habere potuit, non indiguit redemptione, non indiguit redemptore, et superfluus est adventus Christi, superflua est mors Christi.

Quod autem dicit iste *peccantem hominem non amisisse libertatem sed ipsius libertatis vigorem et potestatem*, non recte dicit, quia non recte sentit. Non enim bonum libertatis ex parte tenuit et ex parte amisit ; sed, sicut vigorem, et potestatem libertatis, ita ipsam perdidit libertatem, ut jam per se ad verum bonum, unde cecidit, liber esse non possit. Remansit autem liber ad malum ; quia, sicut libera voluntate deseruit bonum, ita libera voluntate adhæsit malo. Habet itaque homo post illam damnationem liberum arbitrium, quo propria voluntate inclinari potest et inclinatur ad malum, habet liberum arbitrium, quo possit assurgere ad bonum ; ut autem assurgat ad bonum non esse propriæ virtutis, sed gratiæ Dei miserentis. Habet liberum arbitrium ut possit bene velle, ut possit bene vivere, ut possit Deo adhærere ; sed ut bene velit, ut bene vivat, ut Deo adhæreat, non est suæ virtutis, sed gratiæ Dei miserentis. Nam et qui graviter ægrotat, potest dici posse recipere sanitatem, sed ut recipiat sanitatem, habet necessarium medicamentum. Et qui mortuus est, posset dici posse resurgere, posse vivere, non tamen sua virtute, sed Dei. Ita et liberum arbitrium hominis semel sauciatum, semel mortuum, potest sanari, non tamen sua virtute, sed gratia miserentis Dei. Et ideo recte omnes admonentur, recte omnibus verbum Dei prædicatur, quia habent posse credere, habent posse converti ad Deum, ut verbo extrinsecus admonente, et intus Deo suscitante, qui audiunt reviviscant. Ut recte de hujusmodi homine dicatur : *Quia mortuus fuerat, et revixit ; perierat, et inventus est.* De hac possibilitate humanæ naturæ, quæ tamen nihil valet absque divinæ gratiæ largitate, ita beatus Augustinus docet dicens (*de Prædest. sanct.*, cap. 5) : « Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturæ est hominum : habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratia est fidelium. » Sed cum voluntas credendi aliis præparatur, aliis non præparatur a Domino, discernendum est quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. *Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas* (*Ps.* XXIV. 10). *Investigabiles* autem sunt *viæ ipsius* (*Rom.* II, 33). Investigabiles igitur sunt, et misericordia qua gratis liberat, et veritas qua juste judicat.

5. Iste postquam inaniter et fallaciter dixit post peccatum homini libertatem remansisse, subjecit aliam conclusionem, et ait : *Semper naturam inchoare posse et perficere nonnisi per gratiam.* Quod si ita dicit, quasi natura hominis per liberum arbitrium

suum semper possit bonum inchoare, sed non nisi per gratiam Dei perficere ut inchoatio totius boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodo ejus perfectio : ut primam partem boni agendi sibi vindicet homo, secundam Deus : talis sensus omnino Pelagianus est, et contrarius Evangelicæ et Apostolicæ veritati. Quia et ipse Dominus ut initium boni nostri ostendat non esse ex nobis, sed ex illo, ait : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* xv, 16). Et Apostolus dicit fidelibus : *Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* (*Phil.* I, 6) ; et iterum : *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini* (*Ib.*, 29). Et beatus Joannes Apostolus dicit : *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos : et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* (*I Joan.* IV, 10). Et iterum, beatus Paulus apostolus ait : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen ; aspicientes in auctorem et consummatorem fidei nostræ Jesum* (*Heb.* XII, 1, 2). Si ergo vere catholici esse cupimus, totum fideliter divinæ gratiæ deputare debemus, et initium videlicet boni operis nostri et finem. Quia, sicut præmissis Scripturæ sanctæ testimoniis clarissime demonstratur, Dominus eligit sanctos suos, non illi eum. Deus in suis fidelibus et incipit opus bonum et perficit : ab ipso donatur fidelibus qui pro eo patiuntur, et initium fidei, et finis martyrii. Ipse prior dilexit sanctos suos, ut et illi eum possent diligere. Et fides nostra Dominum Jesum habet auctorem, eam in nobis inchoando ; et ipsum habet consummatorem perficiendo. Hæc ergo fideliter teneamus, ut in vera fide fundati, ab errore hæretico tuti simus. Aut si istius verba alium sensum rectum et recipiendum habent, ostendat ipse qui scripsit.

CAPUT V.

Quinto capitulo hujusmodi propositiones ponit.

1. *Per præscientiam et prædestinationem Dei neminem compelli.*

2. *Præscire ea etiam quæ non esset facturus, prædestinare tantum quæ esset facturus.*

3. *Sicut in ea præscientia et prædestinatione Dei causam non esse peccati, ita nec pœnæ ejus, nec mortis.*

4. *Deum sicut neminem compellat peccare, ita nec bene vivere.*

5. *Si qua causa præcedat voluntatem, id est naturam ad bona vel mala cogitanda, vel facienda, non esse naturam.*

Ex his quinque propositionibus, jam tres superius, prout potuimus, satis tractatæ sunt, et ex superfluo repetendæ non sunt : id est prima et secunda et quarta. Restant ergo duæ, quas nunc primum posuit.

In tertia itaque sic dicit : *Sicut in præscientia et prædestinatione Dei causam non esse peccati, ita nec pœnæ ejus, nec mortis.* Quibus verbis nos respon- A demus : quia, si præscientia et prædestinatio Dei non est alicui causa peccati, sicut omnino verum est, ergo eadem divina præscientia et prædestinatio non est injusta, nec in aliquo vituperanda, qua impios in sua impietate perseverantes præscivit et prædestinavit æternis suppliciis condemnandos. Quia sua præscientia et prædestinatione omnipotens Deus non eis existit causa peccati, sed justus ultor peccati, nec eos impellit ad peccandum, sed juste tradit ad luendum supplicium. Præscit ergo sicut vere et verus Deus hominum futura peccata ; unde et Scriptura dicit : *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII, 42). Non ut ad peccandum sua præscientia aliquem compellat, sed ut ipsos peccantes sua æterna providentia B juste ordinet vel condemnet. Prædestinatione etiam sua, qua impios punire decrevit, sicut jam dictum est, non ut essent impii effecit, sed ut in ipsa impietate sua perseverantes, non essent impuniti, juste constituit. Quod vero iste adjungit atque definit quia, sicut Deus sua præscientia et prædestinatione non est alicui causa peccati, ita nec causa sit pœnæ et mortis quæ peccato debetur, fideliter discernendum est : quia videlicet homo peccando ipse sibi exstitit, et existit causa pœnæ suæ, et causa mortis suæ ; et tamen quia omnipotens Deus judex est justus, licet non sit in ejus præscientia et prædestinatione, sed in hominum meritis causa pœnarum et mortis, tamen est in eadem præscientia et prædestinatione æterna justitia, qua in sua impietate permanentibus et pœna inferatur et mors. Et ideo tali argumentatione, C sicut iste vult, non destruitur prædestinatio Dei, qua impiis irrogat æterna supplicia ; quia, etsi non est in ejus prædestinatione ulla causa pœnarum, est tamen ibi justitia, et judicium juste inferendarum pœnarum.

Quinta propositio talis est : *Si qua causa præcedat voluntatem, id est naturam, ad bona vel mala cogitanda, vel facienda, non esse naturam* : ubi manifeste contra veritatem loquitur. Si enim nulla causa præcedit voluntatem hominis ad bona cogitanda, vel facienda, unde est in homine bona voluntas, id est pia affectio, ut possit aliquid boni cogitare vel facere? Neque enim a semetipso habet homo voluntatem bonam, de qua dicitur : *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Neque a semetipso habet D efficientiam boni operis de qua dicitur : *Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum* (*Rom.* II, 10) ; sed ab illo hæc habet, de quo Apostolus fidelibus dicit : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13). Ipse prævenit voluntatem hominis misericordia sua, sicut Psalmista dicit : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11). Ipse inspirat homini gratiam recte cogitandi, sicut Apostolus dicit : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5). Ipse ergo nobis est causa bonæ voluntatis ; ipse nobis est causa bene desiderandi et perficiendi ;

ipse nobis causa misericordiæ et gratiæ, qua non solum bene velle, non solum bene agere, et perficere, sed etiam bene cogitare possimus. Et non solum in præsenti hæc agit in electis suis ; sed etiam, ante mundi constitutionem, prædestinavit illos gratia sua ut essent sancti et immaculati coram ipso ; sicut Apostolus testatur, dicens : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate* (*Eph.* III, 4). Cum ergo tanta et talis causa, quæ est utique causa omnium bonorum, sive in condendis, sive in munerandis creaturis suis, sit nobis optima et æterna causa bonæ voluntatis, præcedens nos gratia sua ut bene velle et bene agere possimus, quomodo iste dicit nullam causam præcedere bonam voluntatem et bona opera nostra? aut, si præcedat hæc aliqua causa per quam fiant, ipsam causam non esse naturam, cum omnipotens Deus, qui bonæ voluntatis nobis est causa, ipse sit præ omnibus summa et optima natura. Qui ergo non credit hanc summam et efficacissimam causam, eamdemque summam et optimam naturam præcedere voluntatem nostram, ut recte velle et recte operari possimus, manifeste resistit veritati, et Pelagiani erroris esse convincitur. Si enim hæc felix causa non præcederet hominum voluntates, nulla esset prædestinatio bonorum, nulla redemptio miserorum, nulla remuneratio operum piorum.

Ad mala autem cogitanda vel facienda, absit ut hæc summa et optima causa voluntatem nostram præcedat ! Præcedit tamen eam causa non efficiens, sed deficiens, id est summi boni desertio, et inferioris appetitio, cum ab amore Dei anima deficit, et ea quæ sunt inferius concupiscit. Ad hæc ergo delapsa humanæ naturæ voluntas efficitur mala, nullam aliam habens causam, quia mala sit, nisi, ut dictum est, defectum a summo bono. Talis namque defectus voluntatis, et angelos fecit malos deserentes Deum, et hominem similiter malum inobedientem Deo. Talis autem defectus manifeste non est aliqua natura, est tamen ipsius vel humanæ vel angelicæ naturæ deserens Creatorem, et defluens ad seipsam, vel etiam ad infimam creaturam. Et hæc est origo totius malæ voluntatis, totius pravæ cupiditatis et operis. Sed, quamvis non sit Deus causa malis voluntatibus nostris, nec ulla natura subsistens, sed creaturæ rationalis affectus ab amore conditoris deficiens, non tamen non idcirco non est judex, et vindex ipsarum cogitationum nostrarum, et justæ vindictæ, ac judicii sui prædestinator æternus ; quod iste tantis ambagibus et argumentationibus evacuare contendit. Quod vero assidue amat dicere ipsam voluntatem esse naturam, jam et supra admonuimus quod ex verbis sancti Augustini hujus erroris sumpserit occasionem ; dum quod ille tractat de voluntate mentis humanæ, qua diligit semetipsam, quæ semper utique est bona diligendo naturam suam, nec aliud vel aliter esse potest, iste contentiose omnino transfert ad eam voluntatem de qua agitur, cum de libero arbitrio tractatur. Quia, sicut diximus, una eademque voluntas mentis alia est cum naturaliter diligit seipsam, alia cum vel gratia adjuta diligit Deum, vel proprio vitio corrupta diligit mundum. Alia est autem et alia non naturæ, sed affectionis diversitate. Et ideo potest esse et bona et mala, secundum ea quæ diligit vel bene vel male.

CAPUT VI.

Sexto capitulo definit :

1. *Nullum peccatum nullamque ejus pœnam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate libero male utentis arbitrio.*

2. *Et stultissimum esse, dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam.*

3. *Nec dubitari posse ipsam rationalem substantiam esse.*

Has tres definitiones quare posuerit, et quid ex eis efficere voluerit, non satis apparet, nisi forte quia præcipua ejus intentio est in omnibus istis argumentationibus, ut vel liberum arbitrium secundum naturam defendat, quod est utique Pelagianum, aut prædestinationem justi judicii Dei quantum in se est destruat, quod est Ciceronianum. Nam Cicero, sicut beatus Augustinus in libris de Civitate Dei (*lib.* V, *c.* 9) commemorat, et ex ipsius Ciceronis verbis ostendit, in tantum conatus est divinæ providentiæ dispositionem evacuare, ut non solum prædestinationem, sed etiam præscientiam Dei omnino negaret, hac quasi ratione volens defendere liberum hominis arbitrium : atque ita auditores suos, dum vult facere liberos, fecit sacrilegos, qui ita se existimarent absolutos sui arbitrii libertate, ut in nullo essent obnoxii divinæ dispensationis providentiæ vel prædestinationi ; negantes Deo, quod summe ac proprie Dei est, id est præscientiam omnium futurorum, et prædestinationem dispositionum suarum. Quod quid est aliud dicere, quam Deum non esse Deum? quomodo enim vere Deus est, qui nullam habet præscientiam futurorum? Quod et nunc valde timendum et cavendum est ne, per hujuscemodi contentiones et concertationes, dum in parte suscipimus et in parte negamus prædestinationem dispositionum Dei, volentes homines quasi facere liberos, faciamus sacrilegos. Quia et hoc utique ad finem nostram pertinet, ut prædestinationem Dei, quæ utique justa est, in utramque partem plenam et perfectam esse credamus. Quod quia contra fidem est, si negetur, utique sacrilegum est. Quia ergo, ut diximus, maxima hujus intentio est, vel liberum arbitrium secundum naturam defendere, vel prædestinationem justitiæ Dei ex dimidia parte negare, potuit et has tres argumentationes velut in defensionem liberi arbitrii ponere.

Quod ergo ait, *Nullum peccatum nullamque ejus pœnam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate libero male utentis arbitrio*, verum est quidem, quia hominis propria voluntate commissum est peccatum, et peccati merito consecuta est pœna peccati, id est mors, miseria et supplicium. In hoc tamen pluri-

mum distat inter peccatum et pœnam peccati, quod peccatum illud solus homo fecit; peccati vero pœnam et ipse meruit, et Deus juste judicando inflixit. Et ideo tali argumentatione nequaquam concludit vel ostendit iste quod vult, videlicet quasi nulla pœna peccati, nulla miseria, nullum supplicium, quæ peccantibus irrogantur, a Deo sint. Et ideo non potuisse a Deo prædestinari iniquorum æterna supplicia : quia ab ipso non sunt, sicut peccatum, ita nec supplicium. Cum, sicut jam supra ostendimus, apertissime contra hunc errorem Scriptura clamet : *Bona et mala ; vita et mors ; paupertas et honestas a Deo sunt* (*Eccli.* XI, 14). Non utique illa mala, homines peccando, et inique agendo, committunt, quorum omnino auctor Deus non est; sed illa, quæ propter peccata hominibus justo Dei judicio irrogantur, sicut fames, cædes, hostilitates, vastationes, et cæteræ ærumnæ, et clades : de quibus et Amos propheta dicit : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit* (*Amos* III, 6). Et ipse Dominus per Isaiam prophetam ait : *Ego Dominus faciens pacem, et creans malum* (*Isa.* XLV, 7). Unde et de talibus malis quibusdam comminatur dicens : *Et adducam super eos mala, annum visitationis eorum* (*Jer.* XI, 23). Et iterum : *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis* (*Deut.* XXXII, 23). Quæ omnia Deus creare dicitur, non quasi aliquam naturam condendo; sed ea justo suo judicio decernendo, instituendo, et inferendo. Quomodo autem recte distinguere et intelligere debeamus secundum hunc sensum, quod *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I, 13). Et tamen *mors a Deo* est (*Eccl.* XI, 14). Clarissime beatus Augustinus exponit et ostendit dicens : [Justum Dei judicium est ut peccato suo quisque pereat, cum peccatum Deus non faciat, sicut et mortem non fecit. Et tamen quem morte dignum censet, occidit. Unde legitur *Deus mortem non fecit.* Et legitur : *Mors et vita a Deo est.* Quæ duo non esse inter se contraria profecto videt quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit. Quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem.]

Quod autem subjungit iste, et dicit : *Stultissimum esse dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam.* Verum est quidem quod voluntas animæ rationalis secundum naturam et in natura est ejusdem animæ rationalis; sed, sicut sæpe jam dictum est, eadem ipsa naturalis voluntas aliter intelligenda est cum se vult et diligit, et ad se refertur, quam nemo dubitat semper naturaliter bonam esse; aliter vero cum vel Dominum pie diligit, vel perverse mundum, et ad ea refertur quæ vel supra se, vel infra se diligit. Et ideo jam talis voluntas, non ad mentem suam cum naturaliter inest; sed ad aliud vel aliud, quod extra substantiam est relata, potest esse et bona et mala, non natura, sed affectione : videlicet aut recte superiora diligendo, quibus beatificatur; aut prave appetendo inferiora, quibus corrumpitur. In qua re non jam est sola natura; sed aut virtus, aut A vitium naturæ, sed virtus ex divinæ gratiæ infusione, vitium ex propriæ voluntatis depravatione. Et hoc est liberum humanæ mentis arbitrium, cum ad illa, vel illa appetenda affectus hominis inclinatur. Qui affectus nec extra naturam est, quia in utramque partem spontanea voluntate movetur, nec tamen solius naturæ est; sed ut ad bona moveatur, divina excitatur, et agitur gratia; ut vero ad mala, propria cupiditate depravatur. Quod ideo in hoc loco breviter et diligenter, prout potuimus, demonstrandum putavimus, ut scienter discernatur et intelligatur quam absurde et fallaciter naturalem tantummodo arbitrii libertatem iste ubique asserere conetur, propter illam scilicet humanæ mentis voluntatem, qua naturaliter diligit seipsam. Nec attendit, aut certe dissi-
B mulat, nihil ad hujusmodi voluntatem pertinere, cum de libero arbitrio agitur; sed ad illam quæ alio modo, alia affectione, vel ad bona diligenda vel ad mala petenda, aut divina gratia adjuta aut suo vitio depravata movetur. Ac per hoc manifestum est quod ejus tam contentiosa et pervicax intentio, qua liberum arbitrium naturaliter defendere conatur, manifeste cassa et irrita est. Quia, licet in natura hominis et voluntate humanæ mentis liberum consistat arbitrium, et naturaliter habeat posse bonum velle, posse recte vivere, posse beate esse; tamen, ut ipsum bonum velit, ut recte vivat, ut beata fiat, non habet ex sua virtute, sed ex sola divinæ gratiæ largitate.

Sed quia iste tali argumentatione nos coarctare vult, ut aut divinam prædestinationem ex dimidia parte negemus, aut eamdem prædestinationem per-
C fecte asserendo liberum videamur tollere arbitrium, sicut etiam Cicero disputabat, divinam præscientiam impugnando et negando, asserens quod si vere esset Dei præscientia, non posset esse in hominibus liberum arbitrium : aut si esset in hominibus liberum arbitrium, nullam esse Dei præscientiam. Unde et elegit ille impiissimus et detestabilis blasphemator Dei, ut liberum hominis arbitrium defenderet, et Dei præscientiam omnimodis denegaret. Quem iste quam magna ex parte in hac disputatione sua sequi, et imitari videatur facile intelligit, qui diligenter advertit. Quia qui negat Dei præscientiam, negat etiam Dei prædestinationem, quæ sine præscientia nulla est. Ut ergo manifestius et lucidius intelligamus quomodo utrumque verissime constet, videlicet et
D divina prædestinatio, et liberum hominis arbitrium, nec omnino alterum altero destruatur, necessarium omnino et salubre existimamus in hoc loco ipsa verba sancti Augustini subjungere, quibus adversus impiam Ciceronis disputationem, utrumque defendit, utrumque tenendum suavissime docet (Aug., *de Civit. Dei*, lib. V, c. 9).

[In has, inquit, angustias coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut non esse præscientiam futurorum. Quoniam utrumque arbitratur esse non posse; sed si alterum confirmabitur, alterum tolli : si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbi-

trium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ex duobus elegit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam f turorum : atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat.] Item post aliquanta : [Spiritus ergo vitæ qui vivificat omnia, creatorque est omnis corporis et omnis creati spiritus, ipse est Deus, spiritus utique non creatus; in ejus voluntate summa potestas est, qua creatorum spirituum bonas voluntates adjuvat, malas judicat, omnes ordinat; et quibusdam tribuit potestates, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.] Et post aliqua : [Causa, inquit, rerum, quæ facit, nec fit, Deus est; aliæ vero causæ faciunt, et fiunt : quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id est ut nihil sit in nostra voluntate? cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates.]

Item post pauca : [Quod vero negat, inquit, ordidem omnium causarum esse certissimum, et Dei præscientiæ notissimum, plus eum quam Stoici detestamur : aut enim esse Deum negat, aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum; etiam sic nihil dicit aliud quam quod ille *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1) : qui enim non est præsciens omnium futurorum, non est utique Deus. Quapropter et voluntates nostræ tantum valent quantum Deus eas valere voluit atque præscivit; et ideo quidquid valent, certissime valent : (*cap.* 10) et quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt, quia valituras atque facturas ille præscivit (*a*), cujus præscientia falli non potest. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed, etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus quæ, si nollemus, non utique faceremus, quo primitus pertinet ipsum velle : nam si volumus, est; si nolumus, non est. Non enim vellemus si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid vel ita fiat, nescia cur etiam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim et vitam Dei, et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere, et cuncta præscire, sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse; sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis. Recte quippe Omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod ei si accideret, nequaquam omnipotens esset. Unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam cum dicimus, necesse esse ut, cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio decimus; et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates, quæ et ipsæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus. Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate; non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porro si ille qui præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit; profecto et illo præciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogitur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium : aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur : illud ut bene credamus, hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis ejus negare præscientiam, ut libere velimus, quo adjuvante sumus liberi vel erimus. Juste itaque præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt : neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit; imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.]

Hæc ad instructionem et confirmationem nostram contra humanæ præsumptionis et argumentationis errores beatissimus doctor lucidissime disseruit, qui etiam alio loco de hac eadem re ita ait : [Neminem Deus ad peccandum cogit, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non judicet justus, quæ fieri non cogit præscius : sicut enim memoria sua nemo cogit facta esse quæ præterierunt, sic Deus non cogit præscientia sua facienda, quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit; ita Deus omnia quorum ipse auctor est, præscivit; quorum autem non est malus auctor, justus est ultor.] Item de immutabili ratione rerum mutabilium in Deo, et de æterna ejus ac generali prædestinatione, et præscientia alio loco ita dicit : [Ira Dei non perturbatio animi ejus est, sed judicium quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio vero ejus et recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Non enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præcientia.]

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Cum ait voluntatem illiud esse facturam quod Deus præscivit, non vult præscientiam imponere voluntati necessitatem, cum hoc hæreticum sit, sed tantum infallibiliter esse facturam et indubitanter eventuram, posito quod Deus ita præscierit, cum ejus præscientia minime fallatur.

CAPUT VII.

Septimo capitulo talem definitionem ponit.

1. *Liberum arbitrium inter media dona Dei deputandum : ideoque eo peccari potuisse.*

Ubi hoc breviter dicendum,et distinguendum est, quod iste licet donum Dei dicat esse liberum arbitrium : tamen naturale illud tantummodo asserit more Pelagianorum; cum fides Ecclesiæ multum distinguat inter dona naturæ et dona gratiæ : ut, quod dedit omnipotens Deus homini naturaliter mentem rationalem et intellectualem,et in eadem mente memoriam, intelligentiam, voluntatem; quod dedit etiam naturaliter corpori humano substantiam,formam, speciem, incolumitatem,sensum videndi,audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, vivificante illud anima et sensificante, manifeste sint dona et B munera naturæ, quæ prima creatione Deus homini inseruit, et creando naturaliter dedit; quod autem dat Deus homini fidem, spem,charitatem,pietatem, bonam voluntatem, boni operis facultatem, et cætera hujusmodi dona suæ gratiæ,dona Spiritus sancti, de quibus Apostolus dicit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XI, 12). De quibus etiam in psalmo dictum esse exponit. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem,dedit dona hominibus* (*Eph.* IV, 8 ; *Ps.* LXVII, 19); unde et ipsum liberum arbitrium fides catholica,fides vera inter dona gratiæ deputat. Quia,licet naturaliter illud homini Deus inseruerit, quando eum creavit utique bonum, et bona voluntate præditum; tamen et tunc indigebat gratia Conditoris,ut in bono quo creatum fuerat permaneret; C et primi illius peccati merito amissa libertate infirmatum,vitiatum atque corruptum, et velut quadam ruina depressum,nullatenus valet assurgere ad illud æternum et summum bonum,ad quod homo conditus est, nisi Dei gratia sanetur, redintegretur, illuminetur et liberetur : nec potest omnino aliter fieri liberum,nisi fuerit Dei gratia liberum,per eum qui dicit : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere libri eritis* (*Joan.* VIII, 36) : ut fiat in nobis quod Apostolus ait : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*(*II Cor.* III, 17) : et ideo, sicut diximus, insanus et Pelagianus est error,si quis liberum arbitrium, quod in Adam periit peccando, amisso dono naturæ et dono gratiæ, D A aliter putat esse liberum, nisi fuerit Chrtsti gratia liberatum.

Quod autem dicit iste,illud(*a*) liberum arbitrium, (*b*)bonum et rectum,et bona voluntate ad superna et divina erectum, quale in primo homine conditum fuit, ita ut esset sine ullo peccato, et posset non peccare si vellet : quod, inquam, tale et tam magnum bonum non inter summa,sed inter mediocria Dei dona esse asserit deputandum,multum a veritate discordat. Quia, sicut diximus, tantum ac tale erat in illo primo homine liberi arbitrii bonum,quale in nullo est sanctorum in præsenti vita : in quibus,licet sit liberum arbitrium jam Christi gratia liberatum atque sanatum, tamen tanta est illa sanitas, ut, quandiu mortaliter vivunt, sine peccato esse non possint; et cum multum velint atque desiderent non peccare,(*c*) non possint tamen non peccare.Unde et quotidie indigent supplicare et veraciter dicere Patri cœlesti : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Non ergo medium,sed summum donum erat secundum eum modum,quo tunc homo in paradiso vivebat,liber a peccato,et libertatem non peccandi habens in propria voluntate quandiu pie Deo se subjiceret regendum atque juvandum,licet adhuc esset perficiendum in melius,si in Dei obedientia permanisset, ut tantam virtutem acciperet,ut jam peccare non posset.Ut autem tale, et tam liberum arbitrium in illo primo homine peccare posset, fecit hoc desertio Dei et præsumptio sui; dum sub Deo esse negligens,et in sua potestate esse volens, amisit donum divinæ gratiæ, amisit bonæ naturæ, et invenit se sub damnatione miseriæ.

CAPUT VIII.

Octavo capitulo hos definitiones ponit.

1. *Interioris hominis substantialem trinitatem in essentia, et voluntate, et scientia contineri.*

2. *Nec aliud ei esse et velle, nec aliud velle et scire, sed hæc tria unam naturam, totamque animæ naturam voluntatem esse.*

3 *Liberam voluntatem esse naturam hominis, ejusque liberum motum, ac potestatem movendi, quod sit liberum arbitrium, hoc donum Creatoris.*

4. *Sicut animale corpus potuit mori, quia adhuc non erat perfectum, id est spiritale, ita voluntas li_*

NOTÆ DUVALLI DOCTORIS SORBONNICI.

(*a*)Arguitur Erigena quod liberum arbitrium inter media Dei dona recenseat, inter naturam scilicet et gratiam : sic enim viam ad Pelagianismum sternit. Si enim libertas sit medium quoddam domum supra naturam,sequitur auxilia gratiæ ad resurgendum a peccato aut ad pie operandum non esse necessaria; verum si per liberum arbitrium intelligat Erigena actiones liberas, nonnihil potest excusari, cum illæ a D. Thom. I part. q. 57, art. 4, medii ordinis inter naturales et supernaturales esse dicantur, ac propterea ait ab angelis naturaliter non posse cognosci.

(*b*)Accipitur in universa disputatione liberum arbitrium aut pro actuali conversione ad bonum, aut pro libertate a servitute peccati; et sic ubique docetur illud esse bonum rectum et bona voluntate ad superna et divina erectum; ideoque non esse mirum si asserat esse duntaxat gratiæ donum, et omnino perisse in Adamo, cum tamen si ut potentia sumatur, aut habito respectu ad actiones civiles et humanas, donum naturæ debeat appellari.

(*c*) Cum dicit optimos quosque in statu naturæ lapsæ non posse non peccare,intelligendum est collective, non distributive, id est, etiamsi nullum sit peccatum, singulariter acceptum, quod vitare non possint,nihilominus propter carentiam gratiæ valde specialis,et naturæ corruptionem ex peccato profectam. non possunt non incidere in aliquod peccatum. Ita D. Thom. 1-2, q. 109 art. 8.

bera, adhuc animalis merito, quia mortalis, potuit A *peccare, quoniam adhuc non erat perfecta, quæ utique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas penitus auferretur.*

5. *Hunc motum nulli animalium præter hominem concessum.*

6. *Sitque talis differentia inter liberum hominis arbitrium, et ejus substantiam, ut natura in voluntate rationali, liberum vero arbitrium ejus libertate, sive in motu liberæ naturaliter voluntatis, sive in munere intelligentiæ.*

7. *Quæ tria, id est liber, motus intelligentia, liberum arbitrium inter se componunt : ut, sicut substantia in qua est, trina sit : est enim, et vult, et scit : ita et illud trinum fiat; liber, motus, intelligens.* B

Quod ergo dicit, *interioris hominis substantialem trinitem in essentia et voluntate et scientia contineri,* ex parte ex disputationibus sancti Augustini in libris de Trinitate sumpsit; ex parte de suo excogitavit. Dicit enim beatus Augustinus de sancta et summa Trinitate disputans(*lib.* IX, *cap.*2, *et lib.* XV, *cap.* 7), et de mente hominis ubi ad imaginem et similitudinem Dei conditur est, similitudinem ad Deum trahens, ut per illam imaginem trinitatis quæ est in mente hominis sublevaret nos ad contemplandum utcumque Trinitatem quæ Deus est. Dicit, inquam. hæc tria, id est esse, nosse, et velle, ita in mente hominis inveniri, ut et distincte tria sint, et substantia unum sint; videlicet quando mens, quæ naturaliter est, naturaliter novit se et naturaliter vult, id est C diligit se, nec ad aliud tunc refertur ejus notitia et voluntas nisi ad seipsam. Tunc enim licet distincte intelligantur hæc tria esse in mente, id est esse et nosse se, et velle se, tamen et ipsum esse natura, id est essentia mentis est, et omnino naturaliter novit se, et naturaliter vult se; et tota est, et sicut tota habet esse, sic etiam tota se novit, sic tota se vult et diligit. Et ideo tunc quanta est essentia ejus, tanta est et notitia ejus et voluntas ejus. Et ex hac comparatione admonet beatus doctor, ut ex similitudine mentis nostræ exsurgamus ad contemplandam veram Trinitatem quæ Deus est: ut sicut hæc tria, id est esse, nosse se, et velle se, ita inveniuntur in mente hominis, ut et proprie singula discernantur, et tamen substantialiter et na- D turaliter unum sint. Et quinta est ipsa mens, tanta tunc sit et notitia sui et dilectio sui, quia tota se novit, tota se diligi : ita ex hac imagine et similitudine Dei sublevemus intellectum ad ipsam Trinitatem Domini, et agnoscamus in ipsa beata et summa Trinitate, distincte et proprie tria esse, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et hæc tria essentialiter et naturaliter unum esse, et æqualia esse, ut quantus est ibi Pater, tantns agnoscatur esse et Filius, tantus et Spiritus sanctus. Sicque, velut per speculum et in ænigmate mentis nostræ discamus intelligere sanctam Trinitatem, distinctam personis, unitam substantia, æqualem natura atque potentia.]

Iste vero cum hæc legisset, tam utiliter et salubriter ad illuminationem nostræ fidei dicta, non est contentus moderamine et pietate sancti doctoris, ne terminos ab eo præfixos excederet : sed addidit de suo quod hæc tria quæ in mente hominis contemplantur, Trinitas sit substantialis : cum Trinitas substantilis et substantiva, id est quæ substantialiter in personis consistat, nullatenus inveniri possit, nisi unius Dei. Unde et idem doctor, ne quis erret in talibus sollicite admonet, et docet in eisdem libris, quod non homo sit hæc tria, sed hominis vel in homine sint hæc tria. Cum e contrario in sancta Trinitate illa tria quæ distincte ibi agnoscuntur, nullatenus dici debeant aut possint in uno Deo esse, sed vere unus Deus esse. Neque enim Trinitatem dicimu esse in Deo, sed ipsam Trinitatem Deum : sic enim ipse sanctus doctor dicit (lib. XV *de Trinit.*, cap. 6) : [Invenimus in homine trinitatem, id est mentem et notitiam qua se novit, et dilectionem qua se diligit; sed hæc tria ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo : homo enim est, sicut et veteres definierunt, animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo, et una persona, id est singulus quisque homo.] Habet illa tria in mente, vel mentem : ac per hoc illa non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur aliquid, ejus mens est tanquam caput ejus, vel oculus, vel facies, sed non hæc ut corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima, mens vocatur : nunquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus?

Iste vero postquam non recte substantialem Trinitatem in mentis essentia et voluntate et scientia contineri dixit, addit adhuc aliud pejus, dicens de ipsa hominis mente : *Nec aliud ei esse et velle, nec aliud velle et scire; totamque animæ naturam voluntatem esse; sed hæc tria unam naturam.* Cum e contrario firmissime fides teneat nullam creaturam esse, id est nec angelicam, nec humanam, quæ ita sit simplicis naturæ, vel essentiæ, ut quod est ei esse, hoc sit intelligere, quia videlicet potest esse et non intelligere. Nec quod est ei esse, hoc est velle, quia potest esse et non velle. Nec hoc illi est esse quod nosse, quia potest esse et non nosse. Nec hoc illi est esse quod diligere, quia potest esse et non diligere. Solius autem divinæ naturæ est summa illa et ineffabilis simplicitas, ut quod est ei esse, hoc ei sit quidquid veraciter dicitur esse. Verbi gratia, quod est ei esse, hoc est intelligere, quia non est in illo aliud essentia et aliud intelligentia : sed quod est essentia, hoc intelligentia; et quod intelligentia, hoc essentia. Similiter non est illi aliud esse et aliud sapientem esse, quia non est in illos aliud essentia et aliud sapientia : sed quod essentia, hoc sapientia, et quod sapientia, hoc essentia. De qua re idem beatus doctor ita loquitur, dicens :

[Si autem quæritur quomodo multiplex et simplex illa sit substantia, animadvertenda est primo creatura quare sit multiplex,nullo autem modo vere simplex.] Et post aliqua : [etiam anima, inquit, cum aliud sit artificiosum esse, aliud inertem,aliud acutum,aliud memorem; aliud cupiditas,aliud timor; aliud lætitia, aliud tristitia; possintque alia sine aliis, et alia majus, alia minus,innumerabilia et innumerabiliter in animæ natura inveniri : manifestum est non simplicem, sed multiplicem esse naturam, nihil enim simplex mutabile est. Omnis autem creatura mutabilis, Deus autem multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus,sapiens, beatus,verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur.Sed eadem magnitudo ejus est,quæ sapientia. Non enim mole magnus, sed virtute. Et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo; et eadem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum aut sapientem,aut verum,aut bonum, aut omnino ipsum esse; nec quoniam Trinitas est,ideo triplex putandus est. Alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius.] Item cum de solo Filio loqueretur, ita ait de illo : [Ubi est prima et summa vita,cui non est aliud vivere,aliud esse, sed idem est et esse et vivere; et primus ac summus intellectus,cui non est aliud vivere,et aliud intelligere : sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est : unum omnia tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid; et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viventium incommutabilium. Et omnes unum in ea,sicut ipsa unum de uno cum quo unum.]

Cum ergo hæc ita sint, quomodo iste ausus est dicere de creatura humanæ mentis : *Nec aliud est ei esse et velle, nec aliud velle et scire, sed hæc tria unam naturam totamque animæ naturam voluntatem esse*? Cum e contrario sanctus doctor quem sibi sequi videtur,et cujus cautelam atque moderationem sua levitate atque vanitate nimis impudenter transcendere præsumit,inter illa tria quæ in mente humana velut quædam similitudo Trinitatis inveniuntur, id est esse, nosse, diligere, tantam distantiam esse ostendat,ut sic de his dicat (*de Trin.*l. x, c. 11, 12) : [Sive mentem dicamus in homine,ejusque notitiam et dilectionem,sive memoriam,intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus, nisi per memoriam,nec intelligimus,nisi per intelligentiam,nec amamus,nisi per voluntatem.] Ecce,secundum veritatem quam sanctus vir docet,in ipsa hominis mente quanta est distantia et diversitas : inter hæc tria, quæ naturaliter in illa et illius sunt; id est inter memoriam sui et intelligentiam sui et dilectionem sui, A dum per solam memoriam sui meminit,per solam intelligentiam se intelligit,per solam dilectionem se diligit : aliud ergo ibi potest memoria,aliud intelligentia, aliud dilectio : nec quod potest memoria, hoc potest intelligentia,nec quod potest intelligentia hoc memoria : nec quod potest memoria et intelligentia,hoc voluntas. Et si mentis essentia distincte consideretur,quod potest substantialiter in his tribus, absque illis utique non possit. Iste autem e contrario dicit, menti non aliud esse et aliud velle; nec aliud velle et aliud scire. Quod si recipiatur, quid aliud ista et nova,inaudita præsumptione,asseritur,nisi, ut Deus simplicis est naturæ,ita et mens humana simplicis naturæ esse credatur? Si enim quod est humanæ menti esse, hoc est velle, mani- B feste non est ibi aliud essentia, et aliud voluntas; sed ipsa essentia voluntas,et ipsa voluntas essentia. Item,si humanæ menti non est aliud velle et aliud scire,ergo non est ibi aliud voluntas et aliud essentia; sed ipsa voluntas scientia, et ipsa scientia voluntas. Ex hac incredibili ratione sequitur ut dicatur, sicut et iste dicit, quod ipsa mens sicut tota est essentia, sic tota sit voluntas, tota scientia. Et sicut de Deo verissime creditur ut de ipso solo veraciter dicatur quia quod habet, hoc est; habet enim justitiam, sed ipse justitia est; habet sapientiam, sed ipse sapientia est; habet bonitatem, sed ipse bonitas est; sequitur,inquam,ut et de humana mente similiter dicatur : quia quod habet,hoc est : videlicet quia habet voluntatem,sed ipsa est voluntas; habet scientiam, sed ipsa est scientia; ita ut, C sicut de Deo credimus, non sit illi aliud esse et aliud habere.

(*a*) Ecce ergo isto auctore, imo deceptore, contra omnem fidei veritatem, contra Scripturæ sanctæ auctoritatem,contra paternorum dogmatum sinceritatem, imo contra omnem divinam humanamque rationem,inventa est creatura,id est mens humana, quæ sit naturæ simplicis,ac per hoc incommutabilis, sicut Deus naturæ simplicis et incommutabilis,est. Cum e contrario veritas clamet,et ipse sanctus Augustinus,sicut supra ostendimus,manifeste affirmet quia omnis creatura multiplex, nullo autem modo vere simplex; et iterum dicat : nihil mutabile simplex,omnis autem creatura mutabilis.Eligat ergo iste alterum de duobus : si mentis natura,sicut asserere D conatur,natura simplex est mutabilis non est,quia, sicut ipse doctor dicit,et verissime dicit,nihil mutabile simplex; si autem ipsa mentis natura, sicut omnis creatura vere mutabilis est,simplex non est. Absit igitur ut beatus Augustinus,qui omnem creaturam affirmat esse mutabilem et multiplicem,nec

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Meminerunt hujus erroris Hieronymus epistola ad Marcellinum et Anapsychiam, et August., epist. 28, ad eumdem Hieronymum : in quem inciderunt tum philosophi, tum Gnostici, ex August. hæres. 6; Cerdon, ex Theodoreto, lib. II hæreticarum Fabularum; et Manichæi, ex August. contra Fortunatum : itemque Priscillianus, ex concilio Braccarensi I,can. 5.Hi enim omnes non aliam in homine ponebant animam præter eam totius mundi, aut saltem partem illius,quomodo animam hominis esse Deum vel partem illius fateri cogebantur. Refelluntur ab Augustino et Hieronymo locis citatis, itemque a D. Thoma I part., quæst. 9. art. 1.

ullo modo simplicem, talia senserit vel scripserit de natura mentis humanæ, ut eam non tantum similem, sed etiam æqualem Deo esse assereret, si eam immutabilis et simplicis naturæ esse dixisset! Legat qui voluerit et valuerit diligentissime, et attentissime perscrutetur dicta illius de hac re in libris de Trinitate, et inveniet eum dixisse illa tria quæ in mente hominis reperiuntur, de quibus sæpe dictum est, propter unitatem substantiæ mentis cui insunt, unum esse, et unam mentem esse, unamque substantiam; inveniet eum dixisse, quia hæc menti substantialiter insunt, et mentem esse substantiam, et notitiam sui substantiam, et voluntatem sui substantiam. Item inveniet eum dixisse quod mens tota se novit, tota se vult, vel diligit; nusquam tamen illic eum dixisse inveniet ipsam mentem esse notitiam, ipsam mentem esse voluntatem: cum superius jam ex ejusdem verbis ostensum sit, aliud ibi esse notitiam, per quam solum se mens novit, et aliud voluntatem, per quam solum se mens diligit. Cur itaque, cum tota se novit mens, non dixit ipsam mentem esse notitiam? Et cum tota se vult, non dixit ipsam mentem esse voluntatem? nisi quia mens ipsa creatura est, et simplex non est; et aliud est illi esse, aliud nosse, aliud velle. Sed si aliquis, vel iste qui hoc dixit, opponat: quomodo ergo hæc tria unum, una mens, una substantia, si est ibi aliud, et aliud, agnoscat hæc tria et substantialiter unum posse dici, quia una, et in una substantia sunt. Et potentialiter aliud, et aliud, quia, sicut ipse doctor ostendit, aliud in ipsa mente potest memoria, aliud intelligentia, aliud voluntas. Cum e contrario in divina Trinitate possimus dicere alius, et alius, et alius; sed nullo modo dicere possimus aliud, et aliud, et aliud, propter summæ simplicem naturæ unitatem. Ibi ergo summa simplicitas, ubi nunquam inveniri potest aliud, et aliud.

Invenitur quidam antiquus disputator, cum de incorporea animæ tractaret natura, inter cætera ita de ea dixisse: Et cum vult anima, si tota vult, tota voluntas est, ubi utique circumspecte et cautissime sic asseruit ipsam animam secundum quemdam modum aliquoties totam dici posse voluntatem, cum scilicet tota vult, quia manifeste non extra se, sed in se, et apud se vult, ut nullo modo eam absolute definierit esse voluntatem, sed suspense posuerit ac dixerit, si tota vult, tota voluntas est: unde indubitanter intelligendum est, imo unicuique in seipso naturaliter agnoscendum, quia si tota non vult, tota voluntas non est. Potest namque unum atque idem ex parte velle, et ex parte non velle potest idipsum, quod tota vult, penitus non velle. Et ideo juxta hujusmodi voluntatis mutabilem et variabilem motum, non est dicenda absolute ac definitive animæ natura tota esse voluntas: quia procul dubio hoc non est, nec cum ex parte vult, vel cum omnino id quod voluerat non vult, habens semper in se naturaliter velle: ita tamen ut, manente semper sui natura atque substantia, id ipsum velle secundum ea quæ appetit sive respuit, vel maneat eodem modo, vel mutetur aut pereat. Cesset itaque iste dicere totam animæ naturam esse voluntatem, id est ipsam animam voluntatem esse. Quia non est naturæ simplicis, ut Deus, ut quod illi est esse, hoc sit velle, nec aliud sit illi esse, aliud habere voluntatem.

Quæ cum ita sint, abigatur ab auribus fidelium tam impium et profanum commentum; meminerint qui talem doctorem mirantur et libenter audiunt, se esse Christianos; meminerint se fidem catholicam, fidem veram sentiendi de Deo integram sibi inviolatamque servandam; meminerint depositum paternæ doctrinæ fidelissime custodiendum: et impias vocum præsumptiones omni pietatis intentione vitandas: sicut Apostolus vehementissime commendat, dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones pseudonymæ, id est falsi nominis scientiæ; quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, vel circa fidem naufragaverunt* (*I Tim.* VI, 20, 21). Discamus non habere aures purientes, id est avidas, et appetentes inanium et anilium fabularum. De quo malo Apostolus dicit: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* IV, 3, 4). Quid enim restat talia dicentibus vel recipientibus, id est humanam mentem ita Deo exæquari ut, sicut Deus, ita etiam ista simplicis sit naturæ: nisi ut, sicut pessimi antiqui hæretici dixerunt, ejusdem naturæ esse blasphement Deum et animam.

Post hæc dicit iste: *Liberam voluntatem esse naturam hominis, ejusque liberum motum, ac potestatem movendi; quod sit liberum arbitrium hoc donum Creatoris.* Nos autem, ut jam diximus, et ut ipsa rei veritas evidenter ostendit, non dicimus hominem esse voluntatem, sed hominis esse voluntatem; quia videlicet aliud est ei esse, aliud velle; et ideo non homo voluntas, sed hominis est voluntas. Ostendit tamen iste quod Pelagiano errore, secundum naturam tantum hominis liberum arbitrium esse sentiat, et donum esse naturæ, non donum gratiæ, id est voluntatis humanæ, ut ipse dicit, liberum motum, ac potestatem movendi. Per quod manifeste ostendit ita se sentire quod voluntas humana non solum liberum naturaliter motum habeat, ut moveatur ad appetendum bonum vel malum, sed etiam liberam potestatem qua faciat ipsum bonum vel malum; sed e contrario fides catholica tenet, contra omnes hujuscemodi errores, quod liberum arbitrium, etsi fuit in homine naturaliter rectum et integrum ante peccatum, tamen peccati merito depravatum, imo amissum, nullum habeat motum, id est appetitum bonæ voluntatis, nec potestatem ipsius bonæ voluntatis implendæ, nisi per occultam gratiam, donante et inspirante illo de quo Apostolus verissime dicit: *Deus est enim, qui operatur in nobis, et velle, et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13). Habet namque, ut jam diximus, naturaliter a Creatore insitum

ut possit velle, ut possit etiam posse quod bonum est; ut autem hoc velit, ut hoc possit non habet ex se, sed ex illo tantum *qui operatur* in cordibus filium *et velle et perficere pro bona voluntate.* Inde est illa ecclesiastica et fidelissima definitio, quam beatus papa Cœlestinus ponit in Decretis suis dicens (*Cœlest., Epist. ad Gall.* episc. 819) : [Ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit : quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.] Et iterum (*Ibid.*, 8) : [Omnia studia, omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt. Quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.] Ex qua apostolica et ecclesiastica definitione certissime ostenditur nihil posse in homine liberum arbitrium ad appetendum vel peragendum bonum, nisi fuerit Christi gratia liberatum. Est tamen liberum ad malum, quia, cum peccat, non aliqua necessitate cogitur, sed voluntate propria depravatur.

Addit deinde iste et dicit : *Sicut animale corpus potuit mori, quia adhuc non erat perfectum, id est spirituale, ita voluntas, libera adhuc animalis merito, quia mortalis potuit peccare, quoniam adhuc non erat perfecta, quæ utique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas auferretur;* ubi quid aliud dicendum de corpore animali et spirituali, nisi quod Apostolus docet dicens : *Si est corpus animale, et est spirituale, sicut scriptum est : factus est primus homo Adam in animam viventem : novissimus autem in spiritum vivificantem* (*I Cor.* xv, 44, 45). Et supra, cum de resurrectione mortuorum loqaeretur, ait : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (*Ibid.*, 44). In quibus verbis quomodo distinguendum est *corpus animale et corpus spirituale*, nisi quod *corpus animale* per animam tantummodo mortaliter et corruptibiliter vivicatur? Quale erat corpus Adæ etiam ante peccatum; quia, etsi necdum erat morti et corruptioni destinatum, poterat tamen peccati merito corrumpi et mori : sicut utique et in illo factum est et in universa ejus progenie fit, justo illius judicio atque vindicta qui ait : *Donec revertaris iu terram unde sumptus, es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Spirituale* vera *corpus* dicitur, non quod corpus esse desistat, et spiritus fiat : quia licet spirituale, vere tamen corpus ab Apostolo appellatur; sed tunc corpus spirituale erit quando per spiritum immortaliter, et incorruptibiliter vivificabitur; Quale et in se exhibuit novissimus Adam, id est Dominus Jesus Christus in resurrectione, per quam utique mortale corpus quod susceperat, in immortalitatem et incorruptionem transtulit, et in sanctis suis per eamdem incorruptionis gratiam in novissimo die exhibebit. Cum etiam in ipsis, juxta eumdem Apostolum : *Corruptibile hoc induerit incorruptelam, et mortale hoc induerit immortalitatem, ut absorbeatur quod est mortale a vita; et impleatur, sicut ipse dicit, sermo qui scriptus est : Absorpta est mors a vitoria* (*Ibid.*, 53, 54); *ut corpus quod nunc animale seminatur* in morte, *tunc resurgat spirituale* (*Ibid.*, 44), nullo jam alimento sustentandum, nulla molestia corrumpendum, nulla morte dissolvendum, sed solo spiritu æterna immortalitate vivificandum. Quale erat etiam futurum corpus Adæ nulla intercedente morte, Deo ejus obedientiam remunerante, si non peccasset.

Itaque verum quidem est quod adhuc animale esset corpus Adæ, nec in illam immortalitatem commutatum, quæ ei fuerat danda, si pie obediens Deo permansisset : ita ut et si non peccasset, posset non mori, et si peccasset, posset mori; manifestum est eum ideo mori potuisse, quia necdum fuerat immortalitate donatus. Quod autem in illo homine adhuc animalis esset voluntas, id est secundum animæ humanæ appetitum, et non secundum spiritum Dei vivens sive intelligens, ut nondum esset in interiori homine, id est in spiritu mentis suæ spiritalis, sed adhuc animalis, id est animaliter, non spiritualiter sentiens; de qualibus dicit Apostolus : *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* (*I Cor.* II, 14) : Non ita ostendit Apostolus, qui *sacramentum* illud *magnum* quod futurum erat *in Christo et in Ecclesia*, ab ipso dicit esse prophetatum, quando divino utique repletus Spiritu ait : *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Ephes.* v, 31). Quibus verbis Apostolus exponendo subjunxit; *Sacramentum hoc magnum est : Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ibid* , 32) : Quomodo orno non spiritalis erat voluntas ejus ad recte vivendum, spiritu adjuta, et illuminata, quæ erat etiam prophetali gratia sublimata; potuit tamen peccare etiam spiritualis voluntas in deterius lapsa; sicut ostendit idem Apostolus etiam spiritales posse tentari, id est tentatione peccati aliqua superari, ubi ait : *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI, 1). Sic ergo voluntas illius hominis etiam spiritualis poterat tentari, poterat tentatione superari; et, si pervenisset obediendo ad illam plenitudinem beatitudinis ubi jam peccare non posset, non ab eo peccandi voluntas auferretur, ut iste dicit, quæ in eo nulla erat, sed ipsa bona voluntas, quæ illi inerat, tanta felicitate perficeretur, ut ad malum mutari non posset. Triplex enim status humanæ voluntatis fideliter intelligi potest, videlicet quod primus ille homo ita bonæ voluntatis conditus est, ut, si vellet, posset non peccare. Nunc autem etiam sancti homines, quia ex vitiata illius propagatione nascuntur, quamvis velint, non possint non peccare. Unde et quotidie veraciter Deo dicunt : *Debite nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). In illa autem beatitudine quæ eis donanda est, tanta virtute solidandi sunt, ut jam non possint peccare,

sicut tanta incorruptionis gratia induendi, ut nunquam possint mori.

Mirum est autem cur iste subjungere voluerit et dicere : *Hunc motum, id est liberi arbitrii, nulli animalium, præter hominem, concessum* cum omnibus manifestum sit, quod ubi nulla rationalis natura est, sicut in omnibus brutis, et irrationalibus jumentis, nulla rationalis voluntas esse possit ad appetenda bona vel mala : sed ad omnia quæ agunt sola naturali bruto et insensato appetitu ducantur. Unde et quæcunque ab eis fiunt, quantum ad ea pertinet, nec bona dici possunt nec mala, nec vitia nec virtutes, nisi forte ideo sibi quodam modo comparavit humani arbitrii motum, et brutorum animantium appetitum, quod, sicut ille irrationalis appetitus solo naturæ incitamento agitur, ita et iste humani arbitrii motus solo naturæ suæ instinctu ad quod voluerit ducatur. Quod quam sit contrarium veritati supra jam sæpius demonstratum est.

Et in tantum disputator iste auditorum sensibus et auribus abuti præsumpsit, ut auderet, velut quidam fabricator et figulus mendaciorum, novam liberi arbitrii definitionem velut luteam et lutulentam fingere, et quasi magnum aliquid intuentiam oculis proponere. Subjunxit enim posthæc et ait : *Sitque talis differentia inter liberum hominis arbitrium et ejus substantiam, ut natura ejus sit in voluntate rationali : liberum vero arbitrium in ejus libertate sive in motu liberæ naturaliter voluntatis, sive in munere intelligentiæ* (*a*). Ecce quale liberum arbitrium docet : utique Pelagianum, non Christianum! cujus scilicet natura sit rationalis voluntas, effectus vero in sua naturali (*b*) voluntatis libertate consistat; et ex sola, vel in sola naturali voluntate habeat libertatem, et motum, et intelligentiæ munus. Nos autem, secundum veritatem fidei, ita (*c*) liberum arbitrium in homine agnoscimus, ut, licet menti rationali naturaliter sit a Deo insitum, et bonum, ac rectum prima conditione collatum; tamen peccati merito depravatum, et naturali virtute spoliatum, nullam possit habere ad verum bonum libertatem, nullum bonæ voluntatis motum, nullum intelligentiæ lumen, nisi

A illius gratia fuerit instauratum, qui ait : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36); et qui sua inspiratione monet, quorum voluerit corda ad fidem, sicut propheta dicit : *Et movebo omnes gentes et veniet et Desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II, 8) : Et cui quotidie supplicantes dicimus : *Da mihi intellectum, et discam mandata tua* (*Ps.* CXVIII, 73). Et iterum : *Intellectum da mihi, et vivam* (*Ib.*, 144). De quo etiam intellectu largitori gratias agentes dicimus : *Benedictum Domino, qui tribuit mihi intellectum* (Ps. XV, 7). Hoc namque est vere liberum arbitrium : non, juxta istum Pelagiani erroris assertorem, munus naturæ, sed munus gratiæ; et liberum, quia Christi gratia liberatum.

Iste vero cum nominasset illa tria, id est arbitrii
B libertatem, motum, intelligentiam, quæ omnia in sola naturæ vi constare affirmat, producit adhuc ejusdem liberi arbitrii, quod ipse confingit, velut novam quamdam effigiem ex tribus partibus sive membris compactam, et dicit : *Quæ tria, id est liber, motus, intelligentia, liberum arbitrium inter se componunt : ut, sicut substantia in qua est, trina sit : Est enim et vult, et scit; ita et illud trinum fiat, id est liber, motus, intelligens.* Quæ omnia utique idcirco dicit, ut in his solis, id est in ipsa natura, et his quæ insunt ipsi naturæ, liberum arbitrium constare contendat, videlicet ut, sicut menti humanæ naturaliter tria quædam insunt, id est esse, velle, scire, cum hæc duo, id est voluntas, et scientia tantummodo sui, et non alterius rei intelligitur, ita etiam liberum arbitrium ex ipsa mente procedens, et in ipsa consistens,
C non aliunde sed ex illa habeat libertatem, motum, intelligentiam; ut sit homini naturaliter per hujuscemodi arbitrium, liber, motus, intelligens. Nec dicit mentem humanam tria illa in se habere, sed naturæ simplicis trinam esse. Et eodem modo etiam liberum arbitrium esse trinum, quis unquam audivit tam contentiosam erroris impietatem? Qua ita laborat includere, et velut quibusdam terminis communire liberum arbitrium, ut omnino illud in sola humanæ naturæ virtute concludat, et ab eo penitus Dei gratiam excludat. Quid ergo ei respondendum

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Non est quod in hac re Erigena arguatur, cum præclari theologi libertatem in voluntate et ratione posuerint. — Durand. in 2, dist. 24, ubi facultatem voluntatis et rationis esse docet, magis tamen rationis.

(*b*) Hæc secundum potentiam ordinariam intelligenda sunt. Sic enim Deus in pœnam peccati ipsorum damnatorum statuit se non amplius cum iis speciali auxilio concursurum : per extraordinarium autem certum est illa non esse privatos; nec enim implicat Deum eos auxiliis sufficientibus et efficacibus per quæ infallibiliter a damnatione et peccato liberarentur præmunire posse. Ita D. Thomas ut reliqui doctores. Et eo sensu pariter exponendum est quod inferius habet, nempe dæmones simulque damnatos omnes per peccatum perdidisse velle bonum. Quod quamvis ad omnes peccatores adhuc superstites in hac vita extendere videatur, diversa tamen est ratio eorum et damnatorum, quia cum illis Deus vult adhuc concurrere et illos auxiliis sufficientibus juvare.

D (*c*) *Liberum Arbitrium.* Cum dicit voluntatem non remansisse liberam post peccatum, intelligendum non est de libertate quæ necessitati opponitur, vel de potenta ipsa libera : semper enim eam retinet, ut passim docet August., lib. *de Spiritu et littera*, cap. 33, sed de libertate, quæ servituti peccati opponitur : hanc enim certum est per peccatum amitti cum servi fiamus ipsius peccati, ita ut ab eo per se et ex propriis viribus non possimus resurgere, aut opera pietatis exercere, sed indigeamus gratia illius de quo dictum est : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis :* et in hunc sensum vulgatum illud Augustini elogium, cap. 30 Enchiridii, debet intelligi : Abutens homo libero arbitrio perdidit et ipsum, non secundum essentiam, sed juxta eam quam aute peccatum sortiebatur perfectionem. Ita Bellarm., lib. V de *Gratia et libero Arbitrio* per totum.

est, cui jam de hac re superius tam multa responsa sunt? Nisi ut si Christianus vel esse vel videri cupit, abjiciat hunc insanum, mortiferum errorem, quem quanto subtilius sibi sequi, et asserere videtur, tanto infelicius a diabolo includitur et excæcatur; et, abjectis humanarum adinventionum falsis et fallacibus argumentis, totum se Scripturæ sanctæ veritati, et Ecclesiasticorum Patrum auctoritati, et fidei simplicitati humiliter submittat; ne, dum libertatem suam sibi committit, et a Christo alienat, vere a Christo alienari mereatur. *Maledictus* enim *homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus* (*Jer.* XVII, 5). *Benedictus autem vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus* (*Ibid.*, 7).

CAPUT IX.

(*a*) Nono capitulo has definitiones ponit :

1. *Præscientiam et prædestinationem similitudine rerum temporalium ad Deum transferri.*

2. *Et omnem prædestinationem præscientiam esse.*

Si ergo ex usu rerum temporalium, quæ trium temporum diversitate variantur, id est præteriti, præsentis et futuri, magis ad temporalia pertinent, ubi tam multa futura exspectantur : quia videlicet præscientia et prædestinatio proprie rerum est futurarum : apud Deum vero sicut nihil est præteritum, ita etiam nihil futurum, in cujus æterna scientia æternaliter omnia præsentia sunt. Et idcirco hæc duo magis translative, quam proprie ad Deum dicuntur; quomodo iste superius tam frequenter definivit præscientiam et prædestinationem non solum Dei, et in Deo esse (quod etiam nos fatemur), sed etiam ipsam substantiam et essentiam Dei esse? Quapropter si ipse in sua disputatione tam contrarius sibi est, ut quod prius affirmat, postea destruat, quid necesse est, ut nos ejus vanitatem evacuemus, qui tam apte se ipsum evacuat? Si autem aliqua regula sophisticæ disputationis, quam ipse solam sequitur, talis est, ut licite apud sæcularem sapientiam quod uno loco affirmatur, altero subvertatur, qui non videat quam sit contemnenda et penitus abjicienda, ubi nulla est firmitas veritatis, et tam impudens, tam procax, tam petulans libertas est falsitatis.

Quod vero ait : *Omnem prædestinationem præscientiam esse*, ex parte verum est quidem : Quia omnis prædestinatio futurorum non sine præscientia sit, per quam ipsa futura præsciuntur. Sed si hoc ideo dictum est, quia si nihil amplius agat prædestinatio in

A rebus, vel de rebus futuris quam præscientia, manifestissime falsum est : Quia præscientia ipsæ res futuræ tantummodo præsciuntur; prædestinatione vero etiam statuuntur, præfiniuntur et decernuntur. Et ideo prædestinatio impiorum ad supplicium æternum non tantummodo præcivit, sed etiam justo et æterno judicio statuit ac præfinivit quid essent passuri.

CAPUT X.

Decimo capitulo quatuor definitiones ponit hoc modo :

1. *Deum præscire aut prædestinare peccata, vel mortem vel pœnas hominum vel angelorum a contrario intelligendum sit.*

2. *Omnes malum peccatum, et pœnam ejus esse : et*
B *hæc nihil esse* (*b*).

3. *Peccatum, ejusque consequentias in morte atque miseria constitutas, non aliud esse quam integræ vitæ beatæque corruptiones, ita ut singula singulis opponantur. Integritati quidem peccatum, vitæ mors, beatitudini miseria. Illa sunt, hæc penitus non sunt.*

4. *Omnem perversæ voluntatis defectum vel privationem vel peccatum, finisque ipsius mors miseriaque suppliciorum æternorum omnino nihil esse*; *ac per hoc nec præsciri, nec prædestinari.*

Ecce ad quid perducta est ista diabolica disputatio, ut homo qui vult videri Christianus, paganis et diabolicis argumentationibus omnem fidem præscientiæ et prædestinationis divinæ, quæ impios præscivit et prædestinavit esse damnandos, quantum in se est, subvertat et destruat, non solum justum Dei
C judicium, et æternum atque incommutabile ejus consilium in eorum damnatione evacuans; sed etiam peccatum, et omnem pœnam ac damnationem quæ peccatum consecuta sunt, nihil esse contendens. Ac per hoc, quia nihil sint, nec præsciri a Deo, nec prædestinari potuisse. Ita ut ubicunque in Scripturis sanctis, sive in dogmatibus Patrum talia præscisse et prædestinasse legitur, a contrario accipi debeat, id est ut omnino ea nec præscisse nec prædestinasse intelligatur. Quod quis est aliud dicere, quam aperte insanire? Quis enim unquam fidelium vel sentire vel dicere præsumpsit quia quod dixit veritas, non est veritas; quod docuit fides, falsum est; quod omnes credunt fideles, nihil est. Certe iste propterea hæc, id est peccatum et omnem pœnam, ac miseriam, et
D calamitatem, vel temporalem vel æternam nihil esse contendit, quia non habent essentiam in semetipsis existendi vel subsistendi, sicut videmus habere sub

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Integro illo capite suggiliat Erigenam quod pestilentissimum errorem introducat, qui effrena licentia omnibus vitiis et sceleribus habenas laxet. Quem latius multo hocce miserrimo sæculo introducunt sectarii nostri, qui quamlibet legis obligationem a fidelium cervicibus arcent : quæ libertas est carnis non spiritus, filiorum diaboli non Dei; ἀθαξία denique, quavis servitute miserior.

(*b*) Hanc hæresim isto nostro sæculo ab inferis denuo suscitarunt Quintinus et Copinus Sudores Flandri, a catholicis propterea Libertini dicti; id est quod peccatum nihil esse dicerent præter inanem et falsam opinionem : deinde non debere reprehendi eos qui occidunt, mœchantur, furantur : tertio, Christum nihil esse nisi aliquid compositum ex Spiritu Dei et opinione; quarto angelos, dæmones et animas nihil esse. Quos etiamsi detestari se dicat Calvinus, editis libellis adversus eos, ex ejus tamen schola tanquam ex equo Trojano certum est prodiisse. — Bellarm., lib. II de Amissione gratiæ, cap. 1.

stantiam existendi vel subsistendi terram, aquas et ignes, herbas et arbores et quæcunque ejusmodi sunt, sicut etiam novimus et credimus substantiam existendi et subsistendi habere animas hominum, et spiritus angelorum bonorum sive malignorum. Et propterea affirmat diabolicæ præsumptionis audacia, Deum solas rerum substantias et scire et præscire et prædestinare potuisse; ea vero quæ ipsis substantiis contraria et pœnalia sunt, quia existendi substantiam non habent, nullatenus a Deo præsciri vel prædestinari; ac per hoc nec sciri potuisse.

Ergo nec peccatum primi hominis præscivit, quia peccatum substantiam existendi non habet; nec pœnam peccati præscivit, id est mortem, miseriam, supplicium sempiternum : quia hæc similiter in seipsis substantialiter non existunt. Et ubi est quod fides firmissime et immobiliter tenet : Omnipotentem Deum verissime præscium esse futurorum omnium : ubi est quod per prophetas suos, in Scripturis sanctis, tot peccata hominum, tot pœnas, et clades et miserias peccatorum spiritu suo venturas prædicit? Ubi etiam quod ipse unigenitus Dei Filius, qui est Veritas æterna, tot persecutiones Ecclesiæ suæ, tot bellorum commotiones, et laborum ac terrorum pressuras, terræmotus etiam et pestilentias, et fames utique præsciendo prænuntiat, et ut patientissime a suis tolerentur monet? cur tam apertum mendacium, imo tam inauditam et impiam blasphemiam iste impius proferre ausus est, contra totius sanctæ Ecclesiæ fidem, contra Scripturarum cœlestium veritatem, contra omnipotentem Dei majestatem ore sacrilego et verbis impiis obstrependo? Quid est autem quod in tantum consilium et deceptionem diaboli imitari et adjuvare conatur, ut ea quæ verissime et certissime impios passuros Deus prænuntiat et comminatur, id est æterna supplicia, iste labiis iniquis et lingua dolosa velut peccatoribus blandiendo affirmet nihil esse; sicut serpens in initio, ut terrorem mortis, quam Deus comminatus fuerat, a corde hominis excluderet, et ad peccandi delectationem provocaret : *nequaquam*, ait, *morte moriemini* (*Gen.* III, 4); ita namque et iste, serpentis imitator, dicendo quod tormenta æterna, quæ Deus peccatoribus denuntiat, nihil sunt, quid aliud agit, quam ut terrorem salubrem a cordibus audientium tollat, eosque ad peccandum infrenes et præcipites reddat.

Et ideo constantissima et immobili fide tenendum omnipotentem Deum omnia futura præscire, id est bona et mala, nec solum naturas omnium rerum, antequam eas crearet, præscisse; sed etiam quæcunque ipsis naturis possunt esse contraria, et pœnalia similiter præscisse. Non quia substantialiter existunt, sed quia substantiis ab eo conditis pœnaliter nocent. Hanc enim fidem Scriptura confirmat dicens : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII, 42). Et ipse Dominus in Evangelio de his fideles suos terret, dicens : *Ostendam vobis quem timeatis : Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete* (*Luc.* XII, 5). Iste autem e contrario dicit omnes pœnam suppliciorum æternalium, tam hominum quam angelorum malorum, quæ illis comminata et præparata sunt, omnino nihil esse. Si autem pœnæ æternæ malignorum angelorum et hominum pessimorum prædestinatæ non sunt, quid est quod ipse justus judex et damnator ipsorum in illo judicio se dicturum prædixit : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus?* (*Matth.* XXV, 41.) Si paratus utique, et prædestinatus, an angelis damnatis et damnandis est prædestinatus; impiis autem, qui eodem æterno igni pariter puniendi sunt, non est paratus nec prædestinatus? Sed prædestinatas impiis pœnas et supplicia sempiterna etiam beatum Enoch, patriarcham antiquissimum (qui ambulavit cum Deo, et non comparuit, quia tulit eum Dominus), ante diluvium prophetasse, beatus Judas apostolus, loquens de impiissimis hæreticis qui ipsis temporibus apostolorum impugnare cœperunt Ecclesiam Dei, ita testatur dicens : *Prophetavit autem et de his septimus ad Adam Enoch dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impii* (*Jud.* 14, 15). Hoc judicium damnationis impiorum et iniquorum et blasphemantium hominum ab initio mundi tam mirabiliter prædictum, et in finem mundi verissime implendum etiam beatus Petrus apostolus his verbis denuntiat, dicens : *Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem* (*II Petr.* II, 1). De quibus et paulo post adjungit : *Quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat* (*Ibid.*, 3). Si ergo quærimus istius judicii æternam apud Deum prædestinationem, audiamus vigilanter quod ait : *Quibus jam olim judicium non cessat*, id est, non nunc primum judicantur; nec tunc primum quando de corpore exient ad supplicium sempiternum. Sed hoc judicium damnationis eorum jam olim est decretum, jam olim ex æternitate prædestinatum; et jam olim eis præparari non cessat. Si autem quærimus quæ pœna illis inferatur tali judicio, *et perditio*, inquit, *eorum non dormitat*, item de eisdem impiis et blasphematoribus idem apostolus dicit : *Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur* (*II Petr.* II, 17) : Quomodo eis reservatur, nisi quia ipsis ab initio est præparata, et in fine reddenda? Quod eisdem pene verbis beatus Judas apostolus attestatur dicens : *Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur : arbores autumnales, bis mortuæ, eradicatæ : fluctus feri maris despumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum servata est* (*Jud.* 12, 13).

Contra hæc tam horrenda, tam terribilia, quæ

omnipotens Deus per prophetas et apostolos suos A impiis et peccatoribus comminatur, dicit iste : *Omne malum, peccatum et ejus pœnam non esse.* Et iterum asserit : *Naturæ integritatem, vitam, beatitudinem esse.* E contrario autem *peccatum, mortem, miseriam penitus non esse.* Addidit adhuc : *omnem perversæ voluntatis defectam vel privationem, vel peccatum, finemque ipsius mortem et miseriam suppliciorum æternalium omnino nihil esse : ac per hoc nec præsciri a Deo, nec prædestinari.* De quibus omnibus si aliquid singillatim dicendum est, manifeste novit fides quia malum quod est contrarium bono, sicut vitium virtuti, tenebræ luci, infirmitas sanitati, substantialiter non est. Quia, sicut jam supra dictum est, substantiam per se existendi et subsistendi non habet, sicut cœlum, terra, aqua, aer, ignis, et reliqua sive corporea sive spiritalis creatura. Sed B desertio summi boni, cui, ut beata esse possit, inhærere debet creatura rationalis angelica vel humana, hoc nomen accepit ut dicatur malum. Deserendo ergo rationalis creatura, in angelis sive in hominibus peccantibus, summum bonum, defecit ab ipso bono, et privata est bono, et hoc ei est summum malum. Sive ergo dicamus malum esse desertionem boni, vel defectum a bono, vel privationem boni, rectissime dicimus, sicut et vitium desertio virtutis, et tenebræ privatio lucis, et infirmitas nihil aliud, quam defectus est sanitatis ; similiter et peccatum manifeste nullam habet substantiam in se existendi et subsistendi. Sed desertio justitiæ et defectus a justitia tale nomen accepit. Ita etiam mors substantiam in se existendi et substantiam in se existendi C vitæ amissio tale nomen accepit. Item quod dicitur pœna nullam in se existendi substantiam habet, sed dolor et ex dolore cruciatus tale nomen accepit : quod nihil est aliud quam tranquillitatis et quietis naturalis perturbatio, vel amissio, hoc namque agit pœna, ut tranquillitas et quies naturæ ipso dolore et cruciatu turbetur vel amittatur.

Sed hæc omnia, id est malum, peccatum, pœna, mors, miseria, quæ et ipsa nihil est aliud quam amissio felicitatis, licet per se et in se existendi vel subsistendi nullam habeant substantiam, tamen omnino necesse est ut in aliqua vel ex aliqua substantia fiant. Nam et desertio boni, quod dicitur malum, et desertio justitiæ, quod appellatur peccatum, manifeste in animo fiunt vel angelico vel humano. Sic D amissio vitæ, quæ appellatur mors, et amissio tranquillitatis vel quietis naturalis, quæ appellatur pœna ; et amissio felicitatis, quæ vocatur miseria, in utroque fieri inveniuntur, id est et in anima, et in corpore. Nam et anima moritur desertione vitæ suæ, quod Deus illi est : et corpus moritur amissione vitæ suæ, quod anima illi est : et hæc duo, id est mors animæ et mors corporis, quid aliud in utroque nisi vel felicitatis vel tranquillitatis amissio est? Pœna autem quæ in cruciatu et dolore sentitur, manifeste vel in anima agitur vel in corpore ; et cum in corpore agitur maxime ex alio corpore irrogatur : ut cum flagellis cæditur, gladiis vulneratur, vel quibuscunque tormentis vexatur : quod etiam in suppliciis æternis futurum est, ubi damnatorum corpora igni et sulphure torquebuntur. Qui tamen omnes dolores et cruciatus, corporibus de corporibus illati, sic fiunt in corpore, ut per corpus etiam animæ sint. Anima namque sine corpore et dolere et cruciari potest ; sicut illa damnati divitis in inferno, anima cruciabatur qui ait, *quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24) ; corpus vero sine anima dolere non potest.

Omnipotenti itaque Deo de quo scriptum est : *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia fuerunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia* (*Eccli.* XXIII, 29). Et iterum : *A sæculo et usque in sæculum respicit, et nihil est novum in conspectu ejus* (*Ibid.*, XXXIX, 21). Et iterum cum de hominibus Scriptura loqueretur ait : *Et omnia opera eorum quasi sol in conspectu Dei : non præterit illum omnis cogitatus, et non absconditur ab eo ullus sermo* (*Eccli.* XVII, 26) : Isti, inquam, omnipotentissimo et ineffabili Creatori, cui, antequam crearentur, in æterna scientia sua omnia fuerunt agnita, qui, etiam postquam omnia perfecit, non aliter, sed sic respicit facta, sicut vidit facienda, nihil videlicet extra se, sed in se omnia cernendo. Et ideo in conspectu ejus nihil est novum, nec quando primum est creatum, quia semper fuit in ejus scientia æternum : quem omnia opera hominum, sicut in clarissimo sole non latent ; quem nullus hominum præterit cogitatus, a quo nullus eorum sermo absconditur ; iste tam mirabilis Creator et gubernator, sicut omnium rerum quæ futuræ erant, naturam et speciem et ordinem in sua æterna præscientia semper novit, ita etiam ipsarum rerum statum, et sive ad meliora profectum, sive ad deteriora defectum æternaliter prævidit ; et quæ ad se proficientibus præmia, quæ autem a se deficientibus supplicia deberentur, justissimus operis sui ordinator, et præscivit et prædestinavit, et se impleturum prædixit. Et ideo sive malum et peccatum, in quibus est defectus a bono ; sive mors et pœna, quæ illi defectui juste debetur, semper fuit in præscientia Conditoris ; qui mensuram proficiendi et deficiendi in creatoris suis solus veraciter agnoscit, et ipsorum profectum atque defectuum solus judex justus existit. Ita et mors et peccatum et omnis pœna ac miseria quæ peccatum consequentur, quia substantiam nullam habent in se existendi, nihil sunt. Et quia creaturæ rationali, cujus defectus et corruptio his nominibus significantur, nimis nocent, in ejus substantia vel corporali, vel spiritali, veraciter sentiuntur. Et quæ non sunt substantia existendo, sunt omnimodis perniciosa nocendo. Desinat ergo hujusmodi blasphemia, et omnipotens Deus sicut omnium naturarum conditor, et status earum verissimus agnoscatur cognitor, et justissimus ordinator.

CAPUT XI.

Undecimo capitulo sequitur iste, et dicit.

1. *Non esse Dei prædestinationem, nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem.*

2. *Abusive translateque dici præscire Deum et prædestinare : a simili præscivit quæ facturus esset; a contrario præscivit, quæ facturus non esset, pro nescivit. Similiter a simili prædestinavit quos præparavit ad gratiam. A contrario prædestinavit impius ad interitum vel supplicium æternum :si enim prædestinati sunt, necessario peribunt, pœnasque patientur inevitabiles. Quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire.*

3. *Sanctas Scripturas præscientiam simul et prædestinationem, aut solam absolutam prædestinationem, non nisi in iis quos Deus elegit ad æternam beatitudinem possidendam, inveniantur posuisse.*

4. *Apostolam præscientiam et prædestinationem in solis sanctis, Augustinum aliquoties in reprobis a contrario posuisse.*

Imprimis quod dicit, *non esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem.* Sive ex suo sensu hoc dixerit, sive ab aliis audierit, nos tamen veraciter scimus quia iste est error moderni temporis apud plurimos, dum non putant prædestinationem Dei, nisi in parte electorum, in Scripturis inveniri :nec ipsum beatum Paulum apostolum in Epistolis suis, nisi de solis similiter electis prædestinationem posuisse, sicut et in sequentibus dicit.Sed acquiescendum et obediendum est humiliter veritati ;et non quod semel nobis persuasum est, contentiose defendendum, sed potius Scriptura sancta diligentius perscrutanda,non solum apostolica,sed etiam prophetica; ex qua omnis apostolica auctoritas descendit.Sicut ipse beatus Paulus statim in principio Epistolæ ad Romanos evidenter declarat, *segregatum* se esse dicens *in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis* (*Rom.* I, 1). Et in fine ejusdem Epistolæ omne mysterium evangelicæ prædicationis,in qua est etiam profundissimum mysterium præscientiæ et prædestinatiouis Dei,per Scripturas propheticas confirmat esse revelatum, ita dicens : *Ei autem qui potens est vos confirmare, secundum Evangelium meum, ei prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii æternis temporibus taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum.* etc. (*Rom.* XVI, 25, 26).Itemque in Actibus apostolorum de seipso loquitur dicens : *Usque in hodiernum diem sto testificans minori, atque majori,nihil extra dicens, quam ea quæ Prophetæ sunt locuti futura esse. et Moyses* (*Act.* XXVI, 22). Cum ergo ipse Apostolus ostendat atque confirmet in illud Evangelium Dei, quod ante promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis se segregatum, et omne illud mysterium quod evangelizat per Scripturas prophetarum testetur patefactum, nihilque se extra dicere,quam quæ scripta sunt in lege et prophetis, manifestum est hujus rei, id est divinæ præscientiæ et prædestinationis, altitudinem non solum in Apostolo, qui ex A Scripturis propheticis omnem suam prædicationem confirmat ; sed etiam in ipsorum prophetarum Scripturis diligentius investigandam,et quod in utrisque festa veritatis declaratione fuerit inventum,fideliter nobis, et sine ulla controversiarum disceptatione omnimodis sequendum.

Primo itaque quid ipse Apostolus, qui se nihil extra dicere nisi quæ scripta sunt in lege et prophetis testatur, de hac re dicat audiamus, nec tam absurdi, nec contentiosi simus ut, ubi ipsa res,id est prædestinationis veritas apparet, ideo negemus pro prædestinatione dictum, quia nequaquam ibi prædestinationis nomen positum inveniatur : sed, sive sonet ibi expresse prædestinatio,sive ipsius prædestinationis veritas certissime clarescat, una et pari B fide suscipiatur. Dicit itaque ipse primum de sola prædestinatione electorum ita : *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit* ; *quos autem justificavit, illos et magnificavit* (*Rom.* VIII, 29, 30). Post quæ verba si nihil omnino dixisset de parte reproborum, etiam utique e contrario intelligere debueramus quid de eis esset sentiendum, videlicet, ut ex prædestinatione electorum ad gloriam agnosceremus etiam prædestinationem esse reproborum ad pœnam. Sicut et in symbolo tantummodo vitam æternam,quod est præmium sanctorum videmur confiteri ; et tamen e contrario similiter indubitanter credere et intelligere debemus mortem æternam,quod est damnatio C iniquorum.Hanc enim regulam intelligendi in Scripturis ipse nos Apostolus docet,qui cum dixisset, de resurrectione disputans : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (*I Cor.* XV, 44, ne sine auctoritate Scripturæ spirituale corpus dixisse videretur, statim quod e contrario veraciter intelligendum esset adjunxit, dicens : *Si est corpus animale et spirituale* (*Ibid.*). Et continuo utrumque confirmans ponit testimonium Scripturæ, et dicit : *Sicut scriptum est, factus est primus homo Adam in animam viventem :novissimus Adam in spiritum vivificantem*(*ibid.*,45).Similiter et illiud utique intelligitur quod, cum Deus primo homini dixisset : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas; quocunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II, 17). D Utique inobedienti comminatus est mortem ; sed nunquid non agnoscit fides quid e contrario sentiendum sit ; id est quod obedienti præparaverit vitam? Item cum loquitur Deus ad Abraham :*Masculus cujus præputii caro non fuerit circumcisa octava die,peribit anima illa de populis suis :quia pactum meum irritum fecit* (*Gen.* XVII, 14). Manifestum est masculum istum, qui non est octava die circumcisus, periturum de populis suis, quia pactum Dei irritum fecit : Non utique in utero materno,nec in illa tam recenti infantia,quando aliquid bonum aut malum nullatenus agere potuit, sed utique in paradiso, *in prævaricatione Adæ, in quo omnes,* sicut Apostolus dicit, *pec-*

caverunt (*Rom.* v, 12); qui ex illa damnata origine descendunt. Sicut ergo iste octava die minime circumcisus, manifeste periturus denuntiatur ob reatum primæ prævaricationis, ita e contrario fideliter intelligendum est eum qui rite et legitime esset circumcisus, ab illo reatu absolvendum.

Hæc diximus ut manifeste intelligamus quod, etiamsi Apostolus in illa prædestinationis disputatione de reproborum parte tacuisset, debuisset tamen fides nostra, quid de eis sentiendum esset, e contrario advertere et intelligere; sed non tacet, cum statim post aliquam et electorum, et reproborum similitudinem, simul ponens in duobus geminis Isaac et Rebeccæ ita adjungat: *Cum enim necdum nati essent, aut aliquid egissent bonum aut malum (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 11, 12, 13; *Mal.* I, 1, 2). Manifeste igitur in hoc exemplo, et in Jacob, absque ullis meritis dilecto et electo, qui similiter tenebatur originalis peccati obnoxius, ut frater et ex eadem veniebat massa in Adam damnata, declarata est prædestinatio electorum ad vitam. In Esau autem solo originalis peccati reatu odio habito, prædestinatio reproborum ad interitum. Tale est, et quod post paululum de utraque parte subjungitur: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18). Et quod deinde addit: *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (*Ibid.*, 21); de quibus vasis honoris et contumeliæ statim subjungit: *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam?* etc. (*Ibid.*, 22, 23.) In quibus omnibus evidentissime agnoscitur Apostolum non de sola electorum, quam primo loco posuit, sed in toto isto disputationis suæ contextu, de utriusque partis prædestinatione, sive in vitam, sive in mortem; et exemplis, et testimoniis tractasse propheticis, dum in Jacob proponit formam electorum, in Esau vero formam reproborum. In quibus utique duabus partibus, *cujus vult Deus miseretur, et quem vult indurat*: sed *miseretur* misericorditer adjuvando, *indurat* juste deserendo; et tanquam *figulus luti ex eadem massa* simul tota damnata, facit *aliud vas in honorem* misericorditer liberando, *aliud vero in contumeliam* juste damnando: ut duo ex his ordines existant, quorum alii sint vas iræ, et alii vas misericordiæ; illa *aptata in interitum*, ista *in gloriam præparata*. Sed *aptata in interitum* et suo merito, et Dei justo judicio; *præparata* autem *in gloriam* nullo suo merito, sed solo divinæ gratiæ beneficio. Cum ergo tam aperte dicat Apostolus: *Et vasa iræ aptata in interitum, et vasa misericordiæ præparata in gloriam, et ex eadem massa aliud vas fieri in honorem, aliud vero in contumeliam*: quis non intelligat in his verbis utriusque partis divinam prædestinationem manifestissime ostensam: dum et electi nullo suo merito, sed sola Dei bonitate prædestinantur ad vitam; et reprobi nullo Dei præjudicio, sed solo suo vel originali vel actuali merito prædestinantur ad interitum, nec eis divina prædestinatio necessitatem pereundi imponit, sicut nec necessitatem peccandi, sed necessitatem tantummodo justa supplicia patiendi: ut qui voluntate permanent in peccatis, necessitate crucientur in pœnis.

Ita etiamsi tanta illa Apostoli de hac re disputatio ex hoc loco usque ad finem, ubi ait: *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 32): diligenter, et fideliter consideretur, de utriusque partis prædestinatione, sive in uno populo Judæorum in his, qui excæcati, et in his qui secundum electionem gratiæ salvari meruerunt; sive in utroque, id est Judæorum et Gentium, dum illi tanquam naturales rami fracti sunt: et isti tanquam *oleaster in bonam olivam inserti* (*Ibid.*, 17), indubitanter eum inveniet et suis verbis, et maxime testimoniis propheticis disputantem. In quibus tamen propheticis testimoniis, quæ nobis beatus Apostolus tanta auctoritate proposuit, ut nihil omnino de hujus rei, id est, divinæ in utramque partem prædestinationis profunditate, et obscuritate nisi ex eorum firmitate, et evidenti attestatione docere voluerit. Illud præcipue omni pietatis consideratione attendendum est quod cum nusquam in eis expresse et proprie verbum prædestinationis sonet; tamen quia ipse res ad utramque prædestinationem pertinentes manifestissimæ apparent, et evidentissimæ declarantur, confidentissime Apostolus ad tantæ rei confirmationem, atque doctrinam ea assumpsit, et ita tenenda atque intelligenda Ecclesiæ tradidit: sua scilicet auctoritate, et exemplo nos informans et instruens, ut non contentiose et supervacue de ipso verbo prædestinationis in sanctorum prophetarum eloquiis inter nos disceptemus, vel (quod absit) etiam rixemur; sed pacifica et pia intelligentia, ubicunque res ipsa manifestissime declaratur, indubitanter omnino divinam prædestinationem et agnoscere, et asserere debeamus.

Primum namque testimonium propheticum, quod de hac reposuit, illud ex Genesi est de quo ita ait: *Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius* (*Rom.* IX, 9): ubi licet non videatur sonare prædestinatio, sonat tamen aperte promissio, quæ non aliter recte intelligitur, nisi ipsa promissio fideliter prædestinatio accipiatur electi seminis Abrahæ, id est eorum qui filii Dei deputantur, et a filiis carnis divina gratia discreti sunt. Sicut ipse Apostolus in eodem loco exponit dicens: *Non qui filii carnis, hi filii sunt Dei; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine* (*Ibid.*, 8). Secundo loco illud iterum ex Genesi testimonium posuit: *De duobus geminis Isaac et Rebeccæ*, quo *dictum fuerat*: *Quia major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23): ubi licet prædestinatio minime sonare videatur, tamen res ipsius prædestina-

tionis tam profunde et granditer ibi demonstrata est, ut moneat nos, et solerter excitet Apostolus in toto illo oraculo, quod tunc Rebeccæ de eisdem geminis divinitus, responsum est, hoc vigilanter et fideliter intendere, et considerare debere, quod nec damnati erant ex utero materno, *necdum aliquid egerant bonum aut malum* in vita propria, et utique ex uno erant concubitu procreati ; et tamen tanta distantia omnipotens Deus inter utrumque discrevit, ut nullis eorum præcedentibus vel bonis, vel malis meritis, sola bonitate, et judicio suo unum ex eis præferret, et alterum servituti subjugaret.

Et ne hoc parum esse existimaremus, quod quasi de humanis et inhumanis rebus dictum esse videbatur, *quia major serviet minori ;* videlicet quasi hoc tantummodo in rerum temporalium statu in eis esset implendum, dum in eorum posteris unus regno sublimatus, alteri sibi subdito, et servienti dominatur : erigit adhuc Apostolus intelligentiam nostram ad majoris rei considerationem adjuncto testimonio ex Malachia propheta, in quo de eisdem geminis non temporaliter, sed æternaliter discretis, neque in rebus tantum temporalibus sed etiam æternalibus magna distantia separatis, ipse Deus loquitur dicens : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Mal.* I, 2). Unde non aliter recte intelligitur hoc testimonium propheticum, nisi fideliter illi quod ex Genesi sumptum est testimonio conjungatur, ut scilicet, sicut illud quod ibi dictum est, *Quia major serviet minori*, ita etiam istud quod in propheta Deus loquitur : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, antequam nati essent, et antequam aliquid egissent bonum aut malum. In divino utique juxto judicio utrumque præcessisse accipiatur, id est et dilectio Dei in Jacob, et odium Dei in Esau. Et cum hæc duo, id est in alterum dilectio, et in alterum odium Dei, et nativitatem eorum, et omne meritum vitæ eorum juxta verum et apostolicum sensum præcesserint, cum nec isti possent imputari mala aliqua quæ necdum fecerat, nec illi bona aliqua, quæ nulla perpetraverat, ita solummodo juste facta intelliguntur, ut omnipotens Deus, qui æternaliter ista in suo judicio, et de unius electione, et de alterius reprobatione statuerat, ac prædefinierat, originalem in eis reatum ex prævaricatione Adæ venientem, cui utique ambo æqualiter tenebantur obnoxii, futurum præviderit, unum misericorditer diligendo liberaret, alterum juste odiendo reprobaret atque damnaret. Quatenus ex hoc fideliter intelligamus profundiorem et occultiorem divini judicii dispositionem, et illam generalem in Adam totius humani generis damnationem illuminante nos sensu apostolico altius perspiciamus : ex qua omnipotens Deus, et quos voluerit sola sua gratia liberat, et quos noluerit æterna sua æquitate condemnat. Et licet in hoc prophetico testimonio, quod Deus dicit : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, non sonet verbum prædestinationis ; ipsa tamen rei veritas ita evidenter apparet, in utriusque partis electionem, vel reprobationem, ut nihil fortius et expressius dici potuerit, quam ut ex forma istorum geminorum alios omnipotens Deus æterna misericordia sua dilexisse, alios æterno suo judicio odisse, sua attestatione manifestetur.

Huic testimonio prophetico et sensui apostolico, videlicet quo et dilectio et odium Dei in duobus geminis adhuc in utero materno positis ex misericordia et judicio Dei intelligitur, etiam illud de Isaia propheta mirabiliter consonat et concordat, ubi omnipotens Deus, electi populi ab utero auxiliator, et e contrario reprobi populi similiter tanquam ex utero transgressoris condemnator ostenditur, dicente eodem propheta in primis ad populum electum : *Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus* (*Isa.* XLIV, 2). Deinde post aliqua ad populum reprobum ex persona Dei subjungens : *Et transgressorem ex ventre vocavi te* (*Isa.* LXVIII, 8) : ut certissime quod in illorum geminorum forma demonstratum declarat Apostolus, hoc in duplici genere hominum, electorum scilicet et reproborum, lucidissime tenendum appareat. Dum et isti divino judicio ex ventre transgressores arguuntur : et illis similiter Deus ex utero auxiliator ostenditur, quatenus *ex eadem massa* originaliter tota *damnata in utero materno fiant alia vasa in honorem, et alia in contumeliam* (*Rom.* IX, 21, 15). Similiter in tertio testimonio prophetico, quod ita posuit : *Moysi enim dicit : Miserebor cui miserebor, et misericordiam præstabo cujus miserebor* (*Exod.* XXXIII, 19) : manifeste verbum prædestinationis non sonat. Res tamen ita manifesta est, ut de ea nullatenus dubitari possit. Cum omnipotens Deus omnibus æqualiter ex prima illa transgressione damnatis, non utique ullis præcedentibus bonis meritis, sed sola gratia sua misereatur cui miseretur, et misericors fiat, cui misericordiam præstiterit ; manifeste cæteris. quibus hanc gratiam conferre noluerit, justo et æterno suo judicio odio habitis atque damnatis.

Posthæc quartum testimonium propheticum sicut et tertium de Exodo posuit, ita subjungens : *Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra* (*Rom.* IX, 17). Ubi, licet nomen prædestinationis expresse non sonet, tamen ipsa prædestinatio malorum merito iniquitatis suæ ad interitum sempiternum, tam aperte ostenditur, ut qui hæc fideliter audit, et intelligit, de ea dubitare non possit : dum ille impius, et durus, et indomabilis rex Ægyptiorum, divino judicio, sive ex massa damnatæ originis, sive ad potestatem regii honoris, in hoc tantummodo excitatus est, ut qui ex semetipso, et in semetipso dignus erat interitu æterno, apponente Deo [*al.* eo] iniquitatem super iniquitatem ejus, augeret contemptum in Dominum, quo tantis ac talibus plagis admirabili potentia Dei mereretur flagellari, et ad ultimum cum omni similiter impio populo suo æterna submersione, et perditione deleri ; ut et illi justissime reciperent quod merebantur ; et omnipotens Dei virtus, sive in flu-

gello, sive in perditione eorum magnificentia omnibus innotesceret, et ex unius pœna plures ad cognitionem Dei et salutem suam proficerent.

Sicut de hac re beatus Ambrosius evidentissime tractans, ita dicit : [Justus Dominus in periculis, justus in damnis, justus in ultionibus est, non solum quia unusquisque juste culpæ suæ pretium luit : verum etiam, quia, dum unus punitur, plurimi corriguntur. Ananias in Actibus apostolorum fraudati pretii, quod de agri venditione perceperat, crimen admisit, qui potuerat nihil offerre, et crimen evadere. Verum ne quis impune circumscribendos apostolos arbitraretur, aut misericordiæ suæ munus fraude contaminare perfidiæ, morti addictus æternæ, universos ad fidei studium justo terrore composuit. Pharao cum populo suo fluctibus mersus mundanæ conversationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur. Denique potuit Deus eum voluntati suæ facere obedientem, sed ejus pœna omnes voluit emendari. Ideoque dicit ad eum Dominus : *Quia ad hoc ipsum te suscitavi, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra* (*Rom.* IX, 17). Non utique Dominus suæ laudis, sed nostræ correctionis incrementa quærebat.] Hæc beatus Ambrosius.

Apostolus vero præmissis duobus testimoniis, quorum unum ad misericordiam, quæ electis confertur : alterum ad judicium, quod reprobis irrogatur, pertinet; et velut utrumque concludens, et utrumque clementi et justa voluntate Dei fieri docens, subjungit: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Ibid.*, 18). Deinde adversus audaciam et præsumptionem hominum, qui non recognoscentes fragilitatem suam nec propria merita attendentes, divina potius judicia, quæ non intelligunt, reprehendere non pertimescunt, proponit quintum testimonium ex Isaia propheta ita dicens : *O homo, tu qui es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic?* (*Isa.* XLV; *Rom.* IX.) Ubi et verbum prædestinationis minime sonat : et tamen ipsa in utramque partem prædestinationis justitia tam clare et perfecte defenditur, ut omnino compellat fideliter audientem verissime cognoscere, quia ille omnipotens Creator verus est figulus, et omnes homines de limo terræ ab eo conditi, ejus figmentum : et ideo justissima ratione non posse judicare figmentum de figulo suo, sed potius figulum de figmento suo, qui solus novit æterno consilio suo unumquodque vas tam magni figmenti sui benigne formare, et ad quos usus ei placuerit utique justos et debitos ordinare atque disponere.

Quod ut adhuc apertius insinuet, adjungit sextum testimonium ex Jeremia propheta, et dicit : *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (*Rom.* IX, 21.) Ibi namque, id est in Jeremia propheta legimus dixisse Dominum ad eum, *Surge, descende in domum figuli, et ibi audies verba mea* (*Jer.* XVIII, 2 seq.). Cumque ingressus fuisset propheta, ecce figulus faciebat opus e luto manibus suis, et subito dissipatum est opus quod faciebat : statim conversus fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus. Tunc propheta jussus est ire et clamare ad populum ex persona Dei : *Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis, domus Israel? Ait Dominus : Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, etc. (*Ibid.*, 7). Qua lectione prophetica manifeste Deus ostendit et se esse figulum, et omne humanum genus in manu ipsius quasi lutum in manu figuli, ut ex eo faciat vasa diversa, sicut placuerit in oculis ejus : ex una videlicet massa, et tota in Adam æqualiter damnata, efficiens vasa suo judicio distincta atque diversa, dum aliud ex eis fit in honorem, aliud vero in contumeliam : et illud etiam vas quod suo merito, et divino judicio fingitur in interitum, si subito per pœnitentiam figuli inter manus dissipetur, ut jam non sit aptatum in interitum, continuo per sapientiam et bonitatem figuli formatur et efficitur vas alterum, ut si honorem, ut placeat oculis conditoris : tumque in omnibus his verbis non inveniatur proprie expressa prædestinatio, ipsa tamen prædestinationis virtus et veritas in utramque partem, et electorum videlicet et reproborum, et vasorum in honorem, et vasorum in contumeliam, tanta luce manifestatur, tanta discretione distinguitur, et nihil certius, vel manifestius inveniri possit. Quæ omnia idcirco tam sollicita, et diligenti consideratione legentibus proponenda existimavimus, ut juxta hanc formam sensus apostolici in omnibus Scripturis propheticis non multum laboremus de verbo prædestinationis cum omnino ipsa veritas rerum ad divinam prædestinationem pertinentium tam clare, et multipliciter ibi proponatur, ut vix et omnia invenire vel capere sufficiat humana fragilitas. De quibus hic aliqua, exempli gratia, subjungere, maxime, quæ planiora et evidentiora sunt necessario studuimus, ut ex his et pacifice, ac fideliter audientes, facilius informentur, et contentiosi, si veritatem suscipere non renuerint, citius corrigantur.

Nec de illa nunc electorum prædestinatione aliquid dicimus, cum ad eam intelligendam, ac fideliter credendam et plenisisime omnino sufficiant prophetica testimonia, ab Apostolo, sicut ostendimus, lucidissime prolata. Nec de ea, Domino largiente, aliquis nostrum dubitet; sed tantum de illa justi judicii prædestinatione qua impios ad interitum præordinavit ac prædestinavit; de qua inter multos multa hæsitatio est, pauca ex multis, et manifesta testimonia replicamus. Legimus itaque in libro Genesis, quod omnipotens Deus totius humani generis interitum (præter eos qui misericordia ipsius in arca erant salvandi), propter nimias iniquitates et impietates ipsorum, ut generaliter et in præsenti perirent, pœna diluvii delecti, et in futuro (*a*) æterna damnatione puniti longe

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Gravis est quæstio, a paucis exagitata et a paucioribus soluta. Negantem partem suadet locus I Petri III : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, morti-*

ante prædixerit, ad sanctum patriarcham Noe ita loquens : *Finis universæ carnis venit coram me. Repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra* (*Gen.* VI, 13). De qua etiam generali omnium perditione paulo superius eadem Scriptura dicit : *Dixitque Deus : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Eruntque dies illius centum et viginti annorum* (*Ibid.*, 3). Et post pauca : *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra* (*Ibid.*, 5, 6). Ubi et paulo post subditur : *Delebo inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli. Pœnitet enim me fecisse ea* (*Ibid.*, 7). Quid evidentius tali prædictione et prædestinatione de generali omnium impiorum, quibus tunc mundus plenus erat, interitu? Quam et sancto et electo patriarchæ longe ante Deus annuntiare voluit, et apud se in æterna et interna consilii sui dispositione statuit ac præfinivit, dum non per angelum, nec per prophetam aliquem illius temporis, sed apud semetipsum, hæc statuisse et præfinisse ostenditur. Et tamen benignissime judex, et conditor etiam illos, quos merito, ut ostenditur, iniquitatum et impietatum eorum ad tam horrendum exitium atque interitum prædestinaverat, non sine misericordiæ suæ bonitate et pietate reliquit, tribuens eis tempus et spatium pœnitendi, ut intra centum et viginti annos, aut digne pœnitendo Deo satisfacerent, aut si secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizarent sibi iram in die iræ, inexcusabiliter perirent. Ita illos et merito impietatis suæ ad interitum prædestinavit, nec tamen prædestinatione ad peccandum ullatenus compulit, quos tot annis ad pœnitentiam exspectavit.

De istorum infelici contumacia et damnatione terribili etiam liber Ecclesiasticus, adjuncto eorum interitu, qui educti ex Ægypto per Moysen terram repromissionis propter incredulitatem suam intrare non potuerunt, sed eorum cadavera prostrata sunt in deserto, ita dolenter et lamentabiliter loquitur dicens : *Non exornaverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti : et non pepercit peregrinationi illorum, et exsecratus est illos præ superbia illorum. Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in suis peccatis. Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui : et si unus fuisset cervicatus, mirum si fuisset immunis. Misericordia enim, et ira est cum illo. Potens exoratio, et effundens iram. Secundum misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundum opera sua judicat* (*Eccli.* XVI, 8-13).

Talis est illa prædictio atque prædestinatio Dei loquentis ad Abraham de futura oppressione atque afflictione et ereptione seminis ejus, et e contrario damnatione et perditione oppressorum illius, cum ei ita dixit : *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadragintis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo : et post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc : necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque in præsens tempus* (*Gen.* XV, 13-16). Quid hac prædestinatione manifestius? qua et semen Abrahæ tot annorum curriculis prædicitur in terra aliena peregrinaturum, et servituti subjiciendum, atque affligendum, et ex ipsa afflictione gloriosissime liberandum, et præfinito tempore, id est quarta generatione, ad terram patribus repromissam reversurum, ipsumque beatissimum patriarcham in pace et senectute bona patribus sociandum : e contrario autem gentem, et regem Ægyptiorum, qui eos

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

ficatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe. Cui alius subjungitur cap. IV : Ideo et mortuis prædicatum est Evangelium, *ut judicentur quidem secundum hominem in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.* Ex quibus colligitur non omnes qui in diluvio perierunt esse in æternum damnatos. Accedit quod saltem infantes quibus per remedium legis naturæ peccatum originale remissum fuit, in æternum minime perierint. Affirmantem tamen hoc loco tuetur Ecclesia Lugdunensis, forte quia cum omnis caro viam suam corrupisset, ut habetur Genesis IX, et monitionibus Noe aurem præbere nollet, quinimo videbatur ei quasi ludens loqui : repente super eos venit diluvium, cum ad pœnitentiam eos centum et viginti annis Deus exspectasset. Rem totam optime meo judicio explicat Bellarm. lib. IV de Christo, cap. 13 : « Dico, inquit, Christum prædicasse in inferno omnibus bonis spiritibus, sed nominatim fuisse expressos illos qui fuerant in diebus Noe increduli, quia de illis majus erat dubium an essent salvi necne, cum puniti fuerunt a Deo, et submersi aquis divivii. Indicat ergo hic Petrus etiam ex illis incredulis fuisse aliquos qui etiam in fine vitæ pœnitentiam egerunt : et licet quantum ad corpus perierint, tamen quantum ad animam salvi fuerunt. Quod etiam Hieronymus docet Quæstionibus Hebraicis in Genesim, tractans illud cap. VI : *Non permanebit Spiritus meus in homine*, ubi dicit Deum multos eorum temporaliter aquis diluvii punivisse, nec debere eos in gehenna in æternum punire. Et hunc etiam sensum videntur facere illa verba cap. IV : Ideo mortuis prædicatum est Evangelium, *ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu;* id est ut secundum homines exterius judicentur et existimentur damnati, quia corpora eorum necta sunt; vivant tamen spiritu secundum Deum. id est, eorum animæ salvæ sint. » Hactenus Bellarminus. Ex quibus sequitur male Ecclesiam Lugdunensem omnes illos ita submersos æternaliter damnare, nisi velimus pro majori tantum parte omnium denominationem fecisse, vel saltem conclusionem illam non esse de fide Unde Augustinus epistola 99, ad Evodium, maluit aliter locum D. Petri exponere, quam ipsorum hominum conversionem et Christi in inferis prædicationem admittere. Lege Bellarmin. loc. cit.

oppressuri erant æterno Dei judicio perditionis perpetuæ destinatos. Similis est, aut etiam multo evidentior illa prænuntiatio, ac prædestinatio de interitu Amorrhæorum, imo septem gentium pessimarum, quas tanto ante omnipotens Deus merito impietatis ipsorum se disperditurum ac deleturum statuisse ac præfinisse, ad Abraham loquens manifestissime declaravit, cum dixit : *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque in præsens tempus.* Promiserat namque eidem sanctissimo patriarchæ, quod, illis deletis, regna et terras eorum semini ejus in possessionem traderet. Nec tamen hoc judex justus et misericors, velut personarum, quod absit, acceptor, propter solam bonitatem et promissionem suam ad Abraham facere voluit; sed *secundum divitias bonitatis, et patientiæ et longanimitatis suæ* tot sæculis exspectavit et distulit, et spatium pœnitentiæ dedit, ut illarum gentium multitudo si in suis impietatibus perseveraret, et peccatum suorum cumulum adimpleret, in plenitudine iniquitatum suarum justissime puniretur; ejusque loco semen Abrahæ, quod Deo erat serviturum, non personæ acceptione, non justitiæ et æquitatis suæ merito; sed sola divina bonitate succederet. Cumque jam tempus appropinquaret, et perditionis earumdem gentium propter iniquitates suas, et introductionis seminis Abrahæ in terras earum per misericordiam Dei, ita de earum peccatis, et instanti, justa perditione, ad ipsum semen Abrahæ, id est ad populum Israel, Deus loquitur dicens : *Ne polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, et quibus polluta est terra : cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos* (*Lev.* XVIII, 24, 25). Et post pauca : *Omnes enim exsecrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam. Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos* (*Ibid.*, 27, 28.)

Jam vero de extrema earumdem gentium perditione, qua et in præsenti, et in futuro sæculo procul dubio perierunt, ita generaliter Scriptura loquitur, dicens : *Domini enim sententias fuerat ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi* (*Jos.* XI, 20). Quid apertius inveniri potest de prædestinatione impiorum ad interitum sempiternum, quam quod omnipotens Deus, qui hoc futurum in occulto judicio suo statuerat, tanto ante, et Abrahæ ista prædixerat, et ipse postea mediis temporibus frequentissime comminatus est, et ad extremum ejus sententiæ, id est consilii atque judicii fuisse Scriptura confirmat, ut non mererentur ullam clementiam, sed in sua impietate atque contemptu funditus et æternaliter perirent. De his divinis judiciis etiam liber Sapientæ ita ad Deum loquitur, dicens : *Quis enim dicet tibi : Quid fecisti ; aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quia tibi imputabit si voluerint nationes quas tu fecisti? Nec enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus : ut ostendas quoniam non injuste judicas judicium : neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti. Cum sis ergo justus, juste omnia disponis* (*Sap.* XII, 12 15). Item cum eadem Scriptura distantiam faceret divinæ bonitatis erga populum suum, et justæ severitatis erga inimicos ipsorum, Ægyptios videlicet, quos æternæ perditioni destinaverat, ita dicit : *Ostendens quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares. Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam acceperunt, scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur. Hos quidem tanquam pater monens probasti : illos autem tanquam rex durus interrogans condemnasti* (*Sap.* XI, 9-11). Et iterum : *Oportebat enim illis quidem sine excusatione supervenire interitum exercentibus tyrannidem : his autem tantum ostendere, quemadmodum inimici illorum exterminabantur* (*Sap.* XVI, 4). Et iterum : *Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis, sed non diu permansit ira tua : erat enim sola tentatio iræ sufficiens* (*Sap.* XVIII, 20, 25); *impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit* (*Sap.* XIX, 1). Et paulo post de æterno eorumdem Ægyptiorum in mari Rubro interitu, ita dicit : *Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, alium sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ : et quos rogantes projecerant, hos tanquam fugitivos persequebantur : ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas, et eorum, quæ acciderunt, commemorationem amittebant : ut quæ deerant tormentis, repleret punitio ; et populus quidem tuus mirabiliter, transiret illi autem novam mortem invenirent* (*Ibid.*, 3, 4, 5).

Similiter et in libro Danielis prophetæ (*Dan.* II, 32) quatuor futurorum magnorum et cardinalium regnorum, et ordo tempora, et æterna et destructio juxta divinæ prædestinationis judicium, sive sub specie quatuor metallorum *in statu a rege* in somnis visa, sive sub diversitate quatuor bestiarum de mari ascendentium; sive aperta prænuntiatione regnum atque bellorum usque ad tempora, et interfectionem, atque interitum ipsis Antichristi, et adventum Christi ad judicium admirabili Dei præscientia et dispositione manifestantur. Quæ utique regna, adjuncto regno Antichristi, quanta et quam horrenda mala in universo mundo exercuerint, et in quantum maxime Ecclesiam Dei oppresserint et impugnaverint, quis digne æstimare sufficiat? Et tamen ut omnia hæc æterno præscientiæ et prædestinationis divinæ judicio facta, vel futura esse intelligantur, tam mirabiliter (ut diximus) suo ordine prædicta, suis temporibus distincta, suis terminis finienda; tanto ante prophetica revelatione et agnita, et descripta sunt.

Quod si etiam ipsum nomen prædestinationis, quod nihil est aliud quam decretum et præfinitio divini judicii in verbis propheticis, invenire cupimus, est

locus mirabilis et memorabilis apud Isaiam prophetam, ubi historice de regni Babylonii et Assyri destructione, mystice autem de totius civitatis diaboli in fine sæculi perditione loquitur, et omnipotentem Deum jurantem, id est immobili veritate sua verba firmantem inducit, et ait (*Isa.* XIV, 24, 26, 27) : *Juravit Dominus exercituum dicens : Si non, ut putavi, ita erit : et quomodo mente tractavi, sic eveniet.* Et paulo post ; *Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram : et hæc est manus extenta super universas gentes. Dominus enim Deus exercituum decrevit: et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta, et quis avertet eam?* Ecce manifeste prædestinatio interitus reproborum, id est omnium gentium populo Dei adversantium, et inimicarum, per divinæ mentis tractatum et consilium, atque decretum, et per manus extensionem, per quam omnia opera implenda et perficienda significantur sub jurisjurandi testificatione, id est divini consilii immobili firmitate apertissime declaratur.

In illa quoque *visione arboris magnæ*, cujus aspectus erat usque ad fines terræ, quam rex vidit in somnis Deo jubente abscidi, per quam significabatur altitudo mundanæ potentiæ, quæ superbiæ merito frequenter divino judicio subvertitur et dissipatur : divini consilii prædestinatione, et decreto, atque sententia per angelorum sanctorum ministeria hæc fieri demonstrentur. Sic ipse rex in ejusdem somni narratione ait: *Videbam in visione capitis mei super stratum meum : et ecce vigil, et sanctus de cœlo descendit. Clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem et præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, et dispergite fructum ejus*, etc. (*Dan.* IV, 10, 11). Et post pauca : *In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum et petitio, donec cognoscant viventes, quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud* (*ibid.* 14). Non enim hæc propter solum Nabuchodonosor gesta sunt; sed ad terrorem et humiliationem omnium mundialium potestatum, qui legunt ista vel audiunt, ut omnes contremiscant, omnes cognoscant quod dominetur Excelsus in regno hominum : cujus potestate atque judicio regnandi potentia aliis, atque aliis tribuatur. Quod quia per angelica ministerii disponitur atque peragitur, etiam in sententia vigilum decretum esse, et sermo sanctorum, et petitio in talibus impleri dicitur. Quam tamen vigilum sententiam propheta in sequentibus sententiam Altissimi esse testatur dicens: *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem* (*Ibid.* 21). Ista itaque judicii divini sententia, qua ut talia gerantur in mundo decretum et præfinitum est apud Deum, et Altissimi est, et angelorum sanctorum : sed Altissimi judicando et jubendo; sanctorum vero angelorum, qui sub illo et secundum illum omnia inferiora judicant, obediendo et exsequendo. Inde accipiunt potestatem, ut sit sermo eorum in talibus tanquam jubentium. Et tamen petitio adjungitur, ut quæcunque in mundo per eos exercenda sunt, apud Deum orando obtineantur.

Hæc prædestinatio et præfinitio divini judicii etiam apud Ezechielem prophetam breviter ostenditur, ubi id persona totius regni et sacerdotii Judaici merito impietatis suæ in novissimis temporibus, Christo Domino adveniente, destruendi ad reprobum regem dicitur : *Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus : Aufer cidarim, tolle coronam* (*Ezech.* XXI, 25) : coronam enim regni esse et cidarim sacerdotum manifestum est. Quod utrumque Christus Domino adveniente ab illo populo sublatum esse videmus, et hoc quando advenit eis dies in tempora iniquitatis præfinita. Tale est et illud apud eumdem prophetam, quod Dominus ad gladium exacutum atque limatum ad cædem et perditionem impiorum ita dicit : *Ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita* (*Ibid.*, 29). Sic igitur utramque prædestinationem, et Apostolus in Epistolis suis, et prophetæ in Scripturis antiquis manifestissime ostendunt: per quam nihil injuste, nihil inordinate, sed totum justitia et ratione disponitur.

Quam auctoritatem apostolicam atque propheticam beatus Augustinus fideliter sequens, in justis Dei judiciis et dispositionibus non timuit prædestinationem verissime dicere, non sicut iste dicit, fallaciter simulare, qui nobis duas, nescios quas mendacissimus et fallacissimas regulas tradere conatur; id est a simili et a contrario, ut quod per unam quasi veraciter affirmatur, per alteram, quasi falsum sit, penitus destruatur. Ita vult ut quidquid, vel in Scripturis sanctis, vel in dogmatibus Patrum de hac prædestinatione, quæ ad partem reproborum pertinet, simpliciter et veraciter dicitur, licenter velut a contrario ita intelligatur; ut factum pro non facto, et dictum pro non dicto positum intelligatur. Quis unquam talem audivit insaniam? Nunquid non procul ab auribus omnium repellendus est, qui tam apertum et impium mendacium contra veritatem Scripturarum, contra puritatem paternæ doctrinæ audet sentire, audet etiam scribere? Et cum tanta fallacissimis argumentationibus suis dixerit atque conscripserit, hic pene in extremo, velut per somnium, recordatus est Scripturarum sanctarum, et apostoli, et Augustini.

Et tamen quod per Scripturas sanctas et Apostolum, definit, nihil de prædestinatione malorum ad supplicium æternum dici, quam apertum mendacium sit, supra sufficienter putamus ostensum. Dicit de Deo secundum ridiculam et omnibus conspuendam regulam suam : *Præscivit quæ facturus non esset*, pro *nescivit*. Quis audivit unquam tale? ut ubi legimus quod Deus aliquid præscivit, intelligamus, nescivit. Quod utique utrumque falsum est, et aut præscivit intelligatur, nescivit, aut quod Deus facturus non esset, dicatur quia nescivit: Qui vere, et æterna scientia sua, sicut præscivit quæcunque erat facturus, sic etiam

præscivit quæcunque non erat facturus. Verbi gratia, præscivit quod Lazarum esset resuscitaturus, et fecit : præscivit quod Judam non esset suscitaturus, nec fecit; iste autem dicit : prædestinavit impios ad interitum vel supplicium æternum, pro non prædestinavit; id est ut, ubi legimus *prædestinavit*, inaudita insania intelligamus *non prædestinavit.* Proponit etiam quæstionem : *Quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire?* quod absit ut aliquis nostrum dicat. Quia apertissimæ blasphemiæ est ut Deus prædestinationis suæ præjudicio aliquem cogat peccare, et peccando perire. Sed prædestinationis suæ justo judicio, quos perseverantes in peccatis punire decrevit, revocat potius a peccatis, et salubrem terrorem incutit audientibus, ut timentes corrigantur, et correcti minime damnentur.

CAPUT XII.

Duodecimo capitulo hujusmodi definitiones ponit.

1. *Omnem præscentiam Dei prædestinationem esse, et omnem prædestinationem præscientiam.*

2. *Omnem prædestinationem Dei omnino esse præparationem gratiæ : omnemque gratiam, donum. Omnem igitur divinam prædestinationem donorum ejus præparationem.*

3. *Pœnam impios juste torquere, quæ donum non est : alioquin, si esset donum, non torqueret, sed utique liberaret. Non esse igitur prædestinationem pœnæ. Quod si esset, non esse pœnam, sed gratiam. Esse autem pœnam : non esse igitur prædestinationem ejus. Proinde prædestinationem in donis divinæ largitatis semper intelligendam esse.*

4. *Prædestinatos ad pœnam a contrario semper intelligi, sicut electos pro non electis : filios Dei pro non filiis.*

Has quatuor propositiones longissimas et vanissimas, et velut syllogismorum artificio contextas, facile dijudicare et destruere potest, qui ea quæ superius juxta regulam fidei, Domino largiente, diximus, studiose legerit et fideliter intellexerit. Quis enim non intelligat quam blasphemum et impium sit quod hic primo loco posuit dicens : *Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse;* cum manifeste fides teneat omnipotentem Deum præscire omnia, id est bona et mala : et quæ facturus ipse sit. et quæ facturus non sit; prædestinare autem non nisi sola bona, quæ ipse facturus sit, vel misericorditer liberando, et remunerando electos, vel juste reprobos condemnando, quia quod justum est, utique bonum est. Si ergo, juxta istius definitionem, omnis præscientia Dei prædestinatio est, ergo omnia quæ præscivit, etiam mala, prædestinavit se esse facturum, quod absit! Quia mala tantummodo præscivit, nec ea ullo modo prædestinavit, quia nec ipse ea erat facturus, sicut omnia quæ prædestinavit, neque ut fierent ipse statuit aut præfinivit.

Similiter secundæ propositionis caput a falsitate incipit; et ideo etiam falsitate finitur. Dicit enim : *Omnem prædestinationem Dei, omnino esse præparationem gratiæ* : quod non ita esse superius apostolicis et propheticis testimoniis satis ostensum est, ubi aperte invenimus et demonstravimus prædestinationem Dei dupliciter debere intelligi, id est aut in bonis misericorditer remunerandis, aut in malis juste damnandis. Et ideo, sicut verba beati Augustini, quæ supra posuimus, manifestissime docent, destinatio Dei quando in bono accipitur, tunc tantum intelligenda est gratiæ præparatio.

Tertia propositione, similiter falsissimum est quod affirmare conatur, videlicet *non esse ullam prædestinationem pœnæ.* Si enim pœna diabolo et angelis ejus, et omnibus reprobis qui cum eis puniendi sunt, non esset prædestinata, nullatenus Veritas diceret : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXIV, 41). Et quod in fine hujus tertiæ propositionis ponit, *Prædestinationem in donis divinæ largitatis semper intelligendum esse*, similiter falsum est : invenitur enim, et veraciter intelligitur non solum in divinæ largitatis, sed etiam in judiciis justæ damnationis.

Quarta ejus propositio, quæ ita se habet : *Prædestinatos ad pœnam a contrario semper intelligi*, ad illam insaniam pertinet de qua superius satis diximus, qua vult ut intelligamus *prædestinatos*, id est *non prædestinatos.* Quod autem, velut exempli gratia, subjunxit : *Sicut electos, pro non electis; filios Dei, pro non filiis*, melius in sequenti capitulo tractabitur, ubi de his quid ipse sentiat latius exponit. Recordandum tamen et recognoscendum est beatum Augustinum, sicut superius posita ejus verba demonstrant, dixisse aliquando in Scripturis præscientiam Dei prædestinationem significare (*de Dono pers.*, c. 18). Ex quibus verbis iste velut occasionem suæ argumentationis assumens contra ejus veracissimum dictum, quod ille aliquando ita docuit debere intelligi, iste addidit *omnem*, et tulit *aliquando.* Atque ita fecit definitionem falsissimam, dicendo : *Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse.* Item, quia beatus Augustinus, sicut supra posuimus, definivit prædestinationem Dei præparationem gratiæ esse (*de Prædest. Sanct.*, c. 10), quod tantummodo juxta illius sensum in parte electorum intelligitur, iste addidit, *omnem*, et fecit definitionem falsissimam, dicendo : *Omnem prædestinationem Dei omnino esse præparationem gratiæ.*

CAPUT XIII.

Tertio decimo capitulo ita dicit.

1. *Electum Judam pro non electo, et filios Dei pro non filiis a contrario accipi : sic idem amicus, qui nunquam non fuerat inimicus.*

2. *Frustra quæri filios Dei præter ejus electos : frustra putari ejus electos præter ab eo prædestinatos.*

3. *Item impie putari prædestinatos a Deo præter ejus electos, supervacue æstimari electos Dei præter ejus filios, nec esse prædestinatos, si non sint filii Dei.*

4. *Prædestinatos ad pœnas, vel interitum, vel supplicium nihil aliud sentiendum nisi non prædestinatos; sed a massa damnabili merito peccati originalis*

atque proprii non esse separatos : ideoque impie vivere permissos, æterno igne puniendos.

In his verbis quod ita intelligit Judam inter electos apostolos a Domino connumeratum, ubi ait : *Nonne duodecim vos ego elegi* (*Joan.* VI, 71)? ut cæteri intelligantur vere electi, ille vero velut a contrario, id est per ironiam, ita sit appellatus; melius est si ita accipiatur, ut Veritas verum dixisse agnoscatur? ut omnes duodecim electi a Domino esse intelligantur : sed aliter cæteri, aliter Judas, id est illi æternaliter ad regnum, iste temporaliter ad ministerium. Electus namque ad tempus inter cæteros ad apostolicum ministerium, missus ad prædicationis officium : accepit etiam forsitan gratiam miraculorum ; unde et beatus Petrus in Actibus apostolorum sic de eo loquitur : *Quandoquidem connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus* (*Act.* I, 17). Et cum statuissent duos, et orarent ut Deus ostenderet quis ex eis in locum quem ipse prævaricando amiserat, constitui deberet, ita supplicantes dixerunt : *Tu Deus, qui corda nosti hominum, ostende quem elegeris ex his duobus accipere sortem ministerii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum* (*Ibid.*, 24, 25). Ita ergo electus erat a Domino, ut temporali quadam dispensatione conjungeretur apostolis, et sortiretur cum eis sortem ministerii et apostolatus : ita ut de ipso gradu apostolico dicatur esse prævaricatus; quod tamen Dominus non fecit, quasi ignarus futurorum, qui semper noverat in æterna sua præscientia, et cæterorum apostolorum perseverantissimam fidem, et illius casum, et ruinam futuram : sicut beatus Joannes Evangelista dicens testatur : *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, et quis traditurus esset eum* (*Joan.* VI, 65). Unde et ipse Dominus, cum dixisset illud quod supra commemoratum est : *Nonne duodecim vos elegi?* (*Ibid.*, 71.) tanquam vere præscius futurorum, statim subjunxit : *Et unus ex vobis diabolus est.* Quod Evangelista exponens de quo dixerit, addidit continuo : *Dicebat autem Judam Simonis Iscarioten : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim* (*Ibid.* 72). Noverat etiam locum damnationis ejus in suppliciis sempiternis, qui merito impietatis suæ fuerat destinatus et prædestinatus. Unde et ab apostolis dictum est : *Ut abiret in locum suum* (*Act.* I, 25). Et ipse Dominus ait : *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat et si natus non fuisset homo ille* (*Matth.* XXVI, 24). Et tamen voluit eum, ut dictum est, ad tempus ministerium et locum apostolatus accipere, ut, cum ille male abusus fuisset tanta Domini bonitate, Dominus e contrario bene uteretur magno ejus malo ad nostrum magnum bonum : docens tali exemplo futuros in Ecclesia sua malos admistos, sicut et iste in illa tunc societate apostolorum ad tempus mistus est, et communicaturos cum Ecclesia non solum sacramenta et ministeria divina, sed etiam locum regiminis : atque ita monstraret suis exemplum patientiæ, quam patienter scilicet toleraret malos, sicut ipse istum et verissime noverat, et mira patientia tolerabat; ne putarent veri fideles talium societate se pollui, vel eorum ministeria, quæ secundum Deum sunt, respuenda : sicut nec beati apostoli illius ficta societate polluebantur, nec ejus ministerium, in quantum secundum Deum fiebat, est improbatum. Cumque usque ad proditionis malum ejus infelicitas pervenisset, tam magnum unius hominum malum convertit in totius mundi bonum, dum per hoc *ipse verus immolatus est Agnus, qui abstulit peccatum mundi* : atque ita in tantum bene bonus Dominus eum elegit ad bonum, ut et bona sua illi concederet, et mala illius in nostrum bonum commutaret. Quia quod prævaricatus est, quod periit, suæ malitiæ fuit; quod autem inter bonos electus est, bonitatis Domini. Si permansisset in bonitate, sicut Apostolus ait : *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate* (*Rom.* XI, 22). Quantum ergo ad temporale apostolatus ministerium attinet, de quo Dominus tunc loquebatur, cum diceret : *Nonne duodecim vos elegi?* (*Joan.* VI, 71.) Bene potest dici et iste inter cæteros electus. Quantum vero ad æternam beatitudinis electionem, illi tantummodo electi erant, de quibus cum inter istum et illos faceret distinctionem, ait : *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim* (*Joan.* XIII, 18).

Atque ita bene et vere potest intelligi dictum et adjuncto Juda : *Nonne duodecim vos elegi?* et illo segregato tanquam reprobo : *Ego scio quos elegerim.* Nec necesse est e contrario accipi. Quod utrumque verum evidenti ratione monstratur : sic namque etiam de Saule scriptum est, cum esset eligendus ad regnum cui in multis utilis erat futurus quod etiam forte electus accepit, dicente Scriptura : *Erat vir de tribu Benjamin vocabulo Saul electus, et bonus, et non erat de filiis Israel melior illo* (*I Reg.* IX, 2). Qui tamen postea infelicissime reprobatus et abjectus periit. Et tamen ad tempus bene ad temporalem quamdam regni utilitatem electus dicitur, qui et mystica unctione, et sortis electione, per prophetam sanctum Dei populo prælatus. Ubi autem Scriptura evangelica specialiter filium nominet Judam, nos minime legimus. Quod enim Dominus de apostolis ait : *Non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum ipsis est sponsus* (*Luc.* V, 34) : nulla necessitas cogit, ut non etiam Juda excepto de cæteris tantummodo dictum recte intelligi possit. Ad quos utique solos, illo jam perdito, illud pertinet quod Dominus subjungit, dicens : *Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tum jejunabunt in illis diebus* (*Ibid.*, 35). Sed si quis etiam ipsum Judam in his verbis Domini inter filios vult intelligi deputatum (*a*), manifeste

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Docet Judam filium fuisse propter aliqualem fidem in Christum Dominum, et eamdem sacramentorum participationem. Ex quo duæ novatorum hæreses refelluntur : prior qua dicunt Ecclesiam ex

hoc propter aliquam fidem illius in Dominum, et sacramentorum societatem, qua sanctis apostolis jungebatur, non econtrario sed bene, et consequenter ita potuit appellari. Sic et cum Dominum jam tradenti, et eum osculo designanti, ipse Dominus ait : *Amice, ad quid venisti* (*Matth.* XXVI, 50) bene potest intelligi, non quod tunc gerebatur, sed quod dudum fuerat ei exprobatum : ut cum fuisset aliquod, secundum quemdam modum discipulus et amicus, in tam crudelem et impium inimicum repente esset mutatus. Sed et si hoc per ironiam dictum intelligatur, sicut et intellectum est a quibusdam, non propterea aliquid valebit hujus novi et insulsi disputatoris regula : quia aliud est more humano aliquid per ironiam significare, quod verum est, sicut cum malo homini indignantes, vel increpantes dicimus : Bonus homo es ; vel male agenti: Bene agis; et inimico, Amice; et multa similiter : aliud juxta diabolicam istius regulam aperta falsitate negare quod verum est, cum aliquis merito impietatis suæ divino judicio veraciter dicitur prædestinatus ad supplicium, iste nova insania fallaciter doceat dictum, prædestinatus non prædestinatus: quo perversissimo et falsissimo sensu nunquam in rebus ad fidem pertinentibus, quod absit, Scriptura loquitur, nunquam aliquis doctor ecclesiasticus, nunquam aliquis vir verax locutus est.

Si autem non ad peccandum, quod absit, sed ad luendum pro peccatis supplicium nemo justo Dei judicio est prædestinatus, quid est quod Apostoli in oratione sua ad Dominum de Juda dixerunt: *De quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum?* (*Act.* I, 25). Quid est quod Salomon ait : *Unniversa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum?* (*Prov.* XIV, 4). Quid est quod in libro Job dicitur : *Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur?* (*Job* XXI, 30). Cur de Ægyptiis in mari Rubro et æternaliter delendis atque perituris Scriptura dicit: *Ducebat enim eos ad hunc finem digna necessitas?* (*Sap.* XIX, 4). Ubi aperte ostenditur quia et ducebat eos divini judicii necessitas ad interitum ; et tamen digna pro meritis impietatis, et contemptu eorum. Quid est etiam illud quod alibi scriptum est : *Et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit illum ad rhomphæam?* (*Eccli.* XXVI, 27). Qui etiam de Antichristo adhuc in fine sæculi revelando et exstinguendo, dixit angelus ad beatum Joannem in Apocalypsi : *Bestia, quam vidisti, fuit non est, et ascensura est de abysso, et in interitum vadit* (*Apoc.* XVII, 8). Si hoc non est prædestinatum apud Deum, quomodo idem angelus dicit : *Hæc verba fidelissima et vera Dei sunt?* (*Apoc.* XXI, 5) Si idem Antichristus *homo peccati, filius perditionis* (*II Thess.* II, 3), cum omnibus sequacibus suis, non est ad judicium æternæ damnationis prædestinatus, quomodo tam aperte de eo dicit Apostolus : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui?* (*Ibid.*, 8). Et de omnibus qui ab eo seducendi, et cum eo in æternum perituri sunt, post pauca subjungit : *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (*Ibid.*, 10, 11). Quomodo dicitur, apud Ezechielem prophetam, ad gladium exacutum et limatum ad cædem et interitum impiorum: *Ut daretis super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies, in tempore iniquitatis præfinita?* (*Ezech.* XXI, 29). Cur etiam idem propheta de Judæis et regnum et sacerdotium amissuris, et in sua infidelitate perituris sub persona impii regis dicit : *Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus : Aufer cidarim, tolle coronam?* (*Ibid.*, 25, 26). Coronam quippe esse regni, cidarim vero sacerdotii, ut supra jam diximus, manifestum est.

Quod si quis opponat in his duobus propheticis exemplis non esse positam prædestinationem, sed præfinitionem, cognoscat veraciter nihil esse aliud prædestinationem quam rei futuræ præfinitionem. Quod aperte Apostolus ostendit dicens : *Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro* (*Eph.* III, 11). Ubi enim hic in Latino legimus præfinitionem, in Græco habet Προθέσιν (*a*), quod proprie in Latinum *propositum* interpretatur. Qui sermo etiam in Epistola ad Romanos illo loco est positus, ubi idem Apostolus dicit: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt* (*Rom.* VIII, 28). Propositum autem Dei non esse aliud quam prædestinationem Dei ipse Apostolus velut exponit, qui cum dixisset, *his qui secundum propositum vocati sunt*, statim subjunxit, *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui* (*Eph.* III, 29) : ut ex his omnibus rectissime intelligamus unum atque idem esse et propositum Dei, et prædestinationem Dei, et præfinitionem Dei. Quæ præfinitio, id est prædestinatio, manifestissime et in his verbis Apostoli ponitur in bono, et in illis verbis prophetæ, quæ supra memoravimus, ponitur in malo, dum hic designat præordinatos ad vitam; ibi vero præordinatos ad interitum. Tales namque sunt *vasa iræ*,

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

solis prædestinatis constare ; posterior vero qua dicunt improbos non recipere corpus et sanguinem Christi Domini : contrarium enim eo loci aperte colligitur, eo quod sacramenti illius in cœna Judas fuit particeps.

(*a*) Ait præfinitionem in sacris Litteris idem esse ac prædestinationem, quia cum Græce vocetur πρόθεσις, quæ *præpositum* significat, non ita potest ad præscientiam referri ut ad decretum divinæ voluntatis, quod prædestinatio includit. Refellit infra quod Joannes Erigena objicere solebat : Si Deus malos ad pœnas prædestinaverit, debere prædestinationem cogere et inducere homines ad peccatum. Quod attente consulant novatores nostri, qui tam impie et crudeliter Deo peccatorum causalitatem affingunt.

sicut ipse Apostolus ait (*Rom.* IX, 22), *aptata in interitum:* sive, ut alii transtulerunt, *perfecta in interitum :* et suo videlicet merito, et justo divino judicio.

De quibus cum iste dicat:*Quod in massa damnata ex originalis peccati merito sint derelicti et male vivere permissi, et ad extremum æterno igne plectendi,* et jam nolens et contradicens nihil aliud dicit quam divino eos judicio æterno igne prædestinatos. Nam si massa illa tota damnata est, utique justo Dei judicio est condemnata, et condemnata sine dubio ad æternam perditionem atque supplicium.Quod quid est aliud quam hanc eamdem massam divino judicio damnata esse ad interitum sempiternum ? Ita dum veritati resistere conatur, ipsam veritatem etiam nolens ac nesciens, invicta ratione, confiteri compellitur.

CAPUT XIV.

Quarto decimo capitulo ita dicit :

1. *Ex verbis Augustini probari prædestinatos nonnisi de justis dici, dicentis : Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat. Et iterum : Qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus. Item : Qui cadunt et pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt.*

2. *Pœnam prædestinatum peccatoribus : ipsos vero præscitos tantum, non prædestinatos.*

3. *Hoc etiam legibus humanis conjici, quæ hominem non definiunt ad peccandum : pœnas autem peccaturis definiendo, nihil aliud appetere, quam pronos ad peccandum suppliciorum atrocitate territos cohibere ; ac per hoc non minus misericordiæ, quam vindictæ transgressibus suis efficere.*

His verbis nos respondemus, imo ex verbis beati Augustini (*de Præd, sanct., c.* 10, 16) probari prædestinatos etiam de injustis dici. Qui cum definiret quid sit prædestinatio, ita ait : Prædestinatio Dei quæ in bono est,gratiæ est præparatio.Ubi sine dubio nullatenus adjungeret in bono, nisi sciret prædestinationem esse etiam in malo, sicut aperte ex libro Actuum apostolorum ipse demonstrat,ponens illud testimonium ubi dicitur:*Convenerunt enim in veritate in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pilatus, et populus Israel facere quanta manus tua, et consilium prædestinavit fieri* (*Act.* IV, 27, 28). Ubi et subdidit : Tanta quippe ab inimicis Judæis manus Dei et consilium prædestinavit fieri,quanta necessaria fuerant Evangelio propter nos. Manifeste igitur et ex verbis libri divini,et ex verbis sancti Augustini approbatur, prædestinationem quæ hic legitur,non fuisse in bonum illis,qui tanta et talia passionis tempore in Dominum exercuerunt,sed in magnum et mortiferum malum:quamvis Deus illud nobis verterit in bonum. Si quis autem putat beatum Augustinum velut vitiose ex jam dicto libro istud testimonium posuisse,quia apud nos legitur : *Quæ manus tua et consilium decreverunt fieri :* [illegible] potius vere et expresse,et proprie,

A sicut in Græco habetur, ab eo positum ; ipse enim sermo,id est προώρισεν, etiam hic legitur in Græco, ubi ille posuit : *Quæ manus tua, et consilium prædestinavit fieri.* Qui etiam in Epistola ad Romanos Græce invenitur, ubi Apostolus ait : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit* (*Rom.* VIII, 30). Ex quo manifestum est eumdem Græcum sermonem proprie in Latinum interpretari *prædestinavit:* posse autem interpretari ad sensum etiam *decrevit,* sive *præfinivit,* ut certissime intelligamus, prædestinatum nihil esse aliud quam decretum et definitum. Sicut et ex verbis Isaiæ prophetæ, quibus ait : *Dominus enim Deus exercituum decrevit* (*Isa.* XIV, 27) ; et ex illis verbis libri Danielis : *In sententia vigilum decretum est* (*Dan.*IV, 14), jam supra evidentissime est demonstratum.

B Quid ergo isti prodest, quod tanta intentione et contentione mentitur,beatum Augustinum definisse omnem prædestinationem gratiæ præparationem esse; cum ille nequaquam dixerit *omnem,* sed prædestinationem tantummodo,quæ in bono est,ita definierit, et quasi ipse dixerit prædestinatos nonnisi justos dicendos.Cum ille hoc nusquam dixisse inveniatur, sed verba quæ ille de sola justorum prædestinatione posuit, qua alii sunt utique prædestinati, alii non prædestinati : alii pertinent ad numerum prædestinatorum,alii non;iste minus pervicaciter et impudenter posuit : quasi ille sanctus doctor semper de utraque prædestinatione, id est bonorum et malorum, simul loqui debuisset : aut consequens sit,ut cum de sola bonorum prædestinatione disputat,sta-
C tim prædestinationem malorum negare videatur. Quia in illo apertissime in multis locis commemorat (*de Perfect. just.*, cap. 13) et ostendit. De quibus hic, exempli gratia, unum testimonium ponimus, ubi ait : Populum quemdam Psalmus ille culpat,in quo *nec unus erat, qui faceret bonum* (*Psal.* XIII, 3), dum volunt manere filii hominum, et non esse filii Dei, cujus gratia homo fit bonus, *ut faciat bonum.* De illo enim *bono* dictum hic debemus accipere, quod ibi ait : *Deus de cœlo respexit super filios hominum, ut videat si est intelligens requirens Deum* (*Ibid.*, 2). Hoc ergo *bonum* quod est requirere Deum,*non erat qui faceret, non erat usque ad unum,* sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum:super hos enim respexit Dei præscien-
D tia protulitque sententiam. Sed quid prodest hoc exemplum de Dei prædestinatione malorum,contra istum proponere,cum solita insania paratus sit dicere auditorum suis: ut cum audiunt in verbis hujus sancti doctoris dictum,genus hominum prædestinatum ad interitum ; a contrario intelligant non prædestinatum,sic illudantur,qui veritatem non in Scriptura veritatis, sed in mendacii fabricatoribus quærunt.

2. Addit adhuc et dicit : *Pœnam prædestinatum peccatoribus, ipsos vero præscitos tantum non prædestinatos.* De qua re et in isto,et in præcedenti capitulo satis diximus, multis testimoniis manifeste

ostendentes peccatores,qui in peccatis suis permanserint,justo Dei judicio pœnis prædestinatos. A Mirum est autem quo sensu vel qua ratione possit intelligi ut Deum peccatoribus prædestinaverit pœnas,et peccatores non prædestinaverit pœnis; neque enim quando eis pœnas prædestinavit et præparavit,ignorabat, qui eis puniendi et cruciendi essent. Quod etiam iste confitetur dicens esse præscitos. Si ergo certissime præsciebat,qui illis pœnis juste puniendi et excruciandi essent,quid aliud fecit cum certissimis quibusque certissimas pœnas præparavit,nisi quod eos certissime pœnis prædestinavit? Omnino enim illi soli eas patientur,quos ille passurus præscivit.Quid ergo est immutabili præscientia præscisse alios ad pœnas,quam immutabiliter eos pœnis prædestinasse? Neque enim timendum erat ut quod B certissime præsciebat juste futurum,non prædestinaret se juste facturum.

3.Alia est autem legum humanarum conditio,quæ sic statuunt peccantibus certa supplicia, ut tamen qui ita peccaturi sint,ut illis vel illis suppliciis juste excrucientur, penitus ignorent. Et ideo pœnas peccatoribus præparare et prædestinare possunt, quas justas esse noverunt : ipsos tamen peccatores,quos prorsus ignorant,pœnis prædestinare non possunt. Quod si scirent certissime personas, quæ illis suppliciis dignæ essent,possent omnino justissime,sicut peccatoribus pœnas statuere ; ita et ipsos peccatores certa et justa definitione pœnis prædestinare, sicut in ipsa jam judicii examinatione, quos certissime comprobaverint capitalis criminis reos,mortem eis statutam atque decretam ex legibus recitant,et ma- C nifesta sententia ipsos morti adjudicant. Quod eis utique præstat judicii certa cognitio,ut sicut peccatoribus pœnas, ita et ipsos peccatores pœnis prædestinare audeant. Si ergo utrumque hoc recte et juste in humano judicio certis cognitionibus informato atque formato potest fieri, ut et pœnæ peccatoribus et peccatores pœnis justo et irreprehensibili judicio decernantur; nec tamen aliquis talium reorum,vel per ipsas leges vel ipsos judices ad peccandum cogitur, sed tantum,quia peccavit,juste punitur : quanto incomparabiliter et ineffabiliter in divino judicio fieri omnino credendum est,ut quoniam et ipsas pœnas quæ peccatoribus juste debentur,et ipsos peccatores quibus debentur, æterna scientia novit? D Cum nulli sit ipse auctor vel causa peccati, justissime tamen et pœnas peccatoribus quas justissimas novit,et peccatores nunquam sibi ignotos,sed æterna veritate notissimos æternis prædestinat pœnis Neque enim aliquis nostrum dicit quod iste tam frequenter objicit : Quod Deus prædestinatione sua aliquem cogat ad peccandum,sed tantummodo pro his, quæ peccavit,ad luendum supplicium,sicut nec leges ipsæ, decernendo supplicium, compellunt ad peccatum, sed tantummodo quod spontanee et voluntarie peccatum est,justa damnationis ultione non relinquunt impunitum.

CAPUT XV.

Quinto decimo capitulo tales definitiones ponit.

1. *Peccata, et eorum supplicia nihil esse.*

2. *Præscisse et prædestinasse Deum peccata vel pœnas; pro non præscisse, non prædestinasse, non præparasse : exemplo Judæ, qui electus pro non electo, amicus pro non amico, filius pro non filio.*

3. *Pœnas malas esse ideo non a Deo, a quo non sit malum,Deum non punire quæ facit, nec ab eis naturalia munera tollere.*

4. *Dolorem esse sanitatis absentiam, tenebras lucis, silentium clamoris,tristitiam gaudii, laborem quietis, sic præsciri, vel prædestinari peccata vel pœnas.*

5. *Dolendo non ipsum dolorem,sed ipsam sanitatem nesci, quam non nosset si de illa notionem quandam non haberet.*

6. *Recordationem sanitatis in sensibus remanere ; ipsam vero in illa substantia, quam Deus creavit, residere.*

In istis sex propositionibus illud quod primo loco posuit,id est *peccata et supplicia nihil esse*,jam superius,prout potuimus,est tractatum : quia,et si nihil dici possunt peccata, eo quod nullam habeant substantiam in se existendi, vel subsistendi, tamen justitiam deserere,quod est peccare,non potest fieri, nisi in aliqua et per aliquam substantiam,vel spiritualem,vel corporalem ; spiritualem cum in ipso animo deseritur veritas,justitia, bonitas, et subintrant his contraria, id est mendacium,iniquitas, malitia, quæ licet nullam habeant subsistendi naturam,sunt tamen magna vitia, vel languores naturæ,id est ipsius animi,cui dominantur,et cujus sanitatem atque integritatem violant : ita ut ipse animus his incurvatus et depressus ex libero servilis, et ex sano infirmus efficiatur, dicente Domino in Evangelio : *Quia omnis, qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Et Psalmista dolenter et miserabiliter implorante : *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Sed quia hæc mala sic incipiunt in animo,ut maxime tamen per corpus exerceantur,transit,malum spiritualis naturæ, id est animi, in malum corporalis naturæ,id est ipsum corpus ; et ita velut quædam pestis totum simul commaculat et corrumpit, ut peccato dominanti anima serviens redigat in eamdem servitutem corpus suum ; et fiant *membra corporis* ipsius *arma iniquitatis peccato*,quibus ipsa iniquitas et peccatum fortius et violentius in utroque dominetur. Unde Apostolus fidelibus dicit : *Et ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo* (*Rom.* VI, 13). Huic tanto et tam mortifero languori totum hominem sibi vindicanti et saucianti, solus ille unus et verus medicus potest adhibere medelam et sanitatem conferre,qui de seipso ait : *Non est opus sanis medico. sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12), et de quo scriptum est : *Ipse enim salvum faciet populum*

suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). De quo etiam Apostolus ait : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (*I Tim.* I, 15).

Iste ergo qui tam assidue dicit,et *repetit peccata nihil esse*, quid aliud conatur agere, diabolo instigante, nisi ut ea quasi leviget in cordibus auditorum,ut non doleant,non agnoscant quanto malo teneantur, nec curent dicere cum Psalmista : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo mundame.Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L, 2-5). Abjiciatur ergo deceptor iste ab auribus et cordibus fidelium,et contra tam magnam miseriam imploretur dolenter et simpliciter magna Dei misericordia : contra multitudinem tantarum miseriarum quæratur multitudo miserationum, ut deleatur iniquitas, lavetur homo ab ipsa iniquitate, mundetur a peccato, quo erat sordidus et immundus effectus; cognoscat iniquitatem suam, et peccatum suum non putet esse nihil, nec ponat illud post dorsum, sed ante oculos semper habens imploret illum qui dixit : *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua* (*Isa.* XLIV, 22). Similiter et supplicia, quæ peccatis debentur, ita extenuare, sic levigare et annullare contendit, ut ea semper nihil esse confirmet; quæ licet in se substantiam nullam habeant existendi, tamen per corporales naturas, id est ignem æternum, et stagnum sulphuris, et vermes nunquam deficientes damnatorum et corporibus, et animis, inferuntur : dum et animas et corpora simul excruciant. Et ideo, licet non sint substantialiter, sunt tamen semper pœnaliter, et infeliciter in eorum animis et corporibus, quæ sine fine excruciant.

Quocirca non nos delectet audire ab isto misero seductore *peccatorum supplicia nihil esse;* sed potius audiamus quod verissime Veritas dicit : *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus*; *et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam,quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 22, 23, 24). Et paulo post, cum pro fratribus suis supplicaret, ait : *Ut testetur illis, ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum* (*Ibid.*, 28). Ecce infelix et infelicissime damnatus dives, statim ut mortuus est corpore, anima sepultus est in inferno; ubi tenebatur ipsa anima in tormentis,et ibi amplius cruciabatur, unde amplius peccaverat, id est in lingua; et cruciabatur in flamma undique adurente et concremante.Et sicut ipse micas mensæ suæ non dederat Labaro mendico et ulceribus pleno jacenti ad januam suam,ita et ipse stillam aquæ de digito ejus, qua aliquantulum refrigeraretur, non meruit impetrare. Et pro fratribus rogat ne et ipsi veniant in illum locum tormentorum.Si ergo,juxta vocem Veritatis,infernus locus est tormentorum, et animæ miserorum exutæ corporibus illic sepeliuntur, et sunt in tormentis, et per quæ peccaverunt, per hæc et torquentur, ut *judicium sit illis sine misericordia, quia non fecerunt misericordiam* (*Jac.* II, 13).

Hæc audiat fidelis quisque et timeat,et dum tempus est,fugiat ab ira ventura de qua beatus Joannes Baptista ait : *Quis vobis demonstravit fugere a futura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III, 7, 8). Hunc locum tormentorum ipse Dominus frequenter appellat *tenebras exteriores et caminum ignis, et ignem æternum diabolo et omnibus impiis præparatum, ubi erit dolor* sine fine, et ex dolore sempiternus *fletus* oculorum,et *stridor dentium* (*Matth.* XXV, 41). De tali pœna infidelium damnatorum et Isaias propheta dicit : *Vermis eorum non morietur,et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* (*Isa.* LXVI, 24). Sed et beatus Job lacrymabiliter Deum implorat dicens : *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum*; *antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine ; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, et sempiternus horror inhabitat* (*Job.* X, 20-22). Et beatus Joannes in Apocalypsi : *Missi sunt*, inquit,*in stagno ardenti igne et sulphure : quod est, mors secunda, et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*(*Apoc.* XX, 14). Et sicut alibi ait : *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XIV, 11). Hæc fideliter credamus, veraciter timeamus,et hunc vaniloquum et seductorem penitus ab auribus repellamus : Quia, sicut ait Apostolus *corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* XV, 33). Unde et alia Scriptura admonet dicens : *Sepi aures tuas spinis,et noli audire linguam* (*Eccl.* XXVIII, 28).

2 Statim namque post hæc illa sua regula impia et furiosa,qua persuadere conatur ut,cum audimus aliquid factum,intelligamus non factum,cum aliquid dictum,intelligamus non dictum ; adjungit et dicit : *Præscisse et prædestinasse Deum peccata vel pœnas, pro non præscisse, non prædestinasse,non præparasse.* Quod apertissime fidei et veritati contrarium est.Si enim non præscivit Deus angelorum vel hominum omnia futura peccata, non est præscius futurorum. Et quid aliud præstat nisi ut dicat *iste insipiens in corde suo,non est Deus* (*Psal.* XIII, 1), si non præscivit pœnas quæ peccantibus juste debentur, quomodo eas et in Evangeliis et in cæteris Scripturis tam assidue, tam graviter,tam terribiliter comminatur. Sed dicit iste : *Quia peccata vel pœnæ nihil sunt, eo quod substantiam per se existendi non habeant. Et ideo quod nihil est Deum nec scire nec præscire potuisse.* Quasi Deo ignotum sit quidquid non est, et quod ipse essentialiter et naturaliter esse non fecit : cum ille omnipotenti scientia et præscientia sua sicut novit omnia quæ fecit, sic etiam noverit quæ non

fecit (a) : et, sicut novit quæ esset facturus, ita semper noverit quæ non esset facturus. Ita namque et quæ vellet esse, et quæ nollet esse, nullatenus potuit ignorare : et quod noluit habere naturam vel substantiam existendi, novit sine dubio magnum malum esse naturæ subsistendi angelicæ vel humanæ, cum peccato in deterius commutatur, et pœnali supplicio sine fine cruciatur.

Quod autem dicit *Deum non prædestinasse pœnas vel peccata*, de peccatis utique verum est, quia non prædestinavit, nisi quæ fuerat ipse facturus. Quæ utique omnia et bona et justa sunt. De pœnis autem manifeste falsissimum est, quas non solum prædestinavit, sed etiam præparavit. Sicut ipse Dominus in Evangelio dicit : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* II, 41). Adjungit exemplum *Judæ* satis absurde et incongrue, sicut supra ostensum est.

Et statim subjungit dicens : *Pœnas mala esse ideoque non a Deo, a quo malum non sit.* Contra illud quod ipse Deus per prophetam testatur dicens : *Ego Dominus, faciens pacem et creans malum* (*Isa.* XLV, 7). Unde et alibi scriptum est : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit* (*Amos* III, 6). Et iterum : *Bona et mala vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt* (*Eccli.* XI, 14). Et ideo fideliter discernendum, aliud esse malum, id est vitium, contrarium bono, quod utique non est a Deo, sed vel a diabolo inventum, vel ab homine commissum ; aliud vero esse malum, quod significat aliquam afflictionem vel temporalem vel æternam : ut sunt fames, pestilentia, hostilitates, vastationes, mors, et ipsa quæ appellantur æterna supplicia ; quæ utique omnia a Deo sunt : quia non nisi justa ejus dispositione, et justo ejus judicio præparantur vel inferuntur. Iste autem, qui pœnas illas æternas a Deo non esse confirmat, compellandus est, ut dicat a quo eas esse putet, utrum a diabolo, cui sunt præparatæ ; an ab hominibus, qui ibi pariter cruciandi sunt ; an a nullo, ut sine aliquo auctore coæternæ Deo existant.

Subjungit post hæc dicens : *Deum non punire quæ fecit nec ab eis naturalia munera tollere.* Quod ut diligentius consideretur, manifestum est illa quæ Deus fecit in creatura rationali angelica vel humana, esse in angelis spiritus sine corpore, esse in hominibus animam et corpus : Naturalia vero munera quæ istis rationalibus creaturis naturaliter Deus dedit, illa vult iste intelligi de quibus superius multa locutus est, id est quod habeat in se naturaliter mens humana sive angelica, memoriam, intelligentiam, voluntatem, esse, nosse, velle, ut naturaliter meminerit sui, intelligat se, diligat se, naturaliter habeat esse ut existat, nosse ut agnoscat se, velle ut amet se. Liberum etiam arbitrium naturale tantummodo donum Creatoris asserit iste, sicut supra satis suis verbis ostendit. Dicit itaque Deum non punire quæ fecit ; id est nec spiritum angelicum in angelis malignis : nec spiritum et corpus in hominibus damnandis. Et quomodo *ignem æternum* dicit *paratum esse diabolo et angelis ejus*, si illo igne spiritus angelici puniendi non sunt ? Quomodo etiam alibi hominibus et de hominibus dicit : *Sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28), si illo cruciatu gehennæ nec anima, nec corpus, quæ utraque Deus fecit punientur ? Sed vere punientur et spiritus et corpora in gehenna, sicut vera fides credit, sicut ipsa Veritas testatur : non quia ea Deus fecit, sed quia ipsa fecerunt quæ Deus non fecit, et quæ Deus odit, et quæ impunita esse non sinit, id est peccata. Quæ sine auctoribus suis neque esse, neque puniri possunt : neque enim per se subsistunt, ut in seipsis puniantur, sed insunt mentibus depravatis angelicis sive humanis ab ipsis commissa, ipsis adhærentia, et cum ipsis atque in ipsis damnanda.

Ita et illud verum est quod in Dei laudibus Scriptura dicit : *Diliges enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* XI, 25). Et quod Dominus ait : *Qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Diligit enim creaturam suam, in quantum natura est, et ab eo condita est. Et odit eam in quantum vitiata est. Unde scriptum est : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium : Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal.* V, 7, 8). Unde et de quibusdam dicit propheta : *Et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt* (*Ose.* IX, 10) ; et iterum : *Similiter autem et odio sunt Deo impius et impietas ejus* (*Sap.* XIV, 9). Ita ergo diligit omnia quæ sunt, et nihil odit eorum quæ fecit ; ut tamen hæc in creatura rationali vitiata, depravata atque corrupta, impunita et inordinata esse non sinat. Juste enim ordinatur et punitur in pœnis natura quæ non sub Deo et ex Deo voluit esse beata, sed in se, et per se, velut libera esse concupivit : ut quæ noluit subjici volens, subjiciatur nolens ; et quæ illic potuit esse semper beata, hic sine fine misera efficiatur. Quia *manum Dei* (sicut ipsa Scriptura dicit) *effugere impossibile est* (*Tob.* XIII, 2), cui necesse est, ut quæ noluit voluntate, necessitate subdatur.

Quid autem ipsis naturis rationalibus proderit, si in illa æterna damnatione constitutis naturalia illa, ut iste dicit, munera non erunt sublata ? Cum ad nullum beatitudinis fructum, sed ad solum tormentorum cumulum in eis relinquenda esse manifeste

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(a) Cum dicit Deum æque certo nosse quid non esset facturus ac quid esset facturus, et quæ eventura non erant ac quæ erant, satis superque arguit ubi de Dei cognitione sermo est, nullam illi conjecturalem esse attribuendam, quia licet sit vehemens et, ut dicunt jurisconsulti, violentissima, incertitudinem tamen omni ex parte non potest excludere, quo fit ut respectu futurorum conditionatorum in Deo potius scientiam mediam et conditionatam debeamus admittere. — Fonseca, Molina, Suarez, Mascaregnas, disputationibus et opusculis de ipsa scientia.

intelligantur,ut meminerint sui, ad æternum dolorem malæ conscientiæ : intelligant se semper miseras, semper esse damnatas ; diligant se, ut magis doleant sine fine perire quod amant. Liberum vero arbitrium (*a*) quomodo aut quale in illis erit, quorum voluntas nec iniquitatem suam poterit jam deserere, nec bonum aliquid ulterius operari ? sicut Scriptura dicit : *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare : quia nec opus,nec ratio,nec sapientia,nec scientia erunt apud inferos,quo tu properas* (*Eccle.* IX,10).Quid illis proderit semper esse infeliciter, scire damnationem suam, velle nec posse evadere pœnam suam ? Omnia ergo quæ hic data sunt ad usum bene agendi, ad gratiam Domini promerendam,ibi quantulacunque eorum vestigia remanserint,ad supplicium valebunt,non ad solatium.Si autem rationalis creaturæ memoria, intelligentia, voluntas,non ad se,sed ad Conditorem referantur,quid jam illis penitus a Deo desertis,et ab æterno illo et vero lumine separatis,quid in illis,inquam,aget memoria,ubi nemo dicere poterit : *Memor fui Dei,et delectatus sum*? (*Ps.* LXXVI, 4.) et ubi implebitur quod scriptum est : *Quoniam non est in morte qui memor sit tui* (*Psal.*VI,6).Nulla erit intelligentiæ illuminatio. qua Deus agnoscatur,quæratur,inveniatur.Nulla dilectionis pietas,qua Deus ametur,desideretur,fruatur.Ipsæ enim erunt tenebræ exteriores extra illud lumen jam positis, cujus nulla illuminatione perfruentur : Et illa nox horrenda, de qua ipsum verum lumen Dominus noster dicit : *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Venit nox quando nemo potest operari* (*Joan.*IX, 4, 5). Quandiu ergo in mundo est per illuminantem gratiam, lux est mundi a suis tenebris liberati.Cum autem hanc suæ illuminationis gratiam subtraxerit æterna cæcitate damnatis, quid eis aliud remanebit nisi nox horrenda, nox perpetua, in qua nemo possit operari ?

Si autem etiam de sensibus corporis, qui et ipsi sunt utique naturalia munera Conditoris,tale aliquid consideretur (*b*), quid ibi proderit visus, ubi nullus erit lucis aspectus? Aut si ad horam fuerit,non ad consolationem,sed ad vehementiorem dolorem valebit : ut scilicet videant boni aliquid,quod jam habere aut promereri non possint.Sicut et dives ille eisdem infernalibus pœnis damnatus,Abraham et Lazarum ad horam videre potuit (*Luc.*XVI,23),sed ad augmentum doloris, non ad solatium ereptionis. Licet hoc ante ultimum illud judicium juxta occultam dispositionem Conditoris fieri credendum sit, postea vero nihil tale futurum legatur. Quid ibi aget auditus, ubi semper horrendus fragor,et tristis atque innumerabilis audietur gemitus ? Quid olfactus,ubi juxta A quod Deus per prophetam comminatur ; *Erit semper pro suavi odore fetor* ? (*Isa.* III, 24.) Quid gustus, ubi æterna erit fames et sitis ? Sicut de civitate diaboli, id est de tota illa multitudine damnatorum aperte in Apocalypsi scriptum est : *Quia in una die venient plagæ ejus,et mors et luctus,et fames : quia fortis est Deus, qui judicavit illam* (*Apoc.* XVIII, 8). De siti autem et lingua semper ardente, in damnatione illius divitis aperte Evangelium declarat.Quid totius corporis tactus,ubi nulla ejus poterit esse jucunditas, nulla suavitas, sed sempiternus sentietur dolor, æterna exustio, æterna excruciatio ? Quid ergo prodest quod iste dicit,velut ad consolationem stultorum,*Deum non punire quæ fecit,nec ab eis naturalia munera tollere* ? Cum et puniat æternaliter naturam vitiatam pro his B quæ male gessit : etsi aliquid naturalium munerum in illa damnatione eam habere permittet,totum valeat ad supplicii augmentum,non ad consolationis solatium.

Quid est autem quod adddit : *Dolorem esse sanitatis absentiam, tenebras lucis, silentium clamoris, tristitiam gaudii, laborem quietis : sic præsciri vel prædestinari peccata vel pœnas.* Si enim in his verbis hoc persuadere voluit,quod,sicut nos per sanitatis absentiam cognoscimus in nobis dolorem,et per absentiam lucis cognoscimus tenebras, et per absentiam vocis cognoscimus silentium,et per absentiam gaudii sentimus tristitiam, per absentiam quietis sentimus laborem,sic Deus præscierit peccata,vel prædestinaverit pœnas,ut et peccata non nisi privatione justitiæ scire aut præscire potuerit ; et pœnas,nisi privatione beatitudinis non agnoverit, vel prædestinaverit ; C si,inquam,ita sensit,ita persuadere voluit,quid tali sensu horribilius,quo divina virtus humanæ infirmitati adæquatur ? Dei etenim virtus, semper eodem modo se habens, omnia novit in se, nec indiget ut aliquid noverit extra se : nec aliter novit facta, aliter non facta,quia nec illa novit per eorum præsentiam, nec ista per aliarum rerum absentiam ; sed æterna et incommutabili scientia sua æqualiter videt quid voluerit esse, et quid esse noluerit : nec privatione justitiæ cognoscit peccata ; sed, cum sit ipse summa justitia,in ipsa [*al.*,ipso] incommutabiliter videt quid ab ea dissonet vel discordet.Similiter non per absentiam beatitudinis pœnas cognoscit, sed cum sit ipse summa beatitudo,in semetipso incommutabiliter videt in quantam pœnarum profun- D ditatem mergendi sunt qui ab ejus tranquillitate discedunt.Atque ita non privatione justitiæ, sed in ipsa justitia videt quidquid ab ea dissentit : nec privatione beatitudinis agnoscit pœnas ; sed, in ipsa beatitudine, videt quid doloris et laboris incurrat qui ab ejus tranquillitate separatur.

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Liberum arbitrium affirmat in damnatis non esse,eodem sensu quo antea docuit in peccatoribus et in statu naturæ lapsæ non reperiri.

(*b*) Insinuat sensum videndi non operaturum in damnatis, forte quia inferni locus ita est tenebricosus,ut species ad ipsorum oculos deferri non possint. Docet enim D. Basilius Deum ab igne inferni lucem abstulisse et solam vim urendi in eo reliquisse : probabile tamen et damnatos conspecturos esse dæmones et alios pœnarum socios,eorum enim intuitu acerbius graviusque percellentur. Ideoque cum eos vivendi sensu destituit Ecclesia Lugdunensis ; illud de visione grata et delectabili est intelligendum.

Adhuc addit et dicit : *Dolendo non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem nosci, quam non nosset, si de illa notionem quamdam non haberet.* In quibus verbis affirmare videtur dolorem illum æternarum pœnarum non posse nosci, id est agnosci, ab animo patientis, eo quod ipse dolor nullam habeat substantiam in se existendi vel subsistendi. Et ideo cum substantialiter nihil sit, non ipse agnoscatur ab illo qui dolet, sed potius ex ejus comparatione sanitas agnoscitur; quæ in corpore naturaliter aliquid est, et quæ ipsi dolori contraria est. Quam sanitatem nullatenus nosset qui totus dolet in pœnis, nisi ejus notitia in memoria remaneret.

Et ut hæc tam absurda et stulta, velut ratione quadam reddita, confirmare videatur, subjungit et dicit : *Recordationem sanitatis in sensibus remanere, ipsam vero in illa substantia quam Deus creavit residere.* Per quod fortassis hoc intelligi vult quod in sensibus in illa damnatione semper dolentis, velut ex commonitione ipsius doloris, fiat recordatio sanitatis, in sensibus videlicet, quibus vel corpus vel anima ipsos dolores sentiet; ipsam vero sanitatem in illa damnatione ita posse intelligi, quia substantia hominis, quem Deus creavit, et in animæ et in corporis perpetuitate non consumitur, non deletur, sed velut quadam suæ plenitudinis sanitate æternaliter durat. Quæ omnia idcirco dicere videtur, ut per illum sempiternum pœnarum dolorem, nec cognitionem sanitatis, nec ejus recordationem, nec ipsam sanitatem in eis qui torquendi sunt, asserat perire. Cum e contrario omnia ista, id est et cognitio et memoria sanitatis in animo semper dolentis, et conservatio illa naturæ nunquam delendæ, non proficiant ad aliquam gratiam et jucunditatem salutis, sed potius ad cumulum doloris : ut non solum sensu et corporis et animæ doleat ita damnatus; sed etiam dum recordatur, et agnoscit bonum sanitatis quod funditus amisit, in ipsa memoria et notitia puniatur. Dicat ergo insanus esse in æternis et omnimodis doloribus sanitatem, dum quæ ibi existimat, dum quæ ibi putat remanere ad indicium sanitatis, non aliud quam materia sint doloris : ut, dum nunquam finitur qui torquetur, nec tormenta ipsa finiantur :

CAPUT XVI.

Sexto decimo capitulo duodecim definitiones proponit, ita dicens :

1. *Nulla natura naturam puniri.*

2. *Et nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.*

3. *In igne æterno nihil aliud esse pœnam, quam beatæ felicitatis absentiam.*

4. *In ea nullum esse qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem, ejusque desiderium : habituros miseros felicitatis et veritatis notionem atque scientiam : ac per hoc non esse miseros, nec puniri.*

5. *In diabolo et impiis hominibus non puniri nisi perversitatem propriæ voluntatis; nec peccasse creaturam, sed voluntatem.*

6. *Nec in primo homine peccasse naturæ generalitatem, sed uniuscujusque individuam voluntatem.*

7. *Si ea natura derelinqueret, cum una sit, tota profecto periret.*

8. *Proinde in ullo naturam puniri, quia ex Deo sit, et non peccet, sed motus voluntarius libidinosus puniatur.*

9. *Ideoque in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose invenit.*

10. *Libidinem perversæ voluntatis cruciari, dum ea quæ male aut indigne appetit habere non sinatur.*

11. *Ex nullo bono malum esse.*

12. *Eum qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est mentis acies in usus turpitudinis mutet, illic ne omnino veritatis honestate fruatur, justissime perdat, et tenebras æternæ ignorantiæ non evitare.*

In his verbis illud quod primo loco posuit *nulla natura naturam puniri*, ideo dixisse videtur quia omnis utique natura a bono auctore Deo condita, in quantum natura est, bona est : ut verbi gratia, natura animæ sive corporis bona est; et natura ignis, in quantum natura est, similiter bona est. Cum ergo utraque naturaliter bona sint, recte sibi iste videtur dicere et definire, quod nulla natura alia puniatur natura; quia videlicet duo bona secundum ejus sensum non possunt sibi esse contraria, ne naturæ bonæ altera bona natura possit esse pœna. Atque hujuscemodi argumentationis manifestissima fallacia cupit subvertere in cordibus audientium firmissimam fidei veritatem, qua omnes fideles indubitanter credunt et confitentur, in una et per unam æterni ignis naturam, et naturam spirituum malignorum, et naturam hominum perditorum, id est animas et corpora eorum sine fine damnandas, puniendas atque torquendas per ejus justum et æternum judicium : *Qui potest et animam et corpus perdere in gehennam, et qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (*Matth.* x, 28).

Nec solum de illis æternis suppliciis quibus natura angelica et humana utique natura ignis æterni torquebitur ut ignis, qui bonitate Conditoris hic homini datus est ad solatium, ibi justa severitate judicis vertatur ei in supplicium; non de illis, inquam, solis certa est fides ita esse futurum; sed etiam in communi hominum sensu certissimum esse constat nunquam naturam nisi natura puniri. Sicut natura corporis, aut ex semetipsa punitur, velut cum deficit a sanitate, et succumbit infirmitati atque languori, dum et bonum sanitatis in eo minuitur, et malum languoris ex seipso patitur, aut ex alterius naturæ subtractione, quæ illi ad sustentationem vel aliud solatium valet : velut si ei pœnaliter subtrahatur natura cibi, aut potus, aut etiam lucis, vel vestimenti, et quidquid ejusmodi est; dum ex hoc et fame ac siti tabescit ac deficit, et tenebrarum horrore affligitur, aut frigoris ærumna cruciatur; aut certe ex alterius rei natura ipsum corpus hominis punitur;

sicut corpora latronum utique puniuntur vi flagellorum et gladiorum ac multiplicium tormentorum, quæ utique ipsorum naturæ ex aliis naturis pœnaliter inferuntur. Cum ergo hæc ita sint,et nunquam natura nisi aut ex seipsa in seipsa puniatur, vel alterius naturæ utilitate subtracta, vel violentia illata,qua ratione iste dicit nullam naturam natura puniri? ut ex hoc quantum in se est, veritatem æternorum destruat suppliciorum; ubi et natura spirituum, et natura corporum juxta evangelicam et apostolicam veritatem : *Natura ignis æterni cruciabitur die ac nocte in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XIV, 10).

Si autem propterea hoc dicit quia naturæ non nocent invicem, nisi suis qualitatibus, ut, verbi gratia, ignis et aqua, quorum propriæ qualitates sunt ut et aqua sit naturaliter humida, et ignis naturaliter aridus; et ideo potest et aquæ humore ignis exstingui,et ignis ariditate ignita humor aquæ exsiccari, ut non sibi videantur ista adversari ex eo quod naturæ sunt, sed ex eo quod qualitatibus suis sibi contrariæ sunt. Si propterea,inquam,hoc dicit,sciat in fide nostra nullam esse distantiam utrum naturæ naturis puniri dicantur, an ipsæ naturæ suis naturalibus qualitatibus sibi invicem pœnales existant; quia utrumque unus Conditor creavit, id est et naturam et qualitatem insitam naturæ. Et ideo utrumque simul rectissime una dicitur natura, et a sapientissimo Conditore alia ab alia propria qualitate distincta. Deinde quia et si immortalis est natura angelici sive humani spiritus, tamen,potestate conditoris et justi ultoris Dei, sic illi igni corporeo et æterno pœnaliter et æternaliter alligabitur, sicut et hic eadem potestate summi Conditoris colligatur humanus spiritus terreno corpori,nec solvi potest, nisi illius voluntate et judicio qui colligavit. Natura quoque humani corporis in illo æterno igne damnatorum ita erit pœnaliter immortalis,ut ad sustinenda æterna supplicia nunquam morte solvatur; ita passibilis et incorruptibilis, ut omni genere dolorum, cruciatum atque pœnarum sine fine affligatur. Hanc enim pœnam omni intentione cavendam terribiliter Scriptura denuntiat, dicens : *Humilia spiritum tuum valde, quia vindicta carnis impii ignis et vermes* (*Eccli.* VII, 19). Et iterum : *Dominus enim omnipotens vindicabit in eis; in die judicii visitabit illos : Dabit in carnes eorum ignem et vermes, ut urantur et sentiant usque in sempiternum* (*Judith* XVI, 20, 21).

Proposuit quidam antiquitus similem de naturarum inter se contrarietate quæstionem. Quæ qualiter ab illo sit proposita et a beato Augustino evidentissima ratione destructa, necessarium existimamus ad commonitionem et confirmationem legentium hic breviter inserere; maxime quia ille qui eam proposuit, aut ipse Pelagius fuit aut aliquis Pelagianus, sicut et iste est. Ita ergo eamdem quæstionem beatus Augustinus commemorat dicens : [Quid est, quod interrogat : Qui fecit hominis spiritum? et respondet sibi sine dubio, Deus. Et item interrogat : Carnem A quis creavit? itemque respondet : Item credo, Deus. Interrogat tertio : Bonus est qui utrumque creavit Deus? respondet : Nulli dubium est. Adhuc interrogat : Et utrumque quod bonus auctor creavit, bonum est? et ad hoc respondet : Confitendum est. Deinde concludit, si igitur et spiritus bonus, et caro bona, ut a bono auctore condita, qui fieri potest, ut duo bona possint sibi esse contraria?] Post hæc idem beatus Augustinus subjungit e contrario responsionem suam, ita dicens : [Omitto dicere quia tota hujus ratiocinatio turbaretur, si quis ab eo quæreret : Æstus et frigus quis fecit? responderet enim sine dubio : Deus. Non ego multa interrogo, ipse concludat utrum, aut ista possint dici non bona, aut non appareant inter se esse contraria? Hic forte dicit : Qualitates B sunt istæ substantiarum, non substantiæ. Ita est, verum est; sed qualitates naturales, et ad Dei creaturam sine dubio pertinentes. Substantiæ quippe non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua et ignis, dicuntur sibi esse contrariæ, etc.] Quæ ad convincendam et destruendam improbi hominis insaniam sanctus doctor exsequitur.

Cum itaque terror et veritas æternorum suppliciorum tam aperte et multipliciter nostræ fidei commendentur ad incutiendum saluberrimum timorem, et excitandum ad continuam emendationem, quomodo iste subjungere et dicere ausus est *et nihil aliud esse pœnas peccatorum nisi peccata eorum*? Cum certissime fides teneat alias esse pœnas peccatorum quas animæ in præsenti ex ipso peccatorum suorum merito patiuntur desertæ a Deo, desertæ a luce jus- C titiæ, a contemplatione veritatis, ab illuminatione charitatis; et aliquando traditæ etiam in reprobum sensum. Has enim pœnas peccatoribus et carnalium voluptatum amatoribus divina Scriptura in præsenti inferri manifestissime testatur, dum de quibusdam Deus dicit : *Non permanebit spiritus meum in hominibus istis in æternum, quia caro sunt* (*Gen.* VI, 3) : cum impii in fine dolentes ac gementes dicent : *Et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (*Sap.* V, 6); dum de eisdem impiis Scriptura dicit : *Excæcavit enim illos malitia ipsorum* (*Sap.* II, 21); et generaliter de his qui fratres oderunt : *Omnis qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus* (*I Joan.* II, 11). Et de quibusdam D Scriptum est : *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deum in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 28). Sunt pœnæ peccantium animarum ipsa peccata, quia eis et ipsarum animarum sanitas corrumpitur et violatur, et conscientia misera, perturbata, et anxietatibus plena efficitur. Ita ergo, et peccantium pœnæ fiunt ipsa peccata justo et terribili Dei judicio; et tamen pro eisdem peccatis aliæ statim in præsenti gravissimæ pœnæ irrogantur, sicut superius ostensum est. De quibus omnibus præsentibus pœnis quibus peccantium animæ continuo feriuntur atque puniuntur, beatus Moyses in Deuteronomio apertissime testatur,

dicens de omnipotenti Deo: *Faciens misericordiam in millia diligentibus se* (*Deut.* v, 10); *et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur* (*Deut.* vii, 10). Sunt itaque et in præsenti gravissimæ animarum pœnæ ipsa peccata sua; sunt gravissimæ animarum pœnæ ipsa desertio Dei et damnatio, qua peccatorum meritis continuo restituuntur, sed restant illæ in futurum æternorum suppliciorum pœnæ, de quibus scriptum est dicente Domino: *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno* (*Luc.* xvi, 13). Et iterum: *Ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro et in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 25, 26). Et alio loco, cum de servo nequam loqueretur, qui noluit debitum conservo suo dimittere sicut et sibi dimissum est, ait: *Tunc iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum* (*Matth.* xviii, 34).

Has pœnas peccatorum, sive in ipsis peccatis eorum sive in desertione Dei, promerito ipsorum peccatorum, quæ statim in præsenti inferuntur; sive etiam in exterioribus pœnis multiplicium flagellorum, quæ peccantibus ad præsens divinitus inferuntur; sive in damnatione æternorum suppliciorum, quæ post hæc omnia in fine servantur, cum tam aperte Scriptura testetur, tam indubitanter Ecclesiæ fides teneat; audiant quicunque hujusmodi fallaciis atque præstigiis per hunc vanissimum hominem illuduntur, illud quod Apostolus terribiliter omnibus fidelibus denuntiat dicens: *Nemo vos decipiat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ* (*Eph.* v, 6). Quibus verbis Apostoli B. Hieronymus exponendo subjungit dicens: [Verba quæ decipiunt atque supplantant inania sunt et vacua: quæ vero ædificant audientes, plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum et conscientiam delicti esse pro pœna dum vermis in corde non moritur: et in animo ignis accenditur in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatus forinsecus adhibitione, quæ possidet. Has itaque persuasiones et decipulas fraudulentas, verba inania appellavit et vacua, quæ videntur florem quemdam habere sermonum, et blandiri peccantibus. Sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia. Quia de nulla re sic irascitur Deus, quomodo si peccator superbia et erectus et rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam postulet pro delicto.] Hæc sanctus doctor, et antiquorum hæreticorum errorem super hac re redarguens, et istius fraudulenta mendacia atque commenta apostolica veritate subvertens.

Audet tamen iste adhuc majora et detestabiliora, et subjungit dicens: *In igne æterno nihil aliud esse pœnam quam beatæ felicitatis absentiam.* Ubi recte ab eo quæritur cur et angeli maligni et homines iniqui mittendi sunt in ignem æternum, si ex ipso igne nulla supplicia, nulla tormenta passuri sunt? An propterea tantummodo ut qui nunc vel in aere, vel in terra conversantur, incipiant in igne habere novum habitaculum; ubi, sicut de sanctis tribus pueris in *fornace Babylonia* damnatis scriptum est, nullam potestatem habeat ignis in corporibus eorum, et capillus capitis eorum non aduratur, et odor ignis non transeat per eos; et quid jam restat, nisi ut, sicut de illis Scriptura dicit: *quia angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit* (*Dan.* iii, 49, 50), ita et de istis mirabili insania affirmare contendat. Quod si ita esset quod unquam tale miraculum esse potuit, inter magnalia et prodigia quæ divinitus facta sunt, ut tam innumera multitudo apostatarum angelorum et hominum perditorum esset in medio immensarum et æstuantium flammarum, et non tangeret eos omnino ignis, sed vim virtutis suæ oblivisceretur, ut diabolus et ejus angeli custodirentur illæsi? Quis audivit unquam tale aut quis sufferre possit tantæ impietatis insaniam? Si enim nulla erit pœna in æterno igne damnatorum, sequenter nulla erit etiam gloria in æterna remuneratione justorum. Qui enim verissime promisit hanc gloriam dicendo: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* xxv, 34), ipse verissime comminatus est illam pœnam dicendo: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternam qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*, 41), ipse etiam de utroque immobili veritate subjunxit: *Tunc ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Ibid.*, 46). Si ergo quærimus quid sit illud regnum quod a constitutione mundi justis est præparatum, audiamus fideliter esse vitam æternam. Si quærimus quid credere debeamus illum in quem et homines impii et angeli mittendi sunt *ignem æternum?* Audiamus nihilominus fideliter esse supplicium sempiternum. Nec major esse potest gloria quam vita æterna; nec major pœna quam supplicium sempiternum: illud in regno positorum, istud in æterno igne damnatorum. De quo supplicio ignis æterni aperte beatus Joannes in Apocalypsi testatur, dicens: *Missi sunt in stagnum ignis et sulphuris, et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* (*Apoc.* xx, 9, 10). Et alio loco: *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum* (*Apoc.* xix, 3). Non ergo in igne æterno angeli vel homines damnati poterunt unquam esse quieti et immunes a pœnis; qui, ut Veritas dicit: *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*: et quorum *fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum*: qualis etiam nunc pœna et illos consequitur. De quibus ad similitudinem illius purpurati et damnati divitis Scriptura dicit: *Ducunt in bono dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (*Job.*

[illegible]. Ut et ipsi, sicut de illo legitur, statim incipiant esse in tormentis, et cruciari in flamma, et deputari in loco æternalium tormentorum :solet iste dicere, sicut audivimus, cum aliquis ei de talibus juxta fidei veritatem obsistere cœperit sermocinando : Quid vis ? ratio te vincit. Quæ ergo est hæc ratio omni ratione vacua, omni veritate aliena, et spiritu impiissimi erroris lymphatica, atque phanatica ? Qui vult ut homines veritatem Christi deserant, et suas phantasticas et dæmonicas umbras sequantur.

Sed cum dixisset in æterno igne damnatos nullam aliam sentire pœnam nisi beatæ felicitatis absentiam, subjungit tamen velut quamdam eorum beatitudinem et dicit : *In ea* (id est in beatæ felicitatis absentia) *nullum esse qui non habeat insitam sibi naturaliter* B *absentis beatitudinis notionem, ejusque desiderium.* Ubi et addit : *habituros miseros felicitatis et veritatis notionem atque scientiam,ac per hoc non esse miseros nec puniri.* Quibus verbis manifeste utique affirmare conatur [quod] omnes qui futuri sunt in illa damnatione, quam iste non aliam putat nisi absentiam beatitudinis qua sancti perfruuntur, habituri sunt naturaliter insitam ipsius beatitudinis, cujus participes non erunt, cognitionem, atque desiderium. Quod adhuc repetens et inculcans, dicit *habituros veritatis et beatitudinis notitiam atque scientiam : ac per hoc non esse miseros, nec puniri.* Ut per hoc, quod, juxta istius sensum habituri sunt cognitionem, scientiam et desiderium beatitudinis et veritatis, cujus absentia erunt damnati, quodammodo miseri non sint miseri,et puniti non sint pu- C niti. Quia ex eo quod erunt in absentia beatitudinis et felicitatis, possint dici et miseri et damnati ; ex eo autem quod illius beatitudinis et veritatis quæ illis absens erit,habebunt notitiam,scientiam et desiderium,possint dici non esse miseri nec damnati. Sed fides Ecclesiæ veraciter novit, nullam esse rationalis creaturæ majorem damnationem,quam a Deo separari ;et nulla ejus illuminatione illustrari,nulla ejus gratia visitari, nulla liberatione salvari, nulla ejus visione et contemplatione beatificari.

Angeli ergo et homines tanta infelicitate damnati, et penitus a beatitudinis et veritatis possessione exclusi, etiamsi nullam extrinsecus pœnam, nullum tormentum sentirent, quid eis prodesset habere cognitionem, et notitiam, et desiderium, D sicut iste eis promittit, et beatitudinis et veritatis ? Cum hoc eis magis ad tormentum proficeret habere quantulamcunque notitiam veritatis, sed nunquam ejus præscientiam promereri ;habere qualecunque desiderium æternæ beatitudinis, nec unquam tamen ejus possessione lætari.Et ideo absit ut credantur non esse miserrimi a Deo penitus separati, aut dicantur non esse puniti ab æterna beati- A tudine funditus exclusi. Vere ergo miseri,et vere in æternum damnati erunt qui semper veritatis et beatitudinis exsules erunt, nulla veritatis luce illuminati, nulla beatitudinis jucunditate consolati. Et tamen, excepta hac plena et summa miseria,aderit eis sine fine etiam exterior pœna, ut et intus torqueantur infelicitate conscientiæ, et foris igne gehennæ. Quod utrumque Psalmista breviter ostendit, dicens ad ipsum Judicem vivorum et mortuorum : *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniet omnes, qui te oderunt. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos,et devorabit eos ignis* (*Psal.* XX, 9, 10). Quod B. Augustinus brevissime et plenissime his verbis exponit dicens : [Constitues, inquit, eos ardentes intrinsecus conscientia impietatis suæ in tempore manifestationis tuæ. Deinde conturbati vindicta Domini, post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno devorandi.]

Quæ cum ita sint, quærendum nobis est sollicite quid, secundum regulam veræ fidei, de eis qui illa æterna damnatione fuerint puniti sentire debeamus, ut ex eorum statu qui illic æternaliter erunt damnati intelligamus quantum Dominus donare dignatur;cur ibi nulla jam possit esse emendatio, et cur inde nulla possit fieri liberatio. Primo igitur illud considerandum est,quod fides catholica firmissime tenet, nullum hominem per mortem de corpore exeuntem aliquod sibi bonum posse comparare meritum,quo aut iniquitatem suam, in qua mortuus est, possit deserere, aut ipse in melius commutari. Quia, etsi sunt aliqui qui, ut ipsius fidei pietas novit,et indulgentiam peccatorum accipiant post mortem, orationibus, et oblationibus, et eleemosynis Ecclesiæ adjuti, et quibusdam purgatoriis pœnis expiati æternæ beatitudini sociari mereantur(*a*) :non tamen hoc eis præstat aliquod bonum meritum post mortem additum, sed potius ante mortem acquisitum.Quia videlicet tale fuit meritum vitæ ipsorum in corpore, ut etiam post mortem talibus remediis adjuvari mereantur.Quod Apostolus manifeste ostendit,ubi ait : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* v, 10), propria namque corporis sunt,sive bona sive mala,quæ anima gessit dum esset in corpore : quia sicut nec ante corpus aliquod bonum aut malum gerere potuit quæ nondum erat, ita nec post depositionem corporis aliquod bonum aut malum agere potest, quæ tempus agendi et operandi cum corporis morte finivit.Nam et illi qui solo originalis peccati reatu obstringuntur, et sic absque remedio salutari de corpore exeunt, secundum propria corporis mala damnantur (*b*) ; quia in corpore utique et cum corpore illud originale debitum contraxerunt unde in æter-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Attendant novatores nostri sæculi ibi purgatorium nec non suffragia pro mortuis in Ecclesia obfirmari et obsigillari.

(*b*) Peccatum originale in corpore videtur reponere, quod nonnulli inter scholasticos fecerunt, Durandus et Magister in II, dist. 30 et 31, ubi dicit per pecca-

num damnari merentur. *Omnes itaque manifestari oportet* (sicut Apostolus dicit) *ante tribunal Christi, ut referat et portet unusquisque propria corporis* (*II Cor.* v, 10), id est, quæ in corpore gessit sive contraxit; quia utique nec ante corpus aliquid gerere potuit, nec post corpus gerere potest, cum jam unicuique non est tempus agendi, sed pro actibus tantummodo recipiendi. Et ideo certum esse debet fidei nostræ neminem eorum qui in die judicii æterna damnatione puniendi sunt, tale aliquod meritum ex hac vita secum tulisse, per quod juste ab illo æterno interitu liberaretur. Si enim quisquam eorum tale meritum in præsenti vita sibi præparasset, nunquam profecto ab illo justo judice æternæ damnationi traderetur. Sed cuicunque illa damnatione puniendi sunt, sine dubio tale meritum hinc secum tulerunt, ut justo judicio nunquam inde absolvi, nunquam liberari mereantur.

Sed ut illa damnatio, sicut justa, sic etiam æterna esse mereatur, ea causa erit quia nulla jam suppetere poterit emendatio præteritorum, nulla promereri poterit melioratio futurorum. Erit namque ibi præteritis malis pœnitentia, erit etiam liberationis et ereptionis desiderium; quod tamen nullum habebit effectum. Ubi ergo tunc erit misericordia Dei, qui nec tanta et tam longa pœnitentia flecti poterit ad indulgendum, nec ullis damnatorum desideriis, vel etiam rogantium gemitibus movebitur ad liberandum? Et quomodo Justus, qui ista contemnet? Qui tantum dolorem conscientiæ, tantam afflictionem creaturæ suæ non respiciet? Quæ, inquam, causa erit ut nihil ibi salubre, nihil acceptabile fieri possit? Si enim posset, nunquam a tanta misericordia, nunquam a tanta justitia repudiaretur. Cur itaque non potest, nisi quia, recedente ab eis penitus Deo, nulla in eis esse poterit gratia specialis, per quam eis donetur pietas fidei, spei et charitatis, ut tali pietate pœniteant de præteritis, tali pietate desiderent de futuris, id est pie credendo, pie sperando et diligendo? Et quia jam, ut dictum est, funditus a Deo separati, et sola omnipotentiæ ejus virtute ad æterna supplicia servati, nunquam poterunt esse participes Spiritus sancti, etiamsi (*a*) fuerit ibi aliqua fides, sive ex memoria præteritorum, quæ hic audierunt, vel didiscerunt, sive ex terrore et manifestatione præsentium, quæ tunc apparebunt: manifesta scilicet omnibus Dei et Christi ejus virtute et potestate, tam in majestate, quæ in ejus judicio apparebit, quam in æterna remuneratione justorum, et æterna damnatione iniquorum. Quæ utique nulli poterunt esse ignota, nulli

A non confessa, nulli non vel ipsius terroris necessitate adorata. Tunc enim generaliter subjecta omnis creatura Creatori, sive pietate, ut in sanctis angelis et sanctis hominibus, sive necessitate, ut in angelis malignis et hominibus impiis, implebitur perfecte quod Apostolus per prophetam scriptum esse commemorat, dicens: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia mihi curvabunt omnia genu, et omnia lingua confitebitur Domino* (*Rom.* xiv, 11).

Unde etiam illud manifeste in eodem judicio fiet quod Scriptura de impiis futurum prædixit: *Dicent inter se pænitentiam agentes, et præ angustia spiritus dolentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabus insaniam, et finem illorum sine honore; quomodo ergo computati sunt, inter filios* B *Dei, et inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (*Sap.* v, 3-6), et cætera quæ multiplici dolore plena illo die dicturi sunt. Si ergo ex tanta divinæ virtutis, et Christi Domini manifestatione, et terrore tam magni et tam manifesti æterni judicis fuerit aliqua fides vel eorum qui aliquando crediderunt, vel etiam infidelium qui tam præsenti majestate et terrore credere compellentur, ita ut in illa sua lamentatione, sicut jam commemoravimus, dicant: *Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (*Ibid.*, 6); jam tamen talis fides in illis qui, ut sæpius dictum est, penitus a Deo deserti, nec ulla ejus gratia illustrati erunt, profecto non erit ex pietate C amoris, sed ex necessitate terroris: qualem et in dæmonibus esse fidem beatus Jacobus apostolus testatur, dicens: *Et dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jac.* ii, 19). Talis ergo fides non eis valebit ad salutem sed ad confusionem, ut quemadmodum in psalmo scriptum est: *Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur, et pereant* (*Psal.* lxxxii, 18). Spes vero nulla jam in eis esse poterit, æterna sententia condemnatis, et de liberatione sua penitus desperatis: similiter et charitas, qua et pie Deum diligant, et proximum secundum Deum, vel in Deo, aut propter Deum, nulla eis inesse poterit, cum deseruerit eos ipse Deus charitas, nec adfuerit eis illa gratia Spiritus, de qua Apostolus dicit: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiri-* D *tum sanctnm, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5), et simul ab eis recesserit, et gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritus sancti. Nam et si dives ille jam apud inferos con-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

tum primi parentes fuisse primo infectum corpus per semen, et a semine rursum infici corpus seminatum, et tunc animam ex corpore infici, sicut loquor pretiosus cum inquinato vasi infunditur. Quæ quamvis jam temeraria judicentur, non pugnant tamen expresse contra fidem: ideoque malumus asserere Ecclesiam Lugdunensem duntaxat voluisse horum sententiam damnare, qui animam ante unionem cum corpore maculam originalem contrahere contendebant.

(*a*) Docet fidem aliqualem in damnatis remansuram, quod non de fide theologica, sed de humana et acquisita debet intelligi, et sic qui ex Christianis damnatur, multorum mysteriorum fidem retinent, juxta illud Jacobi: *Dæmones credunt et contremiscunt.*

damnatus fratres suos, quos in carne reliquerat, velut secundum Deum dilexisse videtur, pro quibus, ne in illum locum tormentorum venirent anxius satagebat et deprecabatur (*Luc.* XVI, 27); non tamen vere secundum Deum fiebat, quod non instinctu divinæ charitatis, sed vel terrore præsentis damnationis, vel amore humanæ affectionis ab eo extorquebatur. Quia ergo nulla jam in eis esse poterit per illuminationem Dei et donum Spiritus sancti, pietas fidei, et charitatis nulla bonæ spei exspectatio; ideo nulla eorum pœnitentia de præteritis, nullum desiderium de futuris a justo et misericordi judice suscipictur; quia hæc tunc non erunt ex pietate, et amore divinæ gratiæ, sed tantum ex necessitate tribulationis et angustiæ. Tunc itaque subtracto a se penitus divinæ illustrationis lumine, et ab illo gaudio, quod bono et fideli servo promittitur, dicente Domino : *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21), penitus exclusi et alienati remanebunt extra lumen Dei; et hoc : *Erit eis mitti in tenebras exteriores*, et in illam noctem horrendam de qua Dominus ait : *Venit nox quando nemo potest operari* (*Joan.* IX, 4). Et alio loco misericorditer admonet, dicens : *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant* (*Joan.* XII, 35). Et ideo qui in talibus tenebris atque in tali nocte erunt, nihil jam poterunt pie et fructuose operari, quod vel a justo judice possit suscipi, vel unde ipsi mereantur ab illa æterna damnatione liberari. Et quia nulla poterit esse pia pœnitentia, nulla erit delicti indulgentia; consequenter nec ullus finis supplicii. Et quæcunque in eis esse poterit recordatio veritatis sive beatitudinis, tanta erit quanta humano sensu vel tenuiter potest attingi, non qualis per Dei gratiam solet inspirari. Tunc enim implebitur quod terribiliter unicuique Scriptura dicit; et tantummodo *sola vexatio intellectum dabit auditui* (*Isa*, XXVIII, 19); et iterum : *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* (*Eccle.* IX, 10). Nullum namque ibi erit opus bonum aliquod meritum acquirendi, nulla ratio vel juste excusandi, vel digne satisfaciendi, nulla sapientia ex illustratione veritatis, nulla scientia in exercitio alicujus virtutis : quomodo ergo juxta istum habebunt cognitionem et notitiam veritatis, cujus et illuminatione et contemplatione æternaliter privati erunt?

(*a*) Quomodo habebunt ejusdem veritatis et beatitudinis desiderium, in quibus nullus erit amor pietatis, quo aut veritas vere diligatur, aut vera beatitudo veraciter desideretur? Poterunt fortasse habere quamdam scientiam veritatis in eo quod se agnoscent dignos talibus esse suppliciis, quod se agnoscent justo judicio condemnatos, nec unquam ab A æterno et justo judicio [*al.*, judice] liberandos, sed totum hoc eis proficiet ad tormentum, non ad consolationis solatum. Sic etiam poterunt habere desiderium cujusdam beatitudinis suæ, [*f.*, *hic subaudiendum* non] ut ab illis tormentis erui, et aliqua pace vel quiete refrigerari mereantur.

Ipsam autem veritatem Dei, ipsam beatitudinem Dei nosse et desiderare donum est piorum, et Dei spiritu illuminatorum, non impiorum perpetua cæcitate atque infelicitate damnatorum; quia etsi fuerint ibi aliqui fortassis qui, ex his qui aliquando crediderant et cognoverant, meminerint aliquatenus ipsius veritatis vel beatitudinis, ad hoc tantum eis valebit ipsa memoria, ut magis doleant, magis pœniteant, magis juste damnatos se esse cognoscant. B Desiderantes quidem habere tempus emendandi, ut possent evadere supplicium, nec tamen habentes pietatem ipsius desiderii, qua promereantur Deum. (*b*) Cesset itaque iste eos qui a Deo non illuminabuntur, et alienati a vita Dei, nulla veritatis et beatitudinis dulcedine consolabuntur, dicere non esse miseros nec damnatos. Quia hæc est vera et æterna miseria alienari a beata vita. Et nulla major potest esse damnatio, quam penitus excludi et repelli a Deo, et nullam spem, nullum recursum jam habere posse ad Deum. Unde consideret fidelis quisque quam vanum et insanum sit quod iste conatur? ut qui de Deo beati esse nunquam poterunt, ex se ipsis beatos esse posse contendat : id est nos aliqua Dei gratia, sed quibusdam, ut ipse putat, bonis naturæ. Quæ etiamsi omnipotens Deus in illis C relinquat, erit ei ad testimonium suæ bonitatis, erit ei illis ad testimonium justæ damnationis : ut ipsi etiam possint cognoscere veritatem justi judicii in se expletam, atque ita suo etiam judicio condemnentur.

(*c*) Hanc horribiliter ineffabilem et ineffabiliter horribilem iniquorum et impiorum damnationem absque ulla concolatione divinæ miserationis, absque ulla illuminatione veritatis, beatus Augustinus breviter ita inculcat, et omnimodis cavendam præmonet dicens : [Cavendi sunt inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, et, quia nulla est ratiocinatio, ideo nulla rationis actio, quia non illam perfundet. *Lumen verum, quod illuminat omnem homi-* D *nem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Quare festinemus, et ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant; festinemus a secunda morte liberari, ubi nemo est qui memor sit Dei, et ab inferno, ubi nemo confitebitur Deo.] Item cum exponeret verba psalmi ubi dictum est : *In inferno autem quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI, 6.) confessus

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Ait damnatos non ferri desiderio in beatitudinem, sed seipsum postea exponit : Non habent, inquit, desiderium, id est pietatem desiderii, quia ex amore sui inordinatio, nullo habito respectu ad Deum, ipsam desiderant.

(*b*) Accedebat Erigena ad hæresim Pelagii volens damnatos frui beatitudine naturali. Imo pejus multo quam Pelagius sentiebat, quia quod tantum de parvulis decedentibus absque baptismo statuerat, ipse de peccatoribus adultis contendebat. — Bellarmin., lib. I de Purgatorio, cap. 9.

(*c*) Multa deerant hic, reposita ex ms. Cod. Corb.

est, inquit, in inferno ille dives, de quo Dominus dicit : *Quod Lazarum vidit in requie, ipse autem in tormentis dolebat* (*Luc.* XVI, 23), usque adeo confessus, ut etiam moneri suos vellet ut se a peccatis cohiberent, propter pœnas quas apud inferos esse non credunt. Quamvis ergo frustra confessus est, tam sibi merito illa accidisse tormenta, quando etiam suos ne in hæc inciderent doceri cupiebat. Quid ergo est : *In inferno autem quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI, 6.) An in inferno vult intelligi, quo post judicium præcipitabuntur impii, ubi jam, propter profundiores tenebras, nullam Dei lucem videbunt cui aliquid confiteantur. Nam iste adhuc elevatis oculis, quamvis immani profundo interposito, potuit tamen videre Lazarum in requie constitutum, ex cujus comparatione ad confessionem coactus est meritorum suorum. In his verbis sancti doctoris non est fortasse necessarium ut duo inferi intelligantur, unus quo nunc præcipitantur animæ damnatorum, et alius quo post judicium præcipitabuntur etiam cum suis corporibus illæ ipsæ animæ punitorum : sed unus atque idem infernus potest intelligi, nunc aliquando mitior in cruciatibus animarum ; post judicium vero atrocior et horribilior in cruciatibus animarum simul et corporum. Nam et Dominus noster utramque inferni pœnam, et præsentis videlicet sæculi, et futuram uno gehennæ nomine in Evangeliis significare videtur, cum et de præsenti supplicio dicit : *Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (*Luc.* XII, 5) ; et de futuro : *Sed potius*, inquit, *eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Et sancti Patres Ecclesiæ frequenter inveniuntur eumdem ignem æternum, et ante judicium et post judicium damnatis impiis inferendum sensisse. Sed præfatus doctor tantam intra utramque damnationem significat esse distantiam, ut nunc per quasdam visiones et manifestationes divinitus procuratas possit illic aliquatenus lux Dei sentiri, per quam damnati saltem ad confessionem suorum scelerum compellantur, ut dum aliquid divinæ lucis intuentur, habeant ex ipso indultæ visionis respectu, cui confiteantur. Tunc autem majoribus jam et irremediabilibus tenebris oppressi, nihil tale mereantur aspicere, per quod possint ad confessionem aliquam provocari, ut verissime de eis scriptum intelligatur: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI, 6.) Unde et propheta Isaias hanc irremediabilem damnationem prævidens, et prævidendam atque præcavendam attentissime commonens, ubi jam nullus erit locus Deum inveniendi, nulla gratia Deum invocandi : *Quærite*, inquit, *Deum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est* (*Isa.* LV, 6). Manifeste ostendens eum nequaquam in illa jam damnatione posse inveniri, nec a miseris damnatis tamquam longe positum, et a se penitus alienatum ulla invocatione, ulla supplicatione placandum (*a*).

Addit adhuc iste et dicit : ***In diabolo et impiis hominibus non puniri, nisi perversitatem propriæ voluntatis, nec peccasse naturam, sed voluntatem.*** Ecce iterum rem novam et inauditam. Quod iste dicit : in diabolo et impiis hominibus æterna perditione damnatis non esse puniendam a Deo naturam ipsorum, sed tantummodo perversam voluntatem eorum ; eo quod, juxta istius sensum, non peccaverit natura eorum, sed voluntas. Fides autem Ecclesiæ veraciter novit et firmissime tenet quia natura rationalis sive in angelis sive in hominibus, sicut naturalem habet a Deo insitam rationem, ita naturalem habeat a Deo insitam voluntatem : et hoc totum, id est naturam cum ratione sua, vel naturam cum voluntate sua simul unam esse naturam ; ita ut nec natura ista rationalis possit esse absque voluntate, nec voluntas absque natura (*b*). Quidquid ergo ista natura vult, non potest alienum esse ab ipsa natura, ut ad solam voluntatem referatur ; quia quando aliquid vult ista natura, non utique in parte sui vult et in parte non vult, sed tota utique vult. Sive itaque ad bonum moveatur, ipsa voluntate tota hoc agit ; sive e contrario ad malum similiter tota hoc agit. Et ideo sive ad bonum sive ad malum moveatur, tota utique movetur. Sed cum movetur ad bonum, virtus est ; cum movetur ad malum, vitium ejus est. Et ideo, sicut per virtutem tota melior efficitur, cum movetur ab bonum ; sic per vitium tota deterior fit, cum movetur ad malum. Non ergo sola voluntate melioratur ex virtute, sed tota melioratur ; nec sola voluntate deterioratur ex vitio, sed tota deterioratur : ita ut et per virtutem non sola voluntas, sed tota ipsa natura efficiatur bona ; et e contrario per vitium non sola voluntas, sed tota ipsa natura efficiatur mala, non amittendo bonum substantiæ suæ, sed corrupta et depravata vitio voluntatis suæ. Cum ego natura hæc recte agit, tota agit, quia tota hoc vult. Et cum perverse agit, similiter tota agit, quia tota hoc vult. Et ideo justum est apud Deum ut et pro bene gestis tota glorificetur, et e contrario pro male gestis tota damnetur. Nam si in angelis malignis et hominibus impiis non peccavit natura, sed voluntas. Ergo et in angelis sanctis et in hominibus piis non aliquid recte egit vel aliquid boni meruit eorum natura, sed sola voluntas. Et si in ipsis angelis malignis et hominibus impiis non tota natura, sed sola voluntas damnabitur ; ergo et in istis, id est sanctis angelis et hominibus non tota natura, sed sola voluntas glorificabitur. Sed certissimum est, et indubitanter fides tenet, quia et angelorum sanctorum tota natura jam beatificata et glorificata est ; similiter et sanctorum hominum tota natura et beatificanda est et glorificanda. Ita

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Huc usque omissa in ms. Cod. Thuan.

(*b*) Agit contra Erigenam ad hominem, qui voluntatem solam peccasset non naturam tenebat ; quasi voluntas agat aliquid quod non agat homo, et in hoc Erigenam delirare et insanire merito asserit.

ergo e contrario absque ulla dubitatione tenendum est quia et in angelis malignis et in hominibus impiis non sola voluntas, sed tota natura damnabitur, quia tota peccavit. Iste autem, contra omnem fidem, et veritatem Dei, ideo tale argumentum introduxit, ut scilicet angelos, et homines malos in sola dicat voluntate damnandos, ut habeat locum ejus insana fallacia, et possit dicere, sicut superius jam dixit, in igne æterno nullam aliam futuram esse pœnam, nisi absentiam beatitudinis : ut et nullam ibi pœnam extrinsecus patiatur natura angelica vel humana ; quia, juxta hujus sensum, non peccavit, et sola intrinsecus in conscientia puniatur voluntas, quia, ut iste dicit, sola peccavit; et puniatur non aliquo tormento pœnæ exterioris, sed sola absentia beatitudinis, quam non habebit, et prohibitione pravi desiderii sui, quod ei explere non licebit. Quæ omnia quam sint contraria fidei et veritati, et quantum faveant voluntati diaboli adulando hominibus, ne aut veraciter se peccasse recognoscant, dum eorum natura non peccasse defenditur, nec veraciter se esse puniendos, dum non eorum natura, sed sola voluntas dicitur condemnanda, manifestissime omnibus patet, qui salutis suæ curam gerunt, qui hæretica figmenta, et deliramenta longe a se rejiciunt, et evangelicam atque apostolicam veritatem fideliter sequuntur.

Sed ut de his quæ contra ejus vesanam et impiam definitionem diximus, certius et firmius qui hæc legerit instruatur subjungimus hic verba beati Augustini, quibus de hac re clarissime et plenissime docet, dicens : [Nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum; sed bonum omni malo carens integrum bonum est. Cum vero inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est; nec malum unquam potest esse ullum, ubi est bonum nullum: unde res mira conficitur, ut, quia omnis natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum vitiosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est, nec malum esse nisi quod bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est natura non esset.] Et paulo post dicit : Cavendum est ne incidamus in illam sententiam propheticam ubi legitur: *Væ his qui dicunt quod bonum est, malum, et quod malum est, bonum ; qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras ; qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce* (*Isa.* v, 20). Et tamen Dominus ait : *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (*Matth.* XII, 35). Quid est autem *malus homo*, nisi mala natura, quia homo natura est? Porro, si homo aliquod bonum est quia natura est, quid est *malus homo*, nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est. Sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit, malum est hominem esse, aut bonum est iniquum esse, ipse incidit in propheticam illam sententiam : *Væ his qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum* (*Isa.* v, 20). Opus enim Dei culpat, quod est homo, et vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura, etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est ; in quantum vitiosa est, mala est.

Ecce venerabilis doctor non dicit solam vitiatam, vel vitiosam voluntatem hominis malam esse, sed vitiosam hominis naturam, malam esse naturam : et rem quæ mala est naturam esse confirmat ; et malum hominem dicit malam esse naturam. Ita enim ait : [Quid est autem malus homo, nisi mala natura ?] Non dixit quod malus homo tantummodo mala voluntas sit, sed mala natura. Videlicet quia, cum malus est homo, non sola voluntate, sed tota sua natura malus est. Docet tamen fideliter discernendum, cum dicimus, *malus homo*, inter opus Dei et vitium ipsius hominis ; quia videlicet, hominem esse opus Dei est, iniquum esse vitium hominis est. Atque ita naturam, etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bonam esse : in quantum vitiosa est, malam esse. In omnibus ergo his non solam, ut iste asserit, voluntatem, sed ipsam naturam dicit esse bonam, in quantum natura est ; ipsam autem naturam dicit esse malam, in quantum vitiosa est. Hoc itaque fideliter sequendum, catholice sapiendum, firmissime retinendum est, ut certissime cognoscamus nec maligni angeli nec mali hominis voluntatem solam, sed totam eorum naturam malam esse cum peccant, et totam eorum naturam mala æterna perpessuram esse cum damnabuntur.

Addit iste adhuc et dicit : *Nec in primo homine peccasse naturæ generalitatem, sed uniuscujusque individuam voluntatem. Si ea natura delinqueret, cum una sit, tota profecto periret.* In his verbis apertissime affirmare conatur non solum in cæteris hominibus non peccare naturam, sed solummodo voluntatem ; sed etiam in primo homine similiter non peccasse naturam, sed solam voluntatem, et ideo non peccasse in eo generaliter humani generis naturam, quia nec ejus peccavit natura ; sed peccasse in eo tantummodo specialem et propriam uniuscujusque voluntatem, quia et ipse, juxta hujus sensum, sola tantummodo voluntate peccavit.

Et affirmat quod *si tota hominis natura peccasset, tota profecto periret. Nunc autem quia sola voluntas peccavit, sola vitiata est; natura illæsa permansit.* Quid ergo dicemus ad hæc tam exquisita et inaudita phantasmata? nisi ut opponamus e contrario testimonia Scripturarum Dei, quibus verissime cognoscamus, et fidelissime teneamus, totam in illo homine naturam peccasse, totam periisse, totam ad posteros ejus peccato et perditioni obnoxiam transmissam esse : sicut Apostolus manifestissime docet, dicens : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v, 12). Non ait : Per unius hominis voluntatem peccatum intravit in mundum, sed *per unum hominem* ; nec ait : et ita in omnium voluntates pertransiit, sed *ita in omnes homines pertransiit* ; nec subjunxit : in

quo omnium voluntates peccaverunt, sed *in quo omnes peccaverunt.* Per unum ergo hominem peccatum intravit in mundum, per totam scilicet et plenam, qua homo constat, naturam. Et sicut in ipso tota est vitiata peccato, ita in omnes homines tota pertransit vitiata peccato, ut ex illa origine tota peccatrice traheretur omnium hominum natura tota peccatrix; quia in toto illo homine peccante tota omnium natura peccavit. Unde *et omnes*, sicut idem Apostolus dicit, effecti sunt non voluntate, sed *natura filii iræ.* Ita namque ait : *Et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Eph.* II, 3.) Vere *enim natura* efficiuntur *filii iræ omnes* qui ex illa vitiata radice nascuntur, non qualis ipsa natura a Deo condita est, sed qualis per illum peccando effecta est. Ex quorum omnium persona Psalmista ait : *Ecce enim ininiquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Ecce natura peccatrix in iniquitatibus concepta, in peccatis procreata. Hanc naturam, quæ in Adam tota periit, et ad ejus posteros tota perdita transmissa est : Venit Dominus noster Jesus Christus quærere et salvare non ex parte, id est in sola voluntate, sed omnino totam. Sicut ipse dicit : *Venit enim filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Et quia tota perierat, et totam ille venit salvam facere. Ideo totam eam suscepit, id est et animam, et corpus hominis, ut ex toto eam sua morte et resurrectione salvaret : animam a peccatis justificando, et corpus a mortuis suscitando. Sicut Apostolus ait : *Quia mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25). Quicunque ergo naturam humanam non totam periisse dicit, quid aliud quam sacramentum divinæ incarnationis, quantum in se est, evacuare contendit? Sine causa enim Dominus totam eam sua incarnatione suscepit, si non tota indigebat salute, si non tota indigebat salvatore. Mirum est autem quomodo iste dicat in primo illo homine uniuscujusque nostrum proprias voluntates peccasse, quæ omnino necdum erant; et naturam omnium nostrum non peccasse, quæ utique in illo erat. Quod autem dicit : *Quia si tota illius hominis natura peccasset, tota profecto periret* : ergo consequens est, secundum illius sensum, ut si sola in illo voluntas peccavit, sola utique perierit; et si periit, profecto indiget liberante, salvante, et reformante, ut sana et libera esse possit per eum qui dicit : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Et quomodo iste in tota ista vanissima disputatione sua liberum arbitrium ex virtute naturæ, et non ex dono gratiæ defendit? Et si, juxta eum, sola periit voluntas, et natura salva remansit, ergo Veritas, quod absit! non verum dixit, ubi de se ait : *Quia totum hominem sanum fecit in sabbato* (*Joan.* VII, 27).

8. Subjungit iste et dicit : *Proinde in nullo naturam puniri, quia ex Deo sit, et non peccet, sed motus voluntarias libidinosus puniatur. Ideoque in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod*

A *superbia vitiose invenit. Libidinem perversæ voluntatis cruciari, dum ea quæ male aut indigne appetit, habere non sinatur.* Quod ergo ait : *In nullo naturam puniri quia a Deo sit, et non peccet*, dupliciter est contrarium fidei et veritati. Quia et natura angelica sive humana peccatrix, sicut superius multipliciter ostensum est, justo Dei judicio, et æterna damnatione punitur : cum enim non possit, nec debeat impunitum esse malum, necesse est ut ibi puniatur ubi invenitur, et a quo perpetratur, id est in ipsis naturis quibus peccata commissa sunt, et quæ peccando corruptæ et depravatæ sunt; et ideo pro his juste damnantur. Et ipsa angelica vel humana natura, licet ex Deo sit non generatione sed creatione, non nativitate sed origine, tamen et peccare potest, et peccat. B Utrumque ergo fides catholica confitetur, quia utrumque verum novit, id est et veraciter propter peccatum puniri naturam; et e contrario utrumque iste uegat, dum nec naturam puniri, nec naturam peccare confirmat. Itaque nec, secundum ejus assertionem, inventa est natura a Deo condita quæ non peccet, sicut nec illa natura quæ sola a Deo est genita. Fides autem vera firmisse tenet omnem rationalem naturam, et angelicam et humanam quantum in se est, posse peccare sicut manifeste peccavit et in angelis refugis et in hominibus per mandati transgressionem lapsis. Quod autem in electis angelis eadem natura non peccat, divinæ est gratiæ, divinæ est bonitatis, ut et boni sint ex natura, et boni perseverent ex gratia. Sola autem illa natura peccare nunquam possit, quæ sic est ex Deo ut hoc C sit quod Deus, non ex nihilo condita, sed ex ipso genita vel procedens, quod est sine dubio unigenitus Dei Filius, et Spiritus sanctus. Unde iste qui nullam aliam naturam dicit non peccare, manifestissima blasphemia creaturam Creatori conatur exæquare. Et quid aliud ei restat nisi ut ejusdem naturæ esse dicat angelicum vel humanum spiritum, cujus et Deus est, sicut impii antiqui hæretici dixerunt? Et cum lili duas naturas separatim inter se contrarias introduxerint, unam bonam quæ mala esse non possit, et alteram malam quæ bona esse non possit; iste, novo et inaudito genere erroris in eodem angelico vel humano spiritu, et naturam dicit non peccare, id est malam esse non posse; et voluntatem peccare, id est malam esse posse. Et ideo cum dixisset natu- D ram non peccare nec puniri, ut solam voluntatem hominis peccare confirmet, statim subdit : sed motus voluntarius libidinosus puniatur.

9. Et hoc ipsum repetens et inculcans subjunxit, atque ait : *In impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose invenit.* Quibus utique verbis, sicut et superius, naturam angelorum sive hominum impiorum nunquam pœnas passuram esse confirmat; sed, quod superba voluntas vitiose admisit, hoc in sola voluntate puniendum esse.

10. Et quasi ab eo quæreremus quæ esset pœna futura ipsius vitiosæ voluntatis, velut exponendo addidit : *Libidinem perversæ valuntatis cruciari dum*

ea quæ male aut indigne appetit, habere non sinatur. A Ecce qualem cruciatum futurum dicit malæ voluntatis in angelis et hominibus impiis, id est non ignis æterni,non alicujus exterioris supplicii,sed ex eo tantummodo, quia,quod male cupiunt, oppressæ et coercitæ implore non possunt. Ita fit ut non solum naturam angelorum vel hominum malorum nunquam peccare, nunquam puniendam esse ; sed etiam ipsam voluntatem, quam in eis peccare concedit nullam pœnam sensuram,nullum supplicium passuram esse confirmet, nisi quale et in hac vita omnes pravi homines patiuntur,dum ea quæ prave cupiunt, vel divino judicio obsistente, vel alia qualibet necessitate cogente, implere minime permittuntur, unde manifestum est omnem pœnam, omnem cruciatum,omne tormentum futuræ damnationis,quod omnipotens Deus tam frequenter et tam terribiliter comminatur, eum penitus denegare ; et ideo, tanquam fidei nostræ contrarium et veritatis inimicum,procul ab auribus,procul a cordibus fidelium repellendum.

11. His tantis et talibus subjungit brevissimam definitionem, et dicit : *Ex nullo bono malum esse.* Quod ut vigilanter intelligere possimus,illud imprimis considerandum est, quia potest aliquod bonum esse malum : sicut ipsa natura angelica vel humana utique in suo modo et in suo genere bonum est : sed hoc naturæ bonum potest vitio fieri malum, ut et in quantum natura est,bonum esse permaneat, et in quantum vitiatum est, malum esse incipiat ; atque ita bonum malum esse non dubitetur ; ut autem hoc fiat, id est, bonum malum esse incipiat, C nullam habet præcedentem causam,unde hoc velut consequenter fiat. Nam si, verbi gratia, quæratur quæ causa sit ut illa vel illa natura sit aliquod bonum, invenitur utique summum bonum Deum esse, et ab ipso summo bono omne bonum esse ; si quæratur unde ille vel ille sapiens sit et justus, invenitur similiter summam sapientiam, summam justitiam Deum esse ; et ideo ipsum esse summam et certissimam causam unde omnis qui vere est sapiens sit sapiens, et unde omnis qui vere est justus sit justus. Ut ergo sit aliquis bonus,sapiens, justus,est causa præcedens et efficiens ipsa summa sapientia, summa justitia. Sed nunquid eodem modo dicere possumus, si quæratur a nobis unde bonum malum esse incipiat,ut respon- D deamus aliquod summum malum esse extra omnem naturam angelicam vel humanam,et ex ipso summo malo fieri quidquid in ipsis creaturis est malum ; ut angelus malus et homo malus quasi inde habeant causam præcedentem et efficientem malitiæ suæ,qua ex bono mali efficiuntur. Nam etiam angelus sicut et homo utique bonus fuit, et malus esse cœpit. Unde ergo habuit causam præcedentem, qua fieret malus. Nunquid Deus bonus potuit esse causa qua effectus sit angelus malus? absit : quia summe bonus mali causa esse non potuit : similiter absit ut dicamus esse aliquod summum malum, et ipsum esse præcedentem causam qua bonus angelus fieret malus. Quia si hoc dicimus, manifeste contra fidei veritatem duo principia introducimus, id est sicut principium boni, ita et principium mali. Sed hoc absit,ut diximus,quia nulla est omnino mali natura, nec existit substantialiter,ut alicujus rei principium esse possit ; sed defectus a bono, appellatur malum : sicut defectus lucis,tenebræ,et defectus sanitatis, languor.

Iste igitur defectus a bono, quod appellatur malum,unde factus est in diabolo,qui primus peccavit? Ex Deo non est factus, quia Deus auctor mali non est ; ex aliqua mali substantia non est factus, quia nulla mali substantia est.Si autem quis dicat propria ipsius voluntate hoc factum esse, ut ex bono B fieret malus, quærendum est utrum illa voluntas, quæ hoc in illo fecit,bona fuerit, an mala. Si bona, quomodo bona voluntas causa esse potuit malæ voluntatis? sin autem mala voluntas hoc in illo fecit ut ex bono fieret malus, ipsam malam voluntatem, qua hoc factum est, quis fecit? Quod cum inveniri nullatenus possit,vere confitendum est nullam præcessisse causam efficientem illius voluntatis malæ qua bonus angelus factus est malus ; sed potius causam esse deficientem, quia defectus a bono, ut dictum est,appellatur malum : similiter et in homine peccante, ut ex bono fieret malus, nec Dei utique voluntas causa esse potuit nec natura mali, quam nullam esse constat ; nec bona voluntas ipsius hominis, quæ mali causa esse non potuit ; nec mala ejus voluntas,cujus auctor si quæratur,nullus inveniri potest.Si enim dicatur, quod mala diaboli voluntas fecerit hominis voluntatem malam,sicut potuit acquiescere male suadenti, ita potuit et non acquiescere. Cum ergo esset utrumque in sua potestate, nemo eum impulit, nemo eum coegit, nemo etiam suadendo prævalere potuit, nisi quia intus apud se voluntario defectu lapsus, a bono factus est malus.Hoc etiam et in cæteris hominibus agitur ; unde manifestum est ipsum bonum, id est naturam bonam ex Deo esse ; ut autem istud naturæ bonum efficiatur vitio malum, ex nullo esse, quia nullum habet auctorem efficientem, sed casum deficientem.

Hoc ergo totum recte de rationali angelica sive humana natura sentitur,et dicitur ; ut in eis ex nullo auctore ipsum naturæ bonum malum fieri,vel malum esse intelligatur. Quia, ut sæpius dictum est, malum istud rationalis creaturæ nec ex Deo, nec ex mali aliquo auctore sed ex proprio defectu a bono esse cœpit. Sed iste, qui nec angelicam,nec humanam naturam asserit peccare, sed solam ipsius naturæ voluntatem, ideo talem definitionem posuisse videtur,ut sic velit ostendere ipsum voluntatis bonum,malum fieri,vel malum esse : ut tamen ipsam naturam defendat ab hoc malo alienam esse. Eo quod non potuerit auctor esse mali suæ voluntati, quæ ex bono in malum mutata est : quia bonum,ut incipiat esse malum, ex nullo est. Ex nullo auctore habet causam efficientem ; sed potius defe-

ctum a bono, hoc ibi malum esse: ut hoc intelligatur juxta ejus sensum in eo, quod dictum est, *ex nullo bono malum esse*, quia vel angelicæ, vel humanæ voluntatis bonum, ut esset malum, non fuit auctor eorum natura: et ideo remansit immunis a culpa. Quia videlicet, ut voluntatis ejus bonum inciperet esse malum, ex nullo factum est, et ideo nec ex ipsa. Hujus autem fraudulentissimæ argumentationis occasionem ex verbis sancti Augustini accepit in libris de Civitate Dei. Et quod ille ad ædificationem fidei et destructionem hæreticorum, maxime Manichæorum, salubriter disputavit, iste callide ad impugnationem ipsius fidei convertit, et in omnibus quam maxime ita agit ut ex subtilissimis ejus sancti Patris disputationibus, quod ille dixit ad confirmationem pietatis, iste furetur et usurpet ad confirmationem sui erroris.

12. Adjungit adhuc et dicit: *Eum qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ manus, id est mentis acies in usus turpitudinis mutet, illic ne omnino veritatis honestate fruatur, justissime perdere; et tenebras æternæ ignorantiæ non evitare.* In his verbis non de ipsa natura angelica vel humana, nec de ejus voluntate, ut solet, sed potius de ipsius intelligentia dicit: ut, quia tria considerantur in mente rationali, id est esse, scire, velle. Et jam de duobus, id est esse et velle utriusque naturæ satis sibi disputasse videtur; nunc etiam de scire, id est de ipsa intelligentia aliquid ponat: unde, salva natura, et ab omnibus pœnis, juxta ejus sensum, libera, non solum voluntas ipsius naturæ sed etiam intelligentia in damnatione futura punienda intelligatur: non tamen aliquo supplicio, vel tormento exteriori, sed tantum interiori damno. Dicit enim quod quicunque modo per liberum voluntatis arbitrium, naturalis intelligentiæ munus, quod habere debuit ad exercitium quærendæ, inveniendæ et contemplandæ veritatis, commutaverit in alios usus, id est ut ipsam intelligentiæ aciem potius in rebus vanis et inutilibus, vel etiam noxiis occupet, in illa tunc damnatione ipsa voluntas hominis libera, quæ hic male usa est bono intelligentiæ, etiam hoc modo punietur, ut veritatis luce minime perfruatur; sed et ipsum bonum intelligentiæ justissime perdat, et æternæ ignorantiæ tenebras incurrat. Quod si ita est, magna est jam ista humanæ voluntatis pœna, ut quæ in hac vita suo libero arbitrio male abusa est intelligentiæ bono, in illa tunc damnatione, et ipsum bonum intelligentiæ perdat, et nulla veritatis luce fruatur, et æternæ ignorantiæ tenebris condemetur. Et hæc pœna perversæ humanæ voluntatis, intelligentiæ lumen amittentis, tantum erit pœnale ipsi intelligentiæ, ut juste amittenda esse videatur, et loco ejus æternæ ignorantiæ tenebræ succedant. Hæc pœna humanæ mentis in illa damnatione futura, etiam a nobis non respuitur; quia, ut in Evangelio legimus (*Matth.* XXV, 24), quando servus inutilis condemnabitur, qui unum talentum intelligentiæ, quod acceperat, noluit utiliter exercere, et exercendo duplicare: sed vel in sudario illud ligavit, vel in terra abscondit, id est delicate vivendo, et terrenis curis se immergendo infructuosum reddidit: quando, inquam, ille inutilis servus condemnabitur, sicut ipsa Evangelica veritas manifestam, primum dicetur: *Auferte ab eo talentum* (*Ibid.*, 28); et tunc subjungetur: *Et inutilem servum projicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium* (*Ibid.*, 30). Unde nulla pœna fideli homini formidanda est sicut illa, id est in illa damnatione spoliari lumine intelligentiæ Dei, et projici in tenebras exteriores, ubi æterna cæcitate damnatis nulla erit illuminatio, nulla contemplatio veritatis. Cum ergo hæc ita sint, quomodo eis qui in tanta et tam gravi damnatione æternæ cæcitatis futuri sunt, et absentiam veritatis et beatitudinis semper passuri, promisit iste superius notitiam et scientiam ipsius beatitudinis et veritatis; ita ut propte hanc cognitionem, et miseros non esse miseres et damnatos non damnatos esse firmaverit, hoc ergo teneat quod hic utcunque veraciter dixit, et abjiciat illud quod ibi supervacue et inaniter posuit.

CAPUT XVII.

Septimo decimo capitulo septem definitiones ponit hoc modo:

1. *Deum non esse auctorem, factorem, prædestinatorem suppliciorum.*

2. *Prædestinationem Dei ad ea tantum quæ in bono sunt, præscientiam vero ad bona malaque. Quam differentiam non ex natura esse, sed ex usu locutionum.*

3. *Sicut et id quod dicitur Deus, ubique esse præsentia potestatis, sed non ubique gratia habitationis, ita dici posse de eo ubique præscientia, sed non ubique prædestinatione; cum apertissime veritas clamet de Deo: ubicunque fuerit Deus præsentia, ibi profecto erit habitatione; similiter ubicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione.*

4. *Et, sicut præsentiam et habitationem Dei non nisi in his quæ ab eo facta sunt, ita ejus præscientiam et prædestinationem non nisi eorum quæ ipse facturus esset: et sicut præsentia ejus et habitatio in his quæ nec ab eo sunt nec ea fecit, e contrario esse dicantur, cum in eis non sit; ita præscientiam ejus et prædestinationem, e contrario pronuntiari in illis quæ nec fecit nec donavit, quia nihil sunt.*

5. *Ignem æternum ad urendum diabolum et angelos ejus, non homines factum, postquam æthere detrusus sit: ubi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum ei corpus aereum, in quo ignem sentiret.*

6. *Non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum vel prædestinatum: sed qui fuerat prædestinatus ut esset in universitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum: in quo procul dubio habitabunt non minus beati quam miseri.*

7. *Miseriam nullam esse, nisi mortem æternam; æternam mortem veritatis ignorantiam: nullamque miseriam esse nisi veritatis ignorantiam: et ubi ignoretur veritas, ibi nullam vitam.*

Quod ergo primo loco posuit: *Deum non esse auctorem, factorem, prædestinatorem suppliciorum*, manifeste contra fidem dixit,sicut supra jam frequenter ostendimus.Non enim injusta sunt illa supplicia quæ in æterna damnatione diabolo et angelis ejus et omnibus impiis hominibus inferentur, quia unumquemque eorum qui ibi damnantur,secundum meritum suum, et secundum mensuram iniquitatis suæ torquent et cruciant; implente eis justo et æterno judice, qnod de eo in psalmo scriptum est: *Quia reddet unicuique secundum opera sua* (*Psal.* LXI. 13). Ita et unus est ignis gehennæ,et tamen diverso modo sibi traditos cruciat: sicut et unus est calor solis, et tamen non æqualiter ab omnibus, sed ab aliis et ab aliis diverso modo pro sui corporis temperatione sentitur.Ideo autem supplicia ipsa nunquam finiuntur, quia justum est apud Deum, ut qui nunquam sibi voluerunt ponere finem peccatorum, nunquam finem habeant tormentorum, et qui ei noluerunt subditi esse pietate,omnes ei subdantur necessitate, ne creatura ulla suo remaneat auctori contraria;et quicunque hic non acquieverunt veritati,sed crediderunt iniquitati,ibi omnino et ab iniquitate coerceantur, et manifestam veritatem divini judicii, divinæ majestatis et potestatis Dei, et Christi ejus negare non possint.Ita ut ipsi impii,qui alieni semper exstiterunt a cultu Dei,cogantur ipsam veritatem fateri, et sero gementes ac pœnitentes dicant: *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (*Sap.* v, 6). Unde et ipse omnipotens Deus cum per prophetas suas horrenda et æterna supplici comminatur, frequenter et fine comminationis suæ subjungit, dicens:*Et scient, quia ego Dominus* (*Exod.* XXIX, 46); id est necessitate dicent, ad confusionem suam, quod nunquam pietate et devotione scire voluerunt ad salutem suam. Ipse quoque ipsius malitiæ auctor et instigator diabolus, cum omnibus satellitibus suis angelis immundis atque damnatis ibi finem accipiet suæ tyrannidis, quam adversus Deum et contra totius humani generis salutem ab initio exercere non cessat, cum, sicut scriptum est:*Videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job.* XL,28). Propter hæc namque omnia, et alia quæ in secretis Dei latent,in Scripturis sanctis etiam *utilis* appellatur *infernus:* sicut utilis est pœna etiam humanarum legum per quam noxii puniuntur ut cæteri in pace vivant. Ait namque Scriptura cum de lingua mala loqueretur: *Et utilis potius inferus quam illa* (*Eccli.* XXVIII, 25).

Cum ergo tam justa et tam ordinata sint illa æterna supplicia angelorum, sive hominum damnatorum, cur non sit Deus auctor eorum? non quod ipse sit causa tantorum malorum, sed quod ipse sit justus ordinator et judex justorum tormentorum. Aut quomodo non est auctor illorum suppliciorum, de quo manifeste in Evangelio dicitur: *Qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Luc.* XII, 5); et: *Qui postquam occiderit,habet potestatem mittere in gehennam* (*Matth.* x, 28); et qui dicturus est in ipso judicio: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Quod si illa supplicia, et locus tormentorum in aliqua parte rerum creatarum, id est in aliqua parte mundi esse credenda sunt,quis alius esse potuit facto est omnium?De quo Scriptura manifeste dicit: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1). Cum enim vere creatura sit ille ignis æternus, neque enim credendus est esse Deo coæternus;et sic hæc creatura in justos usus et rectos condita,quicunque vel illam vel aliam quamlibet creaturam non a Deo dicit esse uno et solo totius creaturæ auctore, sed ab alio nescio quo,manifeste hæretica impietate, vel Manichæorum, vel aliorum pessimorum hæreticorum involvitur. Et ideo cum vere inter creaturas ignis ille æternus connumerandus sit, ipsum sine dubio habet auctorem et factorem, quem et omnis cætera creatura;de quo etiam scriptum est: *Sex enim diebus fecit Deus cælum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt,et in septimo die requievit* (*Exod.* XX, 11). Dicat ergo iste in qua parte rerum putet esse infernum,id est locum illum æternalium tormentorum, utrum in cœlo, an in terra, an in mari, vel in cæteris quæ in eis sunt. Ubicunque eum esse putaverit, necesse est ut ab eo factus sit. *Qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia qnæ in eis sunt* (*Ibid.*).

Quæ cum ita sint,cur ipse omnipotens Deus, qui est auctor et factor omnium rerum,non recte et veraciter intelligatur,sive credatur etiam prædestinator tam justorum et tam ordinatorum suppliciorum? Licet enim patientibus et sustinentibus illa supplicia videantur esse mala,apud illum tamen æternum judicem non sunt mala; quia justa, et nihil justum potest dici malum. Ipse ergo et prædestinavit et præparavit illum æternum ignem,de quo ipsa Veritas ait: *Qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41); et de quo Salomon dicit: *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus* (*Prov.* XIX, 29). Si enim hæc supplicia impiis et iniquis a Deo justo judice prædestinata non sunt, quomodo de eis adhuc utique futuris atque venturis per beatum Joannem in Apocalypsi dicitur: *Et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XX, 10); et iterum: *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XIV, 11). Quomodo etiam beatus Petrus de quibusdam pessimis dicit: *Quibus caligo tenebrarum in æternum reservatur* (*II Petr.* II, 17). Et beatus Judas apostolus de eisdem similiter: *Quibus procella*,inquit,*tenebrarum in æternum servata est* (*Judæ.* 13). Certe omnes consonanter fatemur Deum prædestinasse omnia quæ ipse esset facturus, et utique tam magna, tam justa et æterna judicia nemo præter ipsum facturus est. Si ergo ad ejus opera pertinent, nec ab alio fieri possunt,certum est omnino nec dubitari debet quod ipsum habent prædestinatorem, quem auctorem atque factorem.

Quod si iste propterea dicit non esse Deum aucto-

rem factorem suppliciorum quia, ut dicere solet, supplicium nihil est, quia substantiam, et naturam per se existendi, et subsistendi non habet, sicut nec malum, nec peccatum, nec mors; et ideo non potuisse a Deo prædestinari ea quæ substantialiter non existunt: contradicendum ei constanter ipsa rei evidentissima veritate, quia videlicet istud verbum quod dicitur supplicium non significet aliquam rem vel naturam subsistentem, sicut significant cum dicimus: Cœlum, terra, mare: hæc enim continuo quasdam rerum naturas sua significatione demonstrant. Licet ergo hoc quod dicitur supplicium, non significet isto modo aliquam rem per se subsistentem, tamen significat aliquod grande malum, quod per subsistentes agitur naturas rerum. Ita cum nullam sui habeat substantiam, significat tamen illud quod non nisi per res et substantias existentes efficitur; sicut et ipsa mors cum dicitur, utique nullam sui substantiam significat; quia naturam per se subsistendi non habet: hoc tamen nomine significatur et intelligitur gravissimum malum, quod in substantiarum, id est animæ et corporis divisione, cognoscitur. Ita omnipotens Deus supplicium, quod non prædestinavit ut existeret in natura sui prædestinavit tamen in naturis et substantiis vere existentibus, quibus tantum malum, quod ille nomine significatur et intelligitur, vere et substantialiter exhibetur.

2. Dicit post hæc : *Prædestinationem Dei ad ea tantum quæ in bono sunt, præscientiam vero ad bona malaque : quam differentiam non ex natura esse, sed ex usu locutionum.* Hanc differentiam præscientiæ et prædestinationis Dei, quia, ut Patres sancti eam tradiderunt, et ipsa veritas veracem esse demonstrat, utique tenemus et amplectimur. Quod videlicet Deus, præscius omnium futurorum, omnia æternaliter præscierit quæ erant futura, id est et bona et mala ; prædestinaverit vero æternaliter sola bona quæ ipse erat facturus, sive gratuita misericordia sua, sive justo judicio suo. Et ideo rectissime præscientiam Dei et in bonis et in malis intelligi ; prædestinationem vero in solis bonis et justis, quæ ipse non solum præscivit, sed etiam statuit, præfinivit, atque decrevit futura. Iste tamen hanc differentiam propterea commemorat, ut Deum mala præscire potuisse, prædestinare autem non potuisse contendat, non intelligens illam differentiam mali quam jam superius commendavimus ; quod scilicet, aliud sit malum contrarium bono, quod est utique vitium, nec habet auctorem Deum : aliud vero malum, quod est contrarium paci, quieti, vel sanitati, quod nunquam accidit nisi Deo auctore et judice ; sicut ipse loquitur per prophetam : *Ego Dominus faciens pacem et creans malum* (*Isa.* XLV, 7). Unde et illud est apud aliud prophetam : *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (*Amos.* III, 6). Et iterum : *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt* (*Eccli.* IX, 14). Illius itaque mali quod intelligitur in vitio vel peccato, non est prædestinator Deus, quia nec auctor: hujus autem mali quod intelligitur in aliqua afflictione, tormento, atque supplicio, vel temporali vel æterno, quia hæc, sicut Scriptura docet, ab ipso sunt, et ejus judicio disponuntur atque inferuntur, manifeste et auctor est, et prædestinator, quia et præscivit ea futura, et prædestinavit juste facienda. Quæ cum ita sint, nihil egit istam differentiam ad medium deducendo, nisi ut veritatem negaret, et suam imperitiam demonrtraret.

Quod vero ait : *Hanc differentiam divinæ præscientiæ et prædestinationis non esse ex natura, sed ex usu locutionum*, nobis melius et verius videtur quod ex natura et secundum naturam sit; quia etsi in Dei natura : *Nulla est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17), ut aliud sit ei scire, aliud præscire, aliud prædestinare ; sed una et simplici et æterna scientia sua totum simul et æqualiter continet, quod in rebus temporalibus diverso modo agitur et exhibetur: tamen cum hæc, id est præscientia et prædestinatio Dei, verissime ad creaturarum ejus statum et dispositionem referantur, differentiam aliquam in Dei æterna et incommutabili scientia non habent, quia totum ibi una et simplex scientia est, nec temporibus variata, nec rerum diversitate mutata : habet tamen eam, id est differentiam in rebus temporaliter transeuntibus, dum in eis alia sunt præsentia vel præterita, ubi humanus sensus proprie agnoscit scientiam, alia vero futura, quibus proprie præscientiam vel prædestinationem intelligit convenire. Et quia in ipsis futuris alia occurrit diversitas, ut quædam sint bona, quædam vero mala, rursum alia occurrit differentia, ut scilicet prædestinatio agnoscatur in solis bonis, præscientia vero in utrisque intelligatur, id est bonis et malis. Ita hæc differentia præscientiæ et prædestinationis, etsi non est ex natura vel secundum naturam incommutabilis deitatis, est tamen et agnoscitur esse ex natura et secundum naturam administrandæ et disponendæ creaturæ mutabilis. De qua re etiam superius, id est in secundo hujus disputationis capitulo, plenius diximus ; et ideo nullatenus patimur ista quæ tam recte et veraciter suis proprietatibus sunt distincta, et ita nobis a Patribus tradita, ullius nova præsumptione turbari atque confundi: ut indiscrete et confuse aliquis præsumat dicere, sicut iste dicit, omnem præscientiam prædestinationem esse, quod est apertissime blasphemum; ut, cum præscire possit Deus etiam mala, ea, quod absit, prædestinasse dicatur. Quamvis prædestinatio, quia non est sine præscientia, non absurde possit dici etiam præscientia.

3. Iste tamen, ut non ex rerum veritate et proprietate, sed tantummodo ex usu locutionis nostræ hanc differentiam venire contendat, subjungit exemplum suæ assertioni contrarium, et dicit: *Sicut et id quod dicitur Deus, ubique esse præsentia potestatis, sed non ubique gratia habitationis : ita dici posse de eo ubique præscientia, sed non ubique prædestinatione : cum apertissime veritas clamet de Deo : ubicunque Deus fuerit præsentia, ibi profecto erit habitatione. Similiter ubicunque fuerit præscientia, ne-*

cessario erit prædestinatione. Ecce affirmat, quod hæc religiosa locutio ecclesiasticæ disciplinæ, ut distinguatur et discernatur, et dicatur a nobis quia Deus ubique est per præsentiam majestatis, sed non ubique per præsentiam habitationis, non sit ex rerum proprietate, sed tantum ex usu locutionis humanæ, ut destruat saluberrimum sensum totius Scripturæ divinæ; ubi omnipotens Deus aliter commendatur nobis usquam esse generaliter esse præsentiam majestatis, aliter vero specialiter per gratiam inhabitationis. De generalis namque suæ majestatis præsentia ipse dicit : *Cœlum et terram ego impleo.* Et Propheta ad ipsum : *Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero ad infernum, ades : si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, et enim illuc manus tua, deducet me, et tenebit me dextra tua* (*Psal.* CXXXVIII, 8-10). De gratia vero inhabitationis ejus, qua non ubique est, sed in templo suo, id est in sancta et rationali creatura anglica vel humana, quæ sola est capax ejus cognitionis et intelligentiæ ; illuminationis et gratiæ ; aliquando cœlorum significatione, per quam intelligitur cœlestis vita angelorum sive hominum sanctorum : aliquando vero ipsius specialis templi commemoratione. Ita loquitur Scriptura, ut dicat : *Qui habitat in cœlis irridebit eos* (*Psal.* II, 4). Et : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII, 1). Et: *Respice de sanctuario tuo, de excelso cœlorum habitaculo* (*Deut.* XXVI, 15). Et : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Et illud quod Apostolus ait : *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus sanctus habitat in vobis* (*I Cor.* III, 16). Et iterum : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*II Cor.* VI, 16 ; *Levit.* XXVI, 12).

Cum ergo veraciter, et omnino secundum rerum naturam tanta sit distantia et differentia inter præsentiam divinæ majestatis, quæ generaliter et potentialiter omni creaturæ exhibetur, et gratiam habitationis, quæ specialiter et misericorditer tantummodo rationali et electæ creaturæ, quæ ejus potest capere imminationem [*sic*] et intelligentiam et suavitatem, conceditur : quare hunc tam divinum sensum, et tam necessarium fidei et saluti nostræ, sua temeritate in tantum evacuare conatur, ut ipsam veritatem clamare dicat. Quod ubicunque Deus est præsentia, ibi sit et habitatione? Cum e contrario hæc veritas Scripturæ Dei tam diligenter discernat semper, atque distinguat, ut habitationem Dei tantummodo in templo suo, vel cœlesti vel etiam adhuc in terris posito, per bonitatem gratiæ ejus commendet (*a*). Dicitur quidem et in templo aliquo manufacto et religiosa pietate suo nomini consecrato, propter ipsius consecrationis gratiam, et familiariorem suæ majestatis cultum, et celebriorem supplicationis et exauditionis effectum, aliquando inhabitare : sicut ipse Dominus in Evangelio ostendit dicens : *Et qui jurat in templum, jurat in illud, et in eum qui habitat in ipso* (*Matth.* XXIII, 21). Et tamen aperte Scriptura dicit : *Quia non excelsus in manufactis habitat* (*Act.* VII, 48), unde et Salomon de ipso templo quod ei ædificaverat et consecrabat, in oratione sua dicit : *Si cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* (*II Par.* II, 6). Unde et intelligimus quod in hujusmodi templo manufacto et suo nomini dicato atque sacrato, recte et inhabitare Deus dici possit quadam gratiæ dignatione, et sacramentorum cœlestium sanctificatione ; et non inhabitare majestatis immensitate, et illius gratiæ quam soli electæ et rationali creaturæ exhibet, largitate. Dicit quidam sanctus et gloriosus martyr de illo: Cujus templum totus est mundus. In quibus verbis sit simpliciter totum mundum qui constat e cœlo et terra intelligi voluit, ita hoc recte intelligitur dixisse, quia in toto mundo ubique potest religiose coli, ubique adorari ; dum *veri adoratores* non jam in Hierosolymis cum Judæis, nec in monte illo cum Samaritanis, sed *ubique adorant Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 3). Si autem illo modo intelligi voluit cujus templum totus est mundus, ut totum mundum, juxta consuetudinem Scripturarum, totum genus humanum appellaverit, manifeste templum Dei totus est mundus. In illis scilicet (*b*) qui ex toto mundo, id est ex universo genere humano, convertuntur et colliguntur ad Deum, et templum ejus fiunt. Unde et idem beatissimus martyr postquam dixit : Cujus templum totus est mundus, subjunxit atque ait: In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore.

Quapropter non ex usu tantummodo locutionum, sed ex ipsa veritate et proprietate rerum, omnipotens Deus ubique esse dicitur per præsentiam majestatis, et non ubique per gratiam inhabitationis, dum et generaliter universæ creaturæ exhibet præsentiam majestatis, et tantummodo electæ rationali creaturæ largitur gratiam suæ inhabitationis. Quid autem est, quod asserit dici posse: *De Deo ubique præscientia, sed non ubique prædestinatione; et ubicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione?* Quis unquam ita locutus est ut diceret Deum ubique esse præscientia? Cum præscientia sua tantummodo apud se sit, cui soli cognita est. Aut quid necesse est dicere, ubique eum esse prædestinatione, cum prædestinatione sua tantummodo apud se sit, quia ipsi soli cognita habetur. Similiter ergo vanum est quod ait: *Ubicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione :* Quia et hoc nemo dicit : sed sicut quidam Patrum antiquorum dixerunt, novitas est vocis, et aliud nihil. Dicimus namque Deum ubique esse majestate, ubique esse potentia, ubique esse virtute; quia hoc totum, id est majestas, potentia, virtus,

NOTÆ DUVALLI DOCTORIS SORBONNICI.

(*a*) Advertant novatores Deum in templis locisque consecratis speciali modo inhabitare, ut contra Anomæos luculenter ostendit Chrysostomus.

(*b*) *Subaudi,* habitat Deus.

ipse est,qui ubique est. Ut autem dicamus ubique A eum esse præscientia,ubique prædestinatione, nulla ratio est.Quia nusquam legitur Deus vel præscientia vel prædestinatione esse.

Ergo et illud quod dicit: ***Præscientiam et prædestinationem Dei, non nisi eorum, quæ ipse facturus esset***, aperte mendacium est, quia præscientia ejus etiam in malis esse potest, quæ ipse facturus non erat Deinde quod ponit, et dicit : ***Sicut præscientia ejus,et habitatio in his quæ nec ab eo sunt nec ea fecit***, similiter vanissimum est.Ubi enim unquam legit ! ubi a fidelibus dictum audivit, ut Deus in his quæ nec ab eo sunt nec ea fecit, præsentiam et habitationem habere diceretur? Quæ autem sunt ista quæ, ut ipse scribit,nec ab eo sunt nec ipse fecit? si enim sunt aliqua talia, est ergo aliqua creatura quæ nec B a Deo est nec Deus eam fecit? Quod utique non est Christianum,sed Manichæum ; quia non potest mentiri Evangelium,ubi scriptum est : ***Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*** (*Joan.* I, 3.)

Tale est etiam illud,quod continuo subjunxit : ***Præscientiam Dei ; et prædestinationem contrario pronuntiari in illis quæ nec fecit, nec donavit.*** E contrario enim pronuntiari dicit,ut juxta suam illam, et novam regulam,et insanam,quod pronuntiatur non vere pronuntiari intelligatur. Mendacium ergo est quod affirmare conatur, illa æterna supplicia nihil esse, nec adeo facta esse ; quia in utroque veritati contradicit,et ideo vere a Deo præscita sunt futura, vere a Deo eis, qui meruerunt inferenda. Et, cum hæc tam aperte in Scripturis et facta et præscita et C prædestinata esse inveniantur,conteratur potius et pereat talis regula,qua facta pro non factis intelligi debere insanissime affirmatur.

5. Subjunxit adhuc dicens : ***Ignem æternum ad urendum diabolum et angelos ejus,non homines,factum*** : hoc propterea iste et alii fortassis vel quærentes vel affirmantes dicere videntur ; id est,quod ille ignis æternus non ad pœnam hominum, sed tantummodo ad supplicium angelorum malignorum paratus sit,quia non ait Dominus in illo judicio illis qui ad sinistram ejus erunt se esse dicturum : ***Discedite a me,maledicti,in ignem æternum qui paratus est***,vobis,sed qui paratus ***est diabolo est angelus ejus***, ut ex eo quod non ait : qui paratus est vobis ; sed ait : ***Qui paratus est diabolo et angelis ejus*** (*Matth.* D xxv, 41),malignis tantummodo spiritibus,id est ipsi diabolo et angelis ejus paratus esse videatur. Unde quorumdam opinio fuisse deprehenditur,quod alius sit iste ignis quo nunc apud inferos damnatorum animæ cruciantur : et alius ille ignis æternus, in quem tunc tantummodo homines mittentur,quando, cum corporibus suis resuscitati,simul cum diabolo et angelis ejus in eumdem ignem æternum ire compellentur.Sed,sive unus sit ignis, quo et nunc solæ animæ,et tunc receptis etiam corporibus suis torquebuntur, sive alius sit iste, sive alius ille ; nos credamus Scripturæ veraci,quia et illud supplicium ignis æterni, et tenebræ exteriores, quæ ibi sine dubio sunt futuræ,non solum angelis qui non servaverunt suum principatum;sed dereliquerunt suum domicilium,quos etiam ruentes de cœlestibus tradidit Deus in judicium cruciandos, reservari : sed etiam hominibus impiis sunt præparata, et reservata. Unde, sicut jam commemoravimus, beatus Petrus apostolus ait de quibusdam impiis, et illa ultima perditione damnandis : ***Quibus caligo tenebrarum in æternum reservatur*** (*II Petr.* II, 17). Et beatus Judas apostolus de eisdem similiter dicit : ***Quibus procella tenebrarum in æternum reservata est*** (*Judæ* 12) Sicut ergo ***caligo*** illa ***et procella*** æternarum tenebrarum hominibus impiis et pessimis est præparata et reservata,ita etiam ipse ignis æternus, qui sine dubio simul intelligendus est, etiam ipsis est præparatus et reservatus. Ideo quod Dominus ait de eodem igni æterno : ***Qui paratus est diabolo et angelis ejus*** (*Matth.* xxv, 41). Ita fideliter intelligamus ut quod principaliter de illo,hoc est de diabolo, dictum est,hoc ipsum consequenter et de ejus corpore intelligatur,de quibus Scriptura dicit : ***Imitantur autem eum,qui sunt ex parte illius*** (*Sap.* II,25). Ut supplicium quod illi principaliter est præparatum, etiam istis consequenter accipiatur et præparatum et reservatum : sicut superius memorata verba apostolica apertissime demonstrant.

5. Subjunxit iste et dicit : ***Postquam ab æthere detrusus sit,ubi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire,additum ei corpus aereum,in quo ignem sentiret.*** De hac re non istius importunam definitionem et inconsideratam definitionem,sed potius beati Augustini dicta pie,moderata et cautissima, et magis quærentis quam definientis audiamus. Superior, inquit, pars aeris, propter puram tranquilitatem, cœlo, cui collimitatur, communi pace conjungitur, et ejus vocabulo connuncupatur. In qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores angeli cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo (nam nonulli nostri non eos putant cœlestes vel supercœlestes angelos fuisse) non mirum si post peccatum in ista sunt detrusi caliginem, ubi tamen et aer sit, et humore tenui contexatur.Si autem transgressores illi, antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est,si conversa sunt ex pœna in aeream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati,nec aeris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt; qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, usque ad tempus judicii. Etsi quid de his transgressoribus angelis diligentius requirendum est.

Ecce doctor pietatis,nihil temere præsumens,sed de singulis caute et humiliter tractans,dicit angelos transgressores cum suo principe nunc diabolo,tunc archangelo, vel in superiore parte aeris hujus, id est, cœlo æthereo fuisse antequam peccarent : aut fortasse in cœlestibus conversatos, si cum cæteris cœlestes vel supercœlestes angeli fuerunt. Et, si in cœlo æthereo tantummodo fuerunt, ex illa pura et

semper serena tranquilitate dejectos esse atque detrusos post peccatum in istam inferiorem et caliginosam partem aeris. Similiter, si ante transgressionem suam, sicut cæteri angeli cœlestia corpora gerebant, converti ea potuisse vel conversa esse ex pœna illius damnationis in aeriam qualitatem, ut jam possint ab igne pœnam quæ eis debetur, pati. Non ergo definivit hic sanctus doctor utrum in cœlo æthereo, an etiam in cœlo sidereo ante transgressionem suam fuerint conversati,sed utrumque fieri potuisse non contradicit. Undecunque autem post transgressionem, sive scilicet ex superiore, sive inferiore cœlo corruerint, etiamsi cœlestia corpora ante gerebant, conversa esse ex pœna in aeream qualitatem ; non alia eis ex ipso aere, id est aerea corpora addita, non inconveniens esse existimat. Non ergo definit, sicut iste, quod ex æthere in aerem diabolus sit detrusus,quia potuit et ex cœlestibus ruere, nec definit æthereum, sive cœleste eum corpus habuisse,sed si habuit,ex pœna in deterius commutatum esse : nec additum ei corpus aereum, vel quasi duplici corpore uno cœlesti vel æthereo, altero autem aereo vestiretur : sed ipsum ejus cœleste corpus, si fuit, conversum esse ex pœna in aeream qualitatem, ut jam non cœleste vel æthereum,sed aereum corpus esset,ubi ignis pœnam et supplicium sentire possit.

Item alibi de eadem retractans, et cautissime ac suspense deliberans,ita dicit : [Si non erit ignis incorporalis, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari,quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum,nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est,ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsus vento flante sentitur Quod genus elementi si nihil ab igne perpeti posset, non ureret fervefactus in balneis : ut enim urat,prior uritur,factique cum patitur.Si autem quisquam nulla habere corpora asseverat,non est de hac re, aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum.Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis,etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi ? Si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei et nunc potuerunt includi corporalibus membris,et tunc poterunt suorum corporum vinculis insolubiliter alligari.Adhærebunt ergo spiritus dæmonum,imo spiritus dæmones,licet incorporei,corporeis ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam ; et cætera quæ de hac re prolixius disputat.] Hac ergo cautela quam beatus doctor in suis inquisitionibus ostendit, de talibus rebus sentiendum atque tractandum, et non improbe vel mendaciter aliquid sentiendum.

6. Sequitur iste, et dicit : ***Non esse illum ignem pœnam,neque ad eum præparatum vel prædestinatum : sed qui fuerat prædestinatus ut esset in universitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum,in quo procul dubio non minus habitabunt beati quam miseri.*** In his verbis cum dicit illum ignem A æternum non esse pœnam,manifeste ipsi Veritati, id est judicii vivorum et mortuorum,contradicit,qui se in illo judicio dicturum prædixit : ***Discedite a me maledicti,in ignem æternum*** (*Matth.* xxv,41). Et ut ipsum ignem æternum intelligamus esse pœnam et supplicium sempiternum, statim post pauca de miseri qui ibi æternaliter damnandi et torquendi sunt, subjungit, dicens : ***Tunc ibunt hi in supplicium æternum*** (*Ibid.* 46).Contradicit et beato Paulo apostolo dicenti : ***In revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum angelis virtutis ejus : dantis vindictam in flammam ignis, his qui non noverunt Deum, et qui non obedierunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi ; qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini,et a gloria majestatis ejus*** (*II Thess.* i, 7-9). B Contradicit et beato apostolo Joanni de eodem stagno ignis et sulphuris in Apocalypsi dicenti : ***Et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*** (*Apoc.* xx, 10;) et iterum : ***Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*** (*Apoc.* xiv, 10).Et Scripturæ,quæ ait : ***Dabit in carnes eorum ignem et vermes, ut urantur,et sentiant usque in sempiternum*** (*Judith.* xvi, 21). Et iterum : ***Humilia spiritum tuum valde, quia vindicta carnis impii,ignis et vermes*** (*Eccli.*vii, 19.) Quæ cum ita sint,et fideliter ad terrorem atque emendationem assiduam tenenda sint,quomodo iste audet,vel cur tam impiam et multis noxiam permittitur habere libertatem, ut in Ecclesia dicat ad subversionem audientium, et securitatem mortiferam nutriendam, non esse illum ignem æternum pœnam ? cum Dominus eum testetur esse supplicium C sempiternum, et veritas apostolicæ doctrinæ : ***Ignem et flammam vindictæ,et pœnas in interitu æternas,et cruciatum diei ac noctis, et fumum tormentorum ascendentem in sæcula sæculorum,*** apertissime eum esse denuntiet.

Et ideo omnino indubitanter et verissime nobis, ista credenda sunt,ut tali terrore coerceatur et mortificetur in nobis delectatio peccandi, et excitetur ac roboretur sollicitudo bene agendi et Deo placendi. Hoc namque nobis præcipue necessarium esse ipse Dominus ostendit,dicens : ***Ostendam vobis,quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*** (*Luc.* xii,5) ; et iterum : ***Sed potius eum timete,qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*** (*Matth.* x, 28).Unde et D alibi Scriptura utilitatem hujus timoris, et e contrario malum securitatis ostendens, dicit : ***Timor Domini expellit peccatum*** (*Eccli.* i, 27 : nam qui sine timore est,non potest justificari.

Quod autem iste dicit : ***Eumdem ignem æternum non esse ab initio præparatum et prædestinatum ad pœnam,sed tantum ut, in universitate creaturarum quæ a bono Creatore bonæ conditæ sunt,et ipse quasi locum suum teneret,*** fidei nostræ nequaquam est recipiendum.Sed hoc potius tenendum est quia omnipotens Deus, qui omnia quæcunque ab initio creavit, certis utique ex causis, et ad certos et necessarios usus condidit,et nihil inaniter aut super-

vacue constituit,sed unamquamque rem,sua omnipotentia conditam, proprium officium sive utilitatem habere voluit : sicut lumen ad usum diei,et tenebras ad quietem noctis, et firmamentum cœli ad sedem luminarium,et aquarum super cœlos separationem ad temperationem astrorum,et herbas atque arbusta ad sustentationem animantium,et luminare majus,ut præesset diei,et luminare minus, ut præesset nocti,cum stellis : et cætera in hunc modum. Sicut ergo omnia hæc ab initio condita et ordinata, statim propriis officiis et ministeriis atque usibus deputavit ; ita et illum ignem æternum ab initio inter cæteras creaturas non inaniter conditum sua justa providentia et provida justitia statim ad eos usus credendus est præparasse et prædestinasse,ad quos Dominus eum præparatum esse ostendit,cum impiis et damnatis hominibus dicit : *Ite in ignem æternum :* et subjungit, *qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Id est ad utriusque creaturæ,tam angelicæ quam humanæ, supplicium sempiternum. Quia et ex ipsis verbis quibus dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* xxv, 34), e contrario recte intelligere possumus, etiam ipsum *ignem æternum* ad æternum supplicium angelorum sive hominum impiorum similiter a constitutione mundi esse præparatum.Nec tamen est ulla iniquitas apud Deum quod ipsum ignem supplicii sempiterni tantæ multitudini impiorum,tam longe antequam omnino essent, præparavit et prædestinavit : quia et in novo civitatis ædificio,si statim cum ipsa simul civitate domus carceris horrenda et terribilis exstruatur,non potest dici iniquitas,sed potius provisio misericordiæ et justitiæ : ut videntes qui in civitate habitant pœnale et triste ergastulum damnationis,aut deterreantur misericorditer a peccando,aut si nec peccata vitaverint, juste et inexcusabiliter puniantur. Sic ergo et ille ignis ad æternum creatus supplicium et misericorditer et juste credi debet,dum aut ejus terrore homines corrigantur,aut si corrigi noluerint, justius puniantur.

De cujus ignis æterni creatione, quam utique in illis operibus Dei intelligere debemus,cum *sex diebus fecit cœlum, et terram ; et mare, et omnia quæ in eis sunt,et in septimo cessavit ab omni opere quod patrarat* (*Exod.* xx, 11). Ita sanctus papa Gregorius, exponens verba libri beati Job,ubi scriptum est de impio : *Devorabit ignis qui non succenditur* (*Job* xx, 26),ita ait : [Miro valde modo paucis verbis expressus est *ignis gehennæ ;* ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est ut servetur,per congesta ligna procul dubio nutritur,nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus,et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur,sed creatus semel durat inexstinguibilis,et succensione non indiget, et ardore non caret]. Exponens adhuc idem beatissimus doctor verba sequentia quibus de eodem impio dicitur : *Affligetur relictus in tabernaculo suo* (*Ibid.*, 26),quid de pœnis æterni ipsius ignis fideliter sentiendum sit,ita subjungit : [Iniqui enim tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, et, si sit possibile, optat ut eam nunquam relinquat.Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit,cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit.Tunc ab ea educi appetat,tunc incipit velle vitare quod amavit ; sed quia eamdem carnem Deo præposuit, judicante Deo agitur ut ex ea amplius igne crucietur.Ad augmentum itaque tormenti, et hic de corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus]. Item cum verba ejusdem libri exponeret,in quibus de eodem impio scriptum est : *Luet, quæ fecit, omnia, nec tamen consumetur juxta multitudinem adinventionem suarum,sic et sustinebit* (*Job* xx, 18), ita dicit : [Persolvit enim in tormentis ea quæ hic illicita servavit desideria,et flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur,nec in tormentis consumitur ; quia si consumeretur vita morientis,cum vita etiam pœna finiretur : et qui multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur in pœna].

Hæc sanctus doctor terribilia terribiliter, et vera veraciter loquitur, ut audientium animos ad terrorem excitet,ad emendationem stimulet,a mortifera securitate ad curam salutis suæ velut vigilare compellat. Iste autem adhuc inania inaniter, et falsa fallaciter loquens dicit quod *ipse ignis æternus, qui ad hoc tantum fuerat creatus, sicut ipse vult, ut esset in universitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum.* Non dixit tormentum,aut pœna, vel supplicium factus est impiorum,sed (*a*) *sedes*,inquit,*factus est impiornm :* ut,juxta ejus sensum,sicut unicuique sedes est,domus sua,ubi quietus residet et inhabitat : sic et impiis ille ignis non sit tormentum damnationis, sed tranquilla sedes habitationis. Unde adhuc de eodem igne subjungit,dicens : *In quo procul dubio non minus habitabunt beati,quam miseri.* Et hic namque habitabunt in illo igne dixit, non cruciabuntur, non punientur, aut tale aliquid, negans omnino,ut solet pœnas verissimas æternalium tormentorum,quas tota Scriptura tanto terrore denuntiat, tanta attentione commendat. Quod autem dicit : *In quo procul dubio habitabunt non minus beati quam miseri,* manifeste utrosque, id est et beatos et miseros in uno igne æterno post resurrectionem habitaturos affirmare contendit : sequens videlicet, stulta et vanissima persuasione, opiniones sæcularium philosophorum, qui putant animas piorum post dissolutionem corporis, vel in cœlo æthereo,

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Reprehensio ista solum est in nomine. Nam nolebat Erigena ignem inferni fore quietem et sedem tranquillam atque placidissimam ipsorum damnatorum.

vel in illo circulo quem lacteum vocant, vel in globis siderum habitaturas. Quæ iste omnia, et ipsum cœlum æthereum et firmamentum cœli, in quo lacteus ille circulus apparet, et ipsa sidera æternum ignem appellat, sicut et illum ignem gehennæ. Quia omnia hæc, quæ super tria mundi elementa, id est terram, aquam et aerem constituta sunt, ex quarto elemento ignis putat existere, ut idipsum quartum mundi elementum, et apud inferos sit ignis æternus, *qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41), et omnibus impiis homninibus; et in cœlestibus spatiis sit ignis æternus ubi sit post resurrectionem habitatio beatorum.

Ecce qualem beatitudinem promittit sanctis et electis Dei: ut qui habitaverunt, cum adhuc essent mortales, in primo mundi elemento, id est in terra, habitent jam immortales effecti in quarto et superiori mundi elemento, sicut ipse dicit, igne æterno, et hæc sit eorum remuneratio, habitare in quolibet quamvis lucido, quamvis tranquillo, et puro tamen elemento Dominus autem non in elementis mundi æternam beatitudinem suis promittit, sed in cœlestibus, et supercœlestibus bonis, *Ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Col.* iii, 1), *exaltatus super omnes cœlos, et interpellans pro nobis* (*Rom.* viii, 34). De cujus sublimitate beatitudinis Apostolus dicit: *Non enim in manufacta sancta introivit Jesus, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum; ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (*Hebr.* ix, 24). Ad quam habitationem ut sancti ejus valeant pervenire, ipse in Evangelio Patrem exorat, dicens: *Pater, quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi* (*Joan.* xvii, 24). De qua beata et angelica habitatione sanctorum ipse iterum dicit Apostolus: *Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* v, 1). Unde et ipse dicebat: *Cupio dissolvi et cum Christo esse* (*Phil.* i, 23). Et de omnibus generaliter electis post resurrectionem promittit dicens: *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, ee sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* iv, 16). De qua gloriosa et felicissima habitatione justorum Psalmista dicit: *Habitabunt recti cum vultu tuo* (*Psal.* cxxxix, 14). Hæc ergo habitatio quæratur, hæc desideretur, non in elementis mundi, sed in vultu Dei, in visione claritatis Christi, in societate beatorum et supercœlestium angelorum, quando *erunt sancti*, sicut ipsa Veritas promittit, *æquales angelis Dei in cœlis* (*Luc.* xx, 36).

Non ergo in uno mundi elemento igneo erit beatorum habitatio vel potius contrusio, nec ita ibi includentur sicut impii in igne æterno, sed habebunt omnia mundi elementa in potestate, tanta felicitate et facilitate sibi subdita, et sic suæ immortali habitudini congruentia, ut ubicunque eorum voluerint, et sicut voluerint continuo esse possint, et videant atque habeant hæc omnia non tam ad præmium beatitudinis, quam ad cumulum felicitatis, et laudem

A et gloriam Conditoris. Hanc namque eis potestatem et gloriam Scriptura prophetica promittit, dicens: *Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni; quæ est subter omne cœlum detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient* (*Dan.* vii, 27).

7. Adjungit post hæc iste, et dicit: *Miseriam nullam esse nisi mortem æternam: æternam mortem veritatis ignorantiam, nullamque miseriam esse, nisi veritatis ignorantiam; et ubi ignoratur veritas, ibi nullam vitam.* Hoc quidem quod in his verbis dicitur, poterat esse bonum si non ipsum bonum male, id est malo sensu diceretur. Verum namque est quia homini justo et sapienti omnis labor, omnis adversitas, omnis miseria, quæ potest in ista mortali vita

B accidere, si non eum frangat, et in deterius mutet, sed infatigabiliter exerceat, non potest ei esse miseria, quæ eum miserum non facit, sed potius purgat et probat, et velut in fornace aurum puriorem reddit, nec ullam sibi deputat talis vir miseriam, nisi veritatis ignorantiam, in quantum adhuc ab ejus contemplatione retardatur, et quodammodo ipsa sua infirmitate repellitur. Mortem vero non istam exteriorem corporis, sed illam interiorem animæ timet, quæ omnino est ipsa summæ veritatis ignorantia, qua utique mortui sunt omnes infideles? qui nec credunt, nec agnoscunt Dei veritatem. De quibus et Dominus dicit: *Dimittite mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* viii, 22); et Apostolus: *Alienati*, inquit, *a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis* (*Eph.* iv, 18). Fidelium autem vita utique ipsa cognitio veri-

C tatis est: quam et hic cognoscunt per fidem, et in futuro cogrituri sunt per speciem. Quia et hic accipiunt vitam per fidem veritatis, sicut scriptum est: *Quia justus ex fide vivit* (*Rom.* i, 17), et ibi habebunt vitam æternam ex cognitione, et visione ejusdem veritatis, dicente Domino: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te unum verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Quicunque ergo pervenerint ad istam cognitionem per veram fidem, et æternam contemplationem, erit eis sine dubio vita æterna ipsa visio æternæ Veritatis. Qui autem ab ea sive per infidelitatem, sive per ultimam damnationem fuerint separati, quid eis erit aliud talis separatio, et talis ignorantia veritatis, nisi mors æterna?

D Secundum hunc ergo sensum hoc in doctoribus dictum legit; sed quod ab eis bene legit dictum, ipse convertit in pravum, et perversum, ut coaptet illud (quantum in se est) suo errori atque mendaciis: proptor nihil enim aliud hæc dicit, nisi ut tali argumentatione tam violenter, et nequiter ex bono ad malum usurpata, quasi ostendere et confirmare videatur, nullam aliam futuram esse miseriam, vel angelorum malignorum, vel hominum perditorum in æterno igni damnatorem, nisi ignorantiam, et sicut jam supra dixit, absentiam ipsius veritatis; et hanc ignorantiam atque absentiam veritatis solam eis esse æternam miseriam, solam eis esse æternam

mortem: ut eos hoc modo ab omni miseria suppliciorum et tormentorum quæ extrinsecus adhibetur, et ab omni morte pœnalis damnationis alienos futuros esse contendat. Sed quantumcunque iste contendat et contradicere conetur, excepta illa morte quam incurrent intrinsecus ex ignorantia et absentia veritatis. *Patientur* etiam extrinsecus sicut Apocalypsis dicit: *Stagnum ignis et sulphuris, quod est mors secunda* (*Apoc.* XX, 10, 14). Patientur vere æternum miseriam, cum Deus, judex justus et fortis *dabit in carnes eorum ignem et vermes, ut urantur et sentiant usque in sempiternum* (*Judith.* XVI, 21); semper namque in morte, quos et immanitas suppliciorum compellet mori, et divini judicii severitas nunquam permittet exstingui.

CAPUT XVIII.

Ocavo decimo capitulo ita dicit:

1. *Errorem prædestinationis ex disciplinarum ignorantia, quas ipsa sapientia suas comites, investigatricesque fieri voluit, et Græcarum litterarum inscitia ortum.*

2 *Esse verbum* ὁρῶ *quod* video *et* definitio *et* destino *interpretatur, similiter compositum* προωρῶ prævideo, prædefinio, prædestino; *ac per hoc prædestinationem et prædefinitionem nihil aliud esse quam prævisionem.*

3. *Deum nec prævidisse nec prædestinasse mortem et pœnas, quia nihil sint.*

4. *Peccatores in massa originalis peccati reliquit, relictos deservit, desertos lumine tenebras torquere, desertos vita mortem interimere.*

5. *Nec quod in eis Deus fecit, relinquit vel deserit* (*Alioquin eorum natura ad nihilum rediret si summa essentia in eis non esset*); *sed quod in eis non fecit, id est superbiam sprevit.*

6. *Deum in ea natura quam ad se creavit semper habitare.*

7. *Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos ultra quos impiorum malitia progredi non possit, nec sinit alicujus malitiam in infinitum, prout velit,* extendi, *divinis legibus progrediendi modum imponentibus.*

8. *Nihilque appetere impiorum omnium, diaboli nequitiam, nisi ab eo, qui est summa essentia recedere. In tantum, ut eorum natura, si lex divina sineret, in nihilum rediret. Sed quoniam ei difficultas ex æternis legibus obsistit ne in tantum cadat quantum vellet, ex ea difficultate laborare, laborando torqueri, puniri, cruciari, et inde fieri miseram inanium voluptatum egestate. Eamque difficultatem, qua prohibentur pervenire ad ea quæ libidinose appetunt, effici eis pœnalem interitum, et suæ miserrimæ cupidinis justissimum cruciatum.*

9. *Utriusque partis prædestinatum esse numerum.*

10. *Invitos Deo servire impios: non naturam quam in eis fecit, et in eis non punit, sed malam voluntatem, quam in eis non fecit, et in eis punit; in eoque quod ei inviti serviunt, puniri in seipsis sua pœna. De*

A *qua quos juste non liberet, ad eum illos quodammodo præparet, dum eos ad eum seipsos præparare permittat.*

In his verbis cum dicit: *Errorem prædestinationis ex disciplinarum ignorantia, quas ipsa sapientia suas comites investigatricesque fieri voluit, et Græcarum litterarum inscitia ortum;* auditores suos utique commonet ut ab eo, tanquam viro eruditissimo et philosophico, liberalium disciplinarum discant scientiam, fortassis etiam ut ab eo similiter discant Græcarum litterarum peritam: affirmat namque quod ipsa sapientia quasi comites et sodales sibi conjunctas habeat eadem liberalium artium doctrinas, ita ut quid ad ejus cognitionem voluerit pervenire, necessarias omnino habeat ipsa liberales disciplinas, ut B per eas, quod verum est, possit investigare. Si ergo apud cæteros de veritate divinæ prædestinationis errorum fecit ignorantia sæcularium litterarum, quid iste, qui earum se jactat peritum, de hac re per eas investigavit, quid veritatis invenit? quid firmissima ratione fultum, et omni acceptione dignum, in tam prolixo suo sermone disputavit? Ubi nihil invenitur aliud nisi superfluus labor vanitatis, et implicatio infiniti erroris, et apertissima impugnatio veritatis, dum Scripturas veritatis contemnens, et ipsas quoque historias divinorum eloquiorum incognitas habens, non in eis meditatur die ac nocte, nec ad earum regulam fidem suam corrigere, dirigere atque informare studet: sed dies et noctes in humanarum vanitatum lectione consumit, et *porcorum siliquis ventrem suum* implere cupit (*Luc.* XV, 16), nec inde C aliquam refectionem capit: sed miserrima fame contabescit et perit nequissimo principe sibi dominante, *qui misit eum in villam suam ut pasceret poreos* (*Ibid.*, 15). Revertatur itaque in seipsum, surgat et veniat ad patrem, ut intus panes inveniat qui foris fame peribat; ibi pascatur epulis vituli saginati, et pro mundi salute immolati; ibi audiat *symphoniam et chorum* (*Ibid.*, 25), id est admirandam consonantiam cœlestium Scripturarum et dulcem concordiam fidelium, qui omnes idem sapientes, in eodem sensu atque sententia firmati, unanimes uno ore honorificant Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. In hac itaque domo per Dei misericordiam et fidei gratiam positi, audiamus et teneamus fideliter quod dispensator panis æterni, id est verbi divini, D nobis insinuat, dicens: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendant sapientes in astutia eorum.* Et: *Dominus cognovit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt* (*I Cor.* III, 18, 20). Audiamus et illum sapientissimum virum, qui dicit: *Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est meum; non didici sapientiam, non novi sanctorum scientiam* (*Prov.* XXX, 2, 3).

Quod non ideo dicimus quasi nihil in illis etiam litteris humanis inveniatur veritatis, aut illæ disciplinæ non habeant aliquam utilitatem ad indagandam

veritatem; sed quia omni fideli homini primum vigilantissime dicenda est veritas fidei ex auctoritate Scripturarum Dei : ut quid postea de eisdem humanis litteris legere aut scire necesse fuerit, totum ex illa divina auctoritate et fidei veritate dijudicetur; ut si quid ibi ab ejus regula non discordat, absque periculo recipiatur, quidquid autem ab ea dissonare invenitur, quasi mortiferum respuatur. Quisquis autem putat se absque veræ fidei cognitione, absque Scripturæ sanctæ fidelissima auctoritate, absque paternæ doctrinæ studiosissima institutione solis humanis litteris et disciplinis indagare posse veritatem Dei, et fidei integritatem, procul dubio seipsum illudit et decipit: et dum vult videri quasi inventor veritatis, magister erroris efficitur. Qui ordo pietatis tanta est attentione servandus, ut nec ipsæ sacræ litteræ in libris legis et prophetarum nullatenus possint esse utiles et salubres legentibus, nisi aut fides Christi præcedat in corde legentis, per quem veraciter intelligantur, aut ipsa fides Christi in eis fideliter quæratur, et Deo illuminante inveniatur. Inde est quod fidelem et dilectum discipulum Apostolus commonens et informans dicit : *Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu* (*II Tim.* III, 15). Quod quid est aliud dicere, quam *per fidem, quæ est in Christo Jesu* ipsas sacras litteras instruere posse hominem ad salutem, quia absque ejus fide nulla ibi inveniri possit instructio salutaris.

Propterea ergo et iste in tantis erravit, tanta falsa et fallacia sensit et scripsit, quia Scripturas sanctas ignoravit, quia veritatem fidei non eis humiliter et fideliter inquisivit, sed superbe et vanissime humanis et ineptis argumentationibus eam invenire posse se credidit : et ideo non illam invenit, sed eam potius infideliter et infeliciter impugnavit. Qui ergo cupit de veritas divinæ prædestinationis humanum errorem effugere, et quid secundum veritatem tenere debeat, invenire, legat, ut jam diximus, diligenter et fideliter propheticas, et evangelicas, et apostolicas litteras, nec contra eas suum sensum defendere audeat, sed earum se auctoritati et veritati humiliter submittat, ne in perniciem suam contra stimulum calcitrare conetur. Ex quibus divinis litteris, quia multum jam de hac re supra posuimus, ne legentibus tædium faciamus, unum tantummodo hoc loco breviter memoramus, ex epistola beati Judæ apostoli, ubi cum de impiissimis hæreticis, qui Ecclesiam Domini ab ipsis apostolicis temporibus usque ad finem sæculi et impugnaverunt et impugnaturi sunt, loqueretur, ut ostenderet eos æterno et justo Dei judicio in reprobum sensum traditos, ut tanta ac talia contra Deum loqui auderent, et ad ultimum eodem divino judicio æterna perditione damnandos, ita dicit : *Subintroierunt enim quidam homines* (*qui olim præscripti sunt in hoc judicium*) *impii, Domini nostri Jesu Christi gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem Dominum nostrum Jesum Christum negantes* (*Jud.* 4); ubi etiam

A quam olim et quam multis antea sæculis hoc de eis fuerat prænuntiatum et prophetatum ostendens, post multa subjungit : *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra cum peccatores impii* (*Ibid.*, 14, 15). De quorum etiam æterna damnatione et pœna horribili eis præparata et reservata manifestissime adjungit dicens : *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum servata est* (*Ibid.*, 13).

Quid enim evidentius de prædestinatione impiorum ad æterni judicii damnationem quam quod hi homines impii tanto olim et tantis antea sæculis, et B divino judicio et prophetico vaticinio *præscripti* sint *in hoc judicium?* (*Ibid.*, 4.) Nec tantæ absurditatis esse debemus, ut quia hoc beatissimus patriarcha et propheta Enoch septima ab Adam generatione prophetavit, putemur quod tunc Deus omnipotens aliquid statuerit ac prædestinaverit quod in ejus æterno judicio atque consilio ante non fuerit: cum omnino in illius incommutabili æternitate nulla possit esse nova voluntas nulla recens dispositio; sed quod apud illum erat præfinitum æternaliter, hoc congruentissimo ordine et prophetari et impleri voluit temporaliter; ad illorum quidem judicium et damnationem, qui talia erant ausuri atque facturi, ad probationem vero et exercitium Ecclesiæ suæ, quam etiam per talium contradictiones et impugnationes et diligentius erudiri et excellentius disposuit clari- C ficari : sicut et Apostolus dicit : *Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* (*II Cor.* XI, 19).

Si ergo quærimus justam et æternam Dei prædestinationem in malice ad judicium damnationis, audiamus quia *homines quidam præscripti sunt in hoc judicium impii* : et *præscripti* non tam temporaliter sermone prophetico, quam omnino æternaliter divino judicio : quia utique, quod erat apud Deum æternaliter præfixum, hoc per prophetam temporaliter est prædictum atque præscriptum. Si quærimus utrum eis æterno Dei judicio pœna et supplicium sit præparatum, audiamus quod de ipsis dicitur : *Quibus procella tenebrarum in æternum servata est;* atque ita divinæ veritati fideliter acquiescentes, nec D impio pœnis, nec pœnas impiis divinitus præparatas. *Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei servata; et hos quidem arguite judicatos, illos autem salvate de igne rapientes, aliis autem miseremini in timor* (*Ibid.*, 20, 23). Non enim ait : Hos quidem arguite judicandos, sed *arguite judicatos*, ut scilicet quod in sua impietate perdurantibus venturum erat suo tempore, jam nunc eis divini et æterni judicii, ut dictum est, prædestinatione terribiliter supervenisse demonstret, et futura utique punitione damnandis, et præsenti jam sententia divinitus condemnatis.

Post hæc ad illud necessario convertimur, quod iste ut aliquid etiam ex Græcæ linguæ peritia docere videatur, addit et dicit: *Ecce Græcum verbum* ὁρῶ, *quod* video, *et* definio, *et* destina *interpretatur, similiter compositum* προορῶ prævideo, prædefinio, prædestino. *Ac per hoc prædestinationem et prædefinitionem nihil aliud esse quam prævisionem.* In quibus verbis bene quidem ait quod ὁρῶ possit Latine dici *video*, sed quomodo istud *video* intelligi debeat, utrum simpliciter tantummodo, sicut multa videmus velut transeunter et ultro se nostris aspectibus ingerentia; an certo aliquo et defixo intuiti, quo rem aliquam aut certissime esse cognoscamus, aut tanta illuc intentione noster dirigatur aspectus, ut quasi signum ad sagittam eumdem nostrum aspectum actio consequatur. Sicut et Scriptura dicit de fabro ferrario vel cujuslibet alterius metalli, quia ad similitudinem vasis quod fabricatur, est oculus illius, cum tanta illud intentione oculi attendit, ut velut ad regulam vel ad lineam sui obtutus nihil in eo aliter quam ipse disposuit esse patiatur. Ita ergo magis ille sermo ὁρῶ, id est *video*, intelligendus est, ut talis ibi visio designetur, quæ ita ad certum dirigitur intuitum, ut ad ipsum vel incursus intuentis, vel jaculatio, vel fabricatio, vel aliud ejusmodi rectissime et indeclinabiliter dirigatur.

Ex hoc namque verbo quod dicitur ὁρῶ derivatur ὁρώμα, quod est Latine *visio*. Quam visionem, verbi gratia, somnii, aut alicujus revelationis, ita antiqui definierunt, quia visio est cum id quis videt quod eodem modo quo apparuerat eveniet. Unde maxime in Scripturis visionem cujuslibet divinæ revelationis, quæ utique ita videtur in spiritu, ut omnino aliter evenire non possit, Græce in ὁρώματε ostendi sive videri legitur. Et ideo juxta hunc evidentissimam rationem cum isto modo dicitur *video*, certissime intelligitur, *definio*, vel *destino*, sicut et iste recte posuit, ut cum componitur ille sermo addita præpositione, et dicitur προορῶ, rectissime intelligagatur *præfatio*, vel *prædestino*, quod utrumque unius significationis est, potest etiam interpretari *provideo*: quæ providentia, cum ad Deum refertur, omnino certissima est, et omnino, sicut ille providerit, futurum. Unde et ex hoc verbo quod est ὁρῶ, derivari Græce videtur ὅρισμος, quod est *destinatio*, et præpositione addita προορισμός, id est *prædestinatio*. Quæ duo verba nemo unquam visionem vel prævisionem interpretari ausus est, sed, ut diximus, *destinationem* et *prædestinationem*.

Similiter ex eodem verbo ὁρῶ derivari videtur ὅρισεν, quod est *destinavit*, et præpositione addita προόρισεν, id est *prædestinavit*. Potest autem προορω, ut supra diximus, interpretari etiam *prævideo;* sicut in psalmo, ubi nos Latine dicimus: *Providebam Dominum in conspectu meo semper* (*Psal.* xv, 8); in Græco legitur, προορωμεν τὸν Κύριον, quæ providentia utique certum aliquid, et præfinitum ostendit. Quod beatus Hieronymus in editione sua ita posuit: *Proposui Dominum in conspectu meo semper:* quod utique manifestius ad destinatum pertinet Quod autem destinatum hoc sit proprie, quod ad certum intuitum sive consilium dirigitur, ostendit nobis Scriptura, quæ dicit: ***Aut sicut sagitta in locum** emissa destinatum* (*Sap.* v, 12). Et Apostolus, ubi de se ipso ait: *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei*, etc. (*Phil.* iii, 14). Quod beatus Hieronymus exponens ait: [Dicit se necdum comprehendisse et nequaquam esse perfectum, sed instar sagittarii ad propositum et ad signum jacula dirigere, quæ significanter Græci σκόπον nominant, ne sagitta ad partem declinans alteram, imperitum ostendat sagittarium.] Non ergo iste illudat nostræ ignorantiæ, et Græcis verbis aliquis immutans nova interpretatione, et eorum vim, quantum in se est, evacuans: ut quod omnes antiqui in Scripturis sanctis vel prædestinationem interpretati sunt, vel præfinitionem, aut providentiam, sive propositum, nunc iste velit dicere, inusitato et absurdo nomine, prævidentiam. Quæ et ipsa, quamvis in Deo, sicut etiam præscientia, certissima sit, tamen ex hujus novitate sermonis nullatenus patimur extenuari, vel destrui sensum prædestinationis, quia præviderі et præsciri a Deo possunt etiam illa quæ ipse facturus non est; prædestinari autem ab eo non alia intelliguntur, nisi ea quæ ipse facturus est, vel misericordia vel judicio suo. Ac per hoc absit omnino a nobis quod iste dixit et quasi definivit, prædestinationem et præfinitionem Dei nihil aliud esse quam prævisionem; quia iste sensus manifeste impius est, ut quasi tantummdo prævideriт Deus quid quisque esset facturus, vel quid pro factis suis passurus, et nihil de illo qui vel bene vel male erat acturus, in suo æterno judicio prædestinavit vel præfinierit.

Addit iste adhuc et dicit: *Deum nec prævidisse, nec prædestinasse mortem et pœnas, qui nihil sint.* Quod quam sit vanum et veritati contrarium, jam supra satis, et putamus, et sæpius ostensum est.

Deinde subjungit iste loquens de Deo: *Peccatores in massa originalis peccati reliquit, relictos deseruit; desertos lumine tenebras torquere, desertos vita mortem interimere. Nec quod in eis Deus fecit, relinquit vel deserit: alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in eis non esset: sed quod in eis non fecit, id est superbiam sprevit.* Quod ergo dicit de Deo *quia peccatores in massa originalis peccati reliquit*, si dixisset reprobos aut puniendos sive damnandos, profecto verum esset; ipsi enim, id est reprobi, puniendi, atque damnandi remanent, in massa illa ex Adam generaliter damnanda, quia non eos inde discrevit *figulus* ille omnipotens, *quia ex una eademque massa facit aliud vas in honorem, aliud vera in contumeliam* (*Rom.* ix, 21). Nunc vero quod dicit, *quod Deus peccatores in massa originalis peccati reliquit*, non omnino potest esse nerum, quia utique peccatores inde discrevit ac liberavit ille qui dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* ii, 17); et de quo Apostolus ait: *Fidelis sermo, et*

omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere (*I Tim.* xv). Verum tamen, quia non dixit, Omnes peccatores in massa illa reliquit; quod utique apertissime falsum esset, sed dixit indefinite, Peccatoros in massa illa requit; quod potest intelligi et ex parte, stet utcunque quod dictum est. Quod autem subjungit de eisdem relictis in massa peccati : *Relictos deseruit, desertos lumine tenebras torquere, desertos vita mortem interimere,* ita eos vult intelligi a Deo relictos, et relinquendo desertos, ut quia deserti sunt a vero lumine, tenebris cæcitatis suæ torqueantur in mente : et quia deserti sunt a vero lumine, tenebris cætitatis suæ torqueantur in mente; et quia deserti sunt a vera vita, morte speciali in anima primantur. Et hæc sit tantummodo eorum pœna atque supplicium in illa æterna damnatione, ut nullo extrinsecus tormento adhibito, sola mentis cæcitate, sola animæ morte puniantur, sicut et supra multipliciter asserere conatus est. Est ut in illa damnatione remanere eis aliquod magnum bonum, ostendere videatur, dicit adhuc de ipsis : *Nec quod in eis Deus fecit relinquit vel deserit, alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in eis non esset, sed quod in eis non fecit, id est superbium sprevit.* Ecce quale bonum eis prædicat remansisse, quale etiam insensibilibus elementis Deus exhibere dignatur, ut omnipotenti virtute essentiæ suæ det eis esse et ut esse permeneant, nec eorum natura ad nihilum redigatur, eadem virtute ea sustentat et permanere facit. Sed ista, id est elementa (*a*) mundi, in quantum sunt, in naturali sua substantia conservantur, permanent utique ad laudem Creatoris, et ad usum sive honorem rationalis creaturæ : illorum vero damnatorum et perditorum natura et omnipotenti Dei virtute servatur ne pereat, et justo Dei judicio ad pœnam ei tantummodo proficit quod servatur, ne unquam ejus supplicium finiatur. Licet etiam mihi laudandus sit Creator, qui bonum naturæ, quod condidit, non omnimodo deleri voluit.

Quod vero ait : *Alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in eis non esset.* Si dixisset : Eorum natura ad nihilum rediret si eis summa essentia esse non concederet, vel esse non conservaret, esset utique verum : quia omnia quæcunque habent esse, ab illa summa et divina essentia acceperunt ut essent. Nunc autem cum dixerit, *nisi summa essentia in eis esset,* tantum eis attribuere videtur qui erunt in illa perditione damnati, ut etiam templum Dei esse videantur (*b*) : Si enim summa essentia in eis erit, quia summa essentia Deus est, qui de scipso dicit : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14), ergo Deus in eis erit, et templum Dei dicit poterunt : ita ut de ipsis dicat Deus : *Et inhabitabo in illis.* Imo et amplius quam templum erunt, si summa essentia in eis erit; ut quodammodo essentiali quadam copulatione Deo uniri videantur; quod de uno et solo Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu singulariter est credendum, quem sibi Verbum Dei et Verbum Deus essentiali et naturali conjunctione univit, id est in unitatem personæ suæ suscepit. Quod si dixerit quod summa substantia in eis erit, virtute operationis suæ agendo, ne eorum substantia aboleatur et pereat, non per aliquam inhabitationis gratiam, qua aliquo bono in illo et ex illo perfruantur; mutet ergo inusitatam et insolentem locutionem, nec dicat in hominibus impiis æterna perditione damnatis summam essentiam esse, sed potius summam eis essentiam adesse, virtute operantis, non dignatione inhabitantis. Est autem magna quæstio et fideli pietate, quantum divina gratia largitur indaganda, quomodo omnipotens Deus credendus sit in universitate creaturæ semper ubique esse vel adesse, et aliquando etiam inesse vel inhabitare, quam tamen hoc in loco magis quærendam quam exponendam proponimus, ut a piis et fidelibus pie et fideliter hujus rei veritas quæratur, ut eodem Deo adjuvante veraciter inveniatur.

Iste enim et ecclesiasticæ locutionis et Christianæ pietatis minus expertus adjungit adhuc propter eosdem impios damnatos, et dicit : *Deum in ea natura, quam ad se creavit semper habitare.* In quibus nimirum verbis naturam quam Deus ad se creavit, humanam vult intelligi, quam in mente rationali ad imaginem et similitudinem suam Deus fecit, et dicit in hac natura mentis rationalis semper Deum habitare, et in præsenti videlicet sæculo, et in futuro, et in credentibus, qui ejus fideles sunt, et in incredulis ac paganis, qui ipsa sua infidelitate ab eo alieni sunt, et in electis, quos templum suum fecit, et in reprobis quos æterna perditione damnavit : quod utique contrarium est fidei et veritati; quia si hoc verum esse posset, etiam in infidelissimis Judæis et paganis, qui, quantum ad naturam bonam et a Deo conditam

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(*a*) Non consumentur elementa quoad substantiam et qualitates eis proprias (sunt enim sic partes quædam præcipuæ ipsius mundi, qui tunc potius perficietur), sed quod qualitates eis permistas; tunc enim pura omnino reddentur et futuro statui beatorum convenientia. Sicque quando dicit D. Petrus, II, cap. III, cœlos transituros esse et elementa calore solvenda, non est primo illud intelligendum de corporibus illis cœlestibus ad quæ certum est conflagrationis ignem non perventurum, sed de cœlo aero, hoc est toto spatio aeris. Deinde dicitur illud esse transiturum propter renovationem et perfectionem majorem, sicut et elementa calore solvenda, id est repurganda. — August., lib. XX *de Civit.*, capp. 6 et 18.

(*b*) Perfectius Deus unitur cum damnatis quam cum templis si actionum vitæ ratio habeatur, si vero beneficiorum singularium quæ hominibus in templo orantibus conferuntur, magis est in templis quam in inferis seu cum damnatis. Non negat Trinitatem esse in damnatis, quia Deus ubique erit per essentiam, præsentiam et potentiam; ideoque tantum vult non esse in illis per gratiam habitantem, sed tantum per ostensionem suæ justitiæ.

pertinet, et ad imaginem et similitudinem Dei facti sunt, recte diceretur habitare Deus Pater, habitare Christus, habitare etiam Spiritus sanctus. Et similiter de illis æterna damnatione perditis quod etiam in ipsis habitaturus sit Deus Pater, habitaturus Christus, habitaturus Spiritus sanctus. Quo sensu impio et detestando quid horribilius dici aut cogitari potest? Istam namque absurditatem etiam illud sequitur, ut si angeli, qui sunt utique principaliter rationalis creatura, recte creduntur ad imaginem et similitudinem Dei conditi; neque enim minus aliquid hominibus in sua natura acceperunt; etiam in diabolo et angelis ejus, qui unius naturæ cum sanctis angelis existunt, et Deus Pater, quod absit, et Christus ejus, et Spiritus sanctus habitare dicendus sit: cum hoc donum beatæ et benignæ habitationis suæ soli electæ et fideli rationali creaturæ, sicut supra ex Scripturis ostendimus, largiri credendus sit. Piis namque et fidelibus Dominus promittit dicens: *Ego et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Quibus et de Spiritus sancti habitatione similiter repromittit dicens: *Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis qui maneat vobiscum in æternum* (*Joan.* XIV, 16, 17). De quo etiam paulo post subjungit: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.* De talibus ipse Deus dicit: *Et inhabitabo et inambulabo in illis* (*II Cor.* VI, 16). Et Psalmista ait: *In æternum exsultabunt, et habitabit in eis* (*Psal.* V, 12). Qui etiam alibi dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis* (*Psal.* CXXIII, 1). Unde et beatus Joannes apostolus distinguens inter habitatorem piorum Deum, et habitatorem impiorum diabolum, dicit fidelibus: *Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eos, quoniam major est qui in vobis est quam qui in mundo* (*I Joan.* IV, 4). Hæc iste si corrigi desiderat, fideliter ex Scripturis discat, et non humanis et vanis argumentationibus contra veritatem Dei litiget, sed se illi miti pietate submittat.

Sed quia totum hoc quod de illis qui in massa originalis peccati relicti sunt, dicit, non ob aliud replicat, nisi ut eos tantummodo peccati originalis vinculo obstrictos, nullo Dei judicio asserat ad pœnam prædestinatos, quærendum ab eo est et a cæteris qui ita sentiunt, utrum aliquo Dei judicio factum sit ut tanta multitudo generis humani illi peccato originali fieret obnoxia, ac per hoc etiam æternæ morti debita, an non? Si enim nullo Dei judicio, sed tantummodo naturali cursu vitiatæ originis hoc factum est, ergo sic peccatum tantummodo in eos naturaliter ex illo primo homine transfusum est, ut nulla peccati ejus damnatio in eos transfunderetur, et cucurrit in eos ex Adam sola origo peccati, non etiam justa pœna peccati, sed manifeste Apostolus dicit quod *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit* (*Rom.* V, 12). Vere ergo ex uno et per unum hominem non solum *peccatum*, sed etiam pœna peccati mors *intravit in mundum.* Cujus judicio, nisi illius qui ho-

A mini prædixerat: *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris?* (*Gen.* II, 12.) Quia comedere ex illo ligno vetito, hoc fuit utique peccatum, pœna vero peccati hoc quod consequenter adjunctum est, *morte morieris.* Quod utique non de sola ista prima morte corporis ei comminatus est Deus, sed et de illa quæ peccando facta est in anima, quia *anima quæ peccaverit, et ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4); et de secunda etiam morte, quæ erit in damnatione æterna, ad quam reatus illius primi peccati omnino omnem hominem trahit, nisi Christi gratia liberetur.

Cum ergo hæc Deus dixit, non solummodo terrorem audienti incutere voluit, sed quod justum æterno judicio suo statuit, illa comminatione manifestavit, ut videlicet justo et æterno ejus judicio, si homo B illud peccatum admitteret, primo animæ mortem incuteret, secundo etiam corporis morte dissolveretur, tertio etiam secunda morte damnaretur. Et hæc tota damnatio et in anima scilicet et in corpore, et post tempus cum ipso peccato in omnes posteros transfunderetur. Et ideo judicium æterni consilii et justitiæ suæ, quod in illo primo et uno homine inchoandum judicavit, in omnem ejus progeniem transmisit: ut illo justo ejus judicio quicunque ex illa in Adam massa damnata Christi gratia non fuisset discretus, prima illa divini judicii sententia æternæ damnationi teneretur prædestinatus. Et ideo reprobos non reliquit tantummodo in massa originalis peccati, quasi nihil de eis statuens atque definiens, sed etiam judicavit, ut æternum et justum ejus judicium, quod præcessit in radice, sequeretur in ger- C mine; et quod cœpit in parente, necessario impleretur in sobole. Nam nulla omnino apud fideles dubitatio est quod omnipotens Deus antequam peccaret homo, præscivit eum utique peccaturum: et sicut præscivit peccatum, ita etiam prædestinavit quid justo ejus judicio esset passurus: et quod in illo juste judicando cœpit, in tota illius progenie eadem præscientia, eadem prædestinatione judicii, eadem justitia damnationis implevit. Sed hæc verba nulla ratione fulta, quod Deus reprobos in massa illa damnationis reliquerit, nec aliquid de eorum prædestinaverit damnatione, ex libello quem Græci Hypognosticon appellant, quem etiam ex falso titulo plerique sancti Augustini esse putant, assumpsisse videtur. Quem libellum non esse ejusdem sancti Augustini et D stylus ipse demonstrat et sensus: non solum S. Augustini scriptis, sed etiam fidei contrarius, et testimonia ex nova ista editione, qua nos utimur assumpta, cum ille contra hæreticos disputans et de causis fidei agens continue ex antiqua editione convincat contradicentes, et ex ipsa instruat fideles.

Addit adhuc et dicit: *Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos ultra quos impiorum malitia progredi non possit*, etc., usque ubi dicit, *cupidinis justissimum cruciatum.* In his verbis quædam vera præmissa sunt, ut ex eis falsa conclusio concinnaretur. Nam quod Dei sapientia in occultis legibus suæ dispositionis prædestinaverit atque præfixerit mo-

dum atque mensuram malitiæ impiorum, vel angelorum, vel hominum, ne scilicet in tantum possit procedere et extendi eorum malitia quantum ipsi desiderant, si sub occultis Dei legibus certa mensura et terminis coerceantur, manifeste verum est quia et diabolus et homines maligni semper utique habent male agendi vel nocendi voluntatem, sed non semper habent potestatem, nisi quantum et quando a Deo permittuntur. Nam et diabolo malitiose et nequiter beato Job nocere cupienti, modum imposuit, nec quantum voluit, sed quantum permissus est, nocere prævaluit. Et de impiis hominibus maligna et prava conantibus, et tamen, Deo modum eis imponente, nequaquam perficere valentibus, aperte Scriptura dicit : *Cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire* (*Psal.* XX, 12). Et iterum : *Quia dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cæperant* (*Job* V, 12). Et quod subjungit iste et dicit : *Nihil appetere malitiam diaboli et omnium impiorum, nisi ut peccando et inique agendo, a Deo, qui summa essentia est, recedant*, manifeste verum est, quia, ut dictum est, peccando et inique agendo quid aliud agunt nisi ut a Deo recedant, et longe ab eo fiant et pereant? Sicut de eis scriptum est : *Quoniam qui elongant se a te, peribunt* (*Psal.* LXXII, 27).

Et quod subjungit iste adhuc dicens, *quod in tantum et diaboli et hominum impiorum iniquus appetitus pronus et avidus sit ad malum, ut si eos divina potestas permitteret, tantum se peccatis immergerent, ut in eis etiam ipsa natura merito deleri posset*, nimis quidem coactum, sed forsitan non ex toto falsum est. Similiter quod adjungit, *quia ex ea difficultate et impossibilitate qua in eis divina potentia et providentia imponit, ne in tantam ruant voraginem malitiæ quantam desiderant, sit in animo eorum*, id est et malignorum spirituum et hominum pessimorum labor conandi, et cruciatus multipliciter cogitandi, quod implere non possunt. Et talis labor fit utique animis eorum tormentum, punitio, cruciatus, ut ipsa sua maligna voluntate torqueantur et puniantur. Quod vero post hæc omnia subjungit et dicit, *videlicet ex hoc interno cruciatu et punitione animi, dum cupiditates suas Deo obsistente implere non potest, fiat anima misera, sustinens inanium voluptatum suarum egestatem ;* verum quidem est, quod hæc perversa animi cupiditas, et cum expletur, et cum expleri non permittitur, miserum eumdem animum facit. Sed multo est miserior animus, cum ad talia permittitur quam cum a talibus divina potestate prohibetur: infelicius namque mala possit, quam velit tantummodo, nec possit. Unde et sæcularis philosophi vera est illa sententia de quodam : *O miserum cui peccare licebat!* Verum namque dixit qui hoc dixit, quia si prohiberetur peccare ille de quo hoc dictum est, minus utique miser esset, sola voluntate peccandi : cum autem ei peccare licebat, infelicissima licentia, multo miserior erat et appetitu malæ voluntatis et affectu.

Quod vero iste aperiens et exponens cur omnia

A ista præmiserit, subjungit in fine et dicit, *quod ea difficultas et impossibilitas qua impii angeli vel homines Deo obsistente prohibentur pervenire ad ea quæ cupide et perverse appetunt, hæc eis tantummodo fiat in illa æterna damnatione pœnalis interitus et miserrimæ cupiditatis justissimus cruciatus, ut hunc tantummodo ibi patiantur in animo suo interitum et cruciatum, quia jam quod perverse desideraverant, implere non sinantur, nec ullum eis extrinsecus ex illo igni æterno adhibeatur supplicium et tormentum;* manifestissimum mendacium est, fidei ac veritati contrarium, sicut jam supra frequenter ostensum est.

10. Post hæc subjungit et dicit, *invitos Deo servire impios : non naturam quam in eis fecit, et in eis non punit, sed malam voluntatem, quam in eis non fecit, et*
B *in eis punit : ideoque quod ei inviti serviunt puniri in seipsis sua pœna, de qua quos juste non liberet, ad eam illos quodammodo præparet, dum eos ad eam seipsos præparare permittat.* Similis est et in his verbis ejus intentio. Dicit namque quod omnes impii, id est et angeli et homines maligni, in illa subjectione qua subjicientur potestati et judicio Dei in æternum damnati, inviti servient divinæ dispositioni. Et hoc secundum ejus sensum, ut videlicet inviti subjiciantur Deo non natura in eis faciet quam Deus fecit, et, sicut iste contendit, nunquam punit; sed mala voluntas quam in eis non fecit, et quam solum in eis punit. Et ex eo quod inviti servient divino judicio, puniendos eos esse non extrinsecus aliquo tormento adhibito, sed tantummodo intrinsecus in ipsa voluntate, dum in eis voluntas fit sua
C pœna sibi ipsa, dum et esse cupiet male libera, et tamen divina potestate ab illa perversa libertate coercetur invita. Hanc itaque solam dicit esse pœnam et angelorum et hominum impiorum, ut hoc modo cupiendo habere nec valendo assequi pessimam malitiæ libertatem, in sola et ex sola tali voluntate crucientur. Natura vero eorum qua subsistunt in spiritu vel corpore, quia a Deo facta est, et secundum istum nunquam peccat, nunquam punietur, nunquam aliqua tormenta patietur.

De quibus omnibus jam supra, prout Dominus dedit, satis responsum est. Unum tantummodo hic proponimus omnibus considerandum, imo etiam exsecrandum, quomodo iste contra humanum sensum et contra apostolicam veritatem dicat *non pec-*
D *care naturam, sed solam voluntatem naturæ.* Quis enim unquam hominum fuit aut est qui dicat quod cum aliquis adulterium, aut comessationem, vel ebrietatem perpetrat, sola in illo peccet voluntas, et nihil ibi peccet anima, nihil peccet corpus? cum e contrario, secundum fidei catholicæ veritatem, propterea adducendæ sint omnes animæ cum corporibus suis ad judicium omnipotentis Dei, ut sicut in utroque et ex utroque peccaverunt, ita in utroque judicentur atque puniantur. Nam si natura corporis impiorum omnino immunis est a peccatis, quid necesse est ut resurgat, quæ nullam damnationem meretur? aut quomodo juste cum anima sua

condemnabitur, quæ cum ea nullum peccandi consortium habuit, nullum peccati meritum contraxit; nam si hoc ita esset, sufficiebat solam animam in judicio præsentari, et malam voluntatem, quia in ipsa inhabitat, quam iste dicit solam peccare, in ea puniri? Ita hujusmodi impietatis assertio non solum fidem veritatis, sed etiam fidem resurrectionis impugnat. Apostolus dicit : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis desideriis ejus : sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? Sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo* (*Rom.* VI, 12, 13). Si ergo juxta hæc verba loquentis in Apostolo Christi regnat peccatum in nostro mortali corpore, et tunc regnum ibi obtinet cum obedimus desideriis ejus, ita ut efficiantur membra nostra arma iniquitatis peccato, quibus animam nostram debellet et occidat, quomodo non corpus peccatat, nec peccatum ad ipsum pertinet, in quo et peccati regnum inhabitat et peccati militia exercetur?

CAPUT XIX.

Nono decimo, id est extremo capitulo, ita dicit :

1. *Ignem æternum istum ipsum quartum mundi elementum, ubi corpora sanctorum in æthercam mutentur qualitatem, impiorum vero corpora in aeream qualitatem, impiorum vero corpora in aeream qualitatem transitura.*

2. *In eoque naturarum intra se miserabile perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum.*

3. *Et ita impiorum omnium angelorum hominumque corpora supplicia ignis æterni perpessura, ut integritate eorum substantiæ nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturæ bonis ad universitatis ornamentum mirabili ordine refulsuris, excepta beatitudine, qua privabuntur.*

4. *Superioris ignis corporei cum inferioris aeris corporibus qualitate colluctante, naturali vi servata infelicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas.*

5. *Ita videlicet ut idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.*

In his verbis phantasticis et omni insaniæ deliramente plenis, prætermissa simplicitate fidei et confessionis apostolicæ, qua omnis Ecclesia credit et confitetur Dominum nostrum Jesum Christum die tertia a mortuis resurrexisse et ascendisse ad cœlos, et sedere ad dexteram Patris, et inde venturum esse ad judicandum vivos et mortuos, atque in ejus adventu futuram carnis resurrectionem, et donandam sanctis vitam æternam : prætermissa, inquam, ista simplicissima et purissima confessione pietatis, nusquam nominans Christi adventum de cœlis, nusquam commemorans resurrectionem ex mortuis, ita omnia confundit et quibusdam adinventionibus obscurare conatur, ut nec veritatem resurrectionis,

A nec veritatem divini judicii et æterni supplicii, nec mentionem aliquam futuræ vitæ sanctorum in ejus litteris possimus agnoscere. Dicit namque quod *in illo igni æterno*, quem istud quartum mundi elementum putat, *naturali ordine super terram, et aquis et aerem constitutum ibi*, id est in igni æterno mundi igneo elemento, *corpora sanctorum mutabuntur in æthercam qualitatem, ubi etiam impiorum corpora in aeriam qualitatem sint transitare;* dissentiens manifestissime et dissonans apostolicæ doctrinæ, quæ non in quarto mundi elemento, neque in igneo quodam conflaterio, sed in isto habitaculo terreno, ubi et vixerunt et mortua sunt tam justorum corpora quam iniquorum, futuram dicit omnium resurrectionem et sanctorum immutationem mirabili et ineffabi-

B li celeritate, id est, sicut ipse Apostolus dicit, *in momento, in ictu oculi*, quo utique nihil est celerius in motibus corporalibus. Ita namque ait : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimus* (*I Cor.* XV, 51, 52). In quibus verbis manifeste omnium generalem resurrectionem describit.

Sed hanc ipsam omnium generalem resurrectionem quadam certa proprietate distinguit, dum dicit quia *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur;* et cum subjungit : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur:* ostendens videlicet quia omnes resurgent receptione corporum, sed non omnes immutabuntur glorificatione justorum. Iniqui enim resurgent tantummodo incorrupti, non etiam

C glorificati : et incorrupti in eo tantummodo quod jam non poterunt morte dissolvi; ad pœnas autem et ad cruciatus æternos sentiendos atque perferendos ita omnino corruptibiles erunt, et ita ipsis suppliciis sine fine corrumpentur, ut omnino, sicut Scriptura dicit, *dentur in carnes eorum ignis et vermes, ut urantur et sentiant usque in sempiternum* (*Judith.* XVI, 21). Justi autem, ex quorum persona Apostolus dicit, *et nos immutabimur*, et incorrupti resurgent, ut nulla ulterius morte solvantur; et hoc speciale habebunt quod corpora eorum immutabuntur in melius, dicente eodem Apostolo, et aperte qualis futura sit ipsa commutatio exponente : *Oportet enim*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV, 53); scilicet

D ut hoc ipsum corpus quod nunc a sanctis corruptibile et mortale gestatur, illa resurrectionis virtute fiat incorruptibile et immortale, id est, incorruptione et immortalitate induatur. Quæ incorruptio sanctorum tanta ac talis erit, ut nullo jam dolore, nullo labore, nulla molestia, nulla indigentia tangi possit. Et ita per illam immortalitatem quæ eis dabitur, absorbebitur mors in corporibus eorum, ut non solum ipsa mors ibi quodammodo deleatur, sed etiam causa mortis, id est *peccatis stimulus*, cujus punctione mors ab initio facta est, penitus conteratur. Qui utique peccati stimulus in corporibus damnatorum nunquam evacuabitur, et ideo nunquam vere a

morte liberi erunt. De hac itaque felicissima immutatione justorum subjungit Apostolus et dicit : *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria: ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est : Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Ibid.* v, 54-57). Non ergo prius resurgent corpora justorum, et postea, sicut iste dicit, in elemento igneo, velut in conflatorio, immutabuntur : sed *in* ipso *momento et ictu oculi in* quo resurgent divina virtute immutata, incorruptionis et immortalitatis gloria vestientur.

De immutatione autem iniquorum et æternis suppliciis damnatorum, quorum iste corpora, novo et inaudito genere erroris, commutanda dicit in aeream qualitatem, nihil omnino Apostolus loquitur : et ideo etiam nos talem phantasiam contemnere potius quam audire debemus, ne simus *prurientes auribus, et a veritate auditum avertentes, ad fabules autem convertentes.* Quomodo enim juxta ipsum transibunt in aeream qualitatem? Nam si de terrenis aerea fient, non erit vera resurrectio, quia non eadem corpora resurgent quæ per mortem ceciderunt; illa enim terrestria erant, ista aerea erunt : autem ipsa natura terrenorum corporum permanebit, et tamen qualitatem aeris accipiet, ut videlicet ipsius aeris et ventorum subtilitate immutetur, hanc novitatem fides Ecclesiæ non recipit; quia, sicut jam dictum est, de immutatione impiorum nihil Apostolus dicit. Quod autem dicit *corpora sanctorum immutando in æthercam qualitatem*, si istam immutationem manente ipsorum corporum natura futuram credi, ut scilicet ipsa corpora quæ ceciderunt in morte, quæ suscita sunt in resurrectione, glorificentur cœlesti claritate, et de obscuris lucida fiant sufficit nobis de hac eorum mira clarificatione illud tenere quod Dominus in eis futurum dicit: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patrum eorum* (*Matth.* XIII, 43). Si autem ita dicit eadem corpora in æthercam qualitatem immutanda, ut amittant naturam suam et pro terrenis cœlestia fiant, manifeste veritati resurrectionis contradicit, et ideo nullatenus audiendus est. Quicunque autem desiderat simpliciter et pure ac vere de sanctorum resurrectione et spiritualium corporum natura sentire, audiat et teneat fideliter quod beatus Augustinus de his sincerissime docet, dicens : [Egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur, unde et spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent. Nam sicut ista quæ habent animam viventem, nondum spiritum vivificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animæ sunt, sed corpora, ita illa spiritalis vocantur corpora. Absit tamen ut spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem corruptionemque carnalem spiritu vivificante passura. Tunc jam non terrenus, sed cœlestis homo erit : non quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit; sed quia dono cœlesti jame tale

A erit, ut etiam cœlo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate, conveniat. Proinde cum hoc corpus jam non animale, sed futura commutatione spirituale anima receperit angelis adæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, inobediens et imperans, vivificata et vivificans tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriæ quod sarcinæ fuit.]

Subjungit iste et dicit : *In eoque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum;* id est, ut juxta ejus sensum loquamur, naturatum ibi tantummodo mirabile perficiatur gaudium, quæ secundum istum minime peccaverunt. Ut hoc sit gaudium naturarum, quod natura terreni corporis, sicut iste putat, in impiis transitura est in aeream qualitatem, in sanctis vero B adhuc in excelsiorem gloriam, id est in æthercam qualitatem; malarum vero voluntatum, quas solas dicit peccasse, tunc futurum ineffabile tormentum, cum ex ipsa sua mala conscientia torquebuntur. Sed hoc totum quam vanum et falsum sit, jam satis est demonstratum.

3. Addit post ista et dicit : *Et ita impiorum omnium, angelorum hominumque, corpora supplicio ignis æterni perpessura, ut integritate illorum substantiæ nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturæ bonis ab universitatis ornamentum mirabibi ordine fulsuris : excepta beatitudine qua privabuntur.* Mirandum est nimis in his verbis quomodo dicat *Omninm impiorum et angelorum, et hominum corpora æterni ignis supplicium perpessura,* C quod superius tam aperte et multipliciter ubique inegavit, Quod utique in hoc loco aut ficte et dolose confessus est et abominabilis est Deo qui de fide ejus in corde tenet mendacium, et in ore vult præferre veritatem, sicut scriptum est : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium : virum sanguinum, et dolosum abominatur Dominus* (*Psal.* v, 7, 8). Aut si vere ipsa rei veritate et timore offensionis Ecclesiæ superatus, ne omnino infidelis judicaretur, hoc confessus est, vacua est omnino et causa talis confessio, quam superius tanta et tam multiplex præcessit negatio. Nobis autem non licet in rebus ad fidem Dei pertinentibus aliud modo, aliud postea dicere : sed quod semel ex ipso ore Domini et apostolorum ejus accepit Ecclesia, credendum et confitendum; ita inviolabili D et immutabili veritate retinere, ut fiat in nobis verissime quod Dominus præcepit, dicens : *Sit autem sermo vester, est, est : non, non* (*Matth.* v, 37); videlicet ut immobili veritate et veritas nostra confessione confirmetur, et falsitas nostra confessione respuatur.

Et tamen iste quam fideliter de æterni ignis suppliciis credat, in sequentibus mrnifeste aperit: postquam enim dixit, *ita impiorum angelorum hominumque corpora supplicia ignis æterni perpessura* ut intelligere [possimus] modum quo id credit esse futurum, subjunxit statim : *Quod hoc ita fiet, ut integritas substantiæ eorum, id est angelorum et hominum*

malignorum nullo modo sit peritura, ut pulchritudo eis nullo modo sit defutura, ut naturalis incolumitas sit in ipsis permansura. Ecce quæ bona eis tribuit in suppliciis ignis æterni, videlicet integritatem naturæ, pulchritudinem, incolumitatem : ut integritatem naturæ suæ habeant, quia toto eorum natura in anima et corpore perpetuo permanebit : pulchritudinem vero ubi aut quomodo habere possint, fidelis quisque consideret, pulchritudo namque aut animæ est aut corporis. Quis autem fidelium credat ullam ibi esse posse pulchritudinem animarum, ubi erit amissio omnium virtutum et fœditas omnium vitiorum? anima enim aut virtute pulchra est, aut vitio deformis. Quæ autem ibi esse poterit pulchritudo corporum, ubi æterno horrore tristitiæ, et æterna ignis exustione, æterna vermium laceratione offuscabitur et tenebrabitur? Quæ etiam in damnatis illis angelis et hominibus, sicut iste dicit, poterit esse naturalis incolumitas, cum natura ad hoc eis integra tantummodo servetur, et nunquam a sua naturali compage solvatur, ut plenius tota sine fine crucietur. Sed iste non contentus tanta ineptia et absurditate depravati sensus sui, addit in fine apertissimum hæreticæ impietatis errorem, ut quod corde gestabat ad impugnationem veritatis et subversionem audientium, etiam ore emoveret.

Addit namque statim de eisdem dæmonum et hominum damnatorum naturis, quod *deinde* (id est post illa æterni ignis supplicia) *omnibus naturæ bonis mirabili ordine refulgebunt* : id est ut et in anima sint præditi et illustrati naturalibus bonis memoriæ, intelligentiæ et liberæ voluntatis; et in corpore clareant, atque præpolleant, et quinque naturalium sensuum vivacitate et formæ perfectæ pulchritudine. Dicitque eos propterea exemptos suppliciis, et exornatos omnes omnibus naturalibus bonis, ut tanta pulchritudine refulgentes proficiat ad universitatis ornatum : videlicet ut inter cæteras mundi creaturas terrestres sive cœlestes, etiam ipsi permanentes sint in ornamento mundi qui fuerant in damnatione supplici. Et posthæc ne ex toto videretur venire contra Ecclesiæ fidem et evangelicam atque apostolicam veritatem, subjunxit dicens, *excepta beatitudine, qua privabuntur*, id est quod sic fulgebunt omnibus naturalibus bonis dæmones et homines suppliciis exuti, ut *excepta beatitudine* visionis Dei, quæ eis sola denegabitur, nihil boni eis deesse videatur. Ecce quid audet sentire, quid audet dicere, qui audet etiam scribere homo qui vult videri Christianus, et nihil aliud laborat nisi ut Christianæ veritati adversetur, et hæreticorum dogmata, quibus ipse infeliciter conjunctus est, et sinceritati Ecclesiæ intromittat. Nam Ecclesia Christi utrumque negat, utrumque detestatur, quia utrumque est hæreticum et omnimodis contrarium veritati, id est et liberationem dæmonum atque hominum ex illis suppliciis sempiternis, et aliquem medium locum esse ubi ita sint ipsi dæmones et homines in requie et bonorum omnium copia et claritate, ut nec in damnatione ignis æterni sint cum diabolo, neque in beatitudine cum Deo. Et omnino certissime tenet neminem esse posse post illud universale judicium, nisi aut in beatitudine æterna, aut e contrario in miseria sempiterna. Qui enim semel fuerint in illo judicio vel in pœnam missi, vel in vitæ æternæ gaudium intromissi, nunquam ulterius alibi vel aliter esse poterunt. Sicut Dominus certissime ostendit de utraque parte, id est et damnatorum, qui erunt a sinistris, et beatorum, qui erunt a dextrix, irrevocabilem sententiam proferens, cum dicit : *Tunc ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 46). Si enim erit finis aliquando illi pœnæ æternæ, erit etiam aliquando (quod absit) finis vitæ æternæ. Si autem vita æterna nullum omnino habebit finem, procul dubio et pœna illa, id est supplicium æternum, nullum unquam habere finem poterit. Non ergo erunt aliqui, ut iste delirat, ita in medio positi ut nec beati sint nec miseri, et tamen extra domum Patris aliquam requiem habituri. Dominus enim manifeste dicit : *In domo Patris mei multæ sunt mansiones* (*Joan.* xiv, 2), ostendens extra domum Patris sui, id est extra societatem sanctorum angelorum et hominum electorum, quam ipse æternum inhabitat, nullum esse locum, nullam mansionem quietis. Quia omnis illa multitudo et multiplicitas mansionum non est, nisi in domo paterna, ubi sicut in uno cœlo stella ab stella differt in claritate, sic in una eademque domo erit diversitas mansionum pro diversitate meritorum.

Post hæc addit iste, et dicit : *Superioris ignis corpori cum inferioris aeris corporibus qualitate colluctante, naturali vi servata, infelicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur arumnas.* Ecce quomodo credit, si tamen credit, supplicia ignis æterni exercenda : videlicet quod ignis ille, qui est hujusmodi superius elementum, corpora dæmonum, quæ putat esse aerea, et corpora hominum impiorum, quæ superius dixit transitura in aeream qualitatem, nunc autem aperte dicit aerea sicut et ipsorum dæmonum, dum utriusque elementi natura, id est et ignis, quem putat esse ignem æternum in suppliciis damnatorum, et aeris, quem credit esse in corporibus dæmonum et hominum perditorum, in illo damnationis ergastulo inter se colluctantur atque compugnant, efficiat infelicibus animabus et hominum, et dæmonum de corporibus suis aeris æternas pœnarum ærumnas : quia scilicet etiam in illo camino ignis æterni naturalem vim servabunt hæc duo elementa ignis et aeris, ut sicut in hoc mundo ardore ignis superioris per calorem solis iste aer, qui est inferior, ita vaporatur et fervet, ut suo vapore atque fervore corpora nostra graviter afficiat; ita in illo, ut dictum est, camino ignis supplicii sempiterni, dum igni naturali vi inflammat corpora aerea dæmonum atque hominum, ex ipso fervore atque ardore corporum suorum, animæ quæ in eis sunt, sentiant et patiantur æternas afflictionis ærumnas. Dicat nunc ipse, qui hoc sentit et scribit, quomodo infeli-

ces animæ utriusque creaturæ angelicæ et humanæ aliquando illis suppliciis erunt ereptæ, et omnibus naturæ bonis, sicut ipse dicit, refulsuræ, si per vim illius ignis corporibus suis aereis atrociter inflammatis æternas patientur ærumnas? Si enim liberabuntur illis suppliciis, carebunt utique ærumnis; si autem in sempiternis erunt ærumnis, nunquam liberationem merebuntur.

Sed exponens iste adhuc modum qualiter illud tam fictum et tanto labore concinnatum futurum putet esse supplicium, adjungit et dicit : *Ita videlicet ut idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.* In quibus verbis hoc videtur asserere quod idem ipse ignis æternus et animabus intrinsecus ex conscientia sua propria iniquitate damnatis, et exterius earum corpora inflammando et fervefaciendo accumulet pœnam, ut scilicet non solum interius torqueantur conscientia, sed etiam exterius affligantur pœna ignita : et tamen eorum corporibus aeris idem ignis quamdam gloriam conferat. Putamus quia sicut iste ignis qui lucet in sideribus, obscuram et caliginosam hujus aeris naturam sua infusione illuminat, suo fulgore lucidam reddit, qui est utique naturaliter tenebrosus, nisi aut in die radiis solis aut in nocte radiis lunæ et siderum illustretur : ita iste existimat illa aerea dæmonum et hominum corpora æterna illius ignis fulgore illustranda et clarificanda, sicut etiam nigredo ferri calore fornacis in lucidam vertitur qualitatem. Quomodo ergo superius dixit : *Angelorum hominumque corporea aerea supplicia ignis æterni perpessura?* Si enim supplicium eis erit ille ignis æternus, non erit utique gloria; si autem gloria eis fuerit, non erit pœna.

Abigentes itaque et procul repellentes hujusmodi tortuosas et vipereas ambages, et anfractus laboriosissimos ac perniciosos, teneamus fidei simplicitatem : vera damnatorum hominum corpora, id est terrena, credentes, et in eis vera et æterna supplicia, qui in illa fuerint damnatione passuros : quia verissimus est sermo Veritatis quæ in Evangelio dicit : *Quia veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 28, 29). Ad illam namque vocem Filii Dei omnes *qui in monumentis sunt procedent :* quia eadem corpora quæ in monumentis erant posita recipient, et in eisdem resurgent, in eisdem habituri vel resurrectionem vitæ, vel resurrectionem judicii; ut aut in ipsis possideant vitam æternam, aut in ipsis mortem patiantur æternam. Bonum est nobis, et omnino saluti nostræ ante omnia necessarium, ut in fidei veritate et simplicitate fundanti, timeamus et, Domino auxiliante, caveamus illud malum quod Apostolus Ecclesiæ Christo desponsatæ et casta fidei virginitate præditæ timere se denuntiat, dicens : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut*

A *serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo* (*II Cor.* xi, 23). Unde et alibi admonet dicens : *Ineptas autem et aniles fabulas devita* (*I Tim.* iv, 7). Et iterum : *Profana autem et inaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* (*II Tim.* ii, 17). Unde et beatus Petrus apostolus eadem pietate, eadem sollicitudine fideles admonet, dicens : *Vos igitur, fratres, præscientes custodite vosmetipsos, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et cognitione Domini nostri Jesu Christi et Salvatoris* (*II Pet.* iii, 17, 18).

Non nobis efficiantur ista velut jocosa et ludo similia, quia et ludum Ismaelis cum Isaac persecutio-

B nem vocat Apostolus. Et ideo ubicunque talia agnoscimus, zelo fidei contra hæc excitari debemus : illo nos informante et adjuvante qui in psalmo dicit : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* lxviii, 10); qui etiam flagello de funiculis facto, violatores domus Dei cum suis mercibus ejecit, eo quod eamdem domum paternam fecerint speluncam latronum (*Joan.* ii, 15), Vere enim domum Domini, *quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (*I Tim.* iii, 15) in speluncam latronum vertunt, et vere latrones sunt, qui sub prætextu Christiani nominis velut in Ecclesia constituti, infidelitatem suam occultare conantur, et insidiosis etiam ac malitiosis disputationibus vitæ fidelium insidiantur. Et quia iste, cujus verbis, auxiliante Domino, utcunque respondimus, in philosophicis regulis et syllogisticis argumenta-

C tionibus gloriatur, audiamus in fine fideliter et obedienter beatissimum Christi antistitem et confessorem Hilarium, ita istiusmodi homines redarguentem atque dicentem : [Oportuerat homines religiosam divinarum rerum scientiam præferentes, ubi evangelicæ atque apostolicæ prædicationis veritas præferebat, callide philosophiæ tortuosas quæstiones abjicere, et sectari potius fidem, quæ in Deo est : quia sensum infirmum facile fidei suæ prædisio sophisma syllogisticæ interrogationis exueret, cum captiosa propositio responsionem simplicem, sibique secundum interrogationem rerum obsecundantem, ad ultimum jam sensus sui interrogatione spoliaret : ut quod professione amisisset, id jam conscientia non teneret]. Item idem gloriosus confessor cum verba

D Apostoli exponeret dicentis ? *Videte ne quis vos spoliet per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* [Cavendum, inquit, adversus philosophiam est, et humanarum traditionum non tam evitanda sunt studia quam refutanda. Neque enim his ita concedendum est quasi vincant potius quam fallant. Quia nos *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam prædicantes* æquum est humanas doctrinas non tam defugere quam refellere, et simpliciores ne ab his spolientur et obstruere et instruere. Nam cum possit omnia, et ea ipsa omnia Deus possit sapienter, et nec virtuti ejus ratio nec

rationi virtus obsistat, oportet eos qui Christum prædicant mundo, in religiosis mundi imperfectisque doctrinis per scientiam sapientia omnipotentiæ contraire]. Hæc beatus Hilarius

Quanta autem pœna et damnatio non solum auctores, sed etiam fautores mendacii maneat, et quanta pietatis intentione a talibus recedendum sit, ut unusquisque fidelium ablutius et mundus fidei puritate mereatur habere consortium in ligno vitæ, audiamus ipsum Dominum nostrum, tam terribiliter quam dulciter in Apocalypsi comminantem pariter et pollicentem : *Qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. Timidis autem et incredulis, et* A *exsecratis et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda* (*Apoc.* XXI, 7, 8). Et iterum : *Et portæ ejus non claudentur per diem : nox enim non erit illi. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem in sanguine Agni et mendacium*(*Ibid.*, *vers.* 25-27). Et iterum : *Beati qui lavant stolas suas ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis* (*Apoc.* XXII, 14-16).

FLORI DIACONI
CARMINA VARIA [a]

(Ex Analectis Mabill. et Thesauro Marten.)

I

(*b*) QUERELA DE DIVISIONE IMPERII POST MORTEM LUDOVICI PII.

Montes et colles, silvæque et flumina, fontes,
Præruptæque rupes, pariter vallesque profundæ,
Francorum lugete genus : quod munere Christi
Imperio celsum, jacet ecce in pulvere mersum (*c*).
Hunc elementa sibi sumant compuncta dolorem,
Terrarum tractus, maris æquam, sidera cœli,
Ventorum flatus, pluviarum denique guttæ :
Et doleant homines hominum quia corda rigescunt.
Omnia concrepitant divinis cincta flagellis,
Omnia vastantur horrendæ cladis erumnis :
Omne bonum pacis odiis laniatur acerbis :
Omne decus regni furiis fuscatur iniquis.
Ecclesiæ dejectus honos jacet ecce sepultus.
Jura sacerdotum penitus eversa ruerunt.
Divinæ jam legis amor terrorque recessit,
Et scita jam cononum cunctorum calce teruntur.
Vexantur claræ assiduis conflictibus urbes,
Basilicæ Christi prisco spoliantur honore :
Martyribus jam nullus honos : altaribus ipsis
B Nemo metum defert, sacris reverentia nulla est.
Continuis prædis plebes miseranda laborat :
Nobilitas discors in mutua funera sævit.
Sanguine terra madet, fervescunt cuncta rapinis,
Et rabies scelerum ruptis discurrit habenis.
Flagrat adulterium, perjuria nulla timentur.
Funditur innocuus nullo jam vindice sanguis :
Jam regum legumque metus mortalia liquit.
Tartareum clausis oculis jamque itur ad ignem.
Quis digne expediat monachorum septa revulsa,
Sacratas Domini famulas laicale subisse
Infami ditione jugum ; rectoribus ipsis
Ecclesiæ armorum impositum cædisque periclum?
Præsulibus plebes viduæ, doctore cathedræ
Pluribus et plures jacuerunt funditus annis.
C Principis hoc terror misera tunc clade coegit
Nunc ad tale malum quosdam atra superbia ducit.
(*d*) Tristis adhuc veteri tabescit vulnere Narbo :
(*e*) Tristia Rhemorum pariter quoque mœnia lugent.
Egregios (*f*) doctosque viros miseranda fatigant
Exsilia ; improbitas sævo sedem obtinet auro.
Floruit egregium claro diademate regnum :

(*a*) In his Flori versibus primum locum obtinent carmina duo quæ V.C. Adrianus Valesius, historiographus regius, ex vetusto codice Petaviano manu propria descripta, cum notulis suis mihi pro sua liberalitate concessit.

(*b*) Primum agit de variis cladibus quæ ex divisione imperii, post mortem Ludovici Pii, Galliis obvenerunt· Carmen istud in codice Petaviano inscribitur in hunc modum : *Voto bonæ memoriæ Mannonis liber ad sepulcrum sancti Augendi oblatus.* Fuit ergo liber iste monasterii sancti Augendi, seu Eugendi, D in Jurensibus locis, quod modo S. Claudii dicitur, et quidem oblatus a Mannone, ejusdem cœnonii præposito, cujus rogatu Ado Viennensis archiepiscopus ecclesiam Velnensem eidem abbatiæ confirmavit anno 870, ut patet ex litteris editis in Spicilegii tomo XII, pag. 135.

(*c*) Alias, *versum*.

(*d*) Quid funesti tum acciderit civitati Narbonensi, silent Annales nostri. Existimen idem illi accidisse quod Rhemensi, eo quod Bartholomæus contra Ludovicum Augustum partibus Lotharii faveret, ob idque eum sede sua dejectum fuisse : ex quo diutina illius ecclesiæ secuta sit orbatio usque ad Berarii ordinationem.

(*e*) Id est Ecclesiæ Rhemensi contigit post depositum Ebbonem, vacante sede per annos decem, nempe usque ad adnum 844, quo Hincmarus viventi etiam tum Ebboni suffectus est.

(*f*) Nempe Hilduinum seniorem, Walam abbatem, Barnardum Viennensem, Angobardem Lugdunensem pontifices, et alios, qui in varia exsilia deportati sunt.

Princeps unus erat, populus quoque subditus unus.
Lex simul et judex totas ornaverat urbes,
Pax cives tenuit, virtus exterruit hostes,
Alma sacerdotum certatim cura vigebat
Conciliis crebris, populis pia jura ministrans.
Hinc sacris cleris, hinc plebibus eximiisque
Principibus late resonabat sermo salutis.
Discebant juvenes divina volumina passim.
Littereas artes puerorum corda bibebant.
Crimina tetra vigil crebro censura fugabat :
Hos timor, hos et amor ad fœdera justa vocabat.
Quin etiam externas fidei conjungere gentes
Cura erat, et domitis imponere frena salutis.
Hinc pagana manus juga religionis inibat :
(a)Hinc hæresis surgens, pedibus substrata gemebat.
Claruit hinc nimium toto gens Francica mundo :
Famaque virtutum fines penetravit ad imos.
Legatos hinc suos procul extera regna,
Barbara, Græca, simul Latium misere tribunal.
Huic etenim cessit etiam gens Romula genti,
Regnorumque simul mater Roma inclita cessit.
Hujus ibi princeps regni diademata sumpsit
Munere apostolico, Christi munimine fretus.
O fortunatum, nosset sua si bona, regnum,
Cujus Roma arx est, et cœli claviger auctor,
Tutor et æternus cœlorum in sæcula rector,
Qui terrestre valet in cœlum tollere regnum
At nunc tantus apex tanto de culmine lapsus
Florea ceu quondam capiti dejecta corona,
Quam varius texit redolenti gramine fulgor,
Cunctorum teritur pedibus : diademate nudus
Perdidit imperii pariter nomenque decusque,
Et regnum unitum concidit sorte triformi.
Induperator ibi prorsu jam nemo putatur.
Pro rege est regulus, pro regno fragmina regni.
Consiliis crebris quæruntur furta nocendi :
Conventu assiduo populantur jura salutis.
Cassatur generale bonum, sua quisque tuetur.
Omnia sunt curæ : Deus est oblivio solus.
Pastores Domini soliti concurrere in unum;
Dissidio rerum, synodalia nulla frequentant.
Concicio jam populi nulla est, jus omne recessit.
Frustra huc legatus, aula est ubi nulla, recurrat.
Quid faciant populi, quos ingens alluit Hister,
Quos Rhemus Rhedanusque rigant, Ligerisve, Pa-[dusve?
Quos omnes dudum tenuit concordia nexos,
Fœdere nunc rupto divortia mœsta fatigant.
Sæpe malum hoc nobis cœlestia signa canebant,
Cum totiens ignitæ acies, ceu luce, pavendæ,
Per media noctis dirum fulsere tenebras,
Partibus et variis micuerunt igne sinistro.
Cum mediante die populis jejunia festa
Devotasque preces per templa agitantibus alma;
Sol nitidum tristi texit ferrugine vultum,

A Ac stellas radiare polo miro omine fecit.
Quod monstrum scimus bellum ferale secutum,
Quo se Christicolæ fero petiere nefando,
Et consanguineus rupit pia fœdera mucro :
Atque feræ, volucresque simul pia membra vora-[runt;
(b) Cum diri cœlo totiens arsere cometæ,
Humano cladem generi excidiumque minantes.
Inter quos unus flammanti crine coruscus
Mense fere toto truculento lumine fulsit.
Quem regionum atrox vastatio, motio regum,
Et rabies belli, et regni scissura secuta,
Continuis miserum quatiunt terroribus orbem.
Quis finis, quæve ira Dei mala tanta sequatur?
Quæ jam vix aliquis pavitanti corde volutat,
B Vix recolit, vix inde dolens suspiria fundit.
Gaudetur fessi sæva inter vulnera regni :
Et pacem vocitant, nulla est ubi gratia pacis,
Stat paries subitam minitans validamque ruinam,
Jam dudum inclinus, scissuris undique plenus.
(c) Illiniturque luto fluido, citiusque casuro.
Mistura hic paleæ nulla est, membra omnia nutant.
Jam vatis sancti metuendum cernimus Amos
Compleri in nobis deflendo ex ordine visum.
Jam Dominus murum linquit, deponere trullam
Jam parat, et nullam iratus vult ferre lituram.
Jamque etiam uncinum pomorum conspicit ille,
Quo tota evulsis nudetur fructibus arbor.
Jam remanet quercus foliorum tegmine nuda :
Jam domini egregius flavet sine fontibus hortus.
En sitis atque fames, cecinit quam præscius idem,
C Judicio Domini terris immissa perurget.
Cœlestis verbi desunt jam pabula et imbres.
Hoc Oriens Boreasque malum, hoc maria undique [clamant.
Vocem evangelicam divino ex ore tonantem.
Quis non jam videat doleatque instare piorum?
Filius en hominis veniens ex arce polorum,
Invenietne, putas, fidei vestigia terris?
Cordibus humanis latebrosa foramina vulpes
Immundæ et cœli nidos fecere volucres.
Fraus hæc atque tumor diri late obtinet hostis :
Nec locus est Christo, quo vel caput ille reclinet
Hæc inter gemat et fidat grex ille pusillus,
Cui Pater æterni conservat gaudia regni,
Deducatque oculis lacrymas noctuque dieque,
D Ac precibus vitæ pulsans ad limina perstet.
Exposcat veros inhianti pectore panes
Tres, evangelici memorat quos pagina verbi.
Vera fides confessa Deum per sæcula trinum,
His fruitur dapibus, his fidum pascit amicum.
Non lapidem sumet, si panem postulet unquam :
Nec pro pisce caput virosi sentinet hydri :
Nec pro ovo fallax illudet scorpius olli,
Fronte velut mitis, sed caudæ vulnere sævus.

(a) Sic Prudentibus in præfatione ad Cathemerinon. *Pugnet contra hæreses.* Multa alia peccat Florus in poetarum leges : at indulgendum illi ætati.

(b) Nempe annis 837 et sequenti 840 et 342.

(c) Hoc ex imitatione Ezechielis in cap. XIII, vers. 12 et seq. Quod subditur de Amosi prophetia, petitur ex cap. VIII, vers. 1 et 2.

Nam pius ille Pater, qui fons bonitatis habetur,
Ut sol sponte micat, ceu fons uberrime manat,
Utque ultro placidus rorat de nubibus imber :
Sic bona cuncta suis prono donat numine natis,
Qui tamen hunc vera fidei pietate requirunt :
Qui quod spe sitiunt, puro amplectuntur amore :
Qui bona sive mala fluitantis temere mundi
Norunt, instantique Deum virtute sequuntur.
O Domine omnipotens, da nobis mente videre
Tot mala, tot clades ; et tot lacrymanda pericla
Da gemere, et toto fac nos ea corde dolere,
Assiduisque tuum precibus deposcere numen.
Qui regis Israel, cui non dormiat in ævum
Omnia conspiciens oculus : qui lege perenni
Erigis elisos, elidis et ipse superbos,
Supplicibus veniam, tumidis properando ruinam.
Tu nos, sancte Pater, hic verbere cædere paterno :
Tu virga baculoque tuo nos corripe, firma :
Omne malum mundi fiat purgatio nostri.
Qui te semper amant, omni discrimine crescant,
Quatinus erepti pelagi de fluctibus atris,
Teque gubernante jam portum pacis adepti,
Carpamus dulcem tristi de semine frugem,
Perpetuaque tuos recinamus laude triumphos.

* AD MODUINUM AUGUSTODUNENSEM EPISCOPUM.

De injusta vexatione Ecclesiæ Lugdunensis.

Egregio, Moduine, viro tibi mitto salutem,
Exiguus magno, vilis et eximio.
Sum modicus, sed magna loquar: quia maxime ille est,
Cujus res parvo carmine nunc agitur.
Res divina tibi cantabitur : arrige, quæso,
Sollicitas aures, et pia corda adhibe.
Esto memor, quoniam duras qui prægravat aures,
Ad Domini legem veta odiosa facit :
Et vacuas defert ad Christi altaria voces,
Pauperis ad vocem viscera cruda gerens.
Quid, quæso, sacrosancta tibi nutricula nostra,
Atque eadem genitrix Ecclesia hæc meruit?
Ut furiale odium ferali pectore versans,
Moliri hanc contra talia non metuas.
Discindis leges, canonum sacra jura revellis,
Dum materna modo viscera proh ! subigis,
Nec metuis demens calces illidere Christo,
De cujus stimulo terga cruenta geris.
Terga cruenta geris, nec sulcum corrigis, et bos
A Cornipeta in Dominum turgida colla vibras.
Dum phrenesis furiale malum tua viscera ferro
Te proprio expetere cohit, et ipse nescis.
Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum.
Ecclesiæ reverendus honos a tempore prisco,
Principibus summis præsulibusque piis,
Curricula annorum florens per plurima fulsit,
Sub pietate patrum pignora chara fovens :
Et gallina pios pennarum tegmine fetus
Mystica mundanis texit ab insidiis.
Agnoscis, ni fallor, enim quæ nomine tali
Voce evangelica sancta notetur avis.
Illa dolenter avis etiam nunc garrula clamat,
Et nostro gemitus promit ab ore pios.
B Teque prius quam calce secet, quam verberet aliis,
Quamque oculis spoliet, sic pietata vocat.
O fili Moduine, tibi (nam pignus et ipse
Es nostrum, nostro fotus et in gremio)
Quid rogo commerui, tanto quod tempore tuta,
Sedibus e placidis pignora nostra fugas?
Quid mihi tristitias cumulas? quid gaudia truncas?
Cum gaudere mea me sobole haud pateris?
Me pietas, me prisca fides munimine forti
Cinxerat, et certis sepserat auxiliis.
Quique etiam accipitres fuerant milvique rapaces,
Ac soliti natos dilaniare meos ;
In placidas versi subita pietate columbas,
Cursu avido nostros expetiere sinus :
Depositoque truce ingenio seu nomine torvo,
Nomine et ingenio complacuere meo.
C Hospitiis hæsere meis, mea parva secuti
Pabula, et innocuis vivere deliciis.
Rostra unguesque feros quis me vastare solebant,
Vertere in nostrum dulciter obsequium.
Adversas volucres virtute atque ore repellunt,
Me vigili studio, me pietate fovent.
Agnoscisne, rogo, venerandæ ænigmata matris?
Et mea quid signent mystica verba capis?
An miserande meam nec vis cognoscere vocem,
Displicet atque oculis hispada forma tuis?
Te gemitus noster peperit, te parvulus ortum
Nidulus excepit, te calor hic aluit ;
In lucemque trahens, tenebrosa ergastula rapit :
Aque dedit vita, luce, salute frui.
Hære igitur matri, dulces ne desere fratres :
D Horum solus amor est tibi certa salus.
Cur hanc persequeris, cur dulcia pignora carpis?

* Hoc alterum carmen scriptum est ad Modoinum Augustodunensem episcopum, qui

Augusti montis pastor in arce potens

dicitur in alio Flori carmine, quod Petavianus codex itidem continebat (*vide infra*). Hic est Muatwinus episcopus, quem Walafridus Strabus versibus itidem celebravit, idemque cui Theodulfus episcopus inscribit lib. IV, carmen 6. Hic vero severius carpitur Moduinus, quod *nutriculam suam*, id est Lugdunensem Ecclesiam, in cujus sinu adoleverat male tractaverat, illius Ecclesiæ clericos trahens ad sæculare storum contra canonum præscripta. Ubi mirari subit quid juris fuerit Modoino, Lugdunensis Ecclesiæ suffraganeo, in Metropolim suam. Nimirum quia magna ejus erat apud Ludovicum. Pius auctoritas, facile ipsi fuit exsulante Agobardo archiepiscopo, in jura ipsius Ecclesiæ invadere. Certe quam bene audierit apud Ludovicum, argumento est Theodulfi carmen præcitatum, ex quo intelligimus Moduinum Theodulfo persuadere molitum fuisse ut crimen sibi ab imperatore impositum agnosceret fatereturque : quod is innocens detrectavit. At clarius Moduini auctoritatem probat Walafridus, eum Galliæ *proretam* appellans.

Non hæc rostra tibi nostra figura dedit.
Tunde igitur tetrum rostri damnabilis uncum :
Et fuge germana vivere carne ferox.
Utere simplicibus nobiscum dulciter escis,
Et miti mitem pectore quære cibum.
Sunt pia jura ducum;pia sunt præcepta parentum:
Quis ego ab initio munior atque regor.
Quid tenebras luci, quid melli absinthia misces?
Ista tibi semper dissociata manent.
Ex quo conspicuus Christi per sæcula cultus
Fulsit, et idolica fugit ab urbe lues :
Nunquam prisca meos vexarunt jura ministros,
Pondere nec sæcli res onerata sacra est.
Semper distinctus (a) duplex hic ordo cuburrit,,
Judicibusque suis utraque pars viguit.
Ordinibus sacris reverentia debita cessit :
Plebeios rexit lex sua quemque viros.
Quid mihi nunc veterem tu vis subvertere sepem ?
Quid mihi maceriam diruis oppositam ?
Cur veteres fines nostro convellere fundo
Niteris, et cunctis pervia rura facis?
Audi veridico Salomon quid personet ore,
Et mucrone time te jugulare tuo.
Eversor sepis colubro mordente peribit,
Seque suo qui fert saxa labore premet.
Te preme, te perime : nam me spoliare nequibis,
Auxiliis fultam semper ubique Dei.
Post evangelicos clypeos, post tela corusca
Oris apostolici, post pia jura Dei,
Me Constantinus reverendo munit ab ore :
Me quoque (b) Theodosius protegit ore pio.
Arcadio dulci perdulcis Honorius hærens
Me dulci eloquio laudat, honorat, amat.
Quid veterana loquar ? nostro nunc ecce sub ævo
Qua placidus princeps me pietate colit ?
Pro me conciliis sudavit sæpe verendis,
Et valido pressit colla superba jugo.
Legibus antiquis edicta recentia junxit,
Et bona prisca novis auxit ubique bonis :
Ne me per plagus mundi, per turbida saxa
Obrueret subito nox fera naufragio.
Vere clara micant sacri mysteria Christi,
Quæ veterum signant gesta beata Patrum.
Jam validum Samson, dum vult peregrina subire
Connubia, impetiit horrisono ore leo.
Quem, veluti tenerum frustatim carperet hædum,
Ille necans, dulces sumpsit ab ore favos.
Sumpsit ab ore favos et dulcia mella leonis,
Qui fremuit pridem, dulciter esse sapit.
A Infremuit mundi Christo veniente potestas,
Gentilem ut plebem necteret ipe sibi,
Infremuit terrore gravi, legesque feroces
Edidit, ac toto terruit orbe pios.
In servis tamen ille suis virtute potenti,
Dum superat mundum, robora dira necat.
Ut male quod vixit, moriatur ; mortua porro
Impietas dulcem promat ab ore fidem :
Quodque olim rabido fremitu laniare parabat,
Hoc modo jam dulci prædicet ore melos :
Jamque hædus Christi, qui tunc leo torvus abibat,
Peccator veniam postulet ipse sibi.
Sic mundana sibi subjecit culmina Christus,
Cuncta et in obsequium traxit ubique suum.
At tu si veterum nescis pia jura piorum,
B Desine quod nescis dilaniare bonum.
Et cape tranquillus, brevius quod pagina verbis
(c) Altera pacifico suggerit en studio :
Cumque serenato perlegeris omnia vultu,
Et quam non noras videris ipse viam,
Sub Christi terrore tremens, pietate fideli
Corrige quod pravum perspicis ipse tuum.
Nempe etiam si ulla usquam hæc jura vetarent
Num gessisse decet talia pontificem?
Rem bene constructam tanto sudore, tot annis
Subruere, et sceleri pandere sponte viam ?
Dicere, nullus honos debetur (credite) sacris
Ordinibus : cunctos pulset ubique forum.
(d) Nam nisi cœnobium mater muliebre gubernans,
Et sacer antistes, cætera pulvis erunt.
Si pater es cleri, noli contemnere clerum :
C Nec te sic ut eos erige deicias.
Hæc quoniam non sanctus amor, sed turgidus atro
Fumifluum spirans ructat ab ore furor :
Hæc si mente pia relegas, si pectore puro
Accipias, prodest potio sacra tibi.
Est subamara quidem : sed si patiare, salubris.
Insunt gallinæ zelus amorque simul.
Æstimo, vir prudens, nullo te felle moveri,
Cum videas Florum te sic amare tuum.
Nam meliora pii sunt vulnera semper amoris,
Subdola quam fictis oscula pressa labris.
Et bene non notus, male si increbescere cunctis
Cœperis, infamis fabula semper eris.

III.

D (e) HYMNUS IN NATALE SANCTORUM JOANNIS ET PAULI.

Joannis Paulique diem sol attulit orbi,
Qui rubra martyrii serta cruore gerunt.

(a) Clericorum scilicet et laicorum, qui semper forum habuere diversum. Sub clericali ordine monachi etiam ante illud tempus continebatur.

(b) Quippe Ecclesia Gallicana codice Theodosiano utebatur, et ejus libertas ac immunitas legibus imperatorum, olim suorum, Romanorum utebatur.

(c) Alteram hac de re epistolam sive carmen aliud Moduino scripserat Florus, forsan illud ipsum quod exstat in codice Petaviano, qui nunc est Christianæ serenissimæ Sueciæ reginæ. Habetur quidem aliud item ad Moduinum in collectione variorum epigrammatum typis Morelianis edita anno 1550, incipiens ab his versibus :

Solvo, Pater, profluas hilari de pectore grates,
Quod resseras Floro labra benigna tuo.

Verum tota hæc epistola eo tendit, ut Moduinum hortetur ad studium sacrarum litterarum.

(d) Verba sunt Modoini, quem Florus loquentem inducit in hunc modum : « Præter episcopos et abbatissas, cæteri omnes clerici et presbyteri laicum forum agnoscant. »

(e) Hoc carmine seu hymno Actis sanctorum Joannis et Pauli conciliatur fides.

Unicus hos sanguis germano fœdere junxit,
  Unica mox fratres morsque fidesque parit.
Olim Romulei servantes mœnia regni
  Barbaricos strarant sæpe mucrone globos :
Nunc ovium Christi purissima septa tuentes,
  Dæmonicas arcent vi precibusque minas.
Hos morti addixit sacra pro lege tyrannus
  Contemptor Christi Julianus rabidus :
Unius ille Dei cultum prius ore ferebat,
  Donec ad culmen scanderet imperii.
Ast ubi convaluit misero terrena potestas,
  Idolum vero prætulit ille Deo.
Tum famulos Christi lanians, et sanguine pastus
  Innocuo, horrendis sævit ubique modis.
Verum ubi cœlesti prospexit Christus ab arce,
  Audivitque pii sanguinis ille preces ;
Confestim misero cladem exitiabilis horæ
  Destinat, hostili hostis ut ense ruat.
Vastata Ecclesia Persas in bella vocarat,
  Ac multis septus millibus ibat atrox :
Cum subito arentes deserti ruris in agros
  Devenit, et cuneos perdit ubique suos.
Qua neque victus erat, nec fons, nec fluminis unda,
  Caumate sed nimio tota jacebat humus.
Dumque fremens montes, valles, camposque peragrat ;
  Sicubi vel modico stilla liquore fluat ;
Incidit adversas condigno errore phalanges,
  Perfossusque atra cuspide pectus obit.
Sed rabidus semper, et in ipsa morte rebellis,
  Infremit, et summum hac voce lacessit herum :
Ebibe nunc nostrum quem quæris, Christe, cruorem,
  Atque avidus leto jam satiare meo.
Ille quidem tales justo sub judice pœnas
  Exsolvit, post hæc tartara cæca petens.
At Domini testes sacrato sanguine loti,
  Vertice laurigero sidera celsa petunt :
Quos toga pacifico vestit præfulgida cultu,
  Regalique ambit purpura clara peplo.
Hos ceu fructiferas florens paradisus olivas,
  Irriguo vitæ jugiter amne rigat.
Hi sunt æterno candelabra fulgida templo,
  Progenies lucis, et pietatis honos.
Sidereo regi sublimi semper in aula
  Adstantes populis qui pia vota ferunt.
Quorum propitius precibus nos respice, Christe,
  Et purga obscenum quidquid inesse vides.

IV.

(*a*) TITULUS LIBELLI AD ALTARE SANCTI STEPHANI OBLATI, SANCTISSIMO ET GLORIOSISSIMO ALUMNO AC PATRONO NOSTRO BEATO STEPHANO PROTOMARTYRI DEDICATUS.

Hunc tibi, prime pii testis fortissime Christi,
Offerimus vario rutilantem flore libellum.
Hic tua prima micat post indita bella corona :
A Fulget honos nomenque tuum ; tua præmia clamant.
Gamalihel sacer ille senex tua cœlitus ossa
Olim ignota orbi reverendo publicat ore ;
Ac tua membra, pater, radianti signat in auro,
Martyrium illustri depingit flore rosarum.
Se quoque Nichodemi conjungens sorte nepotis ;
In geminis auri calathis albentibus almus
Prodit rite rosis tenui vix sanguine tinctis :
Virgineosque artus puri fulgente canistro
Argenti et crocei commendat floris odore.

Hæc tua laus sequitur, sequitur tua florida virtus,
In Christi virtute potens pietate redundans,
Gaudia dans mœstis, infirmis robora reddens,
Et dura sub morte sitos ac pene sepultos
Restituens vitæ, vitæ quia testis haberis.
B Tu primus Christi calcata morte perennis
Vexillum sublime ferens, hostilia castra
Fulmineis linguæ telis signisque coruscis
Stravisti, et pulchra palmam de morte tulisti.

Te sequitur reverenda cohors pro nomine sacro
Mille afflicta modis, mille illustrata triumphis.
Martyribus martyr tu norma et regula cunctis,
Purpureos ducis cuneos roseasque catervas :
Quorum purpureus de sanguine præmicat orbis,
Quorum florigeris præfulgent astra coronis,
Quorum casta Dei decorantur templa sepulcris,
Quorum tota micant insignia tempora festis,
Quorum cuncta sacris cedunt incommoda votis.

Hos sacer ille videt cœli in regione Joannes
Tantorum illustres post prælia dura laborum,
C Dat quibus æternas felix victoria palmas,
Atque immortales stola candida præbet amictus.
Non his ulla negat sua clemens munera Christus,
Quos ipse a mundi selectos sorte diremit,
Plantavitque Deo : quo semper robore læto
Crescendo in cœlum exsiliant, fructusque perennes
Pollenti virtute ferant, et quidquid ab alto
Oratum genitore velint, mox numine prono
Accipiant, tribuantque piis : quos inter egenus
Censeri cupiens, et cordis vulnera deflens,
Ista tremens cecini submisso pectore, Florus,
Ut meritis tanti per Christum salver alumni,
Et procerum votis absolvat purpureorum.

. . . .

Sanctorum eximiis meritis precibusque beatis,
Quorum perpetuos memorat liber iste triumphos,
D Da, Pater omnipotens, veniam, da, Christe, medellam
His qui supplicibus votis ac mente fideli
Committunt sese tantis per sæcla patronis,
Qui zabulo victo rutilis super astra coronis,
Conspicui, de te quidquid petiere merentur.

. . . .

Christe, precor veniam segni des mitis alumno.
  Tardus sum, tarde sed tibi nemo venit.

(*a*) Titulus est libelli ad altare S. Stephani oblati, nempe in cathedrali ecclesia Lugdunensi, quæ beatæ Mariæ et sanctis Stephano et Joanni dedicata est. In exemplari Petaviano, ex quo hos versus noster Acherius quondam describi curavit, exstant hiatus seu spatia vacua duo, non quidem pro versibus, sed pro titulis interserendis.

Longis præteritis tenuit nos error ab annis,
Sufficiat meritis hæc rogo pœna meis.
Vita brevis superest, in mortem et pronior ætas :
Jam peccare senex nequeo, nolo tuus.

V.

(*a*) VERSUS EJUSDEM.

Ubi ossa S. Cypriani Lugduni condita habentur

Hac locuples Christi thesaurus conditur arca,
Purior argento, fulvo pretiosior auro,
Clarior et cuncta gemmarum luce micantum.
Hic nempe insigni doctor suavissimus ore,
Eximius præsul, martyr celeberrimus idem,
Lucifer ut nitidus magna Carthagine missus
Emicat, et pulchra Cyprianus sorte quiescit.
Additur huic geminum radianti lumine sidus,
Speratus martyr cum martyre Pantaleone,
Cujus cum capite hic pollent sacra ossa priorum.
Quos pariter Carolo Francorum principe gaudens
Gallia suscepit, Libycis ditata talentis.
Hos igitur nobis oratio fida patronos
Efficiat, Christo ut cœlis veniente coruscis,
Martyribusque suis diademata clara ferente,
Ipsorum meritis lux nos æterna receptet.

VI.

(*b*) TITULUS ABSIDÆ.

Martyribus subter venerabilis emicat aula :
Martyribus supra Christus rex præsidet altus.
Circumstant miris animalia mystica formis,
Nocte dieque hymnis trinum inclamantia numen.
Adstat apostolicus pariter chorus ore corusco,
Cum Christo adveniet certo qui tempore judex.
Vivaque Hierusales, agno illustrante refulgens,
Quatuor uno agitat paradisi flumina fonte.
Pignoribus sacris clerus Baptista Joannes
Altare illustrat, poscentia pectora purgat.

MARTENII ADMONITIO
DE
CARMINIBUS PROXIME SEQUENTIBUS.

Quæ hic damus carmina ex pervetusto codice Bigotiano eruimus, cujus character ad auctoris ætatem accedere videtur. Hæc autem tametsi tanti non sint momenti, minime tamen sunt spernenda, præcipue autem epigramma in librum Homiliarum totius anni, ex quo didicimus quam pauca tum sanctorum festa celebrarentur, aut proprium haberent officium. Nam præter festa SS. Stephani, Joannis evangelistæ, Innocentium, Joannis Baptistæ, Petri et Pauli, Machabæorum et Andreæ, qui locum in Homiliarum libro habebant, si qua forte occurrebant, extra communium classem officium non habebant.

I.

IN EVANGELIUM MATTHÆI.

Primus evangelici scripsit mysteria regni
Matthæus ex telonio ad cœli lucra vocatus.
A Hæc canat almus amor, hæc dulci voce resultet.
Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus,
Advenere Magi cœlesti sidere ducti.
Joseph cum puero Ægyptum migrare jubetur.
Cæduntur pueri regis livore cruenti.
Jesus ab Ægypto Nazareth revocatur in urbem.
Joannes populos tingit Jordanis in undis.
Suscipit et Christus humilis baptisma Joannis.
Inde quater denis jejunans ipse diebus.
Tentatus zabulli vincit molimina diri.
Piscantes Petrum, Andræam, Jacobum atque [Joannem
Evocat. Illi almis parent mox sedule jussis :
Retibus abjectis, et navi et patre relictis.
His ille assumptis Galilæam circuit omnem,
B Ac varios hominum languores curat ubique,
Discipulos mandata docet, dat jura beatis.
Sanguinis effusi vitandam admonet iram.
Munera grata Deo, fraternam reddere pacem,
Mœchiam cordis fugiendam pectore casto.
Scandala si generent oculu qui more coluntur
Sive manus dextræ pulsi procul ire jubentur,
Semper nexa viro nisi constet adultera conjux.
Juramenta vetat, quia sunt perjuria juxta :
Est et Non statuit veraci voce tenendum.
Altera cædenti detur maxilla libenter.
Et pius almus amor inimicos diligat ipsos,
Ut pietatis opus sine læva dextera reddat,
Utque placere Patri cupiat oratio soli.
Ut mens munda Deo jejunia læta frequentet,
Nec facie tristi laudem petat illa caducam,
C Thesaurum cœlo condendum fur ubi nullus.
Corporis est oculus operis intentio simplex.
Hæc si pura viget, totos illuminat artus,
Nec tenebrosa fient, quæ lucis amore geruntur.
Nullum posse æque dominis servire duobus,
Nec mamonæ atque Deo divisa mente placere ;
Pellendas animo curas et vestis et escæ.
Si volucres cœli pascit opulentia Patris,
Molliaque auleolo depingit lilia flore,
Quando suis unquam natis pia dona negabit ?
Quapropter sua cuique satis sit cura diei,
Crastina non crucient, quia sunt incerta caducis.
Justitia est quærenda Dei, reliqua ultro dabuntur.
Occulta alterius damnet se judice nemo,
Ex oculo fratris festucam educere quærens,
D Ipse prius proprio pellat de lumine tignum.
Ira vetusta trahit, levior festuca notatur.
Purget ab ira animum qui vult pietate mederi.
Nempe odio exstinctus nil rectum cernit ocellus.
Ne margaritam calcandam exponere porcis
Quis velit, aut sanctum canibus dare dilacerandum.
Mitibus et mundis prosunt mysteria pacis.
Postulet alma fides, ut possit sumere dona.
Quærat amor sitiens, ut mox optata reportet,

(*a*) De translatione reliquiarum sancti Cypriani et aliorum in ecclesiam Lugdunensem tempore Caroli Magni, legendi versus Agobardi præsulis Lugdunensis, et Chronicon Adonis Viennensis

(*b*) Hic describitur altaris priscus apparatus in ecclesiæ absida existentis, ita ut martyrum reliquiæ sub altare collocarentur, Christi e cruce pendentis effigie superius erecta, pendente in vasculo Eucharistiæ, sanctorum imaginibus circum appositis.

Pulset opus studiumque pium, tum clausa patebunt.

Vitandi semper falsi exsecrandique prophetæ,
Quos sub pelle ovium rabies agit atra luporum;
Sacramenta ferunt fidei,sed funere vivunt.

Ædificanda domus veræ fundamine petræ:
Dum procul omnis humus fundo purgatur ab imo,
Ac pietate proba Christi mandata geruntur,

Vitandum prorsus fluxæ fundamen arenæ,
Ne leviter positam sub intus ruat impetus ædem,
Sic immota imbres, ventos, et flumina temnet.

Caligosi imbres errorum nube pluuntur,
Venti alternantes adversa et prospera mundi.
Repit humo ut fluvius carnis lutulenta voluptas.

Jesus item mundat descendens monte leprosum,
Si vis, ille inquit, potes et mihi ferre medelam.
Ille,volo, ut dixit, fugit illico lurida pestis.

Paralysi fessum, puerum quoque centurionis,
Et socrum Petri lethali febre jacentem,
Atque alios plures salvat virtute potenti.

Fallacem scribam reprobat, nec prorsus habere
Quo ponat recline caput sese asserit usquam.
Vulpibus hunc [*f.* hinc] foveam dicens magis esse dolosis.

Ast alium functi neglecto corpore patris
Se jubet ipse sequi, et morituris mortua linqui.
Imperitat ventis,jussu maris æquora sedat.

Dæmonicam humano legionem corpore pellit,
Et maris hanc tetras cum porcis mergit in undas.
Paralysi ereptum mandat sibi ferre grabatum.

Matthæum vocat,et mundi dat spernere lucra,
Ac propriæ dignans publicanos jungere mensæ,
Ægrotos medico potius testatur egere.

Jejunii veri commendans mystice culmen,
Discipulis sacri zelantibus ecce Joannis
Parabolam panni, vinique,utriumque reponit.

Fessa cruore diu mulier sine lege fluenti
Attactu sacræ vestis purgata recedit.
Redditur et vitæ jam funere juncta puella.

Mox amissa diu redduntur lumina cæcis.
Dæmonium mutum surdumque expellit Jesus.
Lumen apostolicum populis jubet ire docendis.

Petrus et Andræas,Jacobus simul,atque Joannes,
Bartholomæus, Thomas, Matthæus,pariterque Philippus,
Alfæi Jacobus,Thaddæus,Simon et Iscariotes.

Hi sunt quos misit verbum reboare salutis,
Cnrare infirmos,et pellere dæmones atros.
Et tamen ex ipsis periit,quia prodidit,unus.

Dirigit ad Christum Joannes carcere clausus,
Increpat ille urbes,quæ tot miranda videntes,
Duritia immani non pœnituere dolentes.

Exsultans Jesus Patris mysteria laudat,
Atque suum lene esse jugum clementius infit.
Discipuli spicas solventes sabbata vellunt.

Arentem dextram concesso robore sanat.
Dæmonio ejecto, cæcum mutumque resalvat.
Quod satanas nequeat satanam depellere monstrat.

Tentanti turbæ signum promittit Ionæ,

A Ecce sibi matres, vel fratres, atque sorores,
Hos tantum agnoscit, qui Patris jussa sequuntur.

Parabolas plures vario sermone profatur,
Secreta eructans absconsa ab arigine mundi,
Vatis et antiqui complens sacro ordine dicta.

Agricolam ponit triplici qui fruge redundans,
Tricenum ex cultis fructum percepit ab agris.
Sexageno etiam centenum accrescere gaudens.

De lolio mundæ segeti quod sparserat hostis,
De grano minimi late crescente sinapis,
De fermento etiam quo vim trahit undique massa.

Discipulis lolii segetisque ænigmata solvit,
Parabolam subdit thesaurisare latentis,
Margaritæ etiam pretiosa luce micantis.

Et missi in pelagus retis genus omne natantum
B Quod trahit ad littus,ubi fit discretio solers,
Vasa bonos capiunt, diversos projicit usus.

Cæditur Herodis jussu Baptista Joannes,
Et caput in disco scelerata ad gaudia fertur.
Discipuli adveniunt,condunt pia membra sepulcro.

Millia quinque virum de panum quinque paratu
Piscibus et geminis,Christi virtute replentur.
Bis cofinos etiam cumularunt fragmina senos.

Jesus per fluctus graditur, maris æquora calent,
Mergentem Petrum placida dat sistere dextra.
Gennesar in populis multorum incommoda curat.

De manuum lavacro pharisæus murmurat error.
Ille docet cordis verum interiusque lavacrum.
Obtinuit natæ mulier Cananæa salutem.

Monte Galilææ miserorum examina curat.
Quatuor ex septem mox millia panibus implet.
C Fermentum, Pharisæe, tuum docet esse cavendum.

Clarificat Christum felix confessio Petri,
Accipit et claves regni cœlestis ab ipso.
Præcipit ille crucem propriam cuique ille ferendam.

Testatur quosdam duram non cernere mortem,
Donec in proprio Christum fulgescere regno
Felici intuitu videant,cœlique pavescant.

Discipulis in monte tribus se protinus ipse
Cœlestis formæ vestitum lumine monstrat:
Cui simul Heliam Moysenque assistere cernunt.

Confestim trepidos circumdat lucida nubes,
Et vox clara Patris testantis ab æthere venit:
Filius hic meus est,hujus præcepta tenete.

His etiam Heliam post hæc in monte, revertens
Jam venisse canit, nec hunc tamen esse receptum,
D His illi in verbis justum sensere Joannem.

Mox puerum curat,fugit hinc lunatica pestis.
Vivacem fidem similem vult esse sinapi.
Solvit cæsaræum piscis ex ore tributum.

Ad pueri formam humiles jubet esse fideles.
Scandalizantem oculum propria vult sede revelli.
Id pedis atque manus etiam discrimine monstrat.

Nec minimos unquam temnendos esse fideles,
Pro quibus angelicæ invigilat custodia curæ.
Nam saxo oppressus lædens mergitur abysso.

Ignoscendum omni clementi pectore fratri,
Ut Deus ignoscat, nec duris dura rependat.
Conjugii vinclum servandum jure fideli.

Heunuchos laudat, qui cœli regna requirunt.
Diligit innocuos pueros, benedicit eisdem,
Divitibus dure reserari limina vitæ.

Centuplicem fructum capient qui cuncta relin- [quent.
Parabolam profert varie vineta colentum,
Qua docet extremos fieri plerumque priores.

Zebedei natis avidis ad culmen honoris
Ante calix tristis proponitur esse bibendus.
Præteriens Dominus geminis dat lumina cæcis.

Ducitur ad Jesum pullus cum matre sedendus,
Mercantes templo pellit, Patris expiat aulam.
Gaudentes pueri pie Christo Osanna resultant.

Frondosam ficum, fructu quia forte carebat,
Jussit, et extemplo damnata exaruit arbor :
Fructiferos quia Christus amat, sine fructibus odit.

Pontifices rogitant unde illi tanta potestas,
Sed confusi abeunt testantis voce Joannis,
Nec verum falsi nec vera audire merentes.

Parabolam subdit natorum forte duorum,
Qui patris imperiis diversa sorte resistunt.
Ac scribis præfert meretrices jure superbis.

Tradita ruricolis rursum vineta feruntur,
Qui ad sese missos crudeli morte necarunt,
Postremo et Domini perimentes impie natum.

Parabola invitans ad regis prandia plures,
Quos quia tempserunt, mox ultio digna secuta est.
Veste carens digna mersatur et ipse tenebris.

Ut divina Deo reddantur, regia regi,
Quod venturo ævo carnis connubia cessent,
Quod Christus David Dominus et Filius exstet.

In cathedra Moisi legis residere peritos,
Horum dicta sequi, vitari exempla jubentur.
Increpat hos Christus, quod perdant quique lucran- [tur.

Quod jusjurandum violent, quod maxime sanctum [est.
Quod calicem excolent, studeant glutire camelum.
Sectantes minima, temnentes maxima legis.

Quod calicem et cyathum exterius mundare labo- [rent,
Nec labem interius latitantem extergere curent,
Cum foris atque intus hominis sit conditor unus.

Ingemit hos similes albatis calce sepulcris,
Quæ speciosa foris, horrenda intrinsecus exstant :
Sana nitent oculis, sunt omnia tetra latebris.

Splendida qui sanctis condunt monumenta pro- [phetis.
Nihilque ex hoc aliud nisi sanguinis esse probentur
Hæredes vatum, in Dominum quia credere nollent.

Jerusalem plangit, templum se linquere dicit,
Omnia et in cineres subito lapsura minatur,
Hisque suos vultus post hac negat esse videndos.

Extremos quæ signa dies præcurrere constet
Exsequitur, falsos meminit exsurgere Christos
Et falsos vates, erroribus omnia plena.

Adventus proprii terrorem et tempora pandit,
Decidere stellas, tota astra nigrescere cœli.
Exemplis vigilare monet, furemque cavendum.

A Lumina virgineis ne sint macentia vasis.
Sed potius pingui semper foveantur olivo :
Sumpta talenta piis usuris crescere mandat.

Judicii in solio cum sederit ille tremendo,
A dextris stare infit oves, hædosque sinistris :
Hos ire in flammas, illos ad pascua vitæ.

Pontifices Dominum quærunt occidere Christum,
Unguento felix mulier perfundit Jesum.
Ut Christum prodat Judas dona irrita quærit.

Hunc Dominus cœnans designat voce gementi
Corporis ipse sui sanctis mysteria tradit.
Prædicit Petro quod se ter nocte negaret.

Orat ut instantis calicis pertranseat hora :
Sed magis ut Patris fiat præfixa voluntas.
Oscula dat Judas tradendi signa magistri.

B Consilio insano falsos producere testes
In Christum placuit; mendax sibi lingua repugnat.
Damnatus probris illuditur undique Jesus.

Abnegat hunc Petrus, lacrymis mox plangit amaris
Vinctus Pilato perimendus traditur ipse.
Emerunt figuli pretio de sanguinis agrum.

Pilatus populo permittit perdere Christum ;
Passio sacra pii completur in ordine Jesu.
Mox elementa tremunt, scindit sua pallia templum

Ille subit mortem ; Procul, ait, tartare ; victor
E tumulo surgit ; clara virtute refulget.
Discipulis mandata dedit, baptisma sacravit.

Cui laus et virtus, cui gloria summa per ævum
Sit cum Patre Deo cœlesti in sede beato,
Spiritui sancto consors, et sidera clament.
Amen.

C

II.

GESTA CHRISTI DOMINI.

Innocui pueri, Christo benedicite Regi.
Sit Domini celsum benedictum in sæcula nomen.
Solis ad occasum dulcis sonet hymnus ab ortu.

Cantemus Domino, magna est cui gloria Christo,
Qui solus virtute sua sessoris iniqui
Stravit equum, victosque simul submersit abysso.

Ecce Deus mira Salvator luce coruscat,
Ipse salus nobis, ipse est in sæcula virtus.
Confidat devota fides, timor omnis abesto.

Libemus dulces Jesu de fontibus undas,
Gestaque magnifici reboemus in ordine Christi.
Hæc polus, hæc tellus, hæc ponti personet æquor.

Quatuor hæc uno cecinerunt ore beati.
D Quatuor exsurgunt paradisi flumina fonte,
Quæ cunctum largo fecundant gurgite mundum.

Hic igitur paradisus adest, hic arbore vitæ
Aurea carpuntur florenti vertice mala.
Dirus abest anguis, exuberat alma voluptas.

Zachariæ sancto sacris incensa ferenti
Angelus assistit, promittit gaudia nati,
Qui Domino Christo populorum corda pararet.

Mittitur ad Mariam Gabriel sacer ore corusco.
Nuntiat intacta venturum Virgine Christum,
Cui regnum æternum, cui gloria fulget in ævum.

Zachariæ uxorem Virgo veneranda salutat.
Protinus exsultat materno in ventre Joannes,

Et quem voce nequit, promit per gaudia Christum.
Mox etiam matrem complevit Spiritus almus.
Exclamat Domini præsentem assistere matrem
Illa Dei laudes pudibundo concinit ore.
Joannes oritur, genitoris lingua profatur.
Ipse etiam in silvis vitam puer exigit almam.
Donec ad Israel certo se tempore monstret.
Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus.
Pastores vigilant, affatur et angelus illos,
Ac regem natum cœli cecinere catervæ.
Suscipit ipse humilis veteris mysteria legis,
Sanctificatque pium patrum pio tempore ritum,
Sic priscis finem statuit, nova surgere fecit.
Accipit hunc lætis Simeon sanctissimus ulnis,
Dumque Deo offertur, dum dat pia munera templo
Hunc Dominum lucis, hunc fert regem esse salutis.
Anna etiam devota Deo, viduata marito.
Jam longæva annis, jam religione vetusta,
Agnoscit, gratesque refert, populisque prophetat.
Ecce Magi adveniunt imis Orientis ab oris.
Se stellam vidisse ferunt, quæ nuntia Regis
Clareat, et Christum jubeat venerarier ortum
Pergunt sidereo læti radiante ducatu,
Inveniunt puerum, proni reverenter adorant,
Munera dant alacres, Christum hunc pietate fatentur.
Angelico monitu Ægyptum transfertur Iesus.
Cæduntur pueri regis livore cruenti.
Protinus hunc diræ sequitur sors debita mortis.
Rursus ab Ægypto Nazareth defertur Iesus,
Unde Nazaræi sumpsit cognomen in ævum,
Ut pridem veterem cecinit vox consona vatum.
Prævius hunc magno, reboans clamore Joannes,
Austerus victu, suetoso hirsutus amictu,
Gurgite Jordanis credentum membra lavabat.
Judæi proceres Christum hunc esse putantes,
Attoniti veniunt, quem se velit ille requirunt.
Præconem Christi se supplice voce fatetur.
Agnum hunc esse Dei, hunc crimina tollere mundi
Clamitat, hunc prona cunctis pietate sequendum
Prædicat, et digito præsentem assistere monstrat.
Ipse etiam sacro dignatus flumine tingui
Jesus adest, humilemque viam sic dedicat altus.
Sanctificat latices, exemplum consecrat ingens.
Panduntur cœli, mox Spiritus ore columbæ
Devolat, et placido mitis requiescit Iesus.
Ipse Pater carum conclamat ab æthere Natum.
Protinus hunc eremi rapit in secreta benignus
Spiritus, et zabuli tentandum affatibus offert.
Vincit vincendum prece jejunisque tyrannum.
Ille superba monens, in panes vertere saxa
Suggerit, summo delapsum culmine Christum
Angelicas sperare manus, seu regna tenere.
Ille suis humilem monstrans insistere callem,
Præceptis obedire Dei super omnia præfert.
Sic victor zabuli angelicis dat jussa ministris.
Regressus mira in populis virtute coruscat.
Vertit aquas vino, pandit Deitatis honorem.
Discipuli credunt, Dominumque Deumque sequun- [tur.
Paschalis festi lætanter gaudia templo
A Millia mercantum modico fugat ille flagello.
Mirantur populi, multorum pectora credunt.
Prædicit propriæ carnis venerabile templum
Solvendum manibus suscepta in morte cruentis,
Seque illud trinis spondet reparare diebus.
Mystica Nicodemo baptismi munera pandit,
Credentum populos proprio baptismate tinguit.
Undique concurrunt, vitalia dona frequentant.
Exsultat Baptista sacer ac provocat omnes.
Nam Christum sponsum, se sponsi dicit amicum
Illum crescere, se minui debere fatetur.
Filius ille Dei est, inquit, qui credit in illum,
Possidet æternam felix per sæcula vitam.
Qui negat, ira Dei super ipsum regnat in ævum.
Interea Herodem connubia fœda petentem
B Objurgat, mortemque pati quam vera silere
Eligit, hinc cæco damnatur carcere justus.
Tum Galilæorum in partes secedit Iesus.
Absolvit reguli mortis de limine prolem,
Atque Capharnææ versatur mœnibus urbis.
Æquoreis undis piscantia lina ferentes
Andræam Petrumque vocat, Jacobum atque Joan- [nem.
Omnia mox linquunt, Domini pia jussa sequuntur.

III.

IN EVANGELIUM JOANNIS.

Dulci Evangelium cantemus voce Joannis,
Et Domini clara moduletur in ordine gesta.
Sit nobis jucundus amor, sint gaudia sancta
Verbum Unigenitum semper cum Patre manebat.
C Hic lux, sic virtus, hic est sapientia Patris,
Vita hominum, angelicis lucens super æthera turmis,
Per hunc ipse Pater et mundum et sæcula fecit,
Omnia constituit quæ sunt a vertice cœli
Usque sub extremum fundum nigrantis abyssi.
Clarior hic stellis, sole est speciosior ipso,
Omni luce prior, quam nox offuscat et umbra.
Hic tenebras vincit, mediisque refulget in umbris.
Venit homo eximius clara virtute Joannes,
Cœlitus, ut testis fieret de lumine, missus.
Non lux ille fuit, sed lucis præco refulsit.
Lux vera ille aderat, hominumque pectora lustrat.
Illa inde aversos animos mersosque tenebris
Sponte sua irradiat, dignata invisere mundum.
Ipse in mundo aderat, et mundum fecerat ipse :
D Nec tamen hunc cæco cognovit pectore mundus.
In propria venit, proprii hunc sprevere superbi :
Quique autem illius credentes nomine sacro
Mente receperunt humili et pietate fideli,
Hos dedit esse Deo claros in sæcula natos,
Quos non sanguinibus genitos, non carne creatos
Nec prorsus ulla illecebra generante virili
Divinam in prolem divinus Spiritus edit.
Verbum etiam Patris caro factum habitavit in illo,
Naturæ nostræ mortali corpore clemens,
Ut nos ad vitam posset revocare perennem.
Hinc oculis mentis nova lux exorta refulsit :
Claruit hinc ejus sublimis gloria nobis,

Ut Patris unigenum possemus noscere natum.
Qui plenus veritate cluit, cui gratia summa est.
Nam verus cum Patre Deus mortalia nostra
Dignanter sumpsit, nec propria linquere novit.
Hunc testis verax clamat. dixitque Joannes :
Post me vir veniet, quem me majora docebunt,
Me prior ille fuit, mihi sit prælatus oportet.
Illius æterno cuncti de fonte rigamur.
Per Moysen terrens præmissa est littera legis,
Per Christum indulgens aderit modo Gratia Jesum.
Nemo Dei faciem mortalis conspicit unquam.
Unicus hunc solus novit qui permanet alto
In gremio Patris. Hic dignis digna revelat.
In hunc sidereæ vultu radiante columbæ
Spiritus adveniens æterna sede quievit :
Filius iste Dei est, hujus mihi gloria claret.
Talia dum populis loquitur, dum talia clamat,
Ecce sacerdotes Solymis venere rogantes,
An Christum sese credi velit ipse Joannes.
Protinus ille negans : Non sum quem creditis,in- [quit.
Vox ego clamantis, præsentem nuntio Christum,
Cujus ego non sum caligam contingere dignus.
Vidit item Christum coram transire Joannes,
Agnus, ait, ecce Dei qui tollit crimina mundi.
Discipuli astabant gemini, Jesumque sequuntur.
Ex his Andreas frater Petri exstitit unus.
Repperit hic fratrem, Messiam invenimus, inquit.
Ad Christum veniunt, mox Christi dona reportant.
Eligit ipse viros dignos, vocat ipse Philippum,
Nuntiat ille pio mox gaudens Nathanaeli
Quem Lex et sacri Christum cecinere prophetæ.
Nathanael properat, ille hunc ubi vidit adesse,
Israclita ecce verus huc advenit, inquit,
Cui nullus, sub corde dolus, cui pectora pura.
Hunc procul absentem ficus sub tegmine vidi.
Cum super positus frondosa staret in umbra.
Necdum illifidus dederat pia verba Philippus,
Ille admiratus celsi præsagia Christi :
Vere, ait, ecce Dei sublimis Filius hic est.
Iste Israelis Rex est per sæcula verus.
Credenti Christus spondet majora videnda.
Cernetis, inquit, reserari culmina cœli,
Angelicos choros famulari in sæcula Christo.
Cujusdam ad thalamos sancta cum matre vocatus,
In vinum subito naturam vertit aquarum.
Discipuli credunt, divina et facta pavescunt
Ejicit ex sacro mercantum millia templo.
Solvendam propriæ carnis denuntiat aulam,
Cœlesti signo in triduo quam suscitet ipse.
Mystica Nicodemo baptismi munera pandit,
Abluit ipse suo tinguens baptismate turbas.
Concurrunt alacres, capiunt pia dona salutis.
Hæc ubi cognovit, sanctus Baptista Joannes,
Impleta declamat sua gaudia, provocat omnes :
Se minui gaudet, illum succrescere gessit.
Samariæ ad puteum mulieri mystica fatur.
Pandit aquam vitæ, Christum sese esse fatetur.
Agnoscunt cives mundi advenisse salutem.
A In patria propria dicit sine honore prophetam,
Et reguli prolem mortis ex fauce reducit.
Sermone absentem vitæ de funere reddens.
Paralysi antiqua jam pene in morte jacentem.
Bethsaidæ in Solymis piscinæ erexit ad undas.
Exsilit æger ovans, proprium gerit ipse grabatum,
Judæis loquitur mysteria plurima vitæ :
Se simul et Patrem æque facere omnia dicit.
Qui Moysi credunt, prorsus sibi credere firmat.
Millia quinque virum quinis de panibus ille
Piscibus et geminis mira virtute refecit.
Fragmina bis senos cophinos ablata replerunt.
Attoniti hinc populi quærunt sibi ponere Regem :
Ille fugit, montem petiit, hic solus adorat.
Non capiunt Christum regni mortalis honores
B Discipuli in pelago vento obsistente laborant :
Christus adest placidus gradiens in fluctibus atris,
Navicula optatum tenuit mox libera portum.
Alloquitur populos veteris de munere mannæ :
Se panem vivum cœli venisse fatetur,
Quem quicunque capit,mortem non sentit in ævum.
Discipuli plures ex hoc sermone recedunt.
Petrum cum sociis Christo gaudenter adhæret,
E quibus ille unum zabuli sub nomine damnat.
Festa dies aderat quæ sunt umbracula jussa.
Ille docet populos, promittit flumina vitæ
Spiritus ille Dei, quem dat credentibus, hæc sunt.
De Christo exoritur contentio magna superbis.
Nicodemum exagitant, urgent sine jure ministros.
Simplicibus turbis maledicunt ore protervo.
Ad Dominum mulier defertur adultera Christum.
C Hanc ille in miseros larga pietate redundans,
Judicio mortis pariter et crimine solvit.
Hinc lucem mundi claro se prædicat ore :
Effugient mortis tenebras quicunque sequuntur :
Lux illis vitæ totum fulgebit in ævum.
Principium Christus se prædicatori sereno,
Quod loquitur puris infulgens mentibus intus.
Omnis qui peccat, peccati servus habetur.
Mendacii tetrum zabulum docet esse parentem,
Hic necis humanæ ferus exstitit auctor ab ævo,
Nec stetit infelix in vero lumine fallax.
Ante Abraham Christus semper sese esse fatetur.
Ille alacri Christum cupiebat cernere voto.
Vidit et exultans, felici est mente gavisus.
Cæci nati oculos sputo limoque salubri
D Illinit, et Siloe puris illuminat undis :
Cæcum hominem irradiat,quoniam baptisma salutis.
Electis ovibus quod sit pia janua monstrat.
Per hunc intrantes pergunt ad pascua vitæ.
Hujus sanguis oves æterna a morte redemit.
Dum graditur templi speciosa per atria Jesus
Judæis populis quis sit quærentibus ipse,
Clara voce Patrem seseque unum esse fatetur.
Quarta dies Lazarum monumenti clauserat antro,
Astabant tristi plorantes voce sorores :
Turba ingens aderat solatia mœsta ferentum.
Allevat ille oculos, Patri dat munera laudis,
Defunctum inclamat, prodit mox ille sepulcro :

Nexibus exuitur, et dulcia tecta revisit.
Unguento Jesum perfundit sacra Maria :
Jucundo impletur late domus omnis odore,
Ut redolet toto felix Ecclesia mundo.
Rex mitis placido Jesus concedit asello.
Palmigeris turbæ manibus dant cantica laudum.
Sic Solymam ingreditur, adit et pia mœnia templi :
Gentiles clarum quærebant cernere Jesum.
Frumenti granum dicit se protinus ille,
Quod terræ immoriens multa cum fruge resurgit.
Oranti vox clara Patris repondit ab astris :
Clarificavi, inquit, te, nate, et clorificabo.
Expavit populus divinæ vocis honorem.
Multi e principibus magnalia tanta videntes,
Pectore credebant, metuebant ore fateri,
Non divina illos, sed mundi gloria traxit,
Abluit ille pedes veneranda in nocte suorum.
Pelvi infundit aquas, tergentia lintea gestat.
O quanta humilitas! quanta est clementia Christi.
Designat Judam buccella panis iniquum.
Ter sese a Petro prænuntiat esse negandum.
Discipulis propriis signum præscribit amoris.
Inde suos nosci voluit si pectora fratrum
Alterna charitate sibi connexa vigerent,
Quali nos primus dilexit cœlitus ipse.
Se docet in Patre et Patrem venerarier in se.
Majestas una est, et gloria compar utrique.
Quidquid agit genitus, totum est operatio Patris.
Paraclitum spondet se mittere protinus illi
Cum mox e tumulo devicta morte resurgens,
Inclytus ascendens penetraverit ardua cœli.
Se vitem veram loquitur, propriosque fideles
Palmitibus similes in se monet ille manere,
Ne jaceant steriles, jugi tradantur et igni.
Discipulos clemens Patri commendat Iesus,
Traditur a Juda, Pilato addicitur insons.
Verberibus cæsus populo datur ipse necandus.
Exiit ipse crucem sibimet mitissime portans.
Passio gustato Christi completur aceto.
Mandatur tumulo, destructa morte resurgit.
Ad tumulum Maria lacrymas fundebat amoris,
Sublatum insidiis corpus credebat Iesu.
Ille repente micat, dat huic mandata salutis.
E tumulo sacræ redeunt gaudendo sodales :
His cursu in medio fulgens occurrit Iesus :
Dat clementer Ave, pedibus illæ oscula figunt.
Flebat amare nimis Christi Petrus ille negati
Crimen, huic clemens apparet protinus ille,
Solatur mœstum, trepidantis pectora firmat.
Ibant forte duo castellum invisere quoddam :
His subito in habitu peregrini occurrit Iesus :
Tecta rogatus adit, pandit se in fragmine panis.
Discipuli clauso residebant forte timentes
Conclavi, his subito radians assistit Iesus.
Agnoscunt Dominum, clavorum signa recensent.
Thomas defuerat, cum se Deus ille magister
Monstrarat sociis, lateris pia vulnera pandens :
Christus adest iterum, Dominum ille Deumque [fatetur.

A Cum sociis Petrus piscans nil ceperat undis.
Littore stat Christus, jactari retia mandat,
Fit captura ingens, clarus convescitur illis.
Monte Galilææ, sicut promiserat ipse, .
Clarificum sancti Jesum reverenter adorant,
In cœlo et terris dicit sibi subdita cuncta.
Ultima discipulis jungens convivia sacris,
Mandat Evangelium per hos toto orbe coruscet,
Credentesque omnes sancto baptismate tingui.
Montis Oliveti petiit mox ille cacumen.
Assistunt sancti, benedicit cœlitus illis,
Sideream penetrans ipsis cernentibus aulam.
A dextris sedet ille Dei, virtutibus ipsis
Celsior angelicis, venturus et inde coruscus,
Judicet æternis ut totum legibus orbem.
B Hunc cœlum et tellus, hunc tartarus ipse profundus,
Cunctorum Dominum, cum Patre in sæcla potentem
Ac Spiritu sancto laudet, huic sidera clament.
Amen.

IV.

ORATIO

Cum commemoratione antiquorum miraculorum Christi Dei nostri.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
Principium rerum, per quam Pater omnia fecit.
Cum Flatu æterno super æquora vasta cubante,
Tu pressus quondam tenebris horrentibus undas
Luce nova irradians, noctemque diemque creasti.
Ut varios hominum revelet lux blanda labores,
Et nocturna quies attritos recreet artus.
C Tu geminas sedes discretis fluctibus aptans,
Hos agis in pelagus, illos super astra recondis.
Arida quo posset fructum producere tellus
Hastibus et gratis animantia cuncta foveret,
Tu lunæ solisque globum, stellasque micantes,
In varias causas per culmina celsa locasti.
Tu terræ ex utero pecudes a reptile cunctum
In lucem sola procedere voce dedisti.
Tu lymphis etiam spirantia corpora condens,
Alitibus ventos, ditasti piscibus æquor.
Tu torpentis humi corpus de corpore sumptum
Vivifico sacri spiraminis erigis haustu :
Idque hominem vocitans, totum regnare per orbem
Præcipis et totius rationis legibus imples.
Quo genus in terris uno factore creatum.
D Ut genus in cœlis uno rectore regatur.
O virtus æterna Dei quam machina mundi.
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu primum non passa virum consistere solum
Conjugis egregiæ solatia casta creasti,
Quam nec terra tulit, materna nec edidit alvus,
Sed tua de costa formavit dextra virili.
Tu scelus amborum punisti morte benigna,
Et serpentinam damnasti pulvere linguam,
Quæ docuit miseros contemnere jussa Tonantis,
Numinis et summi summum sibi quærere nomen.
O virus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,

Tu justi interitum, quem fratris dextra peremit,
In pœnam auctoris justa sub lege retorques.
Tu quemdam ex primis primi mortalibus ævi
Ignarum mortis vitæ ad secreta tulisti.
Cum tamen interea vitiis ferventibus omnes
Polluerent pulchrum per mille piacula mundum.
Tu totum validis involvens fluctibus orbem,
Terrigenis terras viduasti, flumina ripis.
Tu justum quemdam propria cum prole domoque
Diluvii ex undis arca vectrice reservas,
Ut genus in terris uno de semine surgens
Una morte ruens, una de stirpe resurgat,
Atque homines mundos tellus mundata foveret,
Nec vita indigni fruerentur munere vitæ

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
Tu tibi sublimes quærens conjungere amicos,
Ignibus ex mediis primum sine labe vocasti,
Qui patriæ fines et tristia regna relinquens,
Crevit in ingentes peregrino in limite gentes.
Nam primogenitum serva quem matre creavit,
Bis senos generasse duces lex aurea canit,
Posterior natu genitrix quem libera fudit,
Suscepit geminos una de conjuge natos.
Alter Idumæos misto de sanguine condit;
Hebræos alter duodena ex stirpe propagat.
Hic habuit geminas prisco de more jugales,
Et totidem servas uxorum munere sumptas,
E quibus antiquam gentem populumque potentem
Protulit, et claris sua semina contulit astris.
Cum tamen infando rursus gens impia quemdam
Fluctibus ablutum macularet crimine mundum.
Quem delere parans, Sodomitica mœnia flammis
Sulphureoque igni subvertis tecta Gomorrhæ,
Quin et finitimas miseris cum civibus urbes,
In cinerem solvis, et gurgite deprimis alto.
Judicio sunt poma locis qoæ nata sub hisdem
Pulchra foris vacuis intus sunt plena favillis.
Attamen ex ipsis quemdam tua dextera justum
Ereptum flammis scelerata eduxit ab urbe
Quem geminæ natæ misera cum matre sequuntur,
Et montana petunt, tanta ne in strage perirent:
Sed nimium infelix snbito perculsa fragore
Rexpexit conjux, pœnamque experta remansit,
Hic natæ solo solæ cum patre relictæ
Mortales periisse ratæ, sic fraudibus usæ,
Vina seni miscent, bina et sub nocte vicissim
Succumbunt patri, et concepto semine surgunt;
Hinc duo gignuntur post sæva incendia fratres,
Et mortale genus Sodomis pereuntibus augent.
Alter Amon, alter vario cognomine Moab
Dicitur, et geminas condunt ab origine gentes.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu justum quemdam distractum crimine fratrum
Memphycolis præfes, atque orbem pascis egentem.
Tu populum sanctum duro sub fasce gementem,
Ad patrias sedes mira virtute reducis.
Ob hanc Ægyptum quino bis verbere plectis
A E cœlo, e terris mittens portenta, vel undas
Scindis, purpureum lymphis durantibus æquor,
Callibus et siccis plebem deducis ovantem.
Cui noctu dux ignis erat, præeunte columna;
Et mediis gratis nubes dabat æstibus umbras.
Pastum cœlestis præbebat panis, et omni
Nocte fluens dulci complebat nectare campos.
Quas conviva dapes cuperet, quoscunque sapores
Appeteret, una lætus capiebat in esca.
Potum saxa dabant, virgæ quæ mollis ad ictus
Duritiam rumpunt, et flumina larga ministrant.
Carnifluis epulis servit numerosa coturnix,
Discit et exosis ultro se infundere mensis.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
B Tu sanctum tristi texisti fulmine montem,
Et vocem horrendam sacra de nube dedisti.
Tu vati accito legis præcepta supernæ
Tradis, et alloquio famulum dignaris amico.
Pontificem statuis, precibus placare Tonantem
Qui queat, et sancto cultus procedat amictu,
Intret et horrendos veli post claustra recessus
Et Patris æterni solus secreta revisat.
Interea varium turbata per agmina murmur
Pestrepit, et densæ resonant per castra querelæ.
Detrahitur vati, contemnitur ipse sacerdos,
Ac nimis accenso lapidantur pene tumultu,
Ægyptum repedare parant, vana idola fingunt
Solemnemque diem ludis et carmine ducunt.
Ira etiam justo tandem commota furore,
Illicitos ausus tali sub jure coerces;
C Hos perimis flammis, et toto cœlitus igni
Illos sulfureas erebi demergis in undas,
Quos retinet tellus, cœli vis ignea punit;
Quos terra absorbet, viventes inferus haurit.
Sic natura tuos certatim devorat hostes,
Sic scelerum vindex totus tibi militat orbis,
Nec patitur quemquam vitales carpere flatus,
Quem tibi non toto credentem pectore cernit.
His tamen ex flammis tantoque ex funere bini
Servantur juvenes fidei virtute decori :
Quos nova progenies et nescia criminis ætas
Ad regnum comitata fide tua præmia sumpsit,
Nam septem gentes et regna potentia septem
His servire jubes, et terram tradis opimam;
Quæ rivos lactis et mellis flumina fundit,
D Pingua quæ sacris deludant balsama ramis,
Quam Pater ipse pio despectat lumine semper,
Mensibus et certis cœlestibus irrigat undis.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, eui servit terra polusque.
Tu rapidos fluctus cohibes, et flumine sicco
Transducis sanctam tantis cum millibus arcam :
Tu magnam solis quondam clamoribus urbem
Solvit in æternas populo pereunte ruinas;
Sed meretrix quædam superat, quam vivere solam
Præstitit alma fides : proprio cum patre domoque,
Ac ne plura morer, tellus subjecta quiescit,
Et possessa Dei varia sub sorte tenetur.

Judicibus regitur duodenis, quos tuus implet
Spiritus, et miro virtutis robore firmat.
Viribus ut magnis sævos superare leones,
Et validos vincti possent disrumpere nexus,
Nunc urbe inclusi, et sub noctem milite multo
Vallati foribus raptis conscendere montes.
Nunc tristes cuneos, et castra minacia ferro
Sternere non gladio, sed malo vilis aselli,
Vomere quin etiam vastas fudere catervas,
Restitit et telis terris res apta colendis
Sic arcent hostes, sic sceptra potentia terrent,
Defenduntque suam fidei munimine gentem.
Ac patrias leges divinaque jura quietis
Exercent populis meritisque et honore verendi
Idem armis prompti, devoti legibus idem,
Idem odio externis, affectu civibus idem,
Fraus aberat fallax, languebat victa cupido,
Justitiæ virtus ipsa inter bella vigebat.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque;
Tu puerum sanctum sacrato chrismate tinctum
Pastorum ex numero regem facis esse tremendum.
Iste gigantæas pulsantes sidera moles
Nunc saxo, nunc ense potens sub tartara misit,
Et quos nulla prius poterant subvertere bella,
Unius hos pueri contrivit, te duce, dextra,
Conservansque tuos; alienosque undique perdens,
Abramidum miro rexit moderamine gentem.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu pia cœlesti perfundis pectora flatu,
Et ventura modis prædicis in ordine miris,
Virgineo partum ex utero, rerumque salutem
Spondes, et mœstis uberrima gaudia terris.
Talia divinis arent oracula signis,
Præsentemque fidem rebus dant cuncta futuris.
Et nunc prærapido sol concitus axe volantes
Sistit equos, tenditque diem, noctemque moratur
Nunc currum occiduis retro converttt ab oris,
Deciduasque faces Eoos flectit ad ortus,
Æneus hastili serpens suspensus in alto
Virus agit venis, et diros effugat angues.
Flammigero curru mortali in carne propheta
Tollitur in cœlum, tantum nec læditur igni
Cæditur excelso montis de vertice saxum,
Quatuor et species uno mox conterit ictu,
Æs.aurum,argentum,et testæ cum fragmine ferrum
Solvitur, et stipulæ raptatur in aera more.
Ast lapis ingenti succrescens vertice montem
Efficit, et vasta totum mole occupat orbem.
Æstibus horrifici flamma exundante camini
Tres jussu pueri regis traduntur iniqui.
Angelus almus adest medius fornacis, et auræ
Roscida flabra jacit, dirimitque incendia vento.
Illi magnificas gratanti pectore laudes
Astrorum et terræ referunt pelagique parenti
Persistunt hilares, ipsoque vocante tyranno,
Ex medio lætis procedunt vultibus igni.
Mirantur satrapæ, mirantur barbara corda
A Illæsos crines, illæsa sarabara crines.
Ac fidei flammis ignes cessisse minaces,
Terricrepcsque focos perculsis mentibus horrent
Undivagus vates cæto sorbente voratus,
Vitales alto flatus sub gurgite duxit,
Et tribus exactis triplici cum nocte diebus,
Integer ad superos imis processit ab undis.
O virtus æterna Dei,quam machina mundi
Suscipit auctorem,cui servit terra polusque.
Tu gremio lati projecta cadavera campi
Anida quæ nudis vestibant ossibus arva
Carnibus et nervis,et vivo tegmine pellis
Induis,et prisca refoves nova pectora vita.
Cerneris ignicomis cœli cum nubibus ire,
Et populos omnes, linguasque,tribusque tenere.
B Sedibus hinc positis patefacta volumina cordis
Inspicis, et geminis mortalia dividis oris.
Hos morti exemptos et vitæ luce coruscos
Cœtibus angelicis cœlestibus inseris aulis :
Illos præcipiti flammarum turbine raptos
Ignibus æternis, atræque immergis abysso
Illic lætitiæ voces et cantica laudum :
Hic dolor et gemitus totum resonavit in ævum.
Hinc me, quæso, reum peccati labe piatum
Eripe, Christe potens, clementi numine florum.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
Sit tibi summus honor,sit gloria,sitque triumphus,
Sit regnum sine fine manens, sit gratia perpes,
Mortalis te lingua canat, te cœlica turba
Personet, et totus in laudem concrepet orbis.
C Te pavidum pectus, te corda trementia, te vox,
Te pia mens recinat, te viscera tota resultent.

V.

EPIGRAMMA LIBRI HOMILIARUM TOTIUS ANNI
ex diversorum Patrum tractatibus ordinati.

O prudens lector, vitæ cui cura perennis,
Perlege præsentem studioso pectore librum,
Ex veterum dictis callectus denique Patrum,
Quos probitas, quos reeta fides ad sidera vexit,
Emicat ac totus doctrinæ lampade fulget.
Pandit luciflui mysteria sancta diei,
Quo Patris æterni genitum sine tempore Verbum
Non ex labe viri, sed de virtute Tonantis
Nostræ habitu formæ, dictu mirabile! sumpto
Sponsus ut e thalamo sic Virginis editus alvo
D Prodiit, et mœsto nova gaudia detulit orbi.
Hæret huic martyr celeberrimus ore corusco,
Intendens cœlum natumque ex Virgine Christum,
Ad Patris dextram stantem super æthera cernens,
Dum sancto plenus spiramine saxea corda.
Increpat, et lapidum quassatus mole precatur :
Accipe,quæso,meam,Jesu, rex inclyte,mentem
Et genibus flexis pro queis tibi supplico, parce.
Ergo fide clarus doctrinæ fulmine pollens,
Terribilis signis pretiosa morte sacratus,
Nominis ipse sui præcelsum munus adeptus,
Cœlestem sumit parta pro laude coronam.
Martyrii florem sequitur flos virginitatis,

In gremio Christi recubans sacer ille Joannes.
Maximus æterni præco per sæcula Verbi,
Quod cum Patre Deo semper Deus omnia fecit,
Cœlum, tellurem, mare, tartara, sidera, ventos,
Et quæcunque poli gyrus complectitur ingens,
Et quidquid superos excedens incolit axos,
Proque ipso felix Pathmæi gurgitis exsul.
Unde repente poli celsa ad fastigia raptus,
Aurea perculsus vidit candelabra septem,
Inque horum medio dilectum incedere Christum,
Vestitum poderis sacris, cui zona mamillas
Aurea præcingens,candentia pectora comit,
Cæsaris niveo floret veneranda capillo,
Horribiles oculi flammanti luce coruscant,
Et facies rutili præfulget solis ad instar,
Ignitique pedes auricalchi more rubescunt,
Quo rapida validus fornace examinat ignis,
Et septem stellis ornatur dextera fulgens,
Terribilique biceps ensis processit ab ore.
Corruit hoc viso ceu mortuus. Ille trementem.
Solatur blando alloquio, dextraque benigna
Erigit, et cœli sacrata per omnia ducit
Quæ sacro descripta volumine non capit ullus,
Ni sacer internam reserat cui Spiritus aurem.
His liber hic laudes infantum ex ordine jungit
Qui primi ob Christum crudeli sorte perempti,
Perpetuo Christi nunc regno et pace fruuntur.
Edocet Octavæ quid sectio mystica lucis
Innuat antiquæ reserans ænigmata legis.
Transit ad egregii solemnia sacra diei
Quo regis nostri cunabula vilia Christi
Muneribus trinis pietas venerata Magorum,
Thure Deum docuit, Regem signavit in auro,
Mortalemque hominem myrrha depinxit amara,
Quem sibi sidereus monstrarat ab æthere fulgor,
His sociat clarum numeroso lumine festum,
Quo tener ad sacri devectus limina templi,
Turturibus geminis duplici seu prole columbæ
Divinis placuit conspectibus, ac senis almi
Complexu astrictus, Judææ gloria gentis
Et lux totius Christius promittitur orbis.
Inde quater deni nectit jejunia solis.
Quæ Dominus juncto transegit tempore lunæ,
Debellans rabidas antiqui dæmonis iras,
Quem gemini vates totidem pugnando diebus
Impasti nullo poterant pervincere pacto.
Ter sese horrendis erexerat improbus armis,
Ter Christi valida confossus cuspide cessit.
Unde sacer totum floret mos ille per orbem,
Vicinis Paschæ solemnibus. in quibus atri
Guttura sæva lupi mactatus perculit Agnus,
Ut jejuna pari celebrentur tempora voto,
Et castigato curentur corpora victu,
Christicolis quibus infesti furor imminet hostis.
Ista salutiferi sequitur laus inclyta ligni,
Quo veteris mire deleta est cautio culpæ,
Dum genus humanum vetiti quod tactio ligni
Perpetuæ mortis dura ditione gravarat,
Per lignum æternæ recipit nova gaudia vitæ,

A Cum Christus sacras expandens in cruce palmas,
Adæ dira pio tersit delicta priore.
Eminet hinc veri festum mirabile Paschæ,
Quod Christus tumulo devicta morte resurgens,
Ad jugem vitam moribundos transtulit artus,
Auctorem lethi domuit, lethumque peremit,
Eripuit priscos erebi de carcere justos,
Ac secum plures rediviva in carne reducens,
Ostendit sæcli felicia dona futuri.
Post hæc magnifici præclara ascensio Christi,
Fulget ad ætherei remeantis culmina templi,
Quo nec magnus Enoch rapuit quem dextra To- [nantis,
Nec sacer Elias curru flammante repente
Sublatus rapido potuit penetrare volatu;
B Sed potuit Christus,cœlo qui sponte supremo
Adveniens, ultro mortales induit artus,
Cum voluit propria in cœlum virtute redire.
Qua patria dexter residet sublimis ab arce,
Inde sub extremo venturus tempore mundi,
Angelicis turmis atque ignis turbine septus;
Supplicium pravis sua præmia reddere justis.
His adnexa nitent clarissima festa superni
Muneris a Christo promissi ab æthere missi,
Cum sacer e cœlo violenti turbinis instar
Spiritus exsiliens,credentia corda petivit,
Discipulisque Dei supra caput igneus astans,
Multifidis visus flagrare in vertice linguis,
Accendit tepidos,infirmos robore fulsit,
Ignaros docuit, linguarum munera fudit.
Hæc super adduntur Patrum pia dicta sacrorum
C Sanctorum, o lector, claris accommoda festis,
Ut capiti semper hæreant sua membra superno.
Ac primum eximius residet Baptista Joannes,
Ex senio fessis mire genitoribus ortus,
Vaticinansque prius conceptum Virgine Christum,
Visceribus matris quam vitæ exiret in auras,
Quo nullus major mulieris natus habetur,
Quique Dei mundo monstravit sedulus agnum,
Et pravum recto commutans limite callem,
Ostendit cunctis quo tramite celsa polorum
Regna petant veteris maculis erroris ademptis.
Inde Petri et Pauli festum prænobile fulget,
Quos Romæ infausti rabies vesana Neronis
Ecclesiæ claros fidei pietate magistros.
Doctrina insignes, signorum luce coruscos,
D Virtute invictos diversa sorte peremit.
Nam crux ad cœlum versi vestigia Petri
Direxit, Christoque suo revocavit ovantem.
At cervix Pauli gladio desecta nefando
Doctorem nitidum vestivit sanguinis ostro,
Purpureumque polo post prælia mille remisit.
Machabæa dehinc certamina laudibus almis
Prosequitur stylus, et pulchro sermone perornat,
Qui septem fratres una genitrice creati
Antiochi sævas vicerunt fortiter iras,
Ac post multimodos pœnæ bacchantis agones,
Cœlestes cum matre pia meruere coronas,
Matre piam quæ tunc septeno pignore fœtam,

Septenoque simul natorum funere torta,
Supplicium prolis obitu comitata beato,
Hebdomadem priscam Ogdoadæ dedit esse novellæ,
Participem regemque ferum pietate subegit.
Nunc præclara suo amplectens diademate Christum,
Septenis rutilat natorum cincta coronis.
Exin martyribus communes dulcis honores
Pagina depromit, Christi quos lota cruore
Palmigeris claros manibus stola candida comit.
His confessorum pulcherrimus ordo cohæret
Quos ardens fidei provexit ad æthera virtus.
Mox et virgineæ resonant ex ordine laudes
Prudenteque chori virtutum lampade clari,
Nec minus interno locupletes semper olivo,
Sidereos intrant thalamos, Christoque jugantur :
Cujus eos dextra, æterno constringit amore.
Hinc etiam sacri quotiens fundamina templi
Consurgunt, ædesque Deo nova conditur alto,
Tinguitur et tactu divini chrismatis altar,
Quæ relegenda pius pro tempore postulat usus
Ex veterum dictis vatum collecta sequuntur.
Tum sacer Andræas miri cum laude triumphi
Concinitur Christoque suo jam proximus hæret
Optata cui morte crucis, cui mente fideli
Hæserat, et toto cordis flagraverat æstu,
Non illum fustes, non diri carceris horror,
Non centum fregere minæ, non vincula læva.
Binos ille dies sacri de vertice igni
Intonuit, verbo ætherio mortalia corda
Terrificans, lustransque simul non ipse tyrannus,
Non hunc carnificum fera brachia turbaque præsens
Amplexu chari potuit divellere ligni,
Donec splendiflua circumdatus undique nube.
Nulli conspicuus mortalis exuit artus,
Fulgidus ad Christum fulgenti tramite pergens.
Adventus Christi præconia fine sub ipso
Terribili sermone tonat quo concitus anni
Circulus almiflco Christi deductus ab ortu.
Almificum Christi concurrat semper in ortum.
Nempe hic principium, cunctorum hic finis habetur.
A prior cunctis, Ω cunctis ultimus exstat.
Hæc igitur veneranda Patrum dicta, optime lector,
Perlege sollicitus memori sub corde reconde,
Actibus exerce, fido sermone profare,
Non hic mortifero metuas lita tela veneno,
Nec levibus linguis paleas non pabula fusas,
Totus catholico resplendet flore libellus.
Totus habet gravium certissima dicta virorum,
Hic tibi recta fides claro sermone patebit.
Hic spes certa tuam sustollet ad æthera mentem
Et sincera pium terget dilectio pectus.
Quo ducente fide, locuples spe, purus amore
Conscendas rapido cœlestia regna volatu,
A Cœtibus angelicis ubi sæcla per omnia junctus,
Perpetuo lætis decantes faucibus hymnos,
Invictamque ferens Christi de munere palmam,
Æterna rutiles ipso tribuente corona.

VI.

AD MODOINUM AUGUSTODUNENSEM EPISCOPUM.

Salve, sancte parens, Christi venerande sacerdos,
(a) Augusti montis, pastor in arce potens.
Quem sacer illustrat meritis splendentibus ordo
Doctrinæ et studium tollit ad alta pie
Quo generis clari lumen torrensque loquendi
Vincitur, et magno sidera sole latent.
Accepi niveam vestro de munere vestem
Tergendoque ori lintea clara satis.
Ac pariter manibus prædulcis epistola nostris
B Tradita rore suo pectora nostra rigat.
Quantus ibi flagret sinceri fervor amoris.
Et pia mens quanta luce corusca micet.
Quæ tuba, quæve lyra flatu fidibusque canora
Explicit, et digna laude ciere queat?
Non mihi tam fervens vegetat præcordia sanguis.
Nec tam larga meo flumina ab ore fluunt,
Ut tibi, sancte parens, pie vates, clare sacerdos,
Condigne valeam solvere laudis opus.
Ille pius cœlique parens terræque repertor
Agminis angelici rex, hominumque sator,
Cujus clara pio sequeris vestigia corde,
Dum celsus humilem respicis, atque foves.
Ille tuis, inquam, meritis condigna referre
Prævalet, ac frugem centuplicare tuam :
C Ut quod nunc largo dispergis semine terris,
Largius Elisia tunc regione metas.
Interea sit vita tibi, sint larga salutis
Gaudia, longa dies, altus honoris apex.
Divinæ sit legis amor, tuba clara docendi,
Egregii mores, cor probitate nitens.
Grex tibi commissus vigeat, torvique leonis
Sæva fide fortis guttura calce terat.
Ut cum cœlesti vallatus milite summus
Pastor ab excelsi fulserit axe poli,
Tum bene servatis ad dextram te locet agnis,
Restituens studiis præmia digna tuis.
Tunc velut electus aries in nube corusca
Velleris aurati stemmate clarus eas.
Quem niveæ comitentur oves agnique nitentes,
Sumpturi vitæ pascua perpetuæ.

D

VII.

TITULUS IN ABSIDE MEMORIÆ SANCTI JUSTI.

Christi sancta domus, præpollens aula piorum
Hospita sanctorum, virtutum sedula mater,
Hæc est quam cernis semper, ubi rite precanti,
Gratia larga patet per tot cumulata patronos.
Quos propriis titulis distinguit gloria consors.
Convexo varia rutilant ceu sidera cœlo.

(a) Id est Augustoduni. Nam veteres montem *dunum* appellant.

FLORI DIACONI
EXPOSITIO IN EPISTOLAS BEATI PAULI
EX OPERIBUS SANCTI AUGUSTINI COLLECTA [a].

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD ROMANOS

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Christi Jesu vocatus apostolus, in quibus estis et vos vocati Jesu Christi. Paulus apostolus, qui cum Saulus..... frangat. (S. Aug., *de Spiritu et litt.*, tom. X, part. I, col. 207.)

Memento de Synagoga fuisse arietes quorum filii sumus. Unde dicit in Psalmo : *Afferte Domino filios arietum.* (*Psal.* XXVIII).

Qui inde arietes?... grandis in Christo. [S. Aug., *tract. in Psal.* LXXII, tom. IV, p. I, col. 916.)

Iste vas electionis primo Saulus a Saule...recedet a te. (S. Aug., *serm. de apostolo Paulo*, tom. V, p. I, col. 1278.)

Absit enim, Domine, ut..... nomine auctoritatis. (S. Aug., *lib.Confess.* VIII, tom. I, col.752 et seq.)

Servus Christi Jesu. Quid dicemus charissimi..... Salvator facit. (S. Aug., *tract.*73 *in Evangelii secundum Joan.* tom. III, col. 1825.)

Aliam significationem..... fracti sunt. (S. Aug., *ser. epistolæ Joannis* III, tom. III, p. II, col. 2000.)

Vocatus apostolus. Apostolos suos certe ipse Dominus misit..... appellantur. (S.Aug.*tract. in Joan.* t. III. part. 2, col. 1761).

Unde propheta..... sede ad etc.(S. Aug.,*libr. contra Faustum Manichæum, titulo* 13, tom.VIII,col.282 et seq.)

Ordp iste mihi servandus est,ut loquens de Evangelio non taceam de prophetis. Sed ego, inquit,

A Manichæus..... destitit esse Deus. (S. Aug., *lib.* V *contra hæreses*, tom. VIII, col. 1107.)

Quid factus est ei ex semine David secundum carnem. Et si enim in quibusdam Latinis... Concordat auctoritas. (S. Aug., *lib. contra Faustum*, tom.VIII, col. 248.)

Dominus noster... secundum carnem. (S.Aug.,in libro *Enchirid*, tom. VI., col. 251.)

Non enim...Creator. (S.Aug., *tract. in psal.* CXVIII, tom. IV, p, II, col. 595.)

Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Est etiam præclarissimum lumen... ad Hebræos.(S. Aug., *lib. de Præst. sanct.*, tom. X, p. I, col. 981 et seq,)

Nullum est illustrius prædestinationts exemplum... futura præscivit. (S. Aug. *lib. de Dono per-*
B *severantiæ*, tom. X, p. II, col. 1033 et seq.)

Filio dicente.Et nunc...dexteram sedet. (S. Aug., ex *tractatu Evangelii secundum Joan.* 105, tom. III, part. II, col. 1907 et seq.)

Secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Locutio est in Scripturis usitatissima... ista locutio. (S. Aug., *tract. in psal.* LXVII, tom. IV, p. II, col. 820 et seq.)

Est in psalmis ita dictum... Jesu Christi. (S. Aug., *lib. de Trinitate* XII, tom. VIII, col. 1001 et seq.)

Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis. De gratiæ Dei commendatione... debita red-

(a) De auctore *Expositionis sancti Pauli Epistolarum ex sancto Augustino collectæ* magna lis est olim exorta inter criticos. Quidam Ven. Bedæ illud opus tribuebant, alii vero Floro Lugdunensi diacono. Doctissimus Mabilonius litem diremit, de re disquisitionem exarando.In Prolegomenis ad Ven.Bedæ Opera, hanc Mabilonii dissertationem edidimus.

Nobis illud Flori opus prelis mandaturis duo scopuli obviam sese obtulerunt. Nam, ut ex titulo percipitur, solius sancti Augustini Operibus conflata est hæc Epistolarum divi Pauli Expositio.Una parte, jam a nobis integra edita sunt sancti doctoris Opera, et sexdecim voluminibus constant, a tomo nempe trigesimo secundo Patrologiæ ad quadragesimum septimum. Itaque, si Commentarius diaconi Lugdunensis integer esset recudendus, iterum edere debemus, saltem per partes, sancti Augustini Opera. Porro illud erat præsertim vitandum,
C ne videremur volumina voluminibus addere, bis eadem typis mandando. Altera parte, eruditissimi Flori laborem præterire non potuimus; illius ad minus delineatio erat servanda.

Scopum attigisse nobis visum est, si, citatis primis et posterioribus verbis locorum sancti Augustini in explanationem beati Pauli textus a Floro delectorum, lectores revocarentur ad nostræ editionis paginam pro singulis citationibus.Ea enim ratione bis in idem non incidebamus,et integer Flori Commentarius servabatur, in quantum saltem erat possibile. Ne lectores ergo pigeat tot revocationum ad nostram sancti Augustini editionem.

Idem erat agendum pro textu sancti Pauli Epistolarum. Supervacaneum putavimus singulos versus in medium adducere. Voces igitur primas tantum atque ultimas versuum, brevitatis causa, recudimus. EDIT.

deretur. (S. Aug., *epist. ad Sixtum*, tom. II, col. 877).

Gratia nobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Gratia Dei qua...et prophetæ. (S. Aug., *lib.* I *Retractationum*, tom. I, col. 623.)

Primum quidem...in universo mundo. Beatus enim... non Deum. (S. Aug., *lib. de Ovibus*, tom. V, p. I, col. 315).

Testis enim mihi est Deus... sicut et in cæteris gentibus Græcis ac barbaris. Ego autem dico vobis, non jurare... malo est illius. (S. Aug., *lib.* I *de sermone Domini in monte*, tom. III, p. I, col. 1255 et seq).

Sapientibus et insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est et vobis. qui Romæ estis, evangelizare. Tu perfecisti solem et lunam. Solem spirituales,... debitor sum. (S. Aug., *in psal.* LXXIII, tom. IV, part. I, col. 941).

Non enim erubesco... Judæo primum et Græco. Objiciebatur... tam libera. (S. Aug., *in psal.* LXVIII, tom. IV, p. I, col. 856 et seq,)

Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Intelligitur quidem fides qua creduntur ea quæ.,. præstantissimæ veritatis. (S. Aug., *lib. quæstionum Evangelii*, q. 2, tom. III, p. I, col. 1352 et seq.)

Idem... consequentia docent. (S. Aug., *lib. de Spiritu et littera*, tom. X, p. I, col. 211 et seq).

Ait Dominus Jesus. *Ego sum via, veritas et vita...*, iniquitate detinent. (S. Aug., *tract. de Verbis apostoli* 55, tom. V, part. I, col. 776).

Quis novit potestatem iræ tuæ, etc., *usque ad* impiorum. (Id., *in psal.* LXXXIX, tom. IV, p. II, col. 1145).

Nunquid dixit, etc., *usque ad* stulti facti sunt. (Id., *serm.* 56, *de verbis Evang.*, tom. V, part. I, col. 776 et seq.)

Unde probas, etc., *usque ad* fortiter ambulare. (Id., *ibid.*, tom. V, p. I, col. 777 et seq.)

Via Domini aut non erat, aut latebat, etc., *usque ad* nisi in te. (Id., *serm.* 8, *de verbis Evangelii*, tom. V, p. I, col. 436 et seq.)

Invisibilia enim ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Unde arguuntur in libro Sapientiæ, etc., *usque ad* cum Deum quærimus. (Id., *lib. de Trinitate* XV, tom. VIII, col. 1058).

Viderunt ergo isti, etc., *usque ad* cuncta creata sunt. (Id., *lib. de Civitate Dei* VIII, tom, VII, col. 231 et seq.)

Philosophos, etc., *usque ad* infigere. (Id., *lib. de Trinitate* IV, tom. VIII, col. 903.)

Nec ad aliud quidem digni habiti sunt ut in eis ista per sanctos angelos nuntiarentur, sive forinsecus per sensus corporis, sive interioribus revelationibus in spiritu expressis, etc., *usque ad* pervenire. (Id., *tract. Evangelii secundum Joan.* II, tom. III, col. 1390 et seq.)

Præcipui gentium philosophi, etc., *usque ad* instituerunt. (S. Aug., *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 1034).

In talibus enim formis etiam idola instituerunt, etc., *usque ad* destruantur. (Id., *lib. Serm.*, tom. V, p. I, col. 1022 et seq.) Id., *ex bapt.*, tom. IX, col. 454 et seq.)

Quamvis enim homo Christianus litteris, etc., *usque ad* fecit intelligi. (Id., *de Civit Dei*, tom. V, col. 234).

Hermes Ægyptius, quem Trimegistum, etc., *usque ad* fieri dæmoniorum (Id., *lib. de Civitate Dei* VIII, tom. VII, col. 447 et seq.)

Dæmones itaque qui coluntur in templis per artem nescio, etc., *usque ad* providentia. (Id., *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 252).

Species membrorum etc., *usque ad* videre consuevit. (Id., *in psal.* CXIII, tom. IV, p. II, col. 1483 et seq.)

Viderunt hæc intelligentiores, etc., *usque ad* subvertit. (Id., *lib.* IV *de Civitate Dei*, tom. VII, col, 136 et seq.)

Brevis omnium quæ adversus idolorum cultores, sive institutores supra ab apostolo dicta sunt recapitulatio. Quia cum cognovissent Deum, etc., *usque ad* illuminabit te Christus. (Id., *lib, de Natura et Gratia*, tom. X, p. I, col. 258 et seq.)

Item brevis eorumdem verborum recapitulatio. *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* Quorum, etc., *usque ad* quam Creatorem. (Id., *serm. de Kalend. Januarii*, tom. V, part. I, col. 1021 et seq.)

Sed væ tibi, si amaveris condita et deserueris conditorem (*Ex sermone secundæ Epistolæ Joannis*). Pulchra tibi sunt, sed quænto est ille pulchrior qui ista formavit. Intendat charitas vestra. Ne surrepat vobis Satanas, dicens, quæ solet dicere. Bene nobis sit in creatura Dei. Quare illam fecit Deus, nisi ut bene nobis sit? et inebriantur, et pereunt, et obliviscuntur creatorem suum, duum non temperanter sed cupiditate utuntur creatis, et creator contemnitur. De talibus dicit Apostolus: Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem, sed approbare et laudare ut ames creatorem. Ergo dedit tibi Deus ista omnia, ama illum qui fecit. Plus est quod tibi vult dare, id est seipsum qui ista fecit. Credimus etiam quod sedet Christus ad dexteram Patris, etc., *usque ad* futura sit. (Id., *serm de Symbolo*, tom. VI, col. 188).

Propter quod tradidit illios Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. Dedit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, etc , *usque ad* consenserunt iniquitati. (Id., *lib. de Spiritu et littera*, tom. X, part. I, col. 235).

His et talibus testimoniis, etc., *usque ad* malis bona? (Id., *lib de Gratia et libero arbitrio*, tom. X, p. I, col. 909).

Mercedem mutuam quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Oportuisse quippe non, etc., *usque ad* turpiter libet. (S. Aug., *lib.* I *contra inimicun legis et prophetarum*, tom. VIII, col. 635).

Inchoatio est, etc., *usque ad* gaudium Domini tui. (Id., *in psal.* VI, tom. IV, p. I, col. 94).

Hujus igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator. Non ergo pœnas, etc., *usque ad* perdidisse putatur Deus. (Id., *in psal.*, LVII.)

Hæc mala morum, etc., *usque ad* significat gratiæ. (Id., *Ex tratactu in psal.* LXXVII, tom. IV, p. I, col. 1003 et seq.

Etiam cum rectas, etc., *usque ad* stuporis in corpore. (Id., *lib. de Civitate Dei* XIV, tom. VII).

Tres ergo affectiones, etc., *usque ad* et ego non uxor. (Id., *in psal.* LV, tom. IV, p. I, col. 650 et seq.)

CAPUT II.

Propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui judicas. Illos Scriptura, etc., *usque ad* justa damnatio. (Id., *Epist. ad Sixtum presbyterum*, tom. II, col. 882 et seq.)

Scriptum est, etc., *usque ad* te ipsum condemnas. (Id., *lib.* V *de baptismo*, tom. IX, col. 192.)

Eadem enim agis quæ judicas Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Huic autem dixit Apostolus: *Qui prædicas non furandum furaris*, et cætera. Deus apud quem nulla est iniquitas, etc., *usque ad* commendetur (Id., *epist. ad Macedonium*, tom. II, col. 654 et seq.)

Animus male sibi conscius, etc., *usque ad* damnatio. (Id., *lib. Sententiarum Prosperi*, tom. X, p. II, col. 1870).

Hic enim misericordiæ, etc., *usque ad* coronam. (Id., *in psal.* C, tom. IV, p. II, col. 1232 et seq.)

Quid tam longanimum, etc., *usque ad* in gemitu columbino. (Id., *in psal.* CII, tom. IV, part. II, col. 1330.)

Intendant ergo qui amant, etc., *usque ad* corrigaris. (Id., *tract.* 33 *in Joan.*, tom. III, p. II, col. 1659 et seq.)

Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, etc. Thesauros, etc., *usque ad* implentur. (Id., *lib.* I *contra inimicum legis et prophetarum*, tom. VIII, col. 621 et seq.)

Quidquid ergo homo facit modo, etc., *usque ad* in futuro possideas. (Id., *serm. de versu psal. Deus manifeste veniet*, tom. V, part. I, col. 129 et seq.)

Contra Spiritum sanctum, etc., *usque ad* judicare. (Id., *serm. de blasphemia Spiritus sancti*, tom. V, p. I, col. 455 et seq.)

Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Soli enim parvuli, etc., *usque ad* et Græco. (Id.,
A *ex epistola secunda ad Valentinum de Gratia et libero arbitrio*, tom. II, col. 971 et seq.)

Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. Pax Christi, finem temporis, etc., *usque ad* spiritus est. (S. Aug., *lib. sententiarum Prosperi*, X, part. II, col. 1894.)

Non enim est acceptio personarum, etc., usque ad *judicabuntur.* Nimirum cum diceret Apostolus, etc., *usque ad* peccatores terræ. (Id., *in psal.* CXVIII, tom. IV, p. II, col. 1572 et seq.)

Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Nulla est anima quantumvis perversa, quæ tamen, etc., *usque ad* sentiat. (Id., *lib.* II *de sermone Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1283).

B Manu, etc., *usque ad* peregrino præstare. (Idem, *in psal.* LVII, tom. IV, part. I, col. 673 et seq.)

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, etc., usque ad *judicabit Deus occulta hominum.* Dominus per Prophetam. Et ero, inquit, testis velox maleficis et perjuris, etc., *usque ad* conscientiam. (Idem, lib. XX *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 702).

Non quemadmodum judicant homines, etc., *usque ad* defendentibus. (Idem, *in psal.* IX, tom. IV, part. I, col. 121.)

Decidant ergo a cogitationibus suis, etc., *usque ad* justi judicii Dei. (Idem, *in psal.* V, tom. IV p. I, col. 88).

Omnia opera vel bona, ete., *usque ad* in nihilum. (Idem., *in psal.* CXVIII, part. II, col. 1571).

Si autem tu Judæus cognominaris, sicut scriptum
C *est.* Judæum arguit, etc., *usque ad* apud te laus mea. (Idem, lib. *de Spiritu et littera*, tom. X, par. I, col. 207 et seq.)

Circumcisio, etc., usque ad *prævaricatores legis.* Opera legis bipertita sunt. Nam partim, etc., *usque ad* lex pendet et prophetæ. (Idem, *expos. ad Galat.*, tom. III, part. II, col. 2117).

Non enim qui in manifesto Judæus est, etc., *in abscondito*, usque ad *sed ex Deo est.* Dicit Apostolus, etc., *usque ad* Evangelium meum. (Idem, *in psal.* LXXV, tom. IV, p. I, col. 956 et seq.)

Qui ergo noverunt, etc., *usque ad* ignorant Deum. (Idem, *lib de Gratia et lib. arbit.*, tom. X, part. I, col. 884 et seq.)

Sed quod adjunxit, etc., *usque ad* levius damna-
D rentur. (Idem, *tract. Evang. secundum Joan.* LXXXIX, tom. III, part. II, col. 1357 et seq.)

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, etc., usque ad *secundnm Evangelium meum per Jesum Christum.* Videndum est, etc., *usque ad* acceptio personarum. (Idem, *lib de Spiritu et littera*, tom. X, part. I, col. 226 et seq.)

CAPUT III.

Quid ergo amplius Judæo, usque ad *sicut scriptum est.* Ego autem dixi in exstasi mea etc., *usque ad* filii altissimi. (S. Aug. *in psal.* CXV, tom. IV, part. II, col. 1492.)

Verbi gratia, potens, etc., *usque ad* ad te vult mendacium. (S. Aug., *lib. serm.*, tom. V, part. I, col. 501 et seq.)

Ut justificeris,... et ego tanquam peccator judicor? Cui dicat, difficile est advertere, etc., *usque ad* facti sunt homines. (Id., *in psal.* L, tom. IV, part. I, col. 590 et seq.)

Et non sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala ut veniant bona, quorum damnatio justa est. Perversi homines, etc., *usque ad* cantabo tibi, Domine. (Id., *lib. de Gratia et lib. arbit.*, tom. X, part. I, col. 910.)

Quid ergo præcellimus eos? Nequaquam. Contentionem ipsam, etc., *usque ad* interfectoribus Domini. (Id., *in expos. ad Galat.*, tom. III, part. II, col. 2107.)

Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse,... non est requirens Deum. Usque non est timor Dei ante oculos eorum. Dominus de cœlo, etc., *usque ad* non timent Deum. (Id., *in psal.* XIII, tom. IV, part. I, col. 141 et seq.)

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. In istis enim, etc., *usque ad* misereatur. (Id., *in expositione Epist. ad Galat.* tom. III, part. II, col. 2123.)

Conclusit Scriptura omnia sub peccato, etc., *usque ad* coram te. (Id., *in psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1581.)

Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Ex operibus legis, etc., *usque ad* crederentur. (Id., *in expositione Epistolæ ad Galat.*, tom. III, part. II, col. 2114 et seq. ad 2116.)

Per legem enim cognitio peccati. Cognitio dixit non consummatio, etc., *usque ad* quod lex imperat. (Id., *lib. de Gratia et libero arbit.*, tom. X, part. I, col. 894.

Nam sine Dei dono, etc., *usque ad* prophetari. (Id., *lib. enchirid.*, tom. VI, col. 287.)

Quia non justificabitur, etc., *usque ad* nec indigens lege. (Id., *lib. de Spiritu et littera*, tom. X, part. I, col. 208 et seq.)

Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem et prophetas. Evangelium enim testimonium habet a lege et prophetis. Unde etiam in monte inter utramque personam medius salvator effulsit. *Omnes enim peccaverunt*, etc., *usque ad* charitas inspiretur. (Id., *in psal* XC in prœmio *et psal.* CXVIII, tom. IV, p. II, col. 1574 et seq.)

Omnes peccaverunt et egent gloria Dei. Etsi enim jam sumus in Christo nova creatura, etc., *usque ad* damnantis. (Id., *lib. de Natura et gratia*, tom. X, p. I, col. 249 et seq.)

Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non. Sed per legem fidei. Sive gloriationem, etc., *usque ad* defluxerunt. (Id., *in lib. de Spiritu et littera*, tom. X, p. I, col. 210 et seq.)

Lex ergo factorum, etc., *usque ad* gratuita gratia. (Id., *lib. de Spiritu et littera*, tom. X, p. I, col. 213 et seq.)

A (Id., *in psal.* CXVII.) Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non. Sed per legem fidei. Hæc est lex fidei qua credimus et oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nosmetipsos implere non possumus, ne ignorantes Dei justitiam, et nostram volentes constituere, justitiæ Dei non sumus subjecti. In lege itaque factorum est Dei jubentis justitia, in lege autem fidei subvenientis misericordia.

Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium. (Id., *serm. de Immolatione Isaac ad Gal.* IV.) Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Quod credidit Deo, intus in corde, in sola fide est. Quod autem B immolandum filium duxit, quod intrepidus dexteram armavit, quod jam feriret nisi voce teneretur, magna fides est utique, sed et magnum opus. Et ipsum opus laudavit Deus, cum diceret, quoniam exaudisti vocem meam. Quare ergo apostolus Paulus ait: Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis? Et alio loco dicit. Est *fides quæ per dilectionem operatur.* Quomodo fides per dilectionem operatur, et quomodo justificatur homo per fidem sine operibus legis? Credidit aliquis, percepit fidei sacramenta, et mortuus est, defuit illi operandi tempus. Quid dicimus? Quia non est justificatus? Plane dicimus justificatum, credentem in eum qui justificat impium. Ergo iste justificatus est, et operatus non est. Impletur sententia apostoli dicentis: Arbitror justificari hominem per fidem sine operibus C legis. Latro qui cum Domino crucifixus est corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem. Nam fides quæ per dilectionem operatur, et si non sit in quo exterius operetur, in corde tamen illa fervens servatur. Nam erant quidam in lege qui de operibus legis gloriabantur, quæ fortasse non dilectione, sed timore faciebant: et volebant se justos videri, et præponi gentibus, quæ opus legis non fecerant. Apostolus autem prædicans fidem gentibus, cum eos qui accedebant ad Dominum, videret justificatos ex fide, ut jam qui crediderant bene operarentur, non quia bene operati sunt credere mererentur, exclamavit securus et ait, quia potest justificari homo ex fide sine operibus legis, ut illi magis non fuerint justi, qui quod faciebant timore fa- D ciebant cum fides per dilectionem operetur in corde, etiam si foris non exit in opere. Apostolus prædicans, etc., *usque ad* multis in locis ostendit. (Id. *ex libro Quæst.* 83, tom. VI, col. 87 et seq.)

Cum ergo dicit, etc., *usque ad* quæ cæteri Apostoli. (Id., *lib. de Fide et operibus*, tom. VI, col. 211 et seq.)

Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. Unus enim Deus qui justificat, etc., *usque ad* per fidem. (Id., *lib. de Spiritu et littera*, tom. X, p. I, col. 231 et seq.)

Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus. Per legem cognitio peccati, etc., *usque*

ad liberi estis. (S. Aug., tom. X, p. I, col. 233 et seq.)

CAPUT IV.

Quid ergo dicemus, etc., usque ad *sed non apud Deum.* Apostolus cum commendaret justitiam, etc., *usque ad* tamen secuta sunt. (Id., *in psal.* XXXI, *in præfatione*, tom. IV, p. I, col. 258 et seq.)

Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam. Factum est verbum Domini ad Abraham, etc., *usque ad* circumcisus (Id. *lib. de Civit. Dei.* 16, tom. VII, col. 500.)

Et qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. (Id., *ad Bonifacium papam Urbis.*) Si quærere voluerit ante gratiam quid meruerit ut acciperet eam, mala sua poterit homo invenire non bona, etiamsi eum unius diei vitam habentem super terram gratia Salvatoris invenerit. Quia si aliquid boni operatur homo ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si autem credit in eum qui justificat impium, ut deputetur fides ejus ad justitiam (justus enim ex fide vivit), profecto antequam gratia justificetur, hoc est justus efficiatur impius, quid est nisi impius? Quem si debitum sequeretur, quid ejus merito nisi supplicium redderetur. Si ergo gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Operibus enim debitum redditur, gratia gratis datur, unde etiam nuncupatur. Hoc est opus Dei, etc., *usque ad* dilectionem operatur. (Id., *tract. Evangelii secundum Joannem*, 29, tom. III, p. II, col. 1631.

Nunquid inter credentes, etc., *usque ad* ut faciamus et nos. (Id., *tract. Evangelii secundum Joannem* 72, tom. III, p. II, col. 1823 et seq.

Dicit Apostolus, si Abraham, etc., *usque ad* operibus bonis. (Id., *tract. Evangelii secundum Joannem*, 80, tom. III, p. II, col. 1843.)

Sicut et David dicit, etc., usque ad *etiam in præputio?* Propterea, inquit, tibi hoc dixi, o homo, etc., *usque ad* oculos misericordiæ Dei. (Id. *in psal.* XXXI, tom. IV, p. I, col. 261 et seq.)

Fides commendari, etc., *usque ad* per dilectionem operatur (Id., *in psal.* LXVII, tom. IV, p. I, col. 838.)

Magna enim opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Quid magnificentius, etc., *usque ad* magnificentia opus ejus. (Id., *in psal.* CX, tom. IV, p. II, col. 1464 et seq.)

Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est: In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Adhibet exemplum, etc., *usque ad* multo post data est. (Id., *in expositione Epistolæ ad Galat.* III, tom. III, p. II, col. 2118.)

Et signum accepit circumcisionis, etc., usque ad *quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Circumcisio carnis lege præcepta est, etc., *usque ad* jam liber est. (Id., *lib. Sententiarum Prosperi*, tom. X, p. II, col. 1885.)

Si veteris populi, etc., *usque ad* manebit in æternum. (S. Aug., *epist. ad Maximinum Arianum*, tom. II, col. 96.)

Non enim per legem promissio Abrahæ semini ejus, ut hæres esset mundus, sed per justitiam fidei. Fides Abrahæ, etc., *usque ad* promissionem. (Id., *lib. Sententiarum Prosperi*, tom. X, p. 2, col. 1878.)

Si enim lex justificat, etc., *usque ad* gavisus est. (Id., *in expositione Epist. ad Galatas*, tom. III, p. II, col. 2121.)

Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio (*ex lib.* II, *contra Julianum.*) Imo destrueretur promissio, si ex lege quisquam justus esset. Si enim qui ex lege hæredes sunt, eximanita est fides, evacuata est promissio. *Lex enim iram operatur.* Ad hoc utique, ut ad iram evadendam gratia Dei requiratur.

Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Omnis legem præteriens, etc., *usque ad* merita sua. (Id., *in psal.* LXX, tom. IV, p. I, col. 879 et seq.)

(Ex lib. *contra Julianum.*) Cur non attendis, rogo, ideo non esse hæredes de lege, quia lex iram operatur? Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo autem ex promissione, quia Deus quod promisit ipse facit. Qui enim præcepta legis implere se putat per arbitrium propriæ voluntatis sine spiritu gratiæ, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum. (Ex lib. II, *de Baptismo parvulorum.*) Id est qui ex Veteri Testamento venit ad Novum.

Sed et ei qui ex fide est Abrahæ. Non sibi præmissa lege. Ex fide autem Abraham id est imitatores Abraham fidei.

Qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est. Quia patrem multarum gentium posui te. Cum Apostolus dicat, etc., *usque ad* donum est fides. (Id., *lib. de prædestinatione sanct.*, tom. X, p. I, col. 976.)

Quia patrem multarum gentium posui te. Si enim, etc., *usque ad* servient minori. (Id., *in psal.* CIII.)

Quando ergo promisit, etc., *usque ad* donat et fidem. (Id., *lib. de prædestinatione sanct.*, tom. X, p. I, col. 975.)

Ante Deum, etc., usque ad *et arenæ maris.* Qui vocat ea, etc., *usque ad* fideles facti sumus. (Id., *in psal.* CV, CXVIII; *serm.* 77, *de verbis Apostoli.*)

Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarræ. Scriptum est in Epistola ad Hebræos. Fide, etc., *usque ad* est mortui. (Id., *lib. de Civ. Dei.*, XVI. tom. VII, col. 507 et seq.)

In repromissione enim Dei, etc., usque ad *Dominum nostrum a mortuis.* Promittenti credidit Abraham, etc., *usque ad* non fuerunt (Id., *lib. de Cor. et gratia*, tom. X, p. I, col. 938.)

Cavendum est, etc., *usque ad* mereatur. (Id., *lib. de præd. sanct.* tom. X, p. I, col. 963.)

Hoc promittit Deus, etc., *usque ad* debitum. (S. Aug., *lib. Sententiarum Prosperi.*)

Qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Qui senat omnes languores tuos, etc., *usque ad* in cœlum. (Id., *in psal.* CII, tom. IV, p. 2, col. 1321.)

Traditus est propter delicta nostra, etc., *usque ad* resurgat justitia. (Id *serm. de Pascha,* tom. V, part. I, col. 1120.)

CAPUT V.

Justificati ergo, etc., usque ad *in spe gloriæ filiorum Dei.* Justificati autem gratis per, etc., *usque ad* suscepit. (Id., *ad Bonif. papam Urbis,* tom. X, p. I, col. 579 et seq.)

Non solum autem, etc., usque ad *qui datus est nobis.* Non itaque per nos, etc., *usque ad* patientiam. (Id., *lib. de Gra. et liber. arbitr.*, tom. X, p. I, col. 905.)

Nec nos moveat, etc., *usque ad* nos immutabimur. (Id., *de Agone Christiano,* tom. VI, col. 295.)

Ut autem mali bonis, etc., *usque ad* datus est nobis. (Id., *lib. Qnæst.* 83, tom. VI, col. 93.)

Spes autem non confundit. Quis est qui confunditur? etc., *usque ad* conscientia sua. (Id., *in psal.* XXXVI. tom. IV, p. I, col. 368 et seq.)

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. A quo nisi ab illo, etc., *usque ad* cooperit multitudinem peccatorum. (Id., *lib. de Nat. et gra., ex sermone ad populum de blasph. Spiritus sancti.*

Ego arbitror, etc.. *usque ad* coagulum non tenent. (Id., *serm. Ascen. Domini,* t. V, p. I, col. 1223 et seq.)

Charitas congregat nos. Quia vero dicit, etc., *usque ad* Spiritus Dei. (Id., *in sermone Epist. Joan.* tom. III, p. II, col. 2032.)

Unde scimus, etc., *usque ad* datus est nobis. (Id., *serm. Ep.* 8, *Joan.*, tom. III, p. 2, col. 2043.)

Dedit dona hominibus, etc., *usque ad* qui dilexit nos. (Id., *serm.* XLIV, *de verb. Evang.*)

Eego unde tibi charitas, etc., *usque ad* datus est nobis (S. Aug., *serm. de verb. Apost.* 81, tom. V, part. I, col. 923.)

Prorsus donum est Dei, etc., *usque ad* et Filio. (Id.. *lib. Sen. Prosperi,* tom. X, p. 2, col. 1894.)

Ut quid enim Christus, etc., *quis audeat mori.* Aut vero pro minimo, etc., *usque ad* secuturus es. (Id. *in psal.* CXLVIII, tom. IV, p. II, col. 1942).

Omnia mihi tradita sunt, inquit, *a Patre meo.* Fortasse dicturus es. Christo sunt tradita nunquid mihi? Audi Apostolum dicentem: Audi, ut dixi jamdudum, ne desperatione frangaris. Audi quomodo amatus es non amandus. Audi quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam esset in te quod amari dignum esset. Amatus es prius ut dignus fieres qui amareris. Etenim *Christus* (sicut ait Apostolus) *pro impiis mortuus est.* An forte impius merebatur amari? Quæro quid merebatur impius? damnari respondes. Christus tamen pro impiis mortuus est. Ecce quid tibi præstitum est impio. Jam pio quid servatur? Quid præstitum est impio? Christus pro impiis mortuus est. Desiderabas autam omnia possidere, noli per avaritiam, sed per pietatem hoc quærere. Si enim ita quæsieris, possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia, et cum ipso omnia possidebis.

Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, etc., usque ad *salvi erimus in vita ipsius.* Incomprehensibilis est dilectio qua, etc., *usque ad* socii deberemus. (Id., *ex tractatu Evangelii secundum Joan.* CX, et *in psal.* LXXXV, tom. III, p. II, col. 1923 et seq.)

Testimonia quippe Dei, etc., *usque ad* nobis donavit. (Id., *ex tractatu psal.* CXVIII, tom. IV. p. 2, col. 1515.)

Primum nobis persuadendum, etc., *usque ad* perficerentur. (Id., *lib. de Trinitate* IV, tom. VIII, col. 887 et seq.)

Quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, etc. Non alium modum possibilem, etc., *usque ad* fortius est hominibus. (Id., *lib. de Trinit.* XIII, tom. VIII, col. 1024 et seq.)

Si enim, etc., usque ad *salvi erimus in vita ipsius,* Ergo pro impiis Christus mortuus est, etc., *usque ad* sed pro nobis. (Id., *serm. de Passione Domini.*)

Multo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Filius Dei, etc., *usque ad* impium relinquet pium. (Id. *in psal.* XCVI.)

Cur ergo non fieret mors Christi, etc., *usque ad* spiritaliter regeneratos. (Id., *lib. de Trinit.* XIII, c. XVI, tom. VIII, col. 1030 at seq.)

Propterea sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit. Primæ transgressionis peccatum non propagatione. etc., *usque ad* sed una caro. (Id., *lib.* I *de Baptismo parvulorum,* tom. X, p. I, col. 114 et seq.)

Sed homo habet et pœnam propriam, etc., *usque ad* genus humanum. (Id., *Enchirid.*, tom. VI, col. 244 et seq.)

Præter hoc vinculum, etc., *usque ad* Adam non est natus. (Id., *in psal.* L, tom. IV, p. I, col. 591 et seq.)

Videte ergo, fratres, etc., *usque ad* te invenit. (Id., *Serm.* IV *de verb. Apostoli.*)

Illud enim ubi vel maxime fides Christiana consistit, etc., *usque ad* genus humanum. (Id., *epist. ad Optat. episcopum,* tom. II, col. 858 et seq.)

Ille unus unum peccatum, etc., *usque ad* a damnatione liberari. (Id., *Enchirid.*, tom. VI, col. 256.)

Non judicium ex uno in condemnationem, etc. Sed cur, inquis, gratia Dei non secundum, etc., *usque ad* apud Deum invenitur. (Id., *lib. de dono perseverantiæ,* tom. X, p. II, col. 1002.)

Igitur sicut per unius delictum, etc., usque ad *in justificationem vitæ.* Quemadmodum enim omnes omnino, etc., *usque ad* nemo discit. (Id., *lib. de Baptismo parvulorum,* tom. X, p. I, col. 140 et seq.)

Sicut dictum est, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ut nullus prætermitteretur, sic et in eo quod dictum est, per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ, nullus prætermissus est. Non quia omnes in eum credunt et baptismo ejus abluuntur, sed quia nemo justificatur nisi in eum credat et baptismo ejus abluatur. Itaque omnes dictum est, ne aliquo modo alio præter ipsum quisque salvus fieri posse credatur.

Ego dico parvulum natum in eo loco ubi, etc., *usque ad* secundum verba sua. (Id., *ex libro de Natura et gratia,* tom. X, p. I, col. 251 et seq.)

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi. Obedientia est in omnibus, etc., *usque ad* constituentur multi. (Id. *in psal.* LXXI, tom. IV, p. I, col. 904 et seq.)

Apostolus, etc., *usque ad* secerni. (Id., *de Genesi ad litt.*)

Hoc proderat superbis, ut abundaret delictum, etc., *usque ad* per Jesum Christum facta est. (Id., *ex tractatu* 3 *Evang. secundum Joan.*, tom. III, p. II, col. 1401 et seq.)

Etiam temporibus apostolorum, etc., *usque ad* postea acceleraverunt. (Id., *lib. de Fide et operibus,* tom. VI, col. 211.)

Legis littera quæ docet, etc., *usque ad* videbimus lumen. (Id., *lib. de Spiritu et littera,* tom. X, p. I, col. 205.)

Per Moysen data est lex, etc., *usque ad* quæritur medicus. (Id., *in psal.* CI, tom. IV, p. II, col. 1329 et seq.)

Lex data est, etc., *usque ad* sanandum fuit. (Id., *lib. Sententiarum Prosperi,* tom. X, p. II, col. 1863.)

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Ignoratis, inquit, quoniam quicunque baptizati sumus, etc., *usque ad* in carne vetustatis. (Id., *ad Januar.*, tom. II, col. 216 et seq.)

Ambulamus ergo in re laboris, sed in spe quietis, in carne vetustatis. Semel immolatus est Christus in seipso, etc., *usque ad* salubriter percipit. (Id., *ad Bonif. episc.*, tom. II, p. 360 et seq.)

Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est. Mortalitas unde sit, notum est, etc., *usque ad* in cruce triumphata sunt. (Id., *in expositione Epistolæ ad Galat.*, tom. III, p. II, col. 2120 et seq.)

Ut destruatur corpus peccati, etc., usque ad *vivemus cum Christo.* Gratia Dei per baptismum ejus qui venit, etc., *usque ad* servituti subjicimus. (Id., *lib. de Baptismo parvulorum,* tom. X, p. I, col. 156 et seq.)

Scientes quod Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Non Lazari resurrectio, etc., *usque ad* in æternum. (Id., *lib. contra* VI *quæstiones Paganorum,* tom. II, col. 371.)

Unus resurrexit jam non moriturus, etc., *usque* A *ad* Christianus. (Id., *in psal.* CXXVI, tom. IV, p. II, col. 1673.)

Quod autem mortuus est peccato, etc., usque ad *in Christo Jesu.* Peccatum ei non inerat, etc., *usque ad* quod nascendo traxerunt. (Id., *Enchirid.*, tom. VI, col. 253.)

Non ergo regnet peccatum, etc., usque ad *et membra vestra arma justitiæ Deo.* Si non potes non habere malitiam, etc., *usque ad* jam non pugnabis. Id., *in psal.* XXXV, tom. IV, p. I, col. 345.)

Non ergo regnet peccatum, etc., *usque ad* nisi Deus. (Id., *in psal.* L, tom. IV, p. I, col. 587.)

Non dixit Apostolus, non sit peccatum, etc., *usque ad* in te regnat peccatum. (Id., *in psal.* LXXV, tom. IV, p. I, col. 960.)

B Quid est, ne dominetur, etc., *usque ad* non mihi dominetur omnis iniquitas. (Id., *serm.* 30 *de Verb. Apost.*, tom. V, p. I, col. 190 et seq.)

Peccatum enim vobis non dominabitur, etc., usque ad *servi facti estis justitiæ.* Sub lege enim positis non sub gratia dominabitur peccatum, etc., *usque ad* excidistis. (Id., *lib. de Gratia et libero arbit.*, tom. X, p. I, col. 896.)

Humanum dico, etc., usque ad *in sanctificationem,* Apostolus admonet. Humanum, etc., *usque ad* qui datus est nobis. (Id., *epist. ad Anastasium,* tom. II, col. 954 et seq.)

Præponite delectationi carnis. etc., *usque ad* invisibilis pulchritudinis. (Id., *serm. de Verbis Apostoli,* tom. V, p. I, col. 870 et seq.)

C *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* Qualis, quæso, potest servi addicti. etc., *usque ad* liberi eritis. (Id., *Enchirid.*, tom. VI, col. 247.)

Est quædam confusio, etc., *usque ad* æternam habebit. (Id., *in psal.* XXX, tom. IV, p. I, col. 232 et seq.)

Stipendia enim peccati mors. Merito stipendium: quia militiæ, etc., *usque ad* corona redditur. (Id., *lib. de Gratia et libero arbit.*, tom. X, p. I, col. 893.)

Ubi autem invenimus, etc., *usque ad* sine fine vivemus. (Id., *Epist. ad Sixtum presbyterum,* tom. II, col. 881.)

Item lectionis ejusdem brevis et continuata expo- D sitio, ab eo ubi dictum est: Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, *usque ad* Gratia autem Dei vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

Sicut ab illo uno homine, etc., *usque ad* ille generatis. (Id., *Ex epist. ad consulta Hilarii,* tom. II, col. 683 et seq.)

Disputamus enim non de quocunque peccatore, etc., *usque ad* in mundum. Id., *lib.* II *contra Jul.*, tom. X, p. II, col. 1163.)

Nunquid enim Evam non imitantur, etc., *usque ad* natus ex femina. (Id., *lib.* II *contra Jul.*, tom. X, p. II, col. 1166.)

In eo quidem loco, etc., *usque ad* transire supplicium. (Id., *ibid.*, tom. X, p. II, col. 1169.)

Quid autem aliud indicant etiam sequentia verba apostolica? etc., *usque ad* sine fine victnri sunt. (Id., *ibid.*, tom. X, p. II, col. 1171.)

Quod vero ait paulo superius. Usque ad legem peccatum in mundo fuit, etc., *usque ad* fieri omnino non possint. (Id., *ibid.*, tom. X, p. II, col. 1176.)

Verum est autem quod Apostolus ait, falsum ergo, etc., *usqne ad* vestra falsitate convincamini. (Id., *ibid.*, tom. X, p. II, col. 1203 et seq.)

Et non sicut, etc., usque ad *condemnationem*. Ex uno ergo, etc., *usque ad* nisi ipse. (Id., *ad Bonifac.*, tom. II, et *contra Julian.*, tom. IX.)

Eosdem autem omnes etiam multos, etc., *usque ad* qui datus est nobis. (Id., *lib. ad consulta Hilarii*, tom. II, col. 680 et seq.)

Ut quemadmodum, etc., usque ad *Dominum nostrum*. Modo cum dixisset, etc., *usque ad* justificatio. (Id,, *Enchirid.*, tom. VI, col. 256 et seq.)

CAPUT VI.

Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut Gratia abundet? Dixerat enim superius, etc., *usque ad* morimur peccato. (Id., *Epist.* 2 *ad Valen.*, *de Gratia et libero arbit.*, tom. II, col. 974.)

Deinde ut ostenderet mortuos, etc., *usque ad* cum Christo in Deo (Id., *Enchirid.*, tom. VI, col. 256 et seq.)

Interioris enim hominis, etc., *usque ad* in corde suo. (Id., *lib. de Trinitate*, tom. VIII, col. 891.)

Quod enim mortuus est peccato etc., *usque ad* vita justorum. (Id., *serm. de Resurrect. Domini.*)

Non ergo regnet peccatum, etc., *usque ad* servio legi Dei. (Id., *tract. Evangelii secundum Joannem* IV, 41, tom. III, p. II, col. 1698 et seq.)

Liberum arbitrium usque adee, etc., *usque ad* facere. (Id. *ad Bonif. papam*, tom. X, p. I, col. 552 et *Enchirid.*, tom. VI, col. 282.)

CAPUT VII.

An ignoratis, fratres, etc..., *quanto tempore vivit?* Usque ad eum locum in quo scriptum est, etc., *usque ad* deserueramus Deum. (Id., *ex libro Quæst.* 83, tom. VI, col. 60 et seq.)

Item lectionis ejusdem explanatio. *Cum enim essemus in carne*, ait Apostolus, *passiones peccatorum quæ per legem sunt*, etc., *usque ad* nec prævaricatio est. (Id., *serm. in hanc lectionem*, tom. V, p. I, col. 826 et seq.

Scimus, inquit, *quia lex spiritalis, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, etc.*, usque ad *sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. (Id., *serm. de Verbis Apostoli*, tom. V, p. I, col. 833 et seq.)

Vita justi in isto corpore, etc., *usque ad* ad pacem venire. (Id., *serm. de Verbis Apostoli*, tom. V, p. I, col. 815.)

Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu. Et si habent desideria, etc., *usque ad* tollat peccatum lex gratiæ. (Id., *serm. de Verbis Apost.*, tom. V, p. I, col. 820 et seq.)

Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. In qua conclusione, etc., *usque ad* propter munera sua. (Id., *ivid.*, tom. V, p. I, col. 841 et seq.)

Ergo evacuati sumus, etc..., *in vetustate litteræ*. Quoniam lex littera est, etc., *usque ad* spiritus autem vivificat. (Id., *lib. ad Simplicianum episc.*, tom. VI, col. 110 et seq.)

Et quia dixerat *evacuati sumus*, etc., *usque ad* possit impleri. (Id., *ibid.*, tom. VI, col. 103 et seq.)

Vera sponsa Christi intelligit quid distet inter litteram et spiritum, quæ duo dicuntur alio modo lex et gratia: et non jam in vetustate litteræ sed in novitate spiritus Deo serviens, non est jam sub lege, sed sub gratia. Ita littera cum spiritu, etc., *usque ad* delectat ipsa justitia. (Id., *lib.* XV, *contra Faust.*, tom. VIII, col. 312 et seq.)

Ecce unde facti sumus, etc., *usque ad* terras captivitas Sion. (Id., *in psal.* CXXV, tom. IV, p. II, col. 1658.)

Scimus enim quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, etc. Etiam spiritalis hominis jamque sub gratia constituti, etc., *usque ad* ista omnia. (Id., *lib.* I *Retract.*, tom. I, col. 621.)

Quod ergo operor, ait, *ignoro*. Non enim ita dictum est, etc., *usque ad* de terra memoriam eorum. (Id., *lib. ad Simul episc.*, tom. VI, col. 105 et seq.)

Sed peccatum, etc..., *non concupisces*. Cum enim dicitur *non concupisces*, etc., *usque ad* ubi lex non est. (Id., *lib. de Spir. et litt.*, tom. X, p. I, col. 203 et seq.)

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Laudabilis est ista, etc., *usque ad* nisi malam concupiscentiam. (Id., *in psal.* CXVIII, tom. IV, p. II, col. 1520.)

Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago. Bonum est enim non concupiscere, et hoc bonum, etc., *usque ad* in membris ejus, nulla erit. (Id., *lib. de Perfect. just. hominis*, tom. X, p. I, col. 305 et seq.)

Scio, inquit, *quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*. Hoc utique ait, etc., *usque ad* labor nullus. (Id,, *lib. Sermonum. de Continentia*, tom. VI, col. 361 et seq.)

Bona itaque opera nostra, etc., *usque ad* non concupiscere. (Id., *lib.* III, *contra Julianum*, tom. X, p. I, col. 734.)

Non enim quod volo ago bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem (sicut melius sensit Ambrosius) hoc etiam de seipso dicit Apostolus, nec justorum est in hac vita ad perficiendum bonum tanta libertas propriæ voluntatis, quanta erit in illa vita, ubi non dicetur, *non quod volo ago*. Omnis qui proficit, etc., *usque ad* perfectione tunc erit. (Id., *lib. de Perf. justitiæ hominis*, tom. X, p. I, col. 308.)

Dic, obsecro, Apostole, quando adhuc in carne vivens in viis Domini ambulabas, habebas peccatum, an sine peccato eras? Audiamus utrum se ipse seducat, an vero quod beatus Joannes ejus coapostolus sapiat, quoniam veritas erat in eis. Hic ergo respondet. Nonne legistis ubi confiteor dicens. *Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago*. Et hoc audivimus. Jam itaque illud interrogamus : quo in viis Domini ambulabas, si malum quod nolebas hoc agebas. Cum psalmus sanctus insonet dicens. Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt. Audi continuo respondentem per sententiam consequentem.

Si quod nolo inquit *ego hoc facio, jam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Ecce quemadmodum, etc., *usque ad* ipse sanaretur. (Id., *in psal.* CXVIII, tom. IV, p. 2, col. 1506 et seq.)

Si autem quod nolo illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Potest putaris, etc., *usque ad* in voluntate committitur. (Id., *lib. retractationum*, tom. I, col 608 et seq.)

Condelector enim legi Dei repugnantem legi mentis meæ, etc. Caro, inquit, concupiscit, etc., *usque ad* concupiscentiis tuis vires. (Id., *tract. Evang. sec. Joan* XLI, tom. III, p. II, col. 1697 et seq.)

Aliud est non pugnare, et esse in pace, etc., *usque ad* Jesum Christum Dominum nostrum. (Id., *in psal.* XXXV, tom. IV, p. I, col. 345.)

De corpore mortis hujus non omnis, etc., *usque ad* quoniam ipsi saturabuntur. (Id., *lib. de Perfect. justitiæ hominis*, tom. X, p, I, col. 299.)

Fideles enim orantes dicunt, etc., *usque ad* corpore mortis hujus. (Id., *lib. de nat. et grat.*, tom. X, p. I, col. 277.)

Ita erat tunc illorum hominum corpus animale, etc., *usque ad* supplicio fiat meritum. (Id., *lib* IX *de Genesi ad litteram*, tom. III; p. I, col. 398 et seq.)

Quisquis carnalem delectationem, etc., *usque ad* consolabuntur. (Id,, *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, p. I, col. 1286.)

Quid est quod te jactas? quid est quod, etc., *usque ad* egent gloria Dei. (Id., *in psal.* XXX, tom. IV, p. I, col. 233 et seq.)

Liberari est a corpore mortis, etc., *usque ad* sed ad gloriam. (Id., *ex lib. Sent. Prosperi*, tom. X, p. II, col. 1886.)

Igitur ipse ego mente servio legi Dei : carne autem legi peccati. Indicitur enim tibi quædam, etc., *usque ad* habere cum Deo. (Id., *in psal.* LXXV, tom. IV, p. I, col. 959 et seq.)

Quod dixerat, *sine lege enim*, etc., *usque ad* potius quam edomare. (Id., *lib. ad Bonif. papam cont. Pelagium*, tom. X, p. I, col. 559 et seq.)

CAPUT VIII.

Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem. Segregavit itaque hanc pluviam, etc., *usque ad* qui datus est nobis. (Id., *ex tractatu psal.* LXVII, tom. IV, p. I, c. 818.)

Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne. Dicet aliquis : Si hæc natura pura... carnis peccati. (S. Aug., *l*, I *de bapt. parvul.*, tom. X, p. I, col. 149.)

Cilicium fortasse appellavit Dominus carnis suæ mortalitatem, etc., *usque ad* delenda peccata. (Id., *in psal.* XXXIV, tom IV, p. I, col. 335.)

Quid dicit Pelagianista? Audite quid dicit. Videtur confiteri Christum in carne venisse, sed discussus invenitur. Christus enim in carne venit : quæ similitudo esset carnis peccati, non esset caro peccati. Apostoli verba sunt. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*. Non in similitudinem carnis, quasi caro non esset caro, sed *in similitudinem carnis peccati*, quia caro erat, sed peccati caro non erat. Iste autem Pelagius et cæteram carnem omnis infantis Christi carni conatur æquare. Non ita est, charissimi, non pro magno commendaretur in Christo similitudo carnis peccati, nisi omnis cætera caro esset caro peccati.

Quid ergo prodest quia dicis Christum in carne venisse, et omnium infantium carni eum conaris æquare? Et tibi hoc dico quod Donatistæ, non est ipse. Ecce video Ecclesiam matrem testimonium reddentem ipsis uberibus suis. Accurrunt matres cum parvulis filiis, ingerunt Salvatori salvandos, non Pelagio damnandos. Mater quælibet mulier pietate currens cum parvulo filio dicit, baptizetur ut salvetur. Pelagius contra.

Quid salvetur? Non est quod in eo sanetur, nihil habet vitii, nihil ex traduce damnationis attraxit. Si æqualis est Christo, quare quærit Christum? Ecce dico tibi : Sponsus Filius Dei qui venit in carne, salvator est majorum et minorum, salvator est grandium et infantium, et ipse est Christue. Tu autem dicis Salvatorem Christum majorum et non minorum, non est ipse. Si non est ipse, negas et tu Christum in carne venisse.

Magnum quid huc attulit mercator iste. De regione sua veniens iste mercator invenit in regione nostra quod hic abundat? Nasci et mori, plena est terra his mercibus, nasci et mori. Natus est et mortuus est. Sed qua via natus est? Ad istam regionem venit, sed non ea via qua nos. De cœlo enim venit a Patre, et tamen natus est mortalis, natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Nunquid nos sic? Nos de Adam et Eva : illa per concupiscentiam carnis; ille autem non per ipsam. Maria enim virgo sine virili amplexu, sine conscupisceniæ æstu : quoniam ne pateretur hunc æstum ideo ei dictum est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I).

Virgo ergo Maria non concubuit et concepit, sed credidit et concepit. Natus est enim mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia in similitudinem carnis peccati. Non in carne peccati, sed *in similitudinem carnis peccati*. Quid habet caro peccati? Mortem et peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati; si mortem non haberet, non es-

set similitudo carnis peccati. Talis venit Salvator. Venit, mortuus est, sed mortem occidit. Finivit in se quam timebamus. Suscepit illam, et occidit illam, quomodo summus venator leonem suscepit et necavit. *Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax.* Vivificabis nos et nomen tuum invocabimus. Tu nobis dulcis eris, etc., *usque ad* præmium justificatorum. (Id., *in psal.* LXXIX tom. IV, p. I, col. 1027 et seq.)

Quoniam sapientia carnis inimica est in Deum, legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest. Nec illud quisquam pro impossibilitate non peccandi, etc., *usque ad* esse manifestum est. (Id., *ex lib. de Nat. et Gr.*, tom. X, p. I, col. 255.)

Sic autem dixit, mundum non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est, prudentia carnis inimica est in Deum legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Velut si dicamus : Injustitia justitia non esse potest. Mundum quippe ait hoc loco, significans dilectores mundi : quæ dilectio non est a Patre. *Prudentia carnis inimica est in Deum, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Cum enim charitas legem impleat, etc., *usque ad* victum pœna consequitur. (Id., *in expositione Epistolæ ad Galat.*, tom. III, p. II, col. 2138 et seq.)

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Lex peccati, quod etiam, etc., *usque ad* Dei habitat in vobis. (Id., *ex lib.* II. *de bapt. parv.*, tom. X, p. I, col. 178.)

Et in carne sumus, etc., *usque ad* sentiamus. (Id., *ex tract. psal.* CXII, tom. IV, p. II, col. 1473.)

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Hoc Dominus commendavit, etc., *usque ad* non est ejus. (Id., *ex tractatu evang. sec. Joan.* XXVII, tom. III, p. II, col. 1618.)

Si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Anima jam pia quæ fuit impia, etc., *usque ad* spiritum ejus in vobis. (Id., *ex lib. de Trinitat.* IV, tom. VIII, col. 898 et seq.)

Corpus enim mortuum, etc., *usque ad* habens animam. (Id.. *ex tractatu psal.* LXXXV, tom. IV, p. II, col. 1094.)

Ut evidentissime appareat, etc., *usque ad* spiritum ejus in vobis. (Id., *ex lib. de Bapt. parv.*, tom. X, p. I, col. 111 et seq.)

Distinguere autem inter illam generationem, etc., *usque ad* inde est unde procedit. (Id., *lib.* II *contra Maximinum*, tom. VIII, col. 770 et seq.)

Vita quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, et ista est nequitia. Hoc pacto autem vita carnalis et terrena efficitur, etc., *usque ad* mors in victoria. (Id., *lib. de vera Relig.*, tom. III, p. I, col. 132 et seq.)

Ergo fratres, etc., usque ad *cohæredes autem Christi.* Ergo, fratres, accepto adjutorio, etc., *usque ad cohæredes autem Christi*, (Id., *serm. de verbis apost.*, tom. V, p. I, col. 252 et seq.)

Ergo fratres debitores sumus non carni ut secundum carnem vivamus, etc. *usque ad*, non sunt filii Dei. (Id. *lib. de gratia et lib. arbitrio*, tom. X, p. I, col. 895.)

Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ut spiritu nostra opera, etc., *usque ad* et lethaliter infigantur. (Id., *serm. de continentia*, tom. VI, col. 357.)

Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non se itaque fallant qui dicunt, etc., *usque ad* quod non acceperunt. (Id., *lib. de Correp, et Gratia*, tom. X, p. 1, col. 918.)

Filii Dei quandiu mortaliter, etc., *usque ad* humiliatum Deus non spernit. (Id., *Enchirid.*)

Non enim qui spiritu suo aguntur, sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt, non quia ipsi nihil agunt, sed ne nihil boni agant a bono aguntur ut agant. Nam tanto magis efficitur quisque filius bonus quanto largius ei datur a Patre spiritus bonus.

Plus est procul dubio, etc., *usque ad* male agere non potest. (Id., *lib. Sentent. Prosperi*, tom. X, p. II, col. 1886.)

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, etc. Misisti spiritum tuum, cooperuit eos mare, etc., *usque ad* sine adjutorio gratiæ. (Id. *lib. Quæst. in Exod.* qu. 55, tom. III, p. I, col. 615.)

Et illi qui sub lege sunt, etc., *usque ad* per Spiritus sancti donum. (Id., *lib. de spiritu et littera*, tom. X, p. I, col. 236 et seq.)

Sicut enim sunt duo timores, etc., *usque ad* quasi non acceperint. (Id., *tract.* 85 *in Joan.* tom, III, p. II, col. 1849).

Nemo invitus bene facit etiam si bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris ubi non est spiritus charitatis. Plenitudo legis charitas est, quia per charitatem lex impletur, non per timorem. In tantum enim fiunt mandata justitiæ, in quantum adjuvat spiritus gratiæ. Mandatum Dei si timore, etc., *usque ad* radice procedit. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, q. II, col. 1880.)

Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba, Pater. Qualis res est si pignus tale est : nec pignus sed arrha dicenda est. Pignus enim quando ponitur, cum fuerit res ipsa reddita, pignus aufertur. Arrha autem de ipsa re datur quæ danda promittitur, ut res quando redditur impleatur quod datum est non mutetur. Quod autem Marcus non solum Pater, etc., *usque ad Abba Pater.* (Id. *lib. de Consensu evang.* tom. III, p. I, col. 1166.)

Ipse est pax nostra, etc., *usque ad* plebe ejus. (Id., *psal.* 88. tom. IV, p. II, col. 1121 et seq.)

Duo verba posuit, etc., *usque ad* unitatem pertineret. (Id. *in Exp. Epist. ad Galat.*, tom. III, p. II, col. 2127.)

Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filii Dei. Ecclesia accipit, etc., *usque ad* communis. (Id., *serm. de blasph. Spiritus sancti.*)

Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi. Magna benevolentia, magna

misericordia. Unicus natus est, etc. *usque ad* nos possideamus sicut lucem. (Id., *tract. in Joan.* tom. III, p. II, col. 1394.)

Sicut Apostulus ad Hebræos dicit, etc., *usque ad* et ipse nobis. (Id. *lib. Quæst.* 83, tom. VI, col. 86 et seq.)

Talis est enim via justorum, etc., *usque ad* quod non transibit.(Id. *ser. de versu psalm.* LXVII, tom.V, p. I, col. 154 et seq.)

Hæreditas id qua cohæredes,etc., *usque ad* quanta omnibus. (Id. *lib. Sent. Prosperi,* tom.X, col.1875.)

*Si tamen compatimur,*etc.,usque ad *quæ revelabitur in nobis.*Quæ erit futura gloria nostra,etc., *usque ad* in nobis. (Id., *in Psal..* XXX, et *term. de verb.evang.*)

Videtis ergo, charissimi,quæ sint proposita, etc., *usque ad* revelabitur in nobis. (Id., *serm. de natali Apost.*, tom. V, p. I, col. 1355.)

Ipse dicit qui patiebatur,et sciebat, etc.,*usque ad* merces sine fine. (Id., *ser. de Paul. apost.*, tom. V, p. II, col. 2099 et seq.)

Nam exspectatio creaturæ filiorum Dei exspectat. Hoc capitulum obscurum est, quia non hic, etc., *usque ad* impia et inepta jactasse. (Id., *quæst.* 83, tom. VI, col. 66 et seq.)

Item quædam ex eodem capitulo.

Vanitati enim creatura, etc. usque ad *in spe.* Quid est averte oculos meos, etc., *usque ad* vanitati subjecti sumus. (Id., *ex tract. Psal.* 118. tom. IV, p.II, col. 1531 et seq.)

Diligit itaque homo sponte vanitatem,etc., *usque ad* et adoptionem gratiæ. (Id., I, *lib., cont. Secundinum,* tom. VIII, col. 584.)

Scimus enim quia omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. In unoquoque homine omnis creatura, etc., *usque ad* in singulis omnis est. (Id., *lib. ad cons. Orasii,* tom. VIII, col. 675.)

Sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes nostri In nobismetipsis, inquit, ingemiscimus, etc., *usque ad* pervenies ad rem. (Id. *in psal.* XXXVII, tom. IV, p. I, col. 398.)

Audi Apostolum. *Spe enim salvi facti sumus,* etc., *usque ad* sed certa spes. (Id., *in psal.* I, tom. IV, p. I, col. 598.)

Si redemptor noster ille dicitur, captivi tenebamur, etc., *usque ad* non sunt deserta. (Id., *in psal.* CXXV, tom. IV, p. II, col. 1657.)

In nobismetipsis ingemiscimus adoptionem filiorum, etc., *usque ad* societatem angelorum. (Id., *in psal.* CXLV, tom. IV, p. II. col. 1885.)

*Spe enim salvi facti sumus,*etc.Quanto est quisque sanctior et desiderii sancti plenior, tanto ejus in orando fletus uberior. An non est vox civis supernæ Hierusalem : *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,* etc. : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo,* etc. : *Genitus meus non est æbsconditus a te,* etc. : *Dolor meus renovatus est?* Aut vero non ejus filii sunt qui ingemiscunt gravati, in quo nolunt spoliari sed supervestiri, ut absorbeatur mortale hoc a vita? Nonne ipsi sunt qui primitias habentes Spiritus in semetipsis ingemiscunt, adoptione exspectantes redemptionem corporis sui? Apostolus salvos nos dicit factos, etc., *usque ad* sancti esse dicamur. (Id., *tract.* 85, *in Joan.*, tom. III, p. II, col. 1850.)

Meminerimus in corruptibili corpore, etc., *usque ad* vita ærumnosa. (Id., *tractatus* 124, *in Joan.* tom. III, part. II, col.1972 et seq.)

Salvos enim nos fecit per lavacrum regenerationis, etc., *usque ad* et non invenias. (Id.,*lib.de bapt. parvulorum,* tom. X, p. I, col. 147 et seq.)

Spe salvi facti sumus, etc., *usque ad* et in divite ardente narravit. (Id., *ser.* 23, *de vobis Apost.*, tom. V, p. I, col. 859 et seq.)

Non exstinguetur in nocte lucerna ejus, etc., *usque ad* extinguatur. (Id., *serm. in lib. Salom. de muliere forti,* tom. V, part. II, col. 226 et seq.)

Similiter autem, etc., *usque ad vocati sunt santi.* Oratio quidquid impetrat,etc.,*usque ad* adjuvat jam fideles. (Id., *epist. ad Sixtum,* tom. II, col. 879 et seq.)

Quid enim oremus sicut opportet, etc., *usque ad* aures Dei. (Id.. *serm. in Epist. Joan.*, tom. III,part. II, col. 2024.)

Qui enim aliud significat, etc., *usque ad* scire faceret, (Id., *lib. contra Manich.*, tom. III, part. I, col. 189 et seq.)

Sic enim dictum est gemitibus,etc., *usque ad* potuerit ignorare. (Id., *lib. contra Maximiuum,* tom. VIII, col. 750 et seq.)

Beata vita quæranda est, *usque ad* nec gemitibus quæreretur. (Id., *epist. ad Probam,* tom. II, col. 497 et seq.)

Quia ergo in Christo vos amamus, etc., *usque ad* quæ Christi sunt quærunt.(Id., tract.VI *in Joannem,* tom. III, col. 1425 et seq.)

Quid oremus sicut oportet, etc., usque ad *abba Pater.* (Id., lib. *de Dono persev.*, tom. X, part.II,col. 1032.)

In his ergo temporibus,etc., *usque ad* vocati sunt sancti. (Id.,*in psalm.*LIII, tom. IV, part. I,col. 624.)

Apostolus cum dixisset, *Scimus,* etc., *usque ad* pro bona voluntate. (Id., lib. *de Cor. et Grat.*, I, X, part. I, col. 929 et seq.)

Quamvis enim et ipsa mors, etc., *usque ad* apprehendant veram vitam. (Id., lib.XIII *de Trinitate,* tom. VIII, col. 1029 et seq.)

Qui voluntatem Dei sequitur,etc.,*usque ad omnia* cooperantur in bonum. (Id., *in psal.* CXXIX, tom.IV, part. II, col. 1655.)

Animam Christianam, etc., *usque ad* nihil valemus. (Id., *epist. ad Probam,* tom. II, col. 507 et 508.)

De operante illo, etc.,*usque ad* negavit Christum. (Id., lib. *Grat. et libero Arbitr.*, tom. X, part. I, col. 289.)

Hæreticorum quoque inquietudine, etc., *usque ad* cooperantur in bonum. (Id.,*epist. ad Sixtum,*tom.II, col. 891.)

Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut si ipse primogenitus in multis fratribus. Inimici Ecclesiæ quolibet errore cæcentur, etc., *usque ad* cooperatur in bonum. (Id., lib. *Sent. Prosperi*, tom. X, part.. II, col. 1872.)

Certus est ergo Dei præscientiæ definitus numerus, et multitudo sanctorum, quibus diligentibus Deum, quod eis donavit per diffusum in cordibus eorum Spiritum sanctum, *omnia cooperantur in bonum, his qui seccundum propositum vocati sunt.* Quoniam *quos ante præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit illos, et vocavit.* Hic subaudire debemus secundum propositum. Sunt enim et alii vocati, sed non electi, ac per hoc non secundum propositum vocati. Quos autem vocavit, hoc est secundum propositum, *illos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Hi sunt filii promissionis, hi sunt electi, qui per electionem gratiæ salvi fiunt. Hæc sunt vasa misericordiæ in quibus Deus etiam per vasa iræ notas fecit divitias gloriæ suæ.

Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Prædestinatio est gratiæ præparatio, etc., *usnue ad* prædestinationis effectus. (Id., *de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col, 974 et seq.)

Hæc est prædestinatio sanctorum, etc., *usque ad* relinquuntur. (Id., lib. *de Dono Persev.*, tom. X, part. II, col. 1014.)

Quod ergo ait prædestinatos, etc., *usque ad* pertinet. (Id., lib. *de Civit. Dei*, XXII, tom. VII, eol.778.)

Quos autem præscivit, etc., *usque ad* cum hæc diceret. (Id., lib. *de Civitate* XIV, tom. VIII, col.1055,)

Secundum id quod unigenitus est non habet fratres, secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes qui post ejus et per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum, sicut apostolica disciplina commendat.

Ista igitur sua dona, etc., *usque ad* est prædestinare. (Id., lib. *de Dono persev.*, tom. II, pars II, col. 1018 et seq.)

Quos autem prædestinavit, etc., usque ad *imo qui et resurrexit.* Ista sanctificatio conceditur justis, sed, etc., *usque ad* et tribulationem. (Id., *in psal.* V, tom. IV, part. I, col. 89.)

Sic enim ad æternam, etc., *usque ad* glorificat. (Id., *in psal.* CL, tom. IV, part. II, col. 1962 et seq.)

Intelligamus ergo vocationem, etc., *usque ad* ipsos et glorificavit. (Id., lib. *de Prædest. sanct.*, tom. X, part. I, col. 985 et seq.)

Novit Dominus qui sunt ejus, etc., *usque ad* quis contra nos? (Id., *tractatu verb. Apost.*, tom. V, part. I, col 862 et seq.)

Omnium quidem bonorum fidelium, etc., *usque ad* in hoc sæculo timeamus, (Id., *serm. de natal.mart.*, tom. V, part. I, col. 1467 et seq.)

A Apostolum beatum audivimus exhortantem, etc., *usque ad* cum proficimus crescit, (Id., *serm., de verbis Apost.*, tom. V, part. I col. 863 et seq.)

Qui etiam Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quid dabit eis quos prædestinavit, etc., *usque ad* carnali corruptione substantia. (Id., lib. *de Civit. Dei* XXII, tom. VII col. 796 et seq.)

Quod autem a Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est quod ait Apostolus : *Si Deus pro nobis, qui contra nos?* (*Ephes.* V). *Qui Filio proprio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Verum auctor calicis hujus est etiam qui bibit. Unde idem Apostolus item dicit : *Christus dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Dictum est enim ab Apostolo : Qui

B me dilexit, etc., *usque ad* laudem gratiæ. (Id., *in psalm.* LXV, tom. IV, part. I, col. 793.)

Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quid sibi vult quod cum Pater diceret, *Tu mecum es semper*, addidit : *Et mea omnia tua sunt?* etc,, *usque ad* dominandum inferiora. (Id., lib. *Quæst. Evang.* LXIX, tom. VI, col. 74 et seq.)

Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet, etc., Quæcunque autem de ambiguis distinctionibus diximus, etc., *usque dd* solvat inspectio. (Id., lib. *de Doct.Christ.*, tom. III, part. I, col. 67 et seq.)

Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpeliat pro nobis. Caput nostrum ad dexteram Patris interpellat, etc., *usque ad* voluntatem mutat. (Id., *in psal.*

C LVIII, tom. IV, part. I, col. 711 et seq.)

Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? Spes quæ hic est, ad justitiam pertinet, etc., *usque ad* quis contra nos. (Id., *serm. de verb. Apost.* 16, tom. V, part. I, col. 866.)

Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis. Psalmus iste filiis Chore dicitur, etc,, *usque ad* occulta cordis. (Id., *ex tractatu psal.* XLIV, tom. IV, part. I, col. 493 et 912, et seq.)

Quæsierunt martyres Christum confitendo, etc., *usque ad* me perdes et te. (Id., *serm. in natali martyrum*, tom. V, part. I, col. 1459 et seq.)

Sed in his omnibus superamus propter eum qui

D *dilexit nos.* Præter hæc autem mala hujus vitæ, etc., *usque ad* esse damnatam. (Id., lib. *de Civitate Dei*, tom. VII, col. 787 et seq.)

Certus sum enim, etc., usque ad *Domino nostro.* Audiamus ergo quem finem bonorum, etc., *usque ad* præsens est. (Id., lib. *de Moribus Ec.catholicæ*, tom. I, col. 1319.)

CAPUT IX.

Veritatem dico... in sæcula. Amen.

Quid potest abundantius dici? Quid expressius declarari? Quid sanctius commendari? Quæ est enim

adoptio Israelitarum nisi per Filium Dei, etc., *usque ad* anathema sit. (Id., *contra Faustum Manichæum* tom. VIII, col. 255 et seq.)

Sic ergo pepercit illi genti ut, etc., *usque ad* propter ipsum. (Id., *in psal.* LXXVII, tom. IV, part. I, col. 997.)

Si non Moyses electus ejus stetisset, etc., *usque ad* disperderet eos. (Id., *in psal.* CV, tom. IV, part. II, col. 1412.)

Illle ergo rex ejus qui, etc., *usque ad* Dominus David. (Id., *in psal.* LXI, tom. IV, part. I, col. 731 et seq.)

Quamvis nec sic quidem (inquit) dignum, etc., *usque ad* de virgine nasceretur. (Id., lib. *contra Faustum Manichæum*, tom. VIII, col. 257 et seq.)

Non autem quod exciderit verbum Dei, etc., usque ad *et erit Saræ filius.* Dixerat Abrahæ Deus cum de ancilla, etc., *usque ad* congregantur, (Id., lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 510 et seq.)

Volens igitur beatus Paulus ostendere, etc., *usque ad* potens est et facere, (Id., lib. *contra Julianum*, tom. X, part. II, col. 1139 et seq.)

Neque enim nesciebat quid loqueretur, etc., *usque ad* congruenter ministraverunt. (Id., lib. *de Gest. Pelag.*, tom. X, col. 328.)

Non solum autem illa., etc., *usque ad Esau autem odio habui.* Quando enim dictum est, etc., *usque ad* benedicitur Jacob. (Id., lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 516.)

Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei, etc, *usque ad* ut fidelis essem. (Id., *epist. ad Sixtum*, tom. II, col. 886 et seq.)

Non solum autem, quod et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Non solum autem, etc., *usque ad* uno tempore concepti. (Id., *epist. ad Simpl. episc.*, tom. X, part. II, col. 1850).

Quod autem dictum est, etc., *usque ad* et hoc absit. (Id., lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 513 et seq.)

Moysi enim dicit, etc., usque ad *sed miserentis est Dei.* Hoc si attenderes, non extenderes, etc., *usque ad* et quem vult obturat. (Id., lib. *contra Julianum*, tom. X, part. II, col. 1140.)

Sed miseretur utique, etc., *usque ad* ambulatis, (Id., lib. *ad Simpl. episc.* tom. VI, col. 120 et seq.)

Nunquid dicit figmentum, etc., usque ad *aliud in contumeliam?* Ubi universa ista massa merito, etc., *usque ad* viæ ejus. (Id., *epist. ad Sixtum pres.*, t. II, col. 884.)

Quid Apostolo responsuri sunt, qui cum et hos geminos, etc., *usque ad* nec judicium accuset invitat. (Id., *lib. ad Bonifacium contra Pelagianos*, t. X, part. I, col. 581 et seq. et 621.)

Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum aut malum. Cum Isaac Deum roganti ut pareret uxor, etc., *usque ad* eorum nullum erat. (Id., lib. *De Civ. Dei*, tom. VII, col. 513.)

An forte illud jam explosum, etc., *usque ad* minime dubitemns. (Id., lib. I, *de Bap. parvulorum*, tom. X, part. I, col. 126 et seq.)

A Neque enim habet ullam cunctationem, etc., *usque ad* sive boni sive mali. (Id,, lib. *de Genesi ad litteram*, tom. III, part. I, col. 545.)

Quis porro tam impie desipiat, ut dicat, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (Id., *Enchirid.*, tom. VI, col. 277 et seq.)

Multi de isto profundo quærentes reddere rationem, etc., *usque ad* vel boni vel mali. (Id., *serm.* VII, *de verb. Apostoli*, tom. V, part. I, col. 905 et seq.)

Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. In eo quod Dominus respondet Rebbeccæ, etc., *usque ad* e cervice sua deposuerunt. (Id., lib. *Quæst. in Gen.* qu. 73, tom. III, part. I, col. 567.)

B *Sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Habes aperte Scripturam, etc.; *usque ad* odio habui. (Id., *tractat.* II, *in Joan.* tom. III. part II, col, 1480 et seq.)

Quid ergo dicemus? etc., usque ad *misertus ero.* Ille intelligitur loqui, etc., *usque ad* ut omnium misereatur. (Id., lib. *Quæst. Exod.*, qu. 154, tom. III, part. I, col. 648, et seq.)

Ex prima enim transgressione primi hominis, etc., *usque ad* nota vobis feci. (Id., *serm.* XX, *de verb. Apost.*)

Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dei gratiam vel misericordiam volumus impetrare, etc., *usque ad* sermonibus meis. (Id., lib. *de Perf. justitiæ*, tom. X, part. I, 314.)

Ut in Deum credamus, etc., *usque ad* a Patre meo

C (Id., *epist. ad Vitalem*, tom. II, col. 983.)

Ne quisquam etsi non de operibus, etc., *usque ad* ne frustra velit. (Id., *Enchir.*, tom. VI, col. 247 et seq.)

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam. Quomodo ergo, Deus, etc., *usque ad* adjuvaret. (Id., *epist. ad Paul. Nolanum episc.* tom. II.)

Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem, etc. Et propter hoc ipsum conservatus es, etc., *usque ad* et exitus docet. (Id., lib. *Quæst. Exod.*, qu. 32, tom. III, part. I, col. 606.)

Nullum Deus vel angelorum, etc., *usque ad* antithetis honestaret. (Id., lib. *Sent. Prosperi* tom. X, part. II, col. 1870.)

D *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Quando ergo Pater intus auditur, etc., *usque ad* respondeas Deo. (Id., lib. de *Præd. sanct.*, tom. X, part. I, 976 et seq.)

Quantum ad justitiam spectat et gratiam, etc., *usque ad* judicia ejus. (S. Aug., *lib de Dono persev.* tom. X, part. II; col. 1003.)

Nonc hoc loco Apostolus sanctos prohibuit, etc., *usque ad* id quod est. (Id., *lib* 68 *Quæstionum*, tom. VI, col. 70, et seq.)

An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Figulus est cum fragiles, infirmos, et

terrenos facit, etc., *usque ad* oculos fecerat. (Id., *Ex tractatu in psalm.* XCIII, tom. IV, part. II, col. 1211.)

Sic ergo factus est homo rectus, etc., *usque ad* nec in se. (Id., *Enchir.*, tom. VI, col. 282.)

Si de mundo, inquit, essetis, mundus quod suum erat diligeret, etc., *usque ad* jam non est gratia. (Id., *tractatu* 87 *in Joan.* tom. III, part. II, col. 1853.)

Si qua igitur, etc., *usque ad* cæteri. (Id. *serm.* 11, *de verbis Apost.*)

Ecce Agnus Dei, etc., *usque ad* posset esse vindicta. (S. Aug., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II. col 1886.)

Quod si Deus, etc., usque ad *in gloriam.* Cur etiam aliquos Creator voluit, etc., *usque ad* merita dici possint. (S. Aug., *epist. ad Optatum*, tom. II, col. 859 et seq.)

Deus meus demonstravit, etc., *usque ad* debitum relaxatur. (S. Aug., *in psal.* LVIII, tom. IV, part. I, col. 704.)

Apud illum potestas, etc., *usque ad* spera misericordiam ejus. (S. Aug., *in psal.* LXI, tom. IV, part. I, col. 743.)

Debita redditur pœna damnato, etc., *usque ad* aliud in contumeliam. (S. Aug., *epist. ad Sixt. presb.*, tom. II, col. 875 et seq.

Si autem volens Deus ostendere iram, etc., *usque* videt supplicia peccatorum. (S. Aug., *lib. ad Simpl. episc.*, tom. VI, col. 123.)

Dat quibus vult, etc., *usque ad* fraude donatur. (S. Aug., *lib. de Dono persev.*, tom. X, part. II, col, 109 et seq.)

Etenim etiam illud dici potest: cur omnino, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (S. Aug., *lib. ad Bonif. papam Urbis*, tom. X, part. I, col. 619 et seq.)

Quos et vocavit nos, etc., usque ad *misericordiam consecutam* (II Cor. x). Una est enim ex Adam, massa, etc., *usque ad* conspersionem. (Id., *lib. ad Simp. episc.*, tom. VI, col. 124.)

Et erit in loco, etc., usque ad *vocabuntur filii Dei vivi.* Hoc testimonium propheticum de vocatione, etc., *usque ad* agnoscantur a terra. (Id., *lib. de Civ. Dei*, XVIII, tom. VII, col. 584.)

Isaias autem clamat, etc., usque ad *faciet Dominus super terram.* Neque enim quia fracti sunt infideles, etc., *usque ad* salvæ fient. (Id,, *lib. adv. Judæos*, tom. VIII, col. 557.)

Ad misericordiam quippe gratuitam, etc., *usque ad* ex gentibus. (Id., *lib. contra Julianum*, tom. X, part. I, col. 871.)

Propter quod posuit testimonium de Osee, etc., *usque ad* testimonio sequenti docet. (Id., *lib. ad Simplic. episc.*, tom. VI, col. 124.)

Et sicut prædixit Isaias, etc., usque ad *et sicut Gomorrha similes fuissemus.* Deinde ostendit gentes ex fide, etc., *usque ad* sequitur et dicit. (Id., *lib. contra Julianum*, tom, X, part. I, col. 792.)

Fratres quidem, etc., *usque ad secundum scientiam*, etc. Ex persona enim eorum qui inde crediderunt, etc., *usque ad* obedientium populorum. (Id., *in psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1375 et seq., 1363 et seq.)

Quid ergo dicemus, etc., usque ad *quasi ex operibus.* Gentes quæ non sectabantur, etc., *usque ad* salvus erit. (Id. *lib. de Spir. et Litt.*, tom X, part. I, col. 232 et seq.)

Gentes quæ non sectabantur justitiam, etc., *usque ad* non adjuvantur. (Id., *serm. de verb. Apost.*, tom. V, part. I, col. 920 et seq.)

CAPUT X.

Ignorantes Dei justitiam, etc., *usque ad* habere justitiam. (Id., *lib. contra Julianum*, tom. X, col. 867.)

Offenderunt in lapidem offensionis, etc. Christus sperabatur venturus, etc., *usque ad* non confundetur. (Id., *serm. in epist. Joan.* III, tom. III, part. II, col. 2000.)

Omnes, inquit, peccaverunt et egent gloria Dei, ut qui crediderint in eum non confundantur (*Rom.* III, IX). Sicut et Psalmus dicit: *Accedite ad eum et illuminamini, et vultus vestri non confundentur* (*Psal.* XXXIII). Qui ergo in se gloriatur confundetur. Non enim sine peccatis invenietur. Ille itaque tantummodo non confundetur qui in Domino gloriatur.

Quicunque illum fide exspectant, etc., *usque ad* cum venerit. (Id., *serm. in epist Joan.* IV, tom. III, part. II, col 2006.)

Fratres bona voluntas, etc., usque ad *fit pro illis in salutem.* Quid ergo oramus pro nolentibus credere, etc., *usque ad* fides ipsa donetur. (Id., *lib. de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 972.)

Voluntas ut ad vera credenda moveantur, etc., *usque ad* in salutem. (Id., *lib. ad Paulin. Nolanum episc.*, tom. II, col. 181.)

Testimonium perhibeo, etc., *usque ad non secundum scientiam.* Zelum, inquit, Dei habent, etc. *usque ad* non sunt subjecti. (Id., *serm.* 13, *de ver. evang.* tom. V, part. II, col. 734.)

Apostolorum audivimus eamdem gratiam, etc., *usque ad* quasi non acceperis. (Id., *in psal.* LXX, tom. IV, part. I, col. 874.)

Justitia Dei est, etc , *usque ad* non sunt subjecti. (Id., *in psal.* CXLII, tom. IV, part. II, col. 1848.)

Ignorantes enim Dei justitiam, etc., usque ad *justitiæ Dei non sunt subjecti.* Dicitur spiritus Eliæ qui est spiritus Dei, cujus particeps factus Elias illa potuit: sic dicitur et Dei justitia quæ nostra est, sed donata a Deo. De qua loquens Apostolus. Judæos arguens dicit: Ignorantes enim Dei justitiam et suam volentes constituere, id est, tanquam a se sibi paratam. Contra quales dicit: *Quid enim habes quod non accepisti* (*I Cor.* IV)? *Ignorantes enim Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X). De Judæis hoc dixit, qui de se præsumentes gratiam repellebant, et in Christum propterea non credebant. Suam vero justitiam dicit eos volentes constituere, quæ justitia est ex lege non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege quæ

ex Deo est suam justitiam constituerant quando eamdem legem suis viribus se implere posse credebant. Ignorantes Dei justitiam non qua justitia Deus justus est,sed quæ justitia est homini ex Deo.

Quæ sit autem justitia Dei, etc., *usque ad* sanguinis Christi. (Id., *lib. de Nat. et Gra.*, tom. X, part. I, col. 247 et seq.)

Carnales Israelitæ, terrenæ Jerusalem cives,etc., *usque ad* placere se Deo. (Id., *lib. de Civ. Dei*, XVII, tom. VII, col. 528 et seq.)

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, etc., *usque ad* qui datus est nobis. (Id., *tract.* 23 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1606 et seq.)

Est enim justitia Dei, quæ et nostra fit, etc., *usque ad* omni credenti. (Id., *in psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 233.)

Discernitur quidem ab operibus fides, etc..*usque ad* permanebis in patria. (Id., *tract. verb. Apost.*, tom. V, part. I, col. 852 et seq.)

Finis enim legis Christus ad justitiam,etc.,*usque ad* ipse finis dicitur. (Id., *in psal.* XIII, tom. IV, part. I, col. 141.)

Finis enim legis Christus ad justitiam, etc.,*usque ad* nostri finis dicitur. (Id., *in psal.* XLV, tom. IV, part, I, col. 514 et seq.)

Finis enim legis Christus est ad justitiam omni credenti. Intentio enim dirigitur, etc., *usque ad* nemo perficit legem. (Id.,*in psal.*LIV, tom. IV,part. I, col. 628 et 662.)

Initium est Vetus Testamentum,finis Novum,Timor enim prævalet in lege, et initium sapientiæ timor Domini. Finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti : quo donante diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et consummata charitas foras mittit timorem.

Finis legis Christus est, in quo, etc., *usque ad* et charitatis extendat. (Id., *lib. Sent, Prosperi*,tom. X, part. II, col. 1875.)

Finis fidelium Christus est ad quem cum venerit currentis intentio, non habet in quod possit amplius invenire, sed habet in quo debeat permanere.

Moyses enim scripsit, etc., usque ad *quid dicit Scriptura*. Lex autem non est ex fide, sed, etc., *usque ad* sine querela. (Id., *in expos. epist. ad Galat.* III, tom. III, part. II, col. 2119.)

Prope est verbum in ore tuo, etc., usque ad *a mortuis salvus eris*. Jam vos mundi estis propter verbum, etc., *usque ad* salvus eris. (Id., *tract. in evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col, 1840.)

Non enim laus fidei Christianorum est quia credunt mortuum Christum, sed, etc., *usque ad* non adjiciat ut resurgat. (Id., *tract. in psal.*CII, tom. IV, part. II, col. 1338 et seq.)

Hæc est fides Christianorum, etc.,*usque ad* loquitur in vobis. (Id., *tract. in psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1536 et seq.)

Sed dum peregrinamur a Domino, etc., *usque ad* fit ad salutem. (Id., *lib.* II *de Trinitate*, tom. VIII, col. 864.)

Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, etc.. *usque ad* loqueris non confiteris. (Id., *tract. in evang. sec. Joan.*, tom.III,part. II,col. 1577 et seq.)

Incipe quicunque me audis vivere quomodo,etc., *usque ad* erubescat. (Id., *tract. in psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 252.)

Cum dictum esset, Corde creditur, etc.,*usque ad* dolum in lingua sua. (Id., *lib. Contra mendacium*, tom. VI, col. 526 et seq.)

Corde creditur ad justitiam, ore confessio, etc., *usque ad* non unde fecit me. (Id., *serm. de conv. apost. Paul.*, tom. V, part. I, col. 1278 et seq.)

Scriptum est, et apostolicæ disciplinæ,etc.,*usque ad* corde gestamus. (Id., *serm.* 1 *de Symbolo Roman.*, tom. VI, col. 181.)

Quærens a Deo pacem, etc., *usque ad* loquenda. (Id., *lib.* II *Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1874.)

Dicit enim scriptura, etc., usque ad *quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit*. Quia de peccato gravi miseria premebatur genus humanum, etc., *usque ad* dictum est. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI col. 234.)

Quomodo ergo invocabunt, etc., usque ad *evangelizantium bona*. Degentibus namque dixit non de Judæis, *etc. usque ad* esse mittendos. (Id., *lib.* II *contra inimicum legis et prophet.* tom. VIII, col. 644.)

Sed non omnes obediunt, etc., usque ad *quis credidit auditui nostro*? Quidam inter se mussitant,*etc. usque ad* non sunt subjecti. (Id., *tract.* 53 *in evang. sec. Joan.*. tom. III, part. II, col. 1776, usque ad 1779.

Ergo fides ex auditu : auditus autem per verbum Dei Christi. Quamvis enim Deus doceat intrinsecus, etc., *usque ad* neque rigandum (Id., *tract. in psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1594.)

Fides quam qui habent, etc., *usque ad* per dilectionem. (S. Aug., *lib. de Trinitat.* tom. VIII, col. 1016.)

Sed dico, nunquid non audierunt? etc., usque ad *apparui his qui me non interrogabant*. Quo pacto ab apostolis est prædicatio ista,etc.,*usque ad* crescendo venturum (Id.,*epist.ad Esich. episc.*,tom. II, col.924 et seq.)

Ad Israel autem, etc., usque ad *et contradicentem mihi*. Si in eo quod ait, extendi manus meas, etc., *usque ad* contradicentem. (Id.,*tract.in psal.* LXXXVII, tom. IV, part. II, col. 1114 et seq.)

CAPUT XI.

Dico ergo : Nunquid, etc. usque ad *plebem suam quam præscivit*. Ex illo enim populo Israel quicunque in Christo, etc., *usque ad* cæteri vero excæcati sunt. (Id., *tract. in psal.* LXXVIII, tom. IV, part. I, col. 1010 et seq.)

Aliquando prædestinatio significatur, etc., *usque ad* fuerat ipse facturus. (Id., *lib.* de *Dono persev.*)

Laus illi, jubilatio illi, etc., *usque ad* in horreo recondita est. (Id., *tract. in psal.* XCIV, tom. IV, part. II, col. 1221 et seq.) A

Verba Aostoli. Attendite, iquit, quid dicit Elias, etc., *usque ad* si gratia est, gratis datur. (Id., *serm. de ver. evang.*, tom. V, part. I, col. 604).

Si ergo,etc.,usque ad *salvæ factæ sunt.* Non vos me elegistis, etc., *usque ad* effecit merita. (Id. *tract.* LXXXVI *in Joan.*, tom. III, part. II, col. 1851.)

Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, etc., *usque ad* ex Ægypto liberati sunt (Id. *ex lib. in Heptateuchum* CXLVIII, tom. part. I, col. 588.)

*Si autem gratia,*etc.,usque ad *jam non est gratia.* Adversus illos qui in operibus legis gloriabantur, Apostolus loquitur, etc., *usque ad* non est gratia. (Id., *in Pentat. Orat.* XLVII, *lib. Quæst.* tom. III, part. I, col. 613.)

B

Judæos de opere suo gloriantes sic arguit, etc., *usque ad* salutare Dei. (Id., *tract. in psal.* XLIX, tom. IV, part. I, col. 585.)

Gratia pluvia voluntaria, etc., *usque ad* coronasti nos. (Id., *tract. in psal.* LXVII, tom. IV. part. I, col. 819),

Quid ergo? Quod quærebat Israel, etc., usque ad *dorsum eorum semper incurva.* Ecce misericordia et judicium, etc., *usque ad* nisi credite. (Id., *lib. de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 369 et seq.)

Sitiebam et acetum accepi, id est fidem, etc., *usque ad* eam curatam erexit. (Id., *tract. in psal.* LXVIII, tom. IV, part. I, col. 860 et seq.)

Dico ergo : Nunquid sic offerendum, etc., usque ad *ministerium meum honorificabo.* Judæi qui eum occiderunt, etc., *usqae ad* habere non posset. (Id., *lib.* XVIII *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 608 et seq.)

C

Si quomodo ad æmulandum provocem, etc., usque ad *si deliberatio sancta est,et massa.* Dicit Apostolus : Si quomodo æmulari, etc. *usque ad* perit confessio. (Id., *tract. in psal.* LXXXVII, tom. IV, part. II, col. 1116.)

Et si radix sancta, et rami. Frangantur superbi rami, humilis inseratur oleaster, etc., *usque ad* tenebras exteriores. (Id., *tract.* 16 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col, 1526.)

Quod si aliquis ex remis, etc., usque ad *non tu radicem portas, sed radix te.* Apostolus enim gentibus loquebatur,etc., *usque ad* iste tenuit eam. (Id., *tract. in psal.* CXXXIV, tom. IV, part. II, col. 1743.)

Gentes jam credentes in Christum, etc.,*usque ad* adversus ramos. (Id., *tract. in psal.* LXXII, tom. IV, part. I, col : 914, et seq.)

D

Sed dicis, ait : Fracti sunt, etc., usque ad *noli altum sapere, sed time.* Quid est enim, noli altum sapere? Noli superbire quia insertus es, etc.,*usque ad* radicis pinguedini redditus. (Id., *lib. con. Faust.* tom. VIII, col. 242.)

Judæi olim vocati ex Ægypto, etc., *usque ad* stridor dentium, (Id., *serm. de sacrificio vespert.* tom. V, part. II, col. 1503 et seq.)

Hæc sive gratanter sive indignanter audiant Judæi, etc., *usque ad* sed time. (Id., *lib. contr. Judæos*, tom. VIII, col. 55).

Si enim Deus, etc., usque ad *nec tibi parcat.* Non enim accepistis, inquit Apostolus, spiritum servitutis,etc.,*usque ad* velle est operari pro bona voluntate. (Id., *lib. de Gratia novi Testamenti*, tom. X, part. I, col. 378 et seq., *usque ad* 386.)

Noli altem sapere, sed time, etc., *usque ad* in sæculum sæculi. (Id., *serm. de timore Dei*, tom. V, part. II, col. 1528 et seq.)

Vide ergo bonitatem, etc., usque ad *inserentur suæ olivæ.* Beatus Apostolus doctor gentium in fide et veritate exhortans,etc.,*usque ad* permanseris in bonitate. (Id., *libr. contr. Judæos*, tom. VIII, col. 61 et seq.)

Salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei, etc.; *usque ad* severitatem Dei. (Id., *lib.* I *contr. inimicum legis et prophetæ*, tom. VIII, col. 626 et seq.)

Nam si ex naturali excisus es, etc., usque ad *in bonam olivam.* Dici autem humano more contra naturam esse quod,etc. *usque ad* contra seipsum non facit. (Id., *lib. contr. Faustum*, tom. VIII, col. 241 et seq.)

Nolo enim vos ignorare, etc., usque ad *ex parte contigit in Israel.* In judicium venit in mundum ille judex futurus vivorum,etc.,*usque ad* peccatores prævaricatores. (Id., *serm. de illumin. cæci nati*, tom. V, part. I, col. 752 et seq.)

Donec plenitudo gentium, etc., usque ad *cum abstulero peccata eorum.* Consilium inopis confudistis, etc.,*usque ad* salutare Israel. (Id., *tract. in psal.* XIII tom. IV, part. I, col. 142 et seq.)

O stulti, increpastis, insultastis, etc., *usque ad* quia ipse cognovit. (Id,, *tract. in psal.* 52, tom. IV, part. I, col : 619.

Quod vero ait Malachias propheta : Mementote legis Moysi, etc.,*usque ad* ejusdemque renovationem. (Id., *lib.* XX *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 703 et seq.)

Secundum Evangelium quidem, etc., usque ad *sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei.* Cum dixisset : Nolo enim vos ignorare, fratres sacramentum hoc, etc.,*usque ad* permansissent utique nobiscum. (Id., *lib. de Præd. sanct.* tom. X, part. I, col. 983 et seq.)

Non solum enim dixit, sine me nihil potestatis facere, etc., *usque ad* inveniet finis. (***S. Aug.*** *lib. de Cor. et Grat.*, tom. X, part. I, col. 937.)

Sicut enim aliquando et vos, etc., usque ad *ut omnium misereatur.* Non hoc ideo dictum est quod sit neminem damnaturus,est.,*usque ad* neminem damnaturus. (Id., *lib.* XXI *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 732 et seq.)

O altitudo, etc.,usque ad *ipsi gloria in sæcula sæculorum amen.* Nolunt ut sit ipsi gloria in justificandis impiis,etc.,*usque ad* per gratiam ipsius. (Id., *epist. ad Sixt. episc.*, tom. II, col. 876.)

O altitudo divitiarum sapientiæ, etc., *usque ad* indignis aliis denegatur. (Id., *lib. de Cor. et Gra.*, tom. X, part. II, col. 245 et seq.)

Scio quod sicut impossibilitas, etc., *usque ad* in sæcula sæculorum. Amen. (Id., *lib. de Spir. et Litter.*, tom. X., part. I, col. 238 et seq.)

Dixit Apostolus: Unus deus Pater ex quo omnia,

etc., *usque ad* in sæcula sæculorum. Amen. (Id., *lib.* II, *contr. Maxim.*, tom. VII, col. 799 et seq.)

Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Nec mirum est quod sanctis angelis, etc., *usque ad* superferebatur super aquam. (Id., *lib. de Gen. ad litt*, tom. III, part. I, col. 225 et seq.)

Aut quis prior, etc., usque ad *ipsi gloria in sæcula sæculorum amen.* Et ipsum igitur initium fidei, etc., *usque ad* sunt omnia. (Id., *lib. de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 962.)

Aliter enim dicimus homini, debes, etc., *usque ad* ne remaneamus ingrati. (Id., *serm. de ver. Apost.*, tom. V. part. I, col. 863 et seq.)

Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo, etc., *usque ad* in sæcula sæculorum. Amen. (Id., *lib. de ver. Religione*, tom. III, part. I, col. 172.)

Res igitur quibus fruendum est, etc., *usque ad* propter spiritum sanctum. (Id., *lib. de Doct. Christ.*, tom. III, part. I, col. 21.)

Unum scilicet Dominum esse solum, cui servitus illa debetur quæ latria, etc., *usque ad* et illi soli servies. (Id., *epist. ad Maximinum*, tom. II, col. 96 et seq.)

Non enim duos aut tres deos, etc., *usque ad* sed ipsi gloria. (Id., *tract. in psal.* V, tom. IV, part. I, col. 84.)

Pater non habet patrem de quo sit, etc., *usque ad* in sæcula sæculorum. Amen. (Id., *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 931 et seq.)

Quia ergo Deus omnia quæ non de se genuit, etc., *usque ad* sollicita sint membra. (Id., *lib. de Natura boni*, tom. VIII, col. 520 et seq.)

CAPUT XII.

Obsecro itaque, fratres, etc., usque ad *et beneplacens et perfecta.*

Verum sacrificium est omne opus quod agitur etc., *usque ad* pars in illis opitulatur. (Id., *lib.* X, *de Civ. Dei.*, tom. VII, col. 283 et seq.)

Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri. Non ita est accipiendum quasi totum amiserit homo, etc., *usque ad* vane conturbatur. (Id., *lib.* I *Retractat.*, tom. I, col. 628.)

Qui vero commemorati convertuntur, etc., *usque ad* sicut potuit deformare. (Id., *lib.* XIV *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1053.)

Dominus qui verbum consummans et brevians fecit, etc., *usque ad* perducat officio. (Id., *lib de Perf. just. hom.*, tom. X, part. I, col. 296 et seq.)

Quid est autem aliud justitia cum in nobis est, etc., *usque ad* ad imaginem Dei. (Id., *epist ad Consentium de Trinitate*, tom. II, col. 462.)

Ex libro confessionum tertiodecimo cum de initio Genesis, etc., *usque ad* perfectum est. (Id., *lib. Confes.*, tom. I, col. 658.)

A *Dico enim per gratiam*, etc., usque ad *sapere ad sobrietatem.* Intelligamus quam sit Apostolo obtemperandum præcipienti, etc., *usque ad* antequam crescat. (Id., *lib*, XII *de Civ Dei*, tom. VII, col. 365.)

Et unicuique sicut Deus divisit, etc., usque ad *qui præest in sollicitudine.*

Ecce apertam confessionem illius gratiæ, etc., *usque ad* unicuique partitum. (Id., *epist ad Julianum*, tom. II, col. 853.)

De fide, hoc est de voluntate credentis, etc., *usque ad* Domino Jesu Christo. (Id., *lib. de Grat. et lib. arb.*, tom. X, part. I, col. 891.)

Constat, sine Spiritu sancto Christum nos diligere, et ejus mandata servare non posse, etc., *ubsque ad* idem autem spiritus. (Id., *tract. in Evang. Joan.*, B tom. III, part. II, col. 1828.)

Ipsam fidem unde omnis justitia sumit initium, etc., *usque ad* quia occulta. (Id., *epist. ad Sixt. presb.*, tom. II, col. 877 et seq.)

Qui miseretur in hilaritate, etc., usque ad *sollicitudine non pigri.* Quoniam in multis offendimus omnes suggerit dominicam tanquam quotidianam, etc., *usque ad* diligit Deus. (Id., *lib.* II *ad Hieron.*, tom. II, col. 740 et seq.)

Spiritu ferventes, domino servientes. Ait Joannes inter cætera quæ locutus est ad eos. etc., *usque ad* charitas multorum. (Id., *serm. de blasph. Spir. sanct.*, tom. V, part. I, col. 455.)

Eloquium domini ignivit eum, etc., *usque ad* charitas multorum. (Id., *tract. in Psal.* X, tom. IV, part. II, col. 1403.)

C *Spe gaudentes*, etc., usque ad *idipsum invicem sentientes.* In magna videtur esse tristitia cum dicit, Concupiscit, etc., *usque ad* non aufertur. (Id., *tract. psal.* LXXXIII, tom. IV, part. II, col. 1059 et seq.)

Quid sibi vult : *Labores fructuum tuorum manducabis*, etc, *usque ad* ubi sempiterna felicitas. (Id., *tract. in Psal.* CXXVII, tom. IV, part. II, col. 1683 et seq. et præced. ejusd. col.)

Non alta sapientes, sed humilious consentientes. Tunc enim erit humilitas vera, si non sola ostentetur in lingua, etc., *usque ad* quam tumere. (S. Aug., *tract in psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, 1532 et seq.)

Qui se exaltat humiliabitur. etc., *usque ad* inimicus injustus. (Id., *ser. de pass. Domini*, tom. V, part. I, D col. 1087.)

Nolite esse prudentes apud nosmetipos, etc., usque ad *cum omnibus hominibus pacem habentes.* Sex sunt in isto genere differentiæ, etc., *usque ad* hominem sibi expetere. (Id., *tract. in psal.* CVIII, tom. IV, part. II, col. 1432 et seq.)

Non nosmetipsos defendentes... ego retribuam, dicit Dominus. Quod scriptum est in Apocalypsi, sub ara Dei martyres, etc., *usque ad* voluntate crudelis. (Id., *tract. in psal.* LXXVIII, tom. IV, part. I, col. 1017 et seq.)

Sed si esurierit inimicus... super caput ejus. Servabitur ergo in locutionibus figuratis, etc., *usque ad*

miseriæ subvenitur. (Id., *lib.* III *de Doctr. Christ.*, t. III, part. I, col. 74 et seq.)

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Contende cum malo, sed, etc., *usque ad* duo mali. (Id., *tract. in psal.* XXXVI, tom. IV, part. I, col. 364.)

Si tu jam non es malus, etc., *usque ad* unus esset bonus. (Id., *serm. de natali. S. Laurentii*, tom. V, part. I, col. 1389.)

CAPUT XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. A parte superiore, etc., *usque ad*, omnis homo. (Id., *tract.* 105 *in evang. sec. Joan.* col. 1904 ; tom. III, part. II, *serm.* VI *de verbis Evan. seu Domini.*)

Prodest ergo et severitas vestra, etc., *usque ad* dilectionis impletur. (Id., *lib. Epist.*, tom. II, col. 661 et seq.)

Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Nocendi autem voluntas potest esse a suo quoque animo prava, etc., *usque ad* iniquitas apud Deum. (Id., *lib. de Patientia*, tom. VI, page. 622.)

Malitia hominum cupiditatem nocendi potest habere, etc., *usque ad* non diabolo placuit (Id., *tract. in psal.* XXXII, tom. IV, part. I, col. 291 et seq.)

Qui etiam nocentium potestas non est, etc., *usque ad* angelis ejus (Id., *lib. de Natur. boni*, tom. VIII, col. 561.)

Vis autem non timere. . minister est tibi in bonum. Quid ergo? (ait aliquis) sanctus Laurentius malum fecerat ut a potestate occideretur? etc., *usque ad* occasionem præbente. (Id., *serm. de natali sancti Laurentii*, tom. V, part. II, col. 2129.)

Si autem malum feceris... vindex in iram ei qui male agit. Ex epistola ad Apringium, ubi pro Donatistis, etc., *usque ad* intercedentibus nobis. (Id., tom. II, col. 511 et seq.)

Ideo necessitate subditi estote... cui honorem, honorem. In fide Christi non est distantia Judæi et Græci, etc., *usque ad* agnitionem veritatis venire. (Id., *in expos. epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2125.)

Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis. Charitatem tanto magis debemus, etc., *usque ad* semper debetur. (Id., *epist. ad Severum episc.*, tom. II, col. 420.)

Sanctitati tuæ salutationem debitam reddo, etc., *usgue ad* invicem diligatis. (Id., *epist. ad Cœlestinum diaconum*, tom. II, col. 868 et seq.)

Qui enim diligit proximum, legem implevit. Fides enim, sicut Apostolus ait, per dilectionem operatur, etc., *usque ad* invicem diligatis. (Id., *lib. contr. Faustum*, tom. VIII, col. 366.)

Hæc est autem vera dilectio, ut inhærentes veritati, etc., *usque ad* ut præcipue Deum diligat. (Id., *lib.* VIII *de Trinit.*, tom. VIII, col. 956 et seq.)

Quæri potest cur Apostolus solam commemoraverit proximi dilectionem, etc., *usque ad* moribus facile est. (Id., *in expos. epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2137 et seq.)

A *Nam non adulterabis... diliges proximum tanquam teipsum.* Cur ergo non dicimus qui hanc virtutem habet, etc., *usque ad* nihil ex vitio remanebit. (Id., *ad Hieron. epist.* II, tom. II, col. 738.)

Nolite itaque putare, fratres mei, in hoc, etc., *usque ad* tanti capitis simus. (Id., *tract.* 62 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1809.)

Tunc quippe est optimus homo, etc., *usque ad* derivatione minuatur. (Id., *lib.* I *de Doctr. Christ.*, tom. III, part. I, col. 26 et seq.)

Decalogus legis decem præcepta habet, etc., *usque ad* societate versaris. (Id., *serm. de decem chordis*, tom. V, part. I, col. 84 et seq.)

Charitatem habens quæ est de corde puro, etc., *usque ad* odisse quod diligit. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, B tom. X, part. II, col. 1891.)

Dilectio proximi malum non operatur. Proximum omnem hominem oportet intelligi, etc., *usque ad* odit animam suam. (Id., *tract. in psal.* II, tom. IV, part. I, col. 138.)

Tenete ergo dilectionem, etc., *usque ad* ut corrigat. (Id., *serm. epist. Joan. ad Parthos*, tom. III, part. II, col. 2059.)

Plenitudo ergo legis est dilectio. Plenitudo legis charitas est, etc., *usque ad* nec proximum diligit. (Id., *ep.* II. *ad Hieron.*, tom. II, col. 739 et seq.)

Mandatum novum de vobis, etc., *usque ad* omnia in omnibus. (Id., *tract.* 84 *in Evang, sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1845 et seq.)

Qui sedes super Cherubin, etc., *usque ad* Deus charitas est. (Id., *tract. in psal.* LXXIX, tom. IV, part. C I, col. 1021 et seq.)

Et hoc scientes tempus, etc. usque ad *dies autem appropinquavit.* Et mane oratio mea præveniet te, etc., *usque ad* fideliter exspectamus. (Id., *tract. in psal.* LXXXVII, tom. IV, part. II, col. 1118 et seq.)

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, etc., usque ad *honeste ambulemus.* Vita fidelium quæ in hac carne, etc., *usque ad* in cordibus nostris. (Id., *lib.* IV *de Genes. ad litteram*, tom. III, part. I, col. 269 et seq.)

Vita fidelium in comparatione vitæ infidelium dies est, etc., *usque ad* in resurrectione promissum est. (Id., *tract. in psal.* LXXVI, tom. IV, part. I, col. 973.)

Non in commessationibus, etc., usque ad *Dominum Jesum Christum.* Cum Apostolus tria breviter genera, etc., *usque ad* ossa confringeret. (Id., *epist. ad Aurelium episcop.*, tom. II, part II, col. 91 et seq.) D

Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Crastinus enim dies, inquit, sollicitus erit sibi ipsi, etc., *usque ad* sunt necessaria. (S. Aug., *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 293 et seq.)

Fames et sitis quidem dolores sunt, etc., *usque ad* nisi tu des. (S. Aug. *lib.* X *Confess.*, tom. I, col. 97 et seq.)

Nec nos terrent quædam more sapientium, etc. *usque ad* si ipsa non desunt. (S. Aug., *lib. de beata Vita*, tom. I, col. 971).

Carnis inquit, providentiam, etc., *usque ad* suas

infirmitates. (S. Aug., *epist.* CXXX, *ad Probam, de orat.*, tom. II, col. 497).

CAPUT XIV.

Infirmum autem... olus manducet. Cor hominis nec videre possumus nec ostendere. Deus dicit, etc., *usque ad* mercedem æqualem accepturus. (S. Aug. *serm. de apost. Paulo in convers. cujusdam Fausti*, tom. V, part. II, col. 1729 et seq.)

Is qui manducat, etc., usque ad *assumpsit* Ea facta quæ dubium est quo animo fiant, etc., *usque ad* cogitationes cordis. (S. Aug., *lib. de Serm. Dom. in monte*, tom. III, part. I, col. 1241.)

Cum audimus, qui credit in Christum, etc., *usque ad* sit futurus. (S.Aug., *lib. de Agon. Christiano*, tom. VI, col. 305.)

Tu quis es qui judicas, etc., usque ad *in suo sensu abundet.* Quamvis de omnibus regeneratis, etc., *usque ad* erigit elisos. (S. Aug., *lib. de Cor. et Grat.*, tom. X, part. II, col. 938.)

Qui sapit diem, Domino sapit. Nec isti ecclesiæ devoti sunt qui videntur esse intus, etc., *usque ad* deputandi sunt. (S. Aug., *lib.* IV *de Baptis. parv. cont. Donatistas*, tom. IX, col. 195 et seq.)

Et qui manducat, etc., usque ad *gratias enim agit Deo.* Ita dictum est, annuntiabitur Domino generatio ventura, etc., *usque ad* Domino vivere. (S. Aug., *expos. in psal.* XXI, tom. IV, part. I, col. 170.)

Sic dictum est, qui manducat Domino manducat, etc., *usque ad* mysterio celebratur. (S.Aug., *ex lib. de Gratia*, tom. X, part. I, col. 382.)

Nemo enim nostrum, etc., usque ad *Domini sumus.* Sicut Domini magnitudinis non est finis, etc., *usque ad* vivorum dominetur. (S. Aug., *tract. in psal.* CXLIV, tom. IV, part. II, col. 1872.)

In hoc enim Christus, etc., usque ad *rationem reddet Deo.* Ideo Christus mortuus est et resurrexit, etc., *usque ad* liber in mortuis. (S. Aug., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 261.)

Regnant itaque cum illo etiam nunc sancti ejus, etc., *usque ad* regnum Christi. (S. Aug., *lib.* XX *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 675 et seq.)

Non ergo amplius, etc., usque ad *blasphemetur bonum nostrum.* Duo sunt in quibus temerarium judicium, etc., *usque ad* vel invidentia. (S. Aug., *lib.* II *Serm. Dom. in monte*, tom. III, part. I, col. 1297.)

Non est enim regnum Dei, etc., usque ad *destruere opus Dei.* Quod autem subjunxit, et justificata est sapientia, etc., *usque ad* perpetuo retineri (Id., *lib. quæst. in Evang.*, tom. III, part. II, col. 1337 et seq.)

Omnia quidem sunt, etc., usque ad *quia non ex fide.* An non videmus Israelitas, etc., *usque ad* propter lenticulam perdidit. (Id., *tract.* 73 *in Evang. sec. Joan.* 1, tom. III, part. II, col. 1824.)

Audivi aliam vocem tuam, etc., *usque ad* omnes ribentur. (Id., *lib.* X *Confessionum*, tom. I, l. 799 et seq.)

Omne autem quod non est ex fide peccatum. Omnis infidelium vita peccatum est, etc., *usque ad* in optimis moribus. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 868.)

CAPUT XV.

Debemus autem nos, etc., usque ad *ceciderunt super me.* Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt, etc., *usque ad* me invenerunt. (Id., *tract. in psal.* LXVII, tom. IV, part. I, col. 851 et seq.)

Quæcunque enim scripta sunt, etc., usque ad *in honorem Dei.* Nos ergo et ad commemorationem fidei, etc., *usque ad* habemus ad Deum. (Id., *lib. contr. Faustum Manich.*, tom. VIII, col 464 et seq.)

Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, etc., usque ad *si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Secundum speciem corporis quam Judæi, etc., *usque ad* confitentium relaxavit. (Id., *tract.* 28 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1624 et seq.)

Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, propterea tibi per me confitebuntur gentes, Domine. Et nomini tuo psallam, et latius innotesces, etc., *usque ad* spiritus sui. (Id., *lib. de Gratia Novi Testamenti*, tom. II, col. 556 et seq.)

Ut inhabitet gloria in terra nostra, etc., *usque ad* occurrerunt sibi. (Id., *tract. in psal.* LXXXIV, tom. IV, part. II, col. 1077 et seq.)

Quoniam populo Israel etiam, etc., *usque ad* promissiones patrum. (Id., *tract. in psal.* LXXXVIII, tom. IV, part. II, col. 1121.)

Gentes autem super misericordia glorificare Deum. Rex ergo Judæorum Christus, etc., *usque ad* mererentur accedere. (Idem, *serm. de pass. Domini*, tom. V, part. II, col. 1723.)

Dominus qui dixit : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt, etc., *usque ad* cum plebe ejus. (Id., *serm. de pass. Domini.* tom. V, part. II, col. 486 et seq.)

Nunc igitur proficiscar, etc., usque ad *sit cum omnibus vobis. Amen.* Communis cura erat omnibus apostolis, etc., *usque ad* idcirco ait. (Idem, *expos. epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2144.)

Nunc autem pergam, etc., usque ad *in carnalibus ministrare eis.* Qui quia prope inventi sunt, etc., *usque ad* ministrare eis. (Idem, *lib. de Oper. mon.*, tom. VI, col. 568.)

Cum viderent Judæi tanta signa fieri, etc., *usque ad* charitate copularentur. (Idem, *lib. de Catechizandis rudibus*, tom. VI, col. 340 et seq.)

CAPUT XVI.

Commendo autem vobis Phœben, etc., usque ad *sapientes esse in bono, et simplices in malo.* Captivatus est populus Israel ex civitate, etc., *usque ad* cœperunt exire. (Idem, *tract. in psal.* LXIV, tom. IV, part. I, col. 772 et seq.)

Omnis eruditus in sancta Ecclesia, etc., *usque ad* corpore separandum. (Idem, *tract. in psal.* CXXXVI, tom. IV, part. II, col. 1761 et seq.)

Deus autem pacis, etc., usque ad *prædicationis Jesu Christi.* Dictum est mulieri vel potius serpenti, etc., *usque ad* factus est diabolus. (Idem, *tract. psal.* CIII, tom. IV, part II, col. 108 et seq.)

Secundum revelationem mysterii, etc., usque ad *et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Æternus autem A ignis non sicut Deus, etc., *usque ad* est vera æternitas. (Idem, *lib. de Natur. boni*, tom. VIII, col. 563.)

In illo etiam testimonio ubi ait Apostolus, etc., *usque ad* atque immobilitate naturæ. (Idem, *lib.* II *contr. Maxim.*, tom. VIII, col. 797 et seq.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Corinthii sunt Achaici, et hi similiter ab Apostolo audierunt verbum veritatis, et subversi sunt multifarie a falsis apostolis, quidam a philosophiæ verbosa eloquentia, alii secta legis Judaicæ inducti sunt. Hos revocat Apostolus ad veram fidem et evangelicam sapientiam, scribens eis ab Epheso per Timotheum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus vocatus apostolus Jesu Christi, etc., usque ad *in Christo Jesu vocatis sanctis.* Paulus primo Saulus, hoc est primo superbus, etc., *usque ad* plus omnibus sanavit. (S. Aug., *serm. Evang. de muliere Chan.*, tom. V, part. I, col. 484 et seq.)

Cum omnibus qui invocant, etc., usque ad *Domine Jesu Christo.* Qui devorant populum meum ut cibum panis, etc., *usque ad* invocant Deum. (Idem, *tract. in psal.* LII, tom. IV, part. I, col. 617.)

Et multum misericors omnibus, etc., *usque ad* invocantibus te. (Idem, *tract. in psal.* LXXX, tom. IV, part. II, col. 1038 et seq.)

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, etc., *usque ad* invocat Deum in veritate. (Idem, *tract. in psal.* CXLIV, tom. IV, part. II, col. 1882, 1883.)

Invocat te, Domine, fides mea, etc., *usque ad* cum invocabo eum. (Idem, *lib.* I *Confes.*, tom. I, col. 661.)

Gratias ago Deo meo, etc., usque ad *adventus Domini nostri Jesu Christi.* In quacunque die invocavero te, etc., *usque ad* ipse sit noster. (Idem. *tract. in psal.* LV, tom. IV, part. I, col. 657.)

Fidelis Deus, etc., usque ad *Jesu Christi Domini nostri.* Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, etc., *usque ad* gratis daretur. (Idem, *tract. in psal.* CIX, tom. IV, part. II, col. 1445 et seq.)

Obsecro autem vos, etc., usque ad *in eadem scientia.* Multi erant apostoli et uni dicitur : Pasce, etc., *usque ad* contristabuntur. (Idem, *ex serm. de pass. Domin.*, tom. V, part. I, col. 279 et seq.

Significatum est enim mihi, etc., usque ad *ego autem Christi.* Agebat Apostolus, ne quisque gloriaretur, etc., *usque ad* adversus alterum (Idem, *lib. de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 967 et seq.)

Væ illis qui oderunt unitatem, etc., *usque ad* est vobiscum Paulus. (Idem, *tract.* 12 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1489.)

Nemo novit Filium nisi Pater, etc., *usque ad* intraverant ostium. (Idem, *tract.* 47 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1734 et seq.)

Discite quantum præsumatis de Deo, etc., *usque ad* mysteriorum Dei. (Idem, *tract. in psal.* XXXV, tom. B IV, part. I, col. 547 et seq.)

Ecclesiæ filiæ apostolorum, etc., *usque ad* gloriam quærere. (Idem, *tract. in psal.* XLIV, tom. IV, part. I, col. 508 et seq.)

Excellentes quippe in ecclesia, etc., *usque ad* cœlum et terram. (Idem, *tract. in psal.* LXXI. tom. IV, part. I, col. 904.)

Et ego dico tibi : Tu es Petrus, etc., *usque ad* baptizatis estis. (Idem, *ser. Evang.*, tom. V, part. I, col. 479 et seq.)

Divisus est, etc., usque ad *baptizati estis?* Baptismus Domini divinus, quia dominus Deus. Potuit autem Jesus Christus, etc., *usque ad* baptizandi potestatem. (Idem, *tract.* 5 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1417 et seq.)

C Ergo boves illi, Dominum magnificabant non se, etc., *usque ad* incrementum dat Deus. (Idem, *tract.* 10, *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1471.)

Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata, etc., *usque ad* schismata faciebant. (*Idem, ser. in epist. Joan.*, *tract.* 2, tom. III, part. II, col. 1992.)

Hoc ipsorum erat proprium detestabile vitium. Quod vero sciebant, etc., *usque ad* non credebant. (Idem, *lib. de unico Baptismo*, tom. IX.)

Vide quemadmodum magnus ille miles Christi, etc., *usque ad* non sexum (Idem, *tract. in psal.* LIV. tom. IV, part. I, col. 509.)

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, etc., D *usque ad* illuminatus a Domino. (Idem, *tract. in psal.* LXXV, tom. IV, part. I, col. 961 et seq.

Gratias ago Deo meo etc., usque ad *alium vestrum baptizaverim.* Poterat si voluisset Dominus Jesus, etc., *usque ad* et majore baptizetur. (Idem, *lib.* V *de Baptis.*, tom. IX, col. 184 et seq.)

Non enim misit me, etc., usque ad *evacuetur crux Christi.* Miserabiles tenebras in animo humano. Qui scit quemadmodum debeat leonem domare, etc., *usque ad* ad justitiam omni credenti. (Idem, *lib. de Nat. et Grat.*, tom. X, part. I, col. 270.)

Non usque adeo, inquam, duci me putes laudibus

meis, etc., *usque ad* quam ratione redditur, (Idem, *lib. contr, Felicianum*, tom. VIII, col. 1157.)

Verbum enim crucis, etc., usque ad *prudentiam prudentium reprobabo.* Si secundum Scripturas sapiamus, etc., *usque ad* perveniri posse dicatur. (Id., *lib. de Nat. et Grat.*, tom. X, part. I, col. 250.)

Perdam sapientiam sapientium, etc., *usque ad* miseriam confitentes (Idem, *lib.* X *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 307.)

Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Audivimus Filium Dei dicentem : Confiteor tibi, Pater, etc., *usque ad* tradita sunt a Patre meo. (Id., *serm. de lect. Evang.*, tom. III, part. II, col. 1389 et seq.)

Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Dicitur aliquando in Scripturis sapientia, etc., *usque ad* quoniam vanæ sunt. (Idem, *lib. de Pastoribus*, tom. V, part. I, col. 286.)

Turbetur plane animus Christianus, non miseria, etc., *usque ad* doloris amiserit sensum. (Idem, *tract.* 60 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1798.)

Nam quia in Dei sapientia, etc,, usque ad *salvos facere credentes*, Cum in carne manifestatus est Filius Dei, etc., *usque ad* habitaret in nobis. (Idem, *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 997.)

Quoniam Judæi signa, etc., usque ad *et Dei sapientiam.* Omnia, Domine, in sapientia fecisti, etc., *usque ad* et Dei sapientiam. (Idem, *tract. in psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1377.)

Deus verbo fecit omnia. Omnia per ipsum facta sunt, etc., *usque ad* factum est nihil. (Idem, *tract. in psal.* XVIII, tom. IV, part. II, col. 158 et seq.)

Si enim solus ibi Filius intelligit, etc., *usque ad* quod est Pater. (Idem, *lic.* XV *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1065 et seq.)

Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, etc., *usque ad* et vocatio Dei, (Idem, *lib. de Præd. sanct*,, tom. X, part. I, col. 983.)

Quia quod stultum est, etc,, usque ad *fortius est hominibus.* Non enim ad eum qui ubique præsens est, etc., *usque ad* imprudentiam meam. (Idem, *lib. de Doctr. Christ.*, tom. III, part. I, col. 23, et seq.)

Quæ imprudentia in Christo, etc., *usque ad* crucifixissent. (S. Aug., *tract. in psal.* LXVIII, tom. IV, part. I, col. 849.)

Infirmus carne Jesus, etc., *usque ad* nostra est fortitudo. (Id., *tract. in evang., sec. Joan.* V, tom. VII, part. II, col. 1513.)

Videte enim vocationem... quæ sunt destrueret. Humiliatus est Dominus Christus, etc., *usque ad* in pudoris arce constituunt. (Id., *serm. de Quinq. resurr.*, tom. V, part. II, col. 1729.)

Quare autem primo ignobiles, etc., *usque ad* nisi per superbiam. (Id., *serm. de tribus Virgis*, tom. V, part. II, col. 1731 et seq.)

Sed forsan diceret aliquis, etc., *usque ad* falsa non erit. (Id., *verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 1023.)

Descendit Dominus Deus noster Jesus Christus,

A etc., *usque ad* minueretur. (Id., *tract. in psal.* LXV, t. IV, part. I, col. 788.)

Petrus iste qui sic loquitur piscator fuit, etc., *usque ad* evacuentur. (Id., *serm. de verb. epist. B. Petri*, tom. V, part. I, col. 256 et seq.)

Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Videte quemadmodum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (Id., *lib. de Cor. et Grat.*, tom. X, part. I, col. 933 et seq.)

Ex ipso autem vos, etc., usque ad *sanctificatio et redemptio.* Filius factus est nobis a Deo sapientia, etc., *usque ad* potissimum insinuatur. (Id., *lib.* VII, *de Trin.*, tom. VIII, col. 937.)

Ea porro justitia, quæ vivit, etc., *usque ad* plena

B justitia. (Id., *epist. ad Consent. de Trinit.*, tom. II, col. 461.)

Ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur. Sic enim qui gloriatur non nisi in Domino, etc., *usque ad* præceptum est. (Id., *lib.* XI *de Gen. ad litt.*. tom. III, part. I, col. 141.)

Et hoc præceptum obedienter audire, etc., *usque ad* inaniter habet. (Id., *lib. de Bono Persev.*, tom. X, part. II, col. 1015.)

Cum dixisset, Laudamini (quod utique bene operantes merito possunt) addidit : In nomine sancto ejus, etc., *usque ad* et lætentur. (Id., *tract. in psal.* CIV, tom. IV, part. II, col. 1391.)

CAPUT II.

C *Et ego cum venissem ad vos*, etc., usque ad *principum hujus sæculi qui destruuntur.* Vide amatores veritatis, non accipientes in vanum nomen Domini Dei sui, etc., *usque ad* non cibum mentibus. (Id., *serm. Decalogi ad populum*, tom. V, part. I.)

Necessaria est purgatio mentis nostræ, etc., *usque ad* et hunc crucifixum. (Id., *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 821.)

Eis autem loquebatur, etc., *usque ad* hominibus loquuntur. (Id., *lib.* II *de Trinit.*, tom. VIII, col. 837.)

Hoc est enim evangelizare Christum, etc., *usque ad* bene vivit per Evangelium. (Id., *lib., de Fide et oper.*, tom. VI, col. 206 et seq,)

Sed loquimur Dei sapientiam, etc., usque ad *Dominum gloriæ crucifixissent.* Gratia ista Christiana (quia omnia sunt tradita Christo a Patre ejus) omnes

D latuit, etc., *usque ad* trementibus verba ejus. (Id., *serm. de lect. evang. Joan.*, tom. V, part. I, col. 776 et seq.)

Nisi ipse esset et filius hominis, etc., *usque ad* cum loqueretur in terra. (Id., *lib.* XIII *de Trin.*, tom. VIII, col. 1028 et seq.)

Una persona est Christus Deus et homo, etc., *usque ad* cum loqueretur in terra. (Id., *lib.* II *contr. Maxim.*, tom. VIII, col. 781.)

Sicut scriptum est, etc., usque ad *iis qui diligunt eum.* Spes nostra non de isto tempore, etc., *usque ad* ab origine mundi. (Id., *serm. de eisdem verb. apost.*, tom. V, part. I, col. 705 et seq.)

Dedit nobis naturam ut essemus, dedit animam, etc., *usque ad* et sufficit nobis. (Id., *serm. in natali mar.*, tom. V, part. I, col. 1460 et seq.)

Qui autem susceperunt pacem, etc., *usque ad* amittamus quod sumus. (Id. *tract. in evan. sec. Joan.* II, tom. III, part. II, col. 1393 et seq.)

Nobis autem revelavit, etc., usque ad *etiam profunda Dei.* Spiritus enim omnia scrutatur, etc., *usque ad* tu non faceres. (Id., *tract. in psal.* LII, tom. IV, part. I, col. 616.)

Quis enim scit, etc., usque ad *nisi spiritus Dei.* Humana natura constat ex corpore, etc., *usque ad* per gratiam Dei. (Id., *lib. Quæst. in Num. tit.* 18, tom. III, part. I, col. 125.)

Cum quisque venerit ad eam ætatem ut jam possit capax esserationis, etc., *usque ad* possis accipere. (Id., *lib. Quæst. in Num. tit.* 83, tom. VI, col. 32 et seq.)

Unusquisque homo non habet, in se, etc., *usque ad* donata sunt nobis. (Id., *tract.* 32 *in evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1644.)

Quod enim de patre natum est, ad patrem, etc., *usque ad* jam tibi dedi. (Id., *lib.* IX *de Trin.*, tom. VIII, col. 921.)

Nemo enim scit quid agatur in homine, etc., *usque ad* noti sumus. (Id., *lib. ad Paulin. de videndo Deo*, tom. II, col. 602.)

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, etc., *usque ad* et renes Dei. (Id., *lib.* II *contr. Maxim.*, tom. VIII, col. 771.)

Nos autem spiritum, etc., *usque ad quæ a Deo donata sunt nobis.* Ait Dominus, quia servus nescit quid faciat, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (Id., *tract.* 85 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1849 et seq.)

Hæc dona Dei esse quanto magis nosti, etc., *usque ad* commendentur agnoscis. (Id., *Ex lib. de Dono vid.*, tom. VI, col. 442 et seq.)

Qui enim habet dabitur ei, etc., *usque ad* sunt infelices. (Id., *tract. de natali mart. Massyl.*, tom. V., part. I, col. 1287.)

Quæ et loquimur, etc., usque ad *spiritalia comparantes.* Intelligitur Jesus discipulos suos de carnalibus, etc., *usque ad* omnino esse convincunt. (Id., *tract.* 102 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1897 et seq.)

Tuus est dies. Qui sunt isti, etc., *usque ad* luna consolans noctem. (Id., *tract. in psal.* LXXIII, tom. IV, part. I, col. 940.)

Animalis autem, etc., usque ad *spiritaliter examinatur.* In ipsa sorte mortalitatis nostræ ex qua de Adam nascimur, etc., *usque ad* omnes scribentur. (Id., *lib.* I *de Baptismo*, tom. IX, col. 122 et seq.)

Quis autem carnalis et animalis homo, etc., *usque ad* omni vento doctrinæ. (Id., *lib.* III *de Baptismo*, tom. IX, col. 146 et seq.)

Qui ergo vivit ex corpore, carnalis homo, etc., *usque ad* nullam patietur. (Id., *lib. Quæst.* 88, tom. III, part. II, col. 1881 et seq.)

Hunc spiritum quod illi non habeant, etc , *usque ad* alendos, non esca. (Id., *ex serm. de blasph. Spir. sanct.*, tom. V, part. I, col. 461,)

In libro qui inscribitur contra Donatistas, commemorato Judæ apostoli testimonio, etc., *usque ad* et inventus est. (Id., *lib.* II *Retract.*, tom. I, col. 642.)

Spiritalis autem judicat, etc., usque ad *sensum Christi habemus.* Ut enim nos omnes animæ rationales, etc., *usque ad* non fas est. (Id., *lib. de vera Relig.*, tom. III, part. I, col. 147 et seq.)

Spiritales ergo sive qui præsunt, sive qui obtemperant, etc., *usque ad* potestatem corrigandi habet. (Id., *lib.* XIII *Confess.* tom. I, col. 859 et seq.)

CAPUT III.

Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritalibus, se quasi carnalibus. Est autem quæstio, utrum spiritales homines habeant aliquid in doctrina, etc., *usque ad* ego sum Christi. (Id., *tract.* 98 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1880 et seq.)

Filium hominis, id est hominem novum, pœnitentia veteris parturit, etc., *usque ad* secundum hominem ambulatis. (Id., *tract. in psal.* VIII, tom. IV, part. I, col. 113 et seq,)

Ipsis libenter audientibus, etc., *usque ad* cresce ut capias. (Id., *tract. in psal.* XXXVIII, tom. IV, part. I, col. 415.)

Audistis cum Apostolus legeretur: Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, etc., *usque ad* et cresces ad id quod est. (Id., *tract. in psal.* CXVIII, tom. IV. part. II, col. 1551 et seq.)

Tanquam parvulis, etc., usque ad *adhuc enim estis carnales.* Ubi dicitur, nondum vel non adhuc, profecto non desperatur, etc., *usque ad* fugiet fictum. (Id., *serm. de blasph. Spir. sanct.*, tom. V. part. I, col. 462 et seq.)

Non omnes quos ecclesia generat, ad ejus pertinent unitatem, etc., *usque ad* vinculum pertinerent. (Id., *lib.* I *de Bap. parv.*, tom. IX, col. 117.)

Hoc a magnis et spiritalibus viris Ecclesiæ catholicæ aluminis, etc., *usque ad* inferiores adjuverit. (Id., *lib. de vera Relig.*, tom. III, part. I, col. 143.)

Ætas corporis non est in voluntate, etc., *usque ad* ut pane pascat. (Id., *tract. epist. Joan.* tom. III, part. II, col. 1997 et seq.)

Quibusdam infirmis dicit Apostolus. Lac vobis potum dedi, etc., *usque ad* non recedamus a fide lactis nostri. (Id., *tract. psal.* CXXX, tom. IV, part. II. col. 1710 et seq.)

Cum enim sit inter vos zelus... nonne homines estis? Quod ergo est ambulare secundum hominem, hoc est esse carnalem, etc., *usque ad* si vixeritis, dii estis. (Id., *lib.* XIV *de Civit, Dei*, tom. VII, col. 407 et seq.)

Quid igitur est Apollo... Deus incrementum dedit. Ego sum, inquit Dominus, vitis vera, etc., *usque ad* ad agricolam Trinitatem. (Id., *tract.* 80 *in Epist., sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1839 et seq.)

Interior ergo magister est qui docet. Christus docet, etc... qui diabolo non præbent. (Id., *tract. in epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2004.)

Apostolus discernens interius Deum ereantem atque formantem, etc., *usque ad* terræ agriculturam (Id., *lib.* III *de Trin.*, tom. VIII, col. 876 et seq.)

Si fuerit justus minister, computo illum cum Paulo, etc., *usque ad* non tamen inquinat. (S. Aug. *tract.* 5 *in Evang. sec Joan.*, tom. III, part. II, col. 1418 et seq.)

Quid volebat Simon, nisi laudari in miraculis, etc., *usque ad* ædificare cupiebat. (Id., *serm. de Kal. Jan.*, tom. V, part. I, col. 1024.)

Itaque neque qui plantat, etc., usque ad *incrementum dat Deus.* Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, etc., *usque ad* incrementum dat Deus. (Id., *tract.* 26 *in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1609 et seq.)

Quidam putant, cum aliquos ad justitiam pietatemque exhortantur, etc., *usque ad* latenter operaretur. (Id., *lib. de Bono viduit.*, tom. VI, col. 444 et seq.)

Qui plantat.... secundum suum laborem. Nescio utrum inveniatur in Scripturis dictum, ut unum sint, etc., *usque ad* et nos unum sumus. (Id., *lib.* VI *de Trin.*, tom. VIII, col. 926.)

Dei enim.... edificatio estis. Apertissime Deus Pater dictus est agricola., etc., *usque ad* agricola noster est. (Id., *tract. in psal.* LXVI, tom. IV, part. I, col. 802.)

Secundum gratiam... quod est Christus Jesus. Certum propriumque catholieæ fidei fundamentum Christus est, etc., *usque ad* monstrandum est. (Id., *lib. Enchir.* tom. VI, col. 233.)

Fundamentum quando ponitur in terra, etc., *usque ad* ubi ædificemur. (Id., *tract. in psal.* CXXI, tom. IV, part. II, col. 1621.)

Sicut fundamentum corporeæ fabricæ, etc., *usque ad* crescit exordio. (Id., *Sent. Prosp.* tom. X, col. 1868,)

Si quis autem superædificat... sacerdotem accipiet. Beatus Petrus apostolus, sciens etc., *usque ad* æterno igne torquebitur. (Id., *lib. de Fid. et Oper.*, tom. VI, col. 212 et seq.)

Antequam veniat dies dedicationis domus, videamus quia jam dedicatum est caput nostrum., etc., *usque ad* ad dextram Patris. (S. Aug. *in psal.* XXVI, tom. IV, col. 204.)

Ligna quippe, et fenum, et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium *usque ad* in ignem æternum. (Idem, *Enchirid.*, tom. VI, 264 et seq.)

Non sibi polliceatur unusquisque habens facta nefaria *usque ad* per idoneum fundamentum. (Idem, *in psal.* LXXX, tom. IV, part. II, col. 1043 et seq.)

Si cujus opus arserit detrimentum patietur : ipse non salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Habent Sunt Christiani, catholici in fundamento Chri-

A stum *usque ad* forsitan verum est. (Idem. lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 743 et seq.)

Domine, ne in indignatione arguas me, *usque ad* ne illa graviora patiantur. (Idem, *in psal.* XXXVI, tom. IV, part. I, col. 389 et seq.)

Aves autem non divisit. Spiritales non habent divisionem *usque ad* quodammodo eliquabit. (Idem, *in psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1362 et seq.)

Nescitis qui templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis. Omnes adhuc infirmi, et secundum fidem ambulantes secundum fidem templum Dei sunt *usque ad* ipse illos continet. (Idem, *in psal.* CXXII, tom. IV, part. II, col. 1632.)

Suscipere te dicis quod protuli. Nescitis *usque ad* sede efficit dignos. (Idem, lib. *contra Maximinum*, B tom. VIII, col. 790 et seq.)

Deum esse Spiritum sanctum, Scriptura clamat *usque ad* in corpore vestro. (Idem, *de Trinit.*, tom. VIII, col. 938 et seq.)

Qui supplicaturus Deo locum sanctum *usque ad* ibi habitat. (Idem, lib. *Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1889.)

Si anima in corpore constituta non solum nullas angustias *usque ad* per fidei pietatem, (Idem, *epist. ad Dardanum*, tom. II, col. 837 et seq. et 841 et seq.)

Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Apostolum audite *usque ad* domui ipsius. (Idem, *ser. de decem chordis*, tom. V, part. I, col. 86 et seq.)

C Jam nosti pretium tuum, jam nosti quo accedis *usque ad* quod estis vos. (Idem, *serm. de verbis Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1276.)

Apostslus dicit : Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos *usque ad* societate disjungitur. (Idem, *in psal.* X, tom. IV, part. I, col. 135 et seq.)

Duo sunt præcepta et duo genera peccatorum *usque ad* per intemperantiam vulneratur? (Idem, *serm. de Conversione apost.*, tom. V, part. I, col. 1271 et seq.)

Verum templum Dei agnoscimus *usque ad* mortuus est pro te. (Idem, *in psal.* XCIV, tom. IV, part. II, col. 1220 et seq.)

Nemo se seducat usque ad *quoniam vanæ sunt.* Tu nescis cogitationes Dei quoniam justæ sunt *usque* D *ad* quæ sapientes sunt. (Idem, *in psal.* XCIII, tom. IV, part. I, col. 1202.)

Qui hic beati esse, et a seipsis beati fieri mira vanitate voluerunt, irrisit hos veritas *usque ad* sapientiam hujus mundi. (Idem, lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 618.)

Nolite gloriari, et nolite loqui excelsa *usque ad* et ab illo non sunt. (Idem. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 528 et seq.)

Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi.

Christus autem Dei. Si a capite numerentur, inveniuntur unum duo, tres quatuor *usque ad* mercedis nomine. (Idem, tom. VI, col. 39.)

Cum dictum est, Quoniam Deus spiritus est *usque ad* ipsa connexio. (Idem, *serm. de Fide et symbol.*, tom. VI, col. 192.)

CAPUT IV.

Sic nos existimet homo usque ad *quis inveniatur.* Dispensator plane salutis æternæ *usque ad* mensuram fidei. (Idem, *epist. ad Audacem*, tom. II, col. 1076 et seq.)

Mihi autem pro minimo est usque ad *Qui autem judicat me Dominus est.* Unusquisque enim pro se rationem reddet *usque ad* nisi spiritus hominis. (Idem, tom. VI, col. 46.)

Mihi autem minimum est *usque ad* Deus quam ego. (Idem, *in psal.* XXXVI, part. I, col. 394.)

Sancti prædicatores verbi Dei et ipsi abyssus *usque ad* ipse ignorabat. (Idem, *ex tractatu psal*, XLI, tom. IV, part. I, col 473.)

Mihi minimum *usque ad* salutem vestram. (Idem, *in psal.* CXLII, tom. IV, part. II, col. 1851; et *serm.* 50, *de Verb. Evang.*, tom. V.)

Itaque nolite ante tempus judicare usque ad *unus adversus alterum infletur pro alio.* Plerumque in his nostra credulitas fallitur *usque ad* venialis est humana tentatio. (Idem, *in Joan.*, tom. III, part. II, col. 1859.)

Nondum revelatum est judicium. Nox est *usque ad* cor tuum nox est. (Idem, *in psal.* C, tom. IV, part. II, col. 1291.)

Non enim scimus mortales corda mortalium *usque ad* ab ipso illuminabitur Deo. (Idem. *Enchir.*, tom. VI, col. 288.)

Notitia nostri certior intus est, ubi *usque ad* neque tunc poterit. (Idem, *ad Italicam*, tom. II, col. 318 et seq.)

Ita Deus nobis erit notus atque conspicuus *usque ad* sæculorum laudabunt te. (Idem, lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 801.)

Quis enim te discernit? usque ad *tanquam morti destinatos.* Prohibet apostolus dicens: Nemo glorietur in homine *usque ad* non in Domino glorientur. (Idem, *epist. ad Valentinum*, tom. II, col. 969 et seq.)

Euntibus omnibus ex uno in condemnationem, discernuntur non meritis suis *usque ad* nostrum nihil sit. (Idem, lib. *de Corrept. et grat.*, tom. X, col. 923 et seq.)

Propterea dixi vobis, inquit, quia nemo potest venire ad me *usque ad* quod non accepisti. (Idem, *in Joan.*, tom III, part. II, col. 1618 et seq.)

Misericordia ejus præveniet me. Cogitate quod dictum est, præveniet me *usque ad* Deus meus misericordia mea. (Idem, *in psal.* LVIII, tom. IV, part. I, col. 712 et seq.)

Arguens enim superbiam Apostolus, non ait, non habes, sed ait *usque ad* nec ingratus. (Idem, *in psal.* LXXXV, tom. IV, part. II, col. 1084.)

Quia spectaculum facti sumus mundo usque ad *omnium peripsema usque adhuc.* Opprobrium, inquit, insipienti dedisti me *usque ad* si non frangor. (Idem, *in psal.* XXXVIII, tom. IV, part. I, col. 426.)

Non ut confundam vos hæc scribo, usque ad *sed in veritate.* Quod Psalmista dicit *usque ad* esse quod Dei est. (Idem, *in psal.* LXXVII, tom. IV, part. I, col. 992.)

Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis? Visitabo in virga iniquitates eorum *usque ad* perire prædonis. (Idem, *in psal.* LXXXVIII. tom. IV, part. IV, col. 1331 et seq.)

CAPUT V.

Omnino auditur usque ad *Domini nostri Jesu Christi.* Quid crudele Moyses aut mandavit, aut fecit *usque ad* ut discerent non blasphemare. (Idem lib. *contra Faustum*, tom. VIII, col. 452.)

Magni et sancti viri qui jam optime scirent *usque ad* ut anima salva sit. (Idem, *de serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1262 et seq.)

Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Quid sibi vult tantus furor separationis *usque ad* ab Ecclesia unitate discedunt. (Idem, lib. *de unico Baptismo*, tom. IX, col. 608 et seq.)

Expurgate vetus fermentum usque ad *immolatus est Christus.* Pascha, fratres, non sicut quidam existimant Græcum nomen est *usque ad* transitus noster. (Idem, *in Joan.* tom. III, part. II, col. 1784 et seq.)

Innovatio est vitæ nostræ. Et est quidam transitus *usque ad* in vicesimam primam. (Idem *ad Januarium*, tom. II, col. 206 et seq.)

Itaque epulemur usque ad *et veritatis.* Quid, quod et pascha a nobis objicit celebrari *usque ad* venturi veri præfiguratio. (Idem, lib. *contra Faust.* tom. VIII, col. 503.)

Scripsi vobis in epistola usque ad *cum hujusmodi nec cibum sumere.* Joannes dicit, alienæ doctrinæ hominibus *usque ad* satis dictum est. (Idem, lib. VII *de Baptism.*, tom. IX, col. 238 et seq.)

Multi Christiani catholici vocantur, et sunt adulteri *usque ad* massam frumenti facit. (Idem, *contra Faust.*, tom. VIII, col. 387 et seq.)

Plerique autem boni Christiani propterea tacent *usque ad* crimine nominantur. (Idem, lib. *de Pœnitentia*, tom. V, part. II, col. 1546 et seq.)

Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? usque ad *Deus judicabit.* Fratres, ad nos pertinet, vobis dicere: ad nos pertinet, Christianis loqui. *Quid enim mihi de eis qui foris sunt judicare,* ipse Apostolus ait. Illos aliter alloquimur tanquam infirmos. Blandiendum est illis ut audiant veritatem. In vobis secunda putredo est.

Auferte malum ex vobisipsis. Aliqui id quod dictum est, ex vobisipsis, ita intelligunt, ut ex seipso unusquisque *usque ad* corripite ut fratrem. (Idem, lib. *de Fide et Operibus*, tom, VI, col. 199.)

Quod ait Apostolus : Auferte malum ex vobisipsis *usque ad* non hoc malum. (Idem, *Retract.* tom. I, col. 637.)

CAPUT VI.

Audet aliquis vestrum habens negotium usque ad *et hoc fratribus.* Hic posset putari judicium habere adversus alterum *usque ad* quanto magis sæcularia. (Idem, *Enchirid.*, tom. VI, col. 269 et seq.)

Sacramentum magnum est duodenarii numeri *usque ad* veritas et judicium. (Idem, *in psal.* LXXXVI, tom. IV, part. II, col. 1103 et seq.)

Teneatur veritas ab iis qui judicantur hic *usque ad* nuditas, gladius. (Idem, *in psal.* CX, tom. IV, part. II, col. 1465 et seq.)

Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum, etc. Dominum Jesum (in cujus nomine securus hæc dico) *usque ad* membra simus. (Idem, lib. *de Opp. monach.*, tom. VI, part. I, col. 576 et seq.)

Quare non magis injuriam accipitis? usque ad *hoc fratribus.* Faciens judicium injuriam accipientibus *usque ad* jus pateris. (Idem, *in psal.* CXLV, tom. IV, part. II, col. 1894.)

An nescitis... regnum Dei possidebunt. Illud quale est in quo sibi blandiuntur quia sua se vanitate seducunt *usque ad* naturamque mereatur. (Idem, lib. *de Pœnitentia*, tom. V, part. II, col. 1543 et seq.)

Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri. Sanctus sum cum audio, Vocem Domini agnosco *usque ad* in illo lux fieritis. (Idem, *in psal.* LXXXV, tom. IV, part. II, col. 1084 et seq.)

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. De quibusdam quæ ad escam pertinent, Omnia, inquit Apostolus, mihi licita sunt *usque ad* beneficentia caveantur. (Idem, lib. *ad Pollentium*, tom. VI, col. 460 et seq.)

Esca ventri et venter escis usque ad *suscitabit per virtutem suam.* Et alia malitia diei, quæ utinam sufficiat ei *usque ad* corruptione sempiterna. (Idem, *Confess.*, tom. I, col. 862.)

Cum fuerit salus perfecta in isto corpore *usque ad* reficit nec deficit. (Idem, *in psal.* L, tom. IV, part. I, col. 597.)

Nescitis usque ad *duo in carne una.* Corpora nostra membra esse Christi, dixit, quoniam Christus caput nostrum est *usque ad* cujus templum es. (Idem, *serm. de Verb. Apost.*, tom. V, part. I, col. 878.)

Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi *usque ad* reconciliatione redierint. (Idem, lib. *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 742 et seq.)

Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Corporalia adjunctione sui crescunt *usque ad* qui Domino adhæret. (Idem, lib. *de Trinit.*, tom. VIII, col. 926.)

Mens diligere seipsam non posset si se omnino nesciret *usque ad* nunquam peccare delectet. (Idem. lib. *de Trinitate*, tom. VIII, col. 1051.)

Commemorans apostolicum testimonium quod a me positum est *usque ad* si quid hujusmodi est. (Idem, lib. *contra Maxim.*, tom. VIII, col. 788 et 794.)

Adhærens Deo *usque ad* sed probatur. (Idem, lib. *Sent. Prosperi*, tom. X, col. 1867.)

Fugite fornicationem usque ad *in corpus suum peccat.* Hic nihil videtur prætermisse peccati *usque ad* in corpus proprium peccat. (Idem, *in Levit.*, tom. III, part. I, col. 678.)

Totum istum locum apostolus propter ipsum corpus *usque ad* desolatus atque derelictus. (Idem, *ibid.* tom. V, part. I, col. 889 et seq.)

Cum mens humana bona voluntate ad interiora *usque ad* inanitur viribus. (Idem, *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1006.)

An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo? Unum Dominum novimus esse solum, cui servitus illa debetur *usque ad* sed sumus. (Idem, *ad Maximinum*, tom. II, col. 97 et seq.)

Spiritus sanctus si creatura non creator *usque ad* in cœlo et in terra. (Idem, *Enchir.*, tom. VI, col. 259.)

Si Deus, spiritus sanctus non esset, templum *usque ad* et de membris Dei. (Idem, *contra Maximinum*, tom. VIII, col. 752 et 760.)

Et non estis vestri. Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Dominum in corpore vestro. Duo sunt peccata, et duo genera peccatorum *usque ad* disperdet illum Deus. (Idem, lib. *de Duobus generibus peccatorum*, tom. V, part. I, col. 512.)

CAPUT VII.

De quibus autem usque ad *similiter autem et uxor viro.* Fratres mei, audiunt me viri, audiunt me feminæ *usque ad* tabulas legat. (Idem, *serm. ad Conjugatos*, tom. V, part. II, col. 1711.)

Vehementer dolui, sic te voluisse agere cum marito, ut ædificium continentiæ *usque ad* secundum ipsius voluntatem. (Idem, *ad Ecdicium*, tom. II, col. 1078.)

Quis enim nescit uxorem marito tanquam domino debere servire *usque ad* et uxor in virum. (Idem, *contra Faust.*, tom. VIII, col. 420.)

Fratres mei, filii mei, sufficiant vobis uxores vestræ *usque ad* et vos eritis. (Idem, *serm. de Natali martyrum*, tom. V, part. I, col. 1463.)

Nolite fraudarem invicem usque ad *non secundum imperium.* Venerabilis Paulus conjugibus ait : *Nolite fraudare invicem*, etc., *usque ad* debitoribus nostris. (Idem, *Enchirid.*, tom. VI, col. 269 et seq.)

Volo autem omnes homines usque ad *alius vero sic.* De ipsa quoque pudicitia conjugali nempe Apostolus ait *usque ad* alius autem sic. (Idem, lib. *de Grat. et libero arbit.*, tsm. X, part. I, col. 886.)

Vellem, inquit, omnes homines sicut meipsum

usque ad est donum obedientis. (S. August., *lib. de Dono persev.*, tom. X, part. II, col. 1015 et seq.)

Virgo Christi, quæ pie intelligit propriam paupertatem cordis humani, etc., *usque ad* ne putetur esse ex nobis. (Id., *ad Julianam*, tom. II, col, 850 et seq.)

Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut et ego. Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere, etc., *usque ad* non secundum imperium. (Id., *lib. de Viduit. bono*, tom. VI, col. 431 et seq.)

Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, etc., *usque ad* regitur pravitas. (Id., *de Genesi ad litteram*, tom. III, part. I, col. 397.)

Qui potest capere capiat. Sed non possum, etc., *usque ad* debitoribus nostris. (Id., *serm. de Bono nupt.*, tom. VI, col. 390.)

His autem qui matrimonio juncti sunt, etc., usque ad *et vir uxorem ne dimittat.* His qui sunt in conjugio præcipit per Apostolum Dominus, etc., *usque ad* stupra committere. (Id., *de serm. Dom. in monte*, tom. III, part. I, col. 1251 et seq.)

Si Dominus dimittendæ conjugis solam causam fornicationis admittit, etc., *usque ad* si fideles ambo essent. (Id., tom. VII, col. 100.)

Quod a Domino in Evangelio dictum est, etc., *usque ad* sive improbent homines. (Id., *lib. ad Pollentium*, tom. VI, col. 453 et seq.)

Nam cæteris ego dico, etc., usque ad *non dimittat virum.* Cæteris autem ego dico, non Dominus, etc., *usque ad* possit fieri fidelis. (Id., *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1251 et seq.)

Quia enim conjux fidelis relinquere conjugem licite potuit infidelem, etc., *usque ad* propter liberam benevolentiam. (Id., *lib. ad Pollentium* t. VI, col. 463 et seq.)

Sanctificatus est enim vir infidelis, etc., usque ad *nunc autem sancti sunt.* Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis in uxore, etc., *usque ad* reddam tibi. (Id., *de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1252.)

Quod ait Apostolus, etc., *usque ad* minus possunt. (Id., *epist ad Marcell.*, tom. X, part. I, col. 198.)

Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Non uniusmodi est sanctificatio, etc., *usque ad* dictus est in uxore. (Id., *lib. de Bap. parv.* tom. X, part. I, col. 176 et seq.)

Quod si infidelis discedit, etc., usque ad *vocavit vos Deus.* Id est propter fidem Christi etiam ipsa uxor, etc., *usque ad* fortiter amputat. (Id., *lib. de Fide et operibus.* tom. VI, col. 216.)

Quod si infidelis discedit, discedat, etc., *usque ad* amittat infidelem. (Id,, *lib. ad Consult. Hilarii*, tom. II, col. 689.)

Reddit enim rationem cur fieri non expediat, quamvis liceat, etc., *usque ad* ut plures lucrifacerem. (Id., *lib ad Pollentium*, tom. VI, col. 459 et seq.)

Et sicut in omnibus ecclesiis doceo, etc., usque ad *sed observatio mandatorum Dei.* Servabat utique quod congruere videbat, etc., *usque ad* observatio mandatorum Dei. (S. August.), *in exposit. epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2113.)

De virginibus autem præceptum Domini non habeo, etc., usque ad *ut sim fidelis.* Non ut consilium alienum existimemus a Domino, etc., *usque ad* difficillime resolvuntur. (Id., *lib. ad Pollent.*, tom. VI, col. 463.)

Major amor imposuit majus onus virginibus, etc., *usque ad* quod non licet. (S. August., *serm. de Verb. Apost.*, tom. V, part. I, col. 884.)

Quatuor enim retributiones sunt, etc., *usque ad* vitam pro morte. (Id., *in psalm.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1516 et seq.)

Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Dicit nobis Evangelium: Observate novissimum diem venturum, etc., *usque ad* in his verbis. (Id., *in psalm.* CXLVII, tom. IV, part. II, col. 1913.)

Unde enim magnum, magnique honoris, etc., *usque ad* non postulat. (Id., *lib. de Gen. ad litteram*, tom. III, part. I, col. 397.)

Alligatus es uxori, etc., usque ad *Ego autem vobis parco.* Nihil ergo expedit quod illicitum est, et nihil quod prohibet Dominus licitum est, etc., *usque ad* nubere in Domino. (Id., *lib. ad Pollentium*, tom. VI, col. 463 et seq.)

Hoc itaque dico, fratres, etc., usque ad *tanquam non utantur.* Qui gaudium totum suum, etc., *usque ad* sed ad finiendas molestias. (Id., *in psalm.* CXLVII, tom. IV, part. II, col. 1916 et seq.)

Beatiora sane conjugia judicanda sunt, etc., *usque ad* tanquam non habentes sint. (Id., *de serm. Dom. in monte*, tom. III, part. I, col. 1249.)

Si vir fortis es, vincis cupiditates, quibus iste diligitur mundus, etc., *usque ad* pereuntibus fiunt. (Id., *epist. ad Bonif. comitem*, tom. X, part. II, col. 856, et seq.)

Præterit enim figura hujus mundi, etc., usque ad *quomodo placeat uxori, et divisus est.* Peracto quippe judicio, tunc esse desinet hoc cœlum et hæc terra, etc., *usque ad* carne innovatis. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 697 et seq.)

Et mulier innupta, etc., usque ad *quomodo placeat viro.* Quod de innuptis dixit, ut sit sancta corpore et spiritu, etc., *usque ad* discernat inscienter. (Id., *lib. de Vid.*, tom. VI, col. 434 et seq.)

Quæ innupta est, inquit, sollicita est, etc., *usque ad* tali amate amari. (Id., *ibid.*, col. 445 et seq.)

Porro hoc ad utilitatem, etc., usque ad *Dominum obsecrandi.* Non quia innuptarum bonum honestum dixit, etc., *usque ad* non timentes ullam perturbationem. (Id., *ibid.*, tom. VI, col. 434.)

Si quis autem turpem se videri existimat, etc., usque ad *non peccat si nubat.* Si se non continet, nubat. Hac itaque conditio ne non continere permittitur, etc., *usque ad* non esse damnabile. (Id., *lib. ad Poll.*, tom. VI, col. 478 et seq.)

Nuptiarum igitur bonum, semper est quidem bonum, etc., *usque ad* subtrahatur oblatio. (Id., *lib. ad Julianum de Sanct. vid.*, tom. VI, col. 437.)

Nam qui statuit in corde suo firmus, etc., usque ad *bene facit*. Videtur Apostolus de patre loqui, etc., *usque ad* inusitatissima. (S. Aug., tom. III, part. I, col. 744.)

Sæpe autem accidit ut quisquis in meliore gradu, etc., *usque ad* non potest erigi. (S. August., *lib. de Doct. Christ.*, tom. III, part. I, col. 42.)

Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, et qui non jungit melius facit. In his duabus causis una de [illegible] infideli conjuge dimittendo vel non dimittendo, etc., *usque ad* quod licet nec expedit. (Id., *lib. ad Pollentium*, tom. VI, col. 464. et *lib. de Bapt. parv.*)

Mulier alligata est, etc., usque ad *meum consilium*. Satis ostendit beatum esse in Domino, etc., *usque ad* melius serviretur. (Id. *lib. de sancta Vid.*, tom. VI, col. 433 et seq.)

Si vero etiam sciebat Ruth per suam carnem propagari semen, etc., *usque ad* vovendi necessitatem. (Id., *lib. de sanct. Viduit.*, tom. VI, col. 436 et seq.)

De tertiis, et de quartis, et de ultra pluribus nuptiis, etc., *usque ad* si sic permanserit. (Id., *lib. de sanct. Vid.*, tom. VI, col. 439 et seq.)

Puto autem quod et ego spiritum Dei habeo. Cum dixisset de muliere cujus vir mortuus fuerat, Beatior autem erit, etc., *usque ad* opera Trinitatis. (Id., *lib. ad Poll.*, tom. VI, col. 463.)

Si enim me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis, etc., *usque ad* fidem in terra. (Id., *in Joan*, tom. III. part. II, col. 1671.)

CAPUT VIII.

De iis autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Humilium virtus est de scientia non gloriari, etc., *usque ad* participatio veritatis. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1879.)

Scientia inflat, charitas vero ædificat. Non est mirum si lux lucet in tenebris, etc., *usque ad* non inflatur. (Id., *lib. de Grat. et libero arbitrio*, tom. X, part. I, col. 905 et seq.)

Quid autem est pietas nisi Dei cultus, etc., *usque ad* sed per charitatem. (Id., *lib. ad Hieron.*, tom. II, col. 737 et seq.)

Ipsa origo nominis dæmonum, etc., *usque ad* revelatio. (Id., *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 263 et *serm. de Verb. Evang.*)

Scientiam terrestrium, cœlestiumque rerum, etc., *usque ad* beati Dei sui. (Id., *de Trinit.*, tom. VIII, col. 885 et seq.)

Scientia inflat, etc., *usque ad* probata est. (Id., *lib.* II *ad Januar.*, tom. II, col. 223.)

Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Nescientes unde habeant quod sunt, stultæ virgines sunt, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (Id., *lib. de Gratia Novi Testamenti*, tom. II, col. 576.)

De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo. Neque enim vos paganos dicimus, aut schisma paganorum, etc., *usque ad* sed tamen vera. (S. August., *cont. Faust.*, tom. VIII, [illegible])

Solent multi male intelligentes, etc., *usque ad* sunt in creaturis. (Id., *in Joan.*, tom. III, part. II, col. 1385.)

Et quod nullus Dei nisi unus. Nulla fit partium in deitatis unitate divisio, etc., *usque ad* fidem catholicam dicis. (Id., *lib. contra Maxim.*, tom. VIII. col. 771 et seq.)

Nam et si sunt qui dicuntur dii, etc., usque ad *et conscientia ipsorum cum sit infirmo polluitur.* Addendo sicut sunt, etc., *usque ad* honorari. (Id., *lib. Quæst. in Exod.*, tom. III, part. I, col. 628.)

Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos, etc., *usque ad* quos homo facit. (Id., *in psal.* XCIV, tom. IV, part. II, col. 1220 et seq.)

Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus, etc., *usque ad* et nos per ipsum. (Id., *in psal.* CXXXV. tom. IV, part. II, col. 1756 et seq.)

Illud vero ubi dicitur, Deus deorum, etc., *usque ad* et nos per ipsum. (Id., *de Civit. Dei*, tom. VIII, col. 275.)

Unus, inquit, Deus Pater ex quo omnia, et nos in ipso, etc., *usque ad* autem Christi Deus est. (Id., *de Trin.*, tom. VIII, col. 827.)

Esca autem nos non commendo Deo, etc., usque ad *deficiemus*. Audivi, Domine Deus, vocem, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (Id., *Confess.*, tom. I, col. 789.)

Videte autem, etc., usque ad *ne fratrem meum scandalizem*. Attendite, fratres. Hoc enim estis, ex hoc populo estis, etc., *usque ad* erubescant falcitati suæ. (Id., *serm. de Verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 417 et seq.)

Ipsa est ergo lex Christi, ut invicem onera nostra portemus, etc., *usque ad* diligere propter Christum. (Id., *lib. Quæst.*, tom. VI, col. 83.)

Quid est ergo quod plerique homines ista peccata contemnunt, etc., *usque ad* remedium cito invenisti. (Id., *serm. de Verb., Dom.*, tom. V, part. I, col. 508.)

CAPUT IX.

Non sum liber? usque ad *fratres Domini et Cephas?* Vide quemadmodum primo ostendat quid sibi liceat, etc., *per librum integrum.* (S. Aug., *lib. de Opere monachorum*, tom. VI, col. 552 et seq.)

Quis militat, etc., usque ad *de lacte gregis non manducat?* Invenimus ergo esse lac gregis, quidquid a plebe., etc., *usque ad* et isti salutem. (Id., *lib. de Pastoribus*, tom. V, part. I, col. 271 et seq.)

Scriptum est, etc., usque ad *de bobus cura est Deo?* Quod attinet ad præcepta, etc., *usque ad* consulat. (Id., *lib. Quæst. in Exod.*, tit. 89, tom. III, part. I, col. 628 et seq.)

Fecit enim, etc., *usque ad* patris vestri. (Id., *tract. in psal.* CXLV, tom. IV, part. II, col. 1893.)

Ut hæ animæ, etc., *usque ad* acceperunt. (Id., *lib. de Agone Christi*, tom. VI, col. 295 et seq.)

Si nos vobis spiritalia, etc., usque ad *carnalia metamus?* Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis

habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? Cœlos nunc arbitror significare, etc., *usque ad* per Domini gratiam. (S. Aug., *tract. in psal.* cxii, tom. IV, part. ii, col. 475 et seq.)

Bona sunt ministeria circa pauperes, etc., *usque ad* susceperunt. (Id., *serm. de Ver. Evang.*, tom. V, part. i, col. 615.)

Nescitis, quoniam qui in sacrario, etc., usque ad *participantur, et cætera.* Altare spiritaliter, etc., *usque ad* cordibus vestris. (Id., *lib. de Serm Domini in monte*, tom. III, part. i, col. 1242.)

Et illis immortalibus, etc., *usque ad* fide perfecti. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VIII, col. 280.)

Quid intersit inter bonum quod appetendum est, etc., *usque ad* temporalium cogitare. (Id., *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. i, col. 1292 et seq.)

B *Ita et Dominus ordinavit*, etc., usque ad *nullo horum usus sum.* Video et alia jumenta, etc., usque ad *lucrifacerem.* (Id., *tract. in psal.* ciii, tom. IV, part. ii, col. 1364 et seq.)

Producens, inquit, propheta, etc., usque ad *salvos facerem.* Id., *tract. in psal.* ciii, tom. IV, col. 1365 et seq.)

Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer, etc., usque ad *salvos facerem.* Hoc totum dixit, non ut fallaciter, etc., *usque ad* intelligi. (Id., *epist. ad Hierony.*, tom. II, col. 156 et seq.)

Factus sum, inquit. Judæis, etc., *usque ad* si ipse ægrotaret. (Ex eod., col. 155.)

Quod autem dixi, factum Judæis tanquam Judæum, etc.. *usque ad* ut omnes lucrifaceret. (Id., *ex epist. ad Hieron.*, tom. II, col. 287 et seq.)

C Hoc ergo exhibeamus ei cujus infirmitatem, etc., *usque ad* patrocinium quærunt. (Id., *lib. Quæst.*, 83, tom. VI, col. 82.)

Justo lex posita non est, etc. *usque ad* indiget litteris. (Id., *tract. in psal.* i, tom. IV, part. i, col. 67.)

Nescitis quod ii qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed unus accipit, etc., usque ad *nos autem incorruptam.* Omnes quidem currunt, etc., *usque ad* cursus est. (Id., *tract. in psal.* xxxix, tom. IV, part. i, col. 441.)

Ego igitur sic curro, etc., usque ad *quasi aerem verberans.* Non undecunque datur, etc., *usque ad* tenebrosa caverna. (Id., *tract. in psal.* lvii, tom. IV, part. i, col. 679.)

D *Sed castigo corpus meum*, etc., usque ad *ipse reprobus efficiar.* Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremit?

CAPUT X.

Nolo enim vos ignorare, etc., usque ad *petra autem erat Christus.* Exponendo unum, etc., *usque ad* vitam æternam. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 269 et seq.)

Ægyptus autem quoniam interpretatur, etc., *usque ad* cognoscuntur. (S. Aug., *tract. psal.* cxiii, tom. IV, part. iii, col. 1477.)

Quid est charissimi, etc., *usque ad* Dei fieri. (Ibid., col. 1478.)

Et omnes per mare transierunt, et omnes, etc., usque ad *eumdem potum spiritalem biberunt.* Quando autem manducavit, etc., *usque ad* credat Jesus. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. ii, col. 1476 et seq.)

Patres vestri, inquit, manducaverunt manna, et mortui sunt. Quid est, etc., *usque ad* præmit dente. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. ii, col 1611 et seq.)

Et omnes per mare transierunt, etc., *usque ad* spiritalem biberunt. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part, ii, col. 1723.)

Profecto erant etiam in illo populo qui, etc., *usque ad* aliquid significantem. (Id., *tract. psal.* lxxvii, tom. IV, part. i, col. 983.)

Bibebant autem de spiritali, etc., usque ad *petra autem erat Christus.* Sicut enim mos est divinorum, etc., *usque ad* erat Christus. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 326.)

Quod de petra, aqua educta est, etc., *usque ad* ligna sunt crucis' (Id , *lib. Quæst. Numer.*, *tit.* 35, tom. V, part. V, part. ii, col. 1551 et seq.)

Namque disrupit mare, et trajecit eos, et statuit aquas quasi in utres, etc.. *usque ad* credentibus gratia. (Id., *tract. psal.* lxxvii, tom. IV, part. i, col. 993.)

Non est dictum, Petra significabat Christum, etc., *usque ad* appellans. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. i, col) 1805.)

Multum hæc locutio notanda est, ubi aliqua significantia, earum rerum quas significant nomine appellantur. Inde est quod ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Non ait, Petra significabat Christum Solet res quæ significat, etc., *usque ad* per significationem. (Id., *lib. Quæst. Lev.*, *tit.* lix, tom. III, part. i, col. 703.)

Omnia significantia videntur, etc., *usque ad* Christum. (Id., *lib. de Civ. Dei*, 18, tom. VII, col. 591.)

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt, etc., usque ad *eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Cum dicit, Non in pluribus eorum, erant ergo ibi, etc., *usque ad* nihil sunt. (Id., *tract. psal.* lxxvii, tom. IV, part. i, col. 983.)

Evangelium legi veteri comparans Dominus, etc., *usque ad* nusquam crudelem. (Id., *lib. contr. inimicum legis et prophet.*, tom. VIII, col. 619 et seq.)

Ita est in omnium hominum, etc., *usque ad* sunt ignibus. (Ibid., col. 620.)

Quis autem utriuslibet sexus, etc., *usque ad* ignis æterni. (Ibid., col. 618.)

Neque idololatræ efficiamini, etc., usque ad *bibere, et surrexerunt ludere.* Consurrexit populus in Aaron. etc., *usque ad* quidam illorum. (Id., *lib. Locutionum Exod.*, *tit.* 9, tom. III, part. i, col. 513.)

Facilis ad lusum pueritia, etc.. *usque ad* ludere? (S. Aug., *lib. Quæst.*, 83, tom. VI, col. 51.)

Neque tentemus Christum, etc., usque ad *perierunt.* Satis apparet Patris et Filii, *usque ad* immutabilis veritas? (Id., *lib. contr. Maximinum*, tom. VIII, col. 814.)

Qui nos super omne genus serpentium, etc., *us-*

que ad corporum figuravit. (Id., *lib. contr. inimic. legis et proph.*, tom. VIII, col. 661.)

Hæc autem omnia, etc., usque ad *sæculorum devenerunt*. Temporalium quidem promissiones, etc., *usque ad* significabantur futura. (Id., *lib. contr. Faust.*, c. 4, tom. VIII, col. 217 et seq.)

Isti omnino nesciunt quid etc., *usque ad* futura prædicebantur. (Ex eod. lib., col. 228.)

Longum est singula commemorare,etc.*usque ad* similitudinem Dei. (Id., *lib. Quæst. tit.* 83, tom.VI, col. 43.)

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Multos enim a perniciosa elatione reprimit, etc., *usque ad* se timere.(Id., *lib.de Bono persev.*, tom. X, col. 1003.)

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fiunt igitur tentationes per Satanam, non potestate ejus, etc.,*usque ad* non capitur.(Id., *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1284.)

Homines enim sumus,etc.,*usque ad* in eo ambulemus.(Id., *lib. de Bapt. parv. contra Don.*,t.IX, c., 130.)

Fidelis autem Deus est. etc., usque ad *vos ipsi judicate quod dico*. Aliter dicimus, non mihi habuit fidem : aliter, etc., *usque ad* quod potestis. (Idem, *lib. de Spir. et litte.*, tom. X, part. I. col. 235)

Ne futuris tentationibus deficiat infirmus, nec falsa spe, etc., *usque ad* sanantem. (Idem, *lib. de Pastoribus*, tom. V, part. I, col. 276 et seq.)

Diabolus, potestas quædam est. Plerumque, etc., *usque ad* quod potestis. (Idem,*tract. psal.* LXI, tom. IV, part. I, col. 743.)

Et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Quid est,etc.,*usque ad* non opprimaris.(Idem,*tract. psal.*LXXIX, tom. IV, part. I, col. 1023.)

Hæc spes data est corpori Christi, etc., *usque ad* ab orantibus. (Idem, *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1541.)

Dominus proteget te super manum dexteræ tuæ. Fides tua, etc., *usque ad* dexteræ protegat. (Idem, *tract. psal.* CXX, tom. IV, part. III. col. 1615.)

Custodiat Dominus introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum. Exitum, idem custodiat,*usque ad* ut possitis sustinere. (Idem, *ex eodem psal.*, tom. IV, part. II, col. 1617 et seq.)

Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, etc., *usque ad* possint sustinere.(Idem, *lib.de Catechizandis rudibus*, tom. VI, col. 348.)

Feramus ergo quod Deus nos ferre,etc.,*usque ad* sustinere possitis.(Idem,*serm.de Excidio urbis Rom.* tom. VI, col. 724.)

Calix benedictionis cui benedicimus,etc., usque ad *corporis Christi*.Audiamus veracem magistrum,etc., *usque ad* spiritaliter bibatur.(S. Aug., *serm. de corpore et sanguine Domini*, tom. V, part. I, col. 729.)

Qualem vocem Domini audistis invitantis nos? Quis invitavit? quos invitavit? et quid præparavit? Invitavit Dominus servos,etc.,*usque ad* fieret homo. (Idem, *serm. de* [*pers.*] *Evang.*)

Hoc quod videtis in altare Dei, etiam transacta, etc.,*usque ad* contra se. (Idem,*serm. ad infantes ad altare de sacramento*,tom.V,part. I,col. 1246 et seq.)

Quoniam unus panis et unum,etc.,usque ad *calice participamus*. Quia Christus passus est pro nobis, commendavit, etc.,*usque ad* simul vivimus. (Idem, *serm. de sacr. fidelium,feria* II *Paschæ*, tom. X, col. 835.)

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum,etc.,*usque ad* regnat in cœlo.(Idem,*tract.*XXVI, col. 1612 et seq.)

Hunc itaque cibum et potum,societatem vult intelligi, etc., *usque ad* et bibit. (Idem,*ex eod. serm.*, tom. III, part. II, col. 1614.)

Videte Israel secundum carnem,etc., usque ad *sunt altaris?* Est Israel secundum carnem, et secundum spiritum.Nam si Israel,etc., *usque ad* cordis.(Idem, *lib. Quæst. Exod.*,tit. 132,tom. III,part. I, col. 643.)

Ideo quippe addidit secundum carnem, quia est Israel secundum, etc., *usque ad* sunt sanctorum. (Idem,*lib. contra Inimic. legis et prophet.*,tom. VIII, col. 626 et 157.)

Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? etc., usque ad *fortiores illo sumus?* Ait Apostolus. Sed quia quæ immolant, dæmoniis immolant etc., *usque ad* speluncam latronum. (Idem, *lib contra Inimic. legis et prophet.*, tom. VIII, col. 625 et seq.)

Verum sacrificium, quod uni vero, etc.,*usque ad* Christus obtulit. (Idem, *lib. contra Faust.*. 20, tom. VIII, col. 382.)

Unde jam Christiani,peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, et participatione corporis et sanguinis Christi.Exstitit nescio quis disputator,etc.,*usque ad* persuadet.(Idem,*tract. psal.* XCVI, tom. IV, part. II, col 1224 et seq.)

Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Cur non expediat immolatio vesci Christiano,Apostolus dicit, etc., *usque ad* videatur. (Idem, *lib. contra Faust.*, XXII, tom. VIII, col. 409.)

Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus, etc.,*usque ad* ejus vident. (Idem,*lib.* II *de Doct. christ.*, tom. III, part. I, col. 50 et seq)

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, etc., usque ad *sed quod alterius*. De quibusdam quæ ad escam pertinent, etc., *usque ad* consilio charitatis. (Idem, *lib. ad Pollentium*, tom. XI, col. 460.)

Omne quod in macello venit manducate,nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra et plenitudo ejus, etc., usque ad *quod gratias ago?* Olus vel quilibet fructus in quolibet, etc.,*usque ad* assumitur. (S. Aug., *epist. ad Publicolam*, tom. II, col. 186 et seq.)

Sive ergo manducatis, sive bibitis, etc., usque ad *Dei facite*.Vis ergo psallere ?Non solum vox tua sonat laudes,etc.,*usque ad* laudat Deum.(Idem,*tract. psal.* CXLVI, tom. VI, part. II, col. 1899.)

Sine offensione estote Judæis et gentibus etc., usque ad *ut salvi fiant*. Nunquid qui hoc dixit, placebat etiam tam multis, etc., *usque ad* in eum (Id.,

lib. de Cor. et Grat. tom. X, part. I, col. 943.)

Si adhuc, inquit, hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I). Qui hominibus propter veritatem placet, jam non ipse illis, sed veritas placet, etc., *usque ad* repellet intrantem. (Id., *in Expositione epist. ad Galat.* tom. III, part. II, col. 2109.)

CAPUT XI.

Imitatores mei estote sicut et ego Christi. Laudo autem, etc., usque ad *mea tenetis.* In Ecclesia iste ordo est, etc., *usque ad* sicut et ego Christi. (S. Aug. *tract. psal.* XXXIX, tom. IV, part. I, col. 436.)

Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est. Caput autem, etc., usque ad *ac si decalvetur.* Ita post peccatum primi hominis nati sumus, etc., *usque ad* aquam possis accipere. (Id., *lib. Quæst.*, 83, tom. VI, col. 57.)

De Patre quidem ac Filio multis libris disseruerunt docti, etc., *usque ad* quidquid est. (Id., *serm. de Sym.*, tom. VI, col. 190 et seq.)

Omnia vestra, vos autem Christi, etc., *usque ad* non possit. (Id., *lib. de Trin.*, VI, tom. VIII, col. 930 et seq.)

Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero, etc., usque ad *caput suum.* Nolo de ornamentis aureis, vel vestibus præproperam habeas, etc., *usque ad* Neptuno legimus. (Id., *epist. ad Possit.* tom. II, col. 1060 et seq.)

Vir quidem non debet velare caput suum, quia imago et gloria Dei est, etc., *usque ad propter angelos.* Apostolus dicit virum esse imaginem Dei, et propterea, etc., *usque ad* cœlestes angelorum. (Id., *lib. de Trin.*, XII, tom. VIII, col. 1003 et seq.)

Figurate ac mystice de velando muliebri capite, etc., *usque ad* turpitudinem suam. (*Ibid.*, col. 1004 et seq.)

Licet subtilissime disseratur ipsam mentem hominis, etc., *usque ad* benedixit eos. (Id., *lib. de Genesi ad litteram,* tom. III, part. I, col. 293 et seq.)

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem, etc., *usque ad* creavit eum. (Id., *lib. de Trin.*, VII, tom. VIII, col. 946.)

Neque inscite distinguitur, quod aliud sit imago, etc., *usque ad* imaginem. (Id., *lib.* I *Retractat.* tom. I, col. 626.)

Non enim vir ex muliere est, etc., usque ad *propter virum.* Fecit Deus hominem ad imaginem suam. Ut quemadmodum, etc., *usque ad* sapientiam sequeretur. (Id., *lib. de catechizandis Rudibus,* tom. VI, col. 332.)

Femina facta dicitur in adjutorium, etc., *usque ad* Dei est. (S. Aug., *lib. contr. Manich.*, tom. III, part. I, col. 204 et seq.)

Si pariat ista filios, etc., *usque ad* ex Deo esse. (Id., *lib. contr. Manich.* tom. III, part. III, col. 211.)

Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier, etc., usque ad *ei dati sunt.* Sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem, etc., *usque ad* habent ut sint. (Id., *lib. de Origine animæ ad Renatum,* tom. X, part. I, col. 449 et seq.)

Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem, etc., usque ad *sed in deterius convenitis.* Quid autem iniquius, quam velle sibi obtemperari a minoribus, etc., *usque ad* coma velabatur. (Id., *lib. de Opere Monachorum,* tom. VI, col. 578 et seq.

Primum quidem convenientibus vobis in ecclesia, audio scissuras esse? et ex parte credo, etc., usque ad *fiant in vobis.* Videns diabolus templa dæmonum deseri, et in, etc., *usque ad* nocere permittitur. (Id., *lib. de Civ. Dei,* 18, tom. VII, col. 612 et seq.)

Hæreticorum genus, callidum: non spiritu sapientiæ etc., *usque ad* malis boni. (Id., *lib. de Civ. Dei,* 16, tom. VII, col. 477 et seq.)

Quoniam verissime dictum est: Oportet hæreses esse multas, ut probati manifesti fiant inter vos, utamur etiam, etc., *usque ad* non possumus. (Id., *lib. de vera Relig.*, tom. III, part. I, col. 129.)

Quamvis inter se dissentiant, et Judæi, etc., *usque ad* inter vos. (Id., *lib. contr. Faust.* tom. VIII, col. 267.)

Vasa mortis in arcu suo Dominus paravit. Quæri potest quæ sunt vasa, etc., *usque ad* sint Deo. (Id., *tract. psal.* VII, tom. IV, part. I, col. 106.)

Multi qui optime possunt Scripturas dignoscere, etc., *usque ad* fiant inter nos. (Id., *tract. psal.* LIV, tom. IV, part. I, col. 643.)

Congregatio taurorum inter vaccas populorum ut, etc., *usque ad* manifesti fiant. (Id., *tract. psal.* LXVII, tom. IV, part. I, col. 836 et seq.)

Oportet enim et hæreses esse, ut probati, inquit, manifesti fiant in vobis. Sic vasa, etc., *usque ad* sincerissimæ veritati. (Id., *lib. contr. inimicum legis et prophetarum,* tom. VIII, col. 635.)

Ideo divina providentia multos diversi erroris hæreticos, etc., *usque ad* pulsantibus aperiatur. (Id., *item ex eodem lib. contr. Manichæos,* tom. III, part. I, col. 173 et seq.)

Hæreticus est qui alicujus temporalis, etc., *usque ad* pietatis illusus. (Id., *lib. de Utilitate credendi,* tom. VIII, col. 65.)

Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim, etc., usque ad *alius autem ebrius est.* Ipsam acceptionem Eucharistiæ, Dominicam cœnam vocat. Illud itaque movere, etc., *usque ad* hunc locum. (Id., *lib. ad Januar.* I, tom. II, col. 203.)

Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei, etc., usque ad *non laudo.* Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur. Ut exhiberet sibi, etc., *usque ad* continetur. (Id., *lib. Quæst. Levit. tit.* 59, tom. III, part. I. col. 703 et seq.)

Ego autem accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias agens fregit et dixit. Hoc est corpus meum, etc., usque ad *in meam commemorationem.* Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens. Ista distinctio legis, etc., *usque ad* distinctione declaravit. (S. Aug., *lib. Quæst. Num. tit.* 33, tom. III, col. 732 et seq.)

Hoc ergo sacrificium, ubi sacerdos est victima, redemit, etc., *usque ad* in nobis. (Id., *lib de Sacrificio vespertino,* tom. V, part. II, col. 1501 et seq)

Quomodo nos amasti, Pater bone, qui Filio tuo unico, etc., *usque ad* nobis serviendo. (Id., *lib.* x *Confess.*, tom. I, col. 808.)

Quando hoc Dominus commendavit, de carne invisibiliter intelligi. (Id., *tract. psal.* XCIX, tom. IV, part. II, col. 1264 et seq.)

Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Dixit se panem, etc., *usque ad* propter me. (Id., *tract. in Evan. sec. Joan.*, 26, tom. III, part. II, col. 1612 et seq.)

Exposuit itaque modum attributionis hujus et doni sui, etc., *usque ad* in regnum successit. (Id., *lib.* XXV, col. 1620 et seq.)

Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, etc., usque ad *donec veniat*. Significat finem sæculi, quando erit sanctorum requies, etc., *usque ad* egeamus. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 258.)

Itaque quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne reus erit, etc., usque ad *et de calice bibat*. Et sancta possunt obesse. In bonis, etc., *usque ad* pacatus accepit. (Id., *tract. in Evan. sec. Joan.* 6, tom III, col. 1432.)

Scio, charissimi, moneri posse nonnullos, sive pios, etc., *usque ad* de calice bibat (Id., *tract.* 62, col. 1801 et seq.)

Quam multi de altari accipiunt, et moriuntur, et accipiendo, etc., *usque ad* aut coronat. (Idem., *lib.* XXVI, col. 1611.)

Cixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam, etc., *usque ad* attendatur apparet. (Id., *lib*, I, *ad Januar.* tom. II, col. 201.)

Quid est Christum manducare? Non hoc solum est in sacramento corpus ejus accipere. Multi enim accipiunt indigni, de quibus dicit apostolus : Qui manducat panem et bibit calicem Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit. Sed quomodo, etc., *usque ad* discreverit causam suam. (Id., *serm. de Ver. Evan.* et *lib. Sent. Prosperi*, part. II, tom. X, col. 1875.)

Qui enim manducat et bibit indigne, etc., usque ad *corpus Domini*. Talis erat et Judas, etc., *usque ad* in pœnam malorum. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, 52, tom. III, part. II, col. 1762.)

Quam multos Judas implet Satanas indigne, etc., *usque ad* quod bonum est. (Idem, *tract. psal.* XLVII.)

Illud etiam quod ait : Qui manducat meam carnem, etc., *usque ad* ista dicebat, (Id., *serm. de Blasph.*, *Spiritus sancti*, tom. V, part. I, col. 453.)

Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, etc., *usque ad* et bibit. (S. Aug., *lib.* v *de Baptismo*, tom. IX, col. 181.)

Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, etc., *usque ad* non habet criminis (Id., *epist. ad plebem Donatist.*, tom. II, col. 579.)

Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, etc., *usque ad* indifferenter accipiat. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, col. 1890.)

Ideo autem inter nos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Mortem istam temporalem et visibilem, somni, etc., *usque ad* inquit, moriuntur. (Id., *tract. psal.* CXLVII, tom. IV, part. II, col. 1921.)

Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Pro illis peccatis quæ legis decalogus continet, et de quibus, etc., *usque ad* dedignatur agnoscere? (Id., *lib. de Pœnitent.*, tom. V, part. I, col. 1542 et seq.)

Peccata, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut homine, etc., *usque ad* judicant, non judicare. (Id., *lib. Sent. Prosperi.*)

Cum judicamur autem a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Multa etiam hic videntur ignosci, etc., *usque ad* hoc mundo damnemur. (Id., *lib. Enchirid.*, tom. VI, col. 263.)

Invenitur in Regnorum libris Deus per prophetam minari, etc., *usque ad* hoc mundo damnemur. (Id., *lib. ad Paulinum epist. de Cura agenda pro mortuis*, tom, VI, col. 598, et seq.)

Modo parcit malis, adducens illos ad pœnitentiam flagellat, etc., *usque ad* angelis ejus. (Id., *tract. psal.* XCI, tom. IV, part. II, col. 1180.)

Tu propitius fuisti illis, et vindicans in omnes affectiones, etc., *usque ad* damnaret ejectum. (Id., *tract. psal.* XCVIII, tom. IV, part. II, col. 1266 et seq.)

Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis autem esurit, etc., usque ad *disponam*. Cum dixisset de hoc sacramento loquens : Propter, etc., *usque ad* diversitate variatur. (Id., *epist.* I *ad Januar.*, tom. II, col. 205.)

CAPUT XII.

De spiritalibus nolo vos ignorare fratres. Scimus quoniam, etc., usque ad *ducebamini euntes*. Omnes gentes in uno uno, etc., *usque ad* totius orbis. (S. Aug., *tract. psal.* LXXXV, tom. IV, part. II, col. 1091 et seq.)

Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, etc., usque ad *nisi in Spiritu sancto*. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum, etc., usque ad vocis enuntiat. (Id., *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1307.)

Apostolica vox est. Nemo dicit Dominus Jesus, etc., *usque ad* qui diligit. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.*, 64, tom. III, part II, col. 1827.)

Aliter dicuntur verba quæ spatia temporum syllabis tenent, etc., *usque ad* in regnum cœlorum. (Id., *lib.* XI *de Trinitate*, tom. VIII, col. 969.)

Divisiones vero gratiarum sunt : idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, etc., usque ad *in omnibus*. Deus, natura incorporea, et immutabiliter viva, etc., *usque ad* cothurnus eorum. (S. Aug., *lib. ad Dardanum de præsentia Dei*, tom. II, col. 839 et seq.)

Spiritum est de Spiritu sancto, quod omnia in omnibus operatur. Et quæ operatur, etc., *usque ad* unus Deus est. (Id., *lib.* v *de Trinitate*, tom. VIII, col. 920.)

Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Accepimus et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, etc., *usque ad* currat ad Deum. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, 32, tom. III, part. II, col. 1645 et seq.)

Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ,

etc., usque ad *eumdem Spiritum*. Habet enim et scientia modum suum bonum, si quod, etc., *usque ad* corporis sensibus. (Id., *lib.* XII *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1009 et seq.)

Fecit Deus in intellectu cœlos spiritales, sanctos suos : quibus non, etc., *usque ad* ista non erunt. (Id., *tract. psal.* CXXXV, tom. IV, part. II, col. 1759 et seq.)

Æterno Deus meus consilio, bona cœlestia propriis, etc., *usque ad* contentus sit. (Id., *lib. Confessionum* XIII, tom. I, col. 854 et seq.)

Alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia. Vide etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, etc., *usque ad* Jesu Christo. (Id., *lib. Retract.*, tom. I, col. 621.)

Alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Discretio sane difficillima est, cum spiritus malignus, etc., *usque ad* malus sit. (Id., *lib.* XII *de Gen. ad lit.*. tom. III, part. I, col. 465.)

Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Spiritus sanctus cooperator est Patris et Filii. Unde Apostolus, etc., *usque ad* operetur. (Id., *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1551.)

Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique propria prout vult. Alii illud, alii hoc, divisiones sunt operationis. Omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, radix est unitatis. Fec possumus dicere quod spiritus, etc., *usque ad* significationis fuit. (Id., *lib.* IV *de Trin.*, tom. VIII, col. 908.)

Admonendi sunt legentes, quandoquidem donum Dei, etc., *usque ad* et dantium. (Id., *lib. de Trinitat.* XV, tom. VIII, col. 1086.)

Forte quis dicat Spiritum sanctum dari potius a Patre et Filio, etc., *usque ad* se ipse diversus. (Id., *lib. de Blas Spiri. sancti*, tom. V, col. 459.)

Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen, etc., usque ad *vocati sumus.* Loquens de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait, etc., *usque ad* potestis facere. (Id., *tract. psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 232.)

Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus. Non ait ita et Christi, sed corpus unum, etc., *usque ad* et ille, et nos. (S. Aug., *tract. psal.* XLII.)

Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quia non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore : et si dixerit auris. quia non sum oculus, etc., usque ad *non estis mihi necessarii.* Oculi mei infirmati sunt ab inopia. Quos oculos ejus, etc., *usque ad* lumine suo. (Id., *tract. psal.* LXXXVII, tom. IV, part. II, col. 1114.)

Sunt homines, quos delectat miraculum facere, et ab eis, etc., *usque ad* ibi magnificari. (Id., *tract. psal.* CXXX, tom. IV, part. II, col. 1706.)

Apostolus, cum de spiritalibus diversis muneribus, etc., *usque ad* anathematizetur. (Id., *lib. contr. Faust*, tom. VIII, col. 474 et seq.)

Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt. Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, etc., usque ad *ut non sit schisma in corpore.* Absit autem, ut sit in membris sanctorum, etc., *usque ad* rationi serviret. (Id., *libr. contr. Faust.*, c. 29, tom. VIII, col. 490.)

Vos enim, fratres, populus Dei estis, sicuti ipse dixit, et oves pascuæ ejus. Habetis in nomine Dei pastores, etc., *usque ad* in corpore. (Id., *serm. de Ver.*)

Sed in idipsum pro invicem sollicita sunt membra, et si quid patitur unum membrum, etc., usque ad *et membrum de membro.* Plus sane quam dici potest miratus sum, quod nec tanta, etc., *usque ad* dona victoribus. (Id., *epist. ad Ital.*, tom. II, col. 365.)

Et quosdam quidem exposuit Deus in Ecclesia, primum apostolos secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, etc., usque ad *nunquid omnes interpretantur?* Lex enim per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est. Ex cujus, etc., *usque ad* posset prophetari. (Id., *lib. contr. Faust.*, c. 19, *Joan.* I, tom. VIII, col. 353.)

Illud quoque sicut imperitissimus, non, etc., *usque ad* secundum carnem. (Id., *lib. contr. inimicum legis et proph.*, tom. VIII, col. 644 et seq.)

Æmulamini autem charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus sacramentorum, etc., *usque ad* regnum cœlorum. (Id., *tract. psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1343 et seq.)

Quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, etc., *usque ad* charitatem Christi. (Id., *lib. de Genesi ad litteram*, 1, tom. III. part. I, col. 251.)

Olivæ fructus charitatem significat. Unde hoc, etc., *usque ad* ceciderunt. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, 6, tom. III, part. II, col. 1435 et seq.)

Fortassis Scripturæ scrutatæ indicant quod, etc., *usque ad* mortua deputabitur. (Id., *tract, Evang. sec. Joan.*, 9, tom. III. part. II, col. 1642.)

Finis enim præcepti est charitas de corde puro. Quanto isto, etc., *usque ad* opere requiruntur. (Id., *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1540.)

Et omnibus, inquit, nomina vocans. Ibi est totum præmium, etc., *usque ad* in cœlo. (S. Aug., *tract. psal.* CXLVI, tom. IV, part. II, col. 1904 et seq.)

Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit et ille ambulare. Quæ est ista via, etc., *usque ad* tribuat peccatorum. (Id., *serm. de Ver. apostol.*)

CAPUT XIII.

Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Videant a charitate Ecclesiæ separati, quam multa, et quam magna, etc., *usque ad* non possunt. (S. Aug., *lib. de Bapt.*, t. IX, col. 116.)

Dilectio fortis res, fratres. Dilectio fortis res, etc.,

usque ad impar charitas. Id., *tract. psal.* CXXI, tom. IV, part. II, col. 102.)

Quid est vestis nuptialis? Quæramus illam in litteris sanctis, etc., *usque ad* et pedum. (Id., *serm. de Miraculo* VII *panum*, tom. V, part. I, col. 983 et seq.)

Deus igitur Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, etc., *usque ad* non perducit ad Deum. (Id., *lib. de Trinitat.*, XV, tom. VIII, col. 1082 et seq.)

Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam. In hoc, inquit Dominus, cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem. Tanquam diceret, etc., *usque ad* in deliciis. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.*, 65, tom. III, part. II, col. 1809.)

Ecce accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus, etc., *usque ad* nihil sum. (Id., *tract. Epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2015.)

Apostolus item dicit: Et si sciero omnia sacramenta, etc., *usque ad* iniquitate tenuerit. (Id., *lib. de unico Bapt.*, tom. IX, col. 601.)

Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ego, inquit Ecclesia, si sponsa sum, si arrhas accepi, etc., *usque ad* de corpore. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.*, 33, tom. IV, part. II, col. 1500 et seq.)

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus, etc., usque ad *nihil mihi prodest.* Quid ergo vos tanquam de Christiana paupertate, etc., *usque ad* non ficta. (Id., *lib. contra Faust.*, tom. VIII, col. 223.)

Non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate. Quærimus in quo, etc., *usque ad* conscientia propria. (Id., *tract. epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2020.)

Pascit misericordia, pascit et superbia. Hospitem, etc., *usque ad* procedere potest. (Id., *tract.* 8 *Epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2041.)

Ipse novit occulta cordis. Quid est novit, etc., *usque ad* occulta cordis. (Id., *tract. psal.* XLIII, tom. IV, part. I, col. 490 et seq.)

Galaad habet interpretationis suæ, etc., *usque ad* mihi prodest. (Id., *tract. psal.* LIX, tom. IV, part. I, col. 719.)

Sunt quidam qui facilius omnia sua pauperibus, etc., *usque ad* sunt nobis. (S. Aug., *tract. psal.* LXXI. tom. IV, part. I. col. 902 et seq.)

Omnis consummationis vidi finem, etc., *usque ad* vestigia mea. (Id., *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1561 et seq.)

Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne pastor, etc., *usque ad* inferre debuisti. (Id., *tract. de Verb. Evan.*, tom. V. part. I, col. 763 et seq.)

Audivi quod dixeris apostolum Paulum significasse, etc., *usque ad* mihi prodest. (Id., *epist. ad Donatum presbyt.*, tom. II, col 55 et seq.)

Charitas patiens est, benigna est. Quid ergo de charitate majus aut uberius possum dicere, etc., *usque ad* nunquam cadit. (Id., *serm. de Laude charitatis*, tom. V, part. II, col. 1334 et seq.)

Charitatis non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa. Ubi est invidia, amor fraternus esse non potest. Intendat charitas, etc., *usque ad* sacrificium ejus (Id., *serm.* v. *Epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2016 et seq.)

Charitas non æmulatur. Quæris causam? attende, etc., *usque ad* non inflatur. (Id., *serm. de Ver. Evang.*, tom. V, part. II, col. 1562.)

Dilectio enim non inflatur, et Deus dilectio est, et fideles, etc., *usque ad* est dilectione. (Id., *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 95 et seq.)

Non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert. Neque enim essent etiam homines amatores pecuniæ, etc., *usque ad* et non inflatur. (Id., *lib. de Genes. ad litteram*, tom. III, part. I, col. 437.)

Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Inter eos utique quos connexos sibimet unum facit, non enim quodlibet, etc., *usque ad* omnibus credit. (Id., *lib. de Spir. et lit.*, t. X, part. I, col. 236, et Bern. *serm. de sept. Spir.* incip.: *Magister gentium.*

Charitas nunquam excidit. Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Deus dilectio est, et qui manet, (inquit) in dilectione, in Deo manet, etc., *usque ad* continet Deus. (Id., *tract.* 9 *Epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2045.)

Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. In illo corpore spiritali videbunt sancti omnia non solum si oculos, etc., *usque ad* non erat. (Id., *lib.* XXII *de Civ. Dei,* tom. VII, col. 797.)

Apostolus dicit: Ex parte scimus, et ex parte, etc., *usque ad* Deum videbunt. (Id., *serm. de Nativ. Joan. Baptistæ*, tom. V, part. I, col. 1307.)

Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, etc., usque ad *quæ erant parvuli.* Apostolus ad illa ineffabilia, qualecunque adhibens de notis, etc., *usque ad* cognitus sum. (Id., *lib. de Spir. et litter., vel ex lib.* II *de Baptis.*, tom. X, part. I, col. 223.)

Mirificata est scientia tua ex me. Invaluit, et non potero ad illam. Ex me quippe intelligo quam, etc., *usque ad* facilitas visionis. (Id., *lib. de Trinitate* XV, tom. VIII, col. 1067 et seq.)

Dico enim vobis quod angeli eorum semper in cœlis vident, etc., *usque ad* Domini spiritu. (Id., *lib.* XXII *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 797 et seq.)

Veritate itaque perfruentur, cum viderimus facie, etc., *usque ad* sequere. (S. Aug., *ex tractatu Evang. sec. Joan.*, 34, tom. III, part. II. col. 1656.)

Unigenitus Filius idemque mediator Dei et hominum, etc., *usque ad* sicuti est. (Id., *epist. ad Paulinum*, tom. II, col. 620.)

Et si exterior homo noster corrumpitur, interior tamen renovatur de die in diem, ita sane ut in hac vita, etc., *usque ad* positum est; facie ad faciem.

(Id., *epist. ad Italicam*, tom. II, col. 319 et seq.)

Perfectam cognitionem Dei (hoc est, qua homini major esse non possit) in futura vita sperat apostolus, quæ sola beata vita dicenda est, ubi et corpus incorruptibile atque immortale spiritui suo, sine ulla modestia, vel reluctatione subdetur. Non quia in hac vita, etc., *usque ad* cupimus pervenire. (Id., *lib. Retr.*, tom. I, col. 606.).

Quod Dominus noster Jesus Christus sorores Lazari interrogat, etc., *usque ad* dicit Apostolus. (Id., *lib.* LXXXIII *Quæst.*, tom. VI, col. 59.)

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem his est charitas. Tria hæc sunt quibus et scientia omnis, etc., *usque ad* certior permanebit. (Id., *lib. de Doct.Chr.*, tom. III, part. I, col. 35 et seq.)

Cum justus ex fide vivat, finisque præcepti, etc., *usque ad* in vaniloquium. (Id., *lib. contr. Faust.* XX, tom. VIII, col. 386 et seq.)

Pia fides sine spe et sine charitate, etc., *usque ad* conspicimus. (Id., *lib. ad Consentium de Trinit.*, tom. III, col. 456.)

Cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est, etc., *usque ad* concupiscit. (Id., *lib. de Perfectione justitiæ hominis*, tom. II, col. 300 et seq.)

Nullum aliud canticum docet nos Deus, nisi fidei, etc., *usque ad* cum viderimus. (Id., *tract. psal.* XCXI, tom. IV, part. III, col. 1171 et seq.)

Incipit homo a fide, quid pertinet ad fidem, *usque ad* horum est charitas. (Id., *serm. de ver. Evang.* tom. V, part. I, col. 865.)

Dilectione instandum est ad illud, et inhærendum illi, *usque ad* dicit Apostolus. (Idem, *lib. de Trin.* tom. VIII, col. 951.)

Non enim hoc est habere oculos, quod aspicere, Aut item hoc est, *usque ad* non poterit. (Idem, *lib. Soliloquiorum*, tom. I, col. 875 et seq.)

CAPUT XIV.

Sectamini charitatem. Dulce et salubre vinculum mentium, sine qua dives, *usque ad* ad ignoscendum. (S. Aug., *sermone de laude charitatis*, tom. V, part. II, col. 1534.)

Æmulamini spiritalia, magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, uon hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, usque ad *supplet locum idiotæ?* Hic spiritus a mente distinguitur evidentissimo, *usque ad* cogitamus. (Idem, *lib. de Gen. ad litteram.* XII, tom. III, part. I, col. 460 et seq.)

Quomodo dicet amen super tuam benedictionem? Quoniam quidem nescit quid dicas. Nam tu quidem, usque ad, *verborum in lingua.* Amen quippe interpretatur verum, *usque ad* vilesceret nudatum. (Idem, *tract. Evang. sec. Joan.* XLI, tom. III, part. II, col. 1694.)

Fratres, noliie pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. In populo Novi Testamenti, qui non perdurant, *usque ad* ad numerum. (Idem, *lib. Quæst.* LXXXIII, tom. VI, col. 52.)

Apostolus dicit. Nolite pueri effici mentibus. Et qui Dominus, *usque ad* sed innocentia. (Idem, *tract. psal.* XLIV, tom. IV, part. I, col. 493 et seq.)

Proponitur enim pueritia propter imitandam, *usque ad* perfecti sitis. (Idem, *tract. psal.* XLVI, tom. IV, part. I, col. 525 et seq.)

Nostis fratres et sæpissime audistis in Evangelio, *usque ad* pueri Dominum, (Idem, *tract. psal.* CXII, tom. IV, part. II, col. 1471.)

In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, usque ad *An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* In legis nomine aliquando simul omnia veteris, *usque ad* præter psalmos. (Idem, *lib. de Trinit.* XV, tom. VIII, col, 1881.)

Si quis videtur propheta esse, aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem, usque ad *secundum ordinem fiant in vobis.* Illa quæ scripsit Apostolus ad Corinthios aliter utique ab ipsis parvulis, *usque ad,* cognoscere fecerat. (Idem, *tract. Enang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1881.)

Nequaquam ut scribis, qui ignorat ignorabitur, *usque ad* sint cuncta perspicua. (Idem, *lib. Epist.* tom. II, part. I, col. 743 et seq.)

CAPUT XV.

Notum autem vobis facio fratres Evangelium quod prædicavit vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini, qua ratione prædicaverim, usque ad *et quia visus est Cephæ.* Resurrexit, inquit, tertia die secundum Scripturas, et, *usque ad* Evangelio legitur. (S. Aug., *lib. de Consensu Evang.* tom. III, part. I, col. 1215.)

Et post hoc, inquit, undecim. Qua libuit hora, ipso tamen resurrectionis die. Per synecdochen autem, *usque ad* non pertinet. (Idem, *lib. Quæst. Genes.* CXVIII, tom. III, part. I, col. 575 et seq.)

Nam non duodecim, sed undecim nonnulli etiam codices habent, *usque ad* ascensionis suæ. (Idem, *lib.* III *de Consensu Evang.*, tom. III, part. I, col. 1215.)

Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi. Sed hoc jam de cœlo, post parvum tempus ascensionis suæ. Pater noster Abraham, cujus justitia fidei, *usque ad* perfectique nascamur. (Idem, *lib. contr. Faust.*, *cap.* 25.)

Ego enim sum minimus apostolus qui non sum dignus, usque ad *vacua non fuit.* Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati suæ. Etenim infirmata est, tu vero perfecisti eam, quia pluviam voluntariam, *usque ad* perfecisti eum. (Idem, *serm. de ver. Evang.* 19, *psal.* LXVII.)

Laborant Pelagiani quantum possunt ostendere, gratiam Dei secundum, *usque ad* dicitur in Psal-

mo. (Idem, *lib. de Gra. et libero arbit.*, tom. X, part. I, col. 888.)

✓ *Sed abundantius omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione, *usque ad* [illegible]tionibus suis. (Idem, *lib. de Civ. Dei* XIV, tom. VII, col. 414.)

✓ Quid est quod nunc, quasi apostolatu relicto, Apostoli fiunt, *usque ad* augeret. (Idem, *tract. Evan. sec. Joan.* CXXII, tom. III, part. II, col. 1959 et seq.)

Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Non quia ipse nihil, etc., *usque ad* adjuvaret. (Id., lib. *ad Paulin. episc.*)

✓ *Sive enim ego, sive illi, sic prædicamus, et sic credidistis.* Inter medium montium pertransibunt aquæ. Putemus hoc ita, etc., *usque ad* apostoli retinebant. (Id., *tract. psal.* CIII, tom. IV, part. III. col. 1356 et seq.)

Quod autem erat apostoli Pauli evangelium, hoc etiam, etc., *usque ad* Salvatoris. (Id., *lib. contr. Faust.* II, tom. VIII, col. 210.)

Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio, etc. usque ad *mortui non resurgunt.* Attendamus Apostolum, cum ingenti cura veritatis, etc. *usque ad* veritatem recuperari. (Id., *epist. ad Hierony.*, tom. II, col. 113.)

Nam si mortui non resurgunt : neque Christus resurrexit, quod si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, etc., usque ad *hominibus.* Sunt veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes, etc. *usque ad* mortuorum. (Id., *lib.* II *de Doct. Christ.*, tom. III, part. I, col. 58.)

✓ *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors*, etc., usque ad *ejus crediderunt.* Homo et homo. Homo ad mortem. Homo, etc., *usque ad* Domini tui. (Id., *tract. Evang. sec Joan.* III, tom. III, part. II, col. 140 et seq.)

Quia ego vivo, inquit, et vos vivetis. Quia vivit: ideo, etc, *usque ad*, nisi per Christum. (*Id.*, col 1830.)

Sicut enim in Adam omnes, etc., *usque ad* filii Dei. (Id., *epist. ad Optatum episc.*, tom. II, col. 859.)

Neque anim alio sensu dictum est, etc., *usque ad* in Christo. (Id., *lib. ad Marcel.* III, tom. X, part. I, col. 197.)

Duo ista, quæ in uno fiunt homine, nasci et renasci, etc., *usque ad* significans. (Id., *epist. ad Dardanum de præsentia Dei*, tom. II, col. 843 et seq.)

✓ Ut ergo sicut per unum hominem mors : ita et per, etc., *usque ad* mortuorum. (Id., *lib. de Trinit.* IV, tom. VIII, col. 89 .)

Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Per hanc enim Apostolicam, etc., *usque ad* novitate displicet. (Id., *lib. de Origine animæ ad Hyeronymum*, tom. II, col. 729 et seq.)

✓ Propter hoc exemplum futuræ nostræ resurrectionis, etc , *usque ad* gloriæ suæ. (Id., *lib.* IV *de Trinit.* tom. VIII, col. 892.

✓ *Deinde finis cum tradiderit regnum Deo et Patri : cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.* Quid putabimus esse domum Dei, nisi templum, etc., *usque ad* regnum tuum. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* LXVIII, tom. III, part. II, col. 1814.)

✓ Erit ergo regnum christianorum, quod modo colligitur, etc., *usque ad* ab initio mundi. (*Id.*, col. 1597.)

✓ Nec sic arbitremur Christum, regnum traditurum Deo et Patri, ut adimat sibi. Nam et quidam, etc., *usque ad* omnia in omnibus. (Id., *lib.* I *de Trin.* tom. VIII, col. 820.)

Commemorabuntur, inquit, et convertentur, etc., *usque ad* a patre. (Id., *lib. de Gra. Novi Test.*, *psal.* XXI, tom. II, col. 566.)

✓ *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis.* Divinarum Scripturarum incuriosos, etc., *usque ad* sub pedibus. (Id., *lib.* I *de Trinit.*, tom. VIII, col. 830.)

✓ *Novissime autem inimica destruetur mors.* Quandiu sumus in corpore : peregrinamur a Domino, etc., *usque ad* mortuorum. (Id., *tract. psal.* CXLVIII, tom. IV, part. I, col. 1940.)

Dictum est : Cum tradiderit regnum Deo et patri. Quasi nunc non teneat, etc., *usque ad* in omnibus. (Id., *lib.* LXXXIII *Quæst.*, tom. VI, col. 75.)

✓ Quod ait Apostolus : Cum autem ei, etc., *usque ad* æqualis est Filius. (Id., *lib.* I *de Trinitat.*, tom. VIII, col. 829 et seq.)

✓ Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. Ordo verborum est, etc., *usque ad* in ipso. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* CX, tom. III, part. III, col. 1906.)

Scimus dictum esse : Patrem Filio esse majorem, etc., *usque ad* minor Patre. (Id., *lib.* X *collat. cum Maximino*, tom. VIII, col. 723 et seq.)

Ad horam quippe apparuerunt illa, etc., *usque ad* subjectas in ea. (Id., *ex collat. cum Max.*. tom. VIII, col. 756 et seq.)

Non autem, ut putas, corpus tantum filii, id est etc., *usque ad* esse subjectum. (*Id.*, col. 787.)

✓ Nec quisquam ita existimet de Patre intelligendum, quod subjecerit omnia Filio, ut ipsum Filium sibi omnia subjecisse non putet. Inseparabilis est, etc., *usque ad* qui evacuat. (Id., *lib. de Trinitate* I, tom. VIII, col. 830.)

Ut sit Deus omnia in omnibus. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, etc., *usque ad* communis. (Id., *lib.* XXIII *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 801.)

✓ Perniciosum autem est consilium hominis ipsi, etc., *usque ad* quibus dicitur. (Id., *tract. psal.* CV, tom. IV, part. II, col. 14, 15 et seq.)

Justorum desideriorum satietati, tunc nihil deerit, quando Deus omnia in omnibus erit. Ad quam beatitudinem ii perveniunt, qui huic sæculo ante separationem animæ a carne moriuntur : nec in eis, etc, *usque ad* corpus implebit. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col, 1895.)

Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Ut noveritis verum jurare non esse peccatum, invenimus, etc., *usque ad* adhibet Deum. (Id., *serm. de epist. Jacobi, nemo juret,* tom. V, part. II, col 974 et seq.)

Jurationem autem cave quantum potes, etc., *usque ad* consuevit jurare. (Id., lib. *ad Cons. Hilarii,* tom. II, col. 693.)

Qui dicit : Ecce coram Deo, quia non mentior, etc., *usque ad* ad fidem. (Id., *in expositione epist. ad Galatas,* tom. III, part. II, col. 2110.)

Si secundum hominem ab betias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Manducemus, etc., usque ad *vobis loquor.* Apostolorum temporibus invenimus fuisse, etc., *usque ad* non est. (Id., *lib.* V *de Bapt.* tom. IX, col. 210.)

Sunt homines qui dicunt : Non est homini bene, nisi cui assunt carnis deliciæ, etc., *usque ad* moriatur. (Id., *serm. de ver. evang.*, tom. V, part. II, col. 160 et seq.)

Animadvertimus cum apostoli epistola legeretur, etc., *usque ad* securi moriamur. (Id., *serm. de Resurrect.*, tom. V, part. II, col. 1599 et seq.)

Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Fratres mei, qui timetis Deum, mementote quod ait, etc., *usque ad* Deo vestro. (Id., *epist. ad plebem Hipponensem,* tom. II, col. 270.)

Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui ? quali autem corpore venient ? Cum resurrectionem mortuorum persuadere vellet eis, etc., *usque ad* continuo additum est. (Id., *epist. ad Coloss.*, tom. II, col 944 et seq.)

Manifestum est, quod per cœlestem hominem Christum velit accipi, etc., *usque ad* ascendit in cœlum. (Id., *serm. de resurrect. mort.*, tom. V, part. II, col. 1620 et seq.)

Alia claritas solis, et alia claritas lunæ, et alia claritas, etc , usque ad *resurrectio mortuorum.* Et si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, etc., *usque ad* non sit in regno. (Id., *tract. sec. Joan.* LXVII, tom. III, part. II, col. 1812 et seq.)

Comparata est resurrectio mortuorum, etc., *usque ad* Cœlum commune. (Id., *serm. de ver. Evang.*, tom. V, part. I, col. 736.)

Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Resurgent sanctorum corpora sine ullo, etc., *usque ad* inimicos. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 374.)

Sicut enim spiritus carni serviens, non incongrue carnalis : ita caro, etc., *usque ad* scriptum est (Id., *lib.* XIII, *de Civ. Dei,* tom. VII, col. 393 et seq.)

Corpora ergo justorum, quæ in resurrectione futura sunt, neque ullo, etc., *usque ad* qualitate conveniat. (*Id.*, col. 395 et seq.)

Erit ergo spiritui subdita caro spiritalis, etc., *usque ad* spiritale. (Id., *lib.* XIV, *de Civ. Dei,* tom. VII, col 408.)

Gentiles, plerumque philosophorum argumentis nobiscum agere student. etc., *usque ad* fruemur. (Id. *lib. de Sym.*, tom. VI. col. 194 et seq.)

Si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est. Factus est, etc., usque ad *vivificantem.* Primus homo de terra terrenus in animam viventem factus est. etc., *usque ad* Christo vivificatur. (Id., *lib.* XIII *de Civ. Dei,* tom. VII, col. 396 et seq.)

Pristina stabilitas corporis quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, in defectum, etc., *usque ad* spiritum vivificantem. (Id., *lib.* I, *tract.* X *in Joan., lib. contra Manich.*)

Primus de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis. Primus homo de terra terrenus, ille Adam de limo formatus, etc., *usque ad* refecti sumus. (Id., *lib. contr. Faust.* II, tom. VIII, col. 211.)

Primus homo Adam sic olim defunctus est, etc., *usque ad* et secundus. (Id., *lib. Sent. Prosperi.*, tom. X, part. II, col. 1885.)

Hoc autem dico fratres, quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio, incorruptionem possidebit. Nolebat eos ad hoc ædificari : ut arbitrarentur, etc., *usque ad* de resurrectione. (Id., *serm. de Resur. mort.*, tom. V, part. II, col. 1623.)

Credimus et carnis resurrectionem, non tantum qua, etc., *usque ad* quod scriptum est. (Id., *serm. de sym.*, tom. VI, col. 194.)

Dixit Apostolus, cum inde loqueretur, etc., *usque ad* continuo subdidisse. (Id., *lib.* I *Retract.*, tom. I, col. 613.)

Quod ergo ait Apostolus : Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, etc., *usque ad* ista dilexerint. (Id., *lib.* II *Retract.*, tom. I, col. 631.)

Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurget ergo pius populus, etc., *usque ad* præcipitetur. (Id., *lib. de vera Relig.* tom. III, part. I, col. 144.)

Dixit Apostolus, cum de resurrectione corporum loqueretur, etc., *usque ad* nosse possimus. (Id., *lib.* XX *de Civ. Dei,* tom. VIII, col. 688 et seq.)

Priusquam miserarum delectationum, et voluptatum, etc., *usque ad* finirentur. (Id., *tract. psal.* LVII, tom. IV, part. I, col. 689.)

In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba : mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Quid sit atomus, multi vestrum non norunt. Atomus dictus, etc., *usque ad* novissimam dicit. (Id., *serm. de Resur. mort.*, tom. V, part. II, col. 1624 et seq.)

Quod Christi corpus non dissolutum tabe, atque putredine die, etc., *usque ad* redditurum. (Id., *lib.* VI *Quæst. contra Pagan.*, tom. II, col. 372.)

Cum solem intuemur orientem, certe manifestum est, etc., *usque ad* celerius inveniri. (Id., *lib.* IV *de Gen. ad lit.*, tom. III, part. I, col. 319 et seq.)

Immortalitas carnis illo perficietur momento resurrectionis, etc., *usque ad* misisti Jesum Christum. (Id., *ex lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 1056.)

Ista mors sæpe in Scripturis dormitio dicitur pro-

pter, *usque ad* ratione cogitabit. (Id., *lib. de Gratia Novi Testamenti*, tom. II, col. 572 et seq.)

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria, ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? etc., *usque ad inanis in Domino.* Quia sicut apostoli apertissima verba declarant, eo absorbebitur, etc., *usque ad* justificationem. (Id., *lib.* III *ad Marcellinum*, tom. IX, part. I, col. 197 et seq.)

Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis, peccatum: virtus vero peccati lex. Mortem significari arbitror hoc loco, carnalem, etc., *usque ad* carnalis obruetur. (Id., *lib.* LXXXIII *Quæstionum Rom.* 13, tom. VI, col. 79 et seq.)

Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors contentio tua, etc., *usque ad* sacrificium Domino. (Id., *tract. psal.* LXIV, tom. IV, part. I, col. 775 et seq.)

Tunc fiet: Non modo fit, sed tunc fiet. Quid tunc fiet? Sermo, etc., *usque ad* victorem coronavit. (Id., *serm. de ver. Apostoli* 68, tom. V, part. II, col. 893 et seq.)

Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Aculeus mortis peccatum est. Cujus punctione facta est mors. Peccatum quasi, etc., *usque ad* nec possint. (Id., *serm. de verb. Apostoli in cap.* 5 *positis.*)

Apostolus cum vellet ostendere quantum peccatum gratia, etc., *usque ad* ipsa contemnitur. (Id., *lib.* XIII *de Civ. Dei*, tom. VII, col. 380.)

Augetur enim concupiscentia, et majores, etc., *usque ad* adjuvantis. (Id., *lib de Gratia et libero arbitrio.* tom. X, part. I, col. 887.)

Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Jesum Christinum Dominum nostrum. Confidite: ego

A vici mundum, confiderunt et vicerunt. In quo nisi in illo. Non enim vicisset ille mundum, etc., *usque ad* ego vici mundum (Id., *lib, de Perfect. justi hominis, tract. evang. sec. Joan.* I.)

CAPUT XVI.

De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite: per unam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat, etc., usque ad *si Dominus permiserit.* Et apostolus Paulus potest videri de crastino cogitare, etc., *usque ad* est nobis. (S. Aug.. *lib. de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1295.)

Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem. Ostium enim mihi apertum est magnum, et evidens: et adversarii multi. Si autem venerit Timotheus, etc.,

B usque ad *cum ei vacuum fuerit.* Quid hic aliud potest intelligi, etc., *usque ad* non est datum. (Id., *lib. de Prædes. sanct.* tom. X, part. I, col. 989 et seq.)

Vigilitate et state in fide viriliter agite, et confortamini. Viriliter age: noli dissolvi: ne sis iuter eos quibus dicitur: Væ iis qui perdiderunt, etc., *usque ad* femina est. (Id., *tract. psal.* XXXVI, *eccles.* II.)

Omnia vestra in charitcte fiant, obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, et Fortunati, et Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaicæ: et in ministerium sanctorum, etc., usque ad *Salutatio mea manu Pauli.* Cum dicit: Omnia vestra cum charitate fiant, etc., *usque ad* operatur. (Id., *lib. de Gratia et lib. arbit.*, tom. X, part. I, col. 902.)

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum: sit anathema, etc., usque ad *Christo Jesu,*

C *Amen.* Simul Græco et Syro utitur verbo, etc., *usque ad* Dominus redeat. (Id., *serm. altercationis cum Pascentio Ariano*, tom. II, col. 1161.)

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Post actam a Corinthiis pœnitentiam consolatoriam scribit eis epistolam apostolus a Troade per Titum; et collaudans eos, hortatur ad meliora, contristatos quidem eos, sed emendatos ostendens.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, et Timotheus frater ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibas sanctis, qui sunt in universa Achaia. Gratia vobis et pax, a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus, et pater, etc., usque ae *ut ex multarum personis facierum ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis.* Amat Paulus dici a nobis peccata sua: ut glorificetur ille, *usque ad* sanata est. (S. Aug., *tract. epist. Joan.* tom. III, part. II, col. 2037.)

Nam gloriatio nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, etc., usque ad *sed est in illo est.* Superba anima in conspectu hominum, etc., *usque ad* ipsa conscientia. (Id., *tract. psal* XX, tom. IV, part. I, col. 164 et seq.)

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur, etc. Non in theatris, etc., *usque ad* inchoavit. (Id., *tract. psal.* CXLIX, tom. V, part. I, col. 1955.)

Nemo est diabolo astutior ad figendum. Nam et nunc omnia falsa crimina de sanctis ipse confingit, scit suas criminationes, etc., *usque ad* adimpletæ

D sunt. (Id., *ser. de ver. Evang., lib. contr. Faust.*)

Nec eos audiamus qui non verum hominem, etc. *usque ad* mentiantur. (Id., *lib. de Agone Christ.*. tom. VI, col. 300 et seq.)

Omnes enim promissiones Dei, in illo est: id est in illo, etc., *usque ad* ad te Deus. (*Ibid.*, col. 296.)

Notum ergo fratres desiderium nostrum non sit, nisi ad vitam æternam, etc., *usque ad* alet in patria. (Id., *serm. de ver. Apost.*)

CAPUT II.

Statui autem hoc ipsum apud me: ne iterum in tristitia venirem ad vos, si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, etc., usque ad *sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.* Quibus va-

lefecit? etc., *usque ad* apertum est ostium. (S. Aug., *lib. de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 990.)

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu : et odorem notitiæ, etc., usque ad *Christo loquimur.* Ecce unde gratias agit miles acerrimus, etc., *usque ad* idoneus. (Id., *ibid.*, tom. X, part. I, col. 990.)

Domus autem repleta est odore, etc., *usque ad* occidit honus odor. (Id., *tract.* LI *in evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1760 et seq.)

Habeat aliquis sanum olfactum, consentiat quomodo, etc., *usque ad* respiramus. (Id., *tract. psal.* XXXVII, tom. IV, part. II, col. 401.)

Inde bonus odor qui significatur nominatis quibusdam, etc., *usque ad* bono odore. (Id., *tract. psal.* XLII, tom. IV, part. IV, col. 507 et seq.)

Dicit ipsa dominica sponsa : Post odorem unguentorum, etc., *usque ad* diffundebatur. (Id., *serm. in natali mart.*, tom. V, part. I, col. 1250.)

Bonus odor Christi est prædicatio, etc., *usque ad* in salutem. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1891.)

CAPUT III.

Incipimus iterum nosmetipsos commendare ? Aut nunquid egemus sicut quidam commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, etc., usque ad *cordis carnalibus.* Per Ezechielem prophetam Dominus dixit, et dabo, etc., *usque ad* medicinaliter. (S. Aug., *lib.* III *de Doct. christ.*, t. III, part. I, col. 85.)

Spiritus Dei cujus dono justificamur, etc., *usque ad* sine sensu est. (Id., tom. X, part. I, col. 218 et seq.)

Novi Testamenti charitas legem facit, etc., *usque ad* gratiam Dei. (Id., *lib. Quæst. Exo. tit.* CXLVI, tom. III, part. I, col. 653 et seq.)

Auferam ab eis cor lapideum, et dabo eis, etc., *usque ad* inflexibilem. (Id., *lib. de Grat. et libero arbit.*, tom. X, part. I, col. 898.)

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod, etc., usque ad *Deo est.* Vigilantissime cum dixisset, confidentiam talem, etc., *usque ad* Deo est. (Id., *lib. de Bapt. par.*)

Commendans istam gratiam quæ non datur, etc., *usque ad* ex Deo. (Id., *lib. de Præd. sanct.* tom., X, part. I, col. 962 et seq.)

Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, etc., *usque ad* cogitationes. (Id., lib. *de Bono perse.*, tom. X, part. II, col. 1023, *sensu mystico.*)

Qui et idoneos nos fecit ministros, etc., usque ad *autem vivificat.* Cavendum est ne figuratam locutionem ad, etc., *usque ad* religarent. (Id., *lib.* III *de Doctr. Christ.*, tom. III, part. I, col. 69.)

Ubi ait Apostolus : Littera occidit, spiritus autem vivificat : non aliam vult intelligi litteram, etc., *usque ad* revelanda. (Id., *lib. de Littera et spiritu*, tom. X, part. I, 215 et seq.)

Cum enim, inquit, transierit ad Christum, etc., usque ad *ibi libertas.* Nemo ergo christianorum, etc., *usque ad* faciebat timeri. (*Ib.*, col. 220.)

Vera sponsa Christi intelligit quid distet inter lit-A teram, etc., *usque ad* sint mala. (Id., lib. *contr. Faust.* 15 tom. VIII, col. 311 et seq.)

Decalogum quippe legis, etc., *usque ad* sed gratia Salvatoris. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* CXXIII, tom. III, part. II, col. 1963.)

Nos enim dicimus humanam voluntatem sic divinitus, etc., *usque ad* litteræ sonum. (Id., lib. *de Spir. et litt.*, tom. X, part. I, col. 303.

Quanto sunt charitati futura meliora, tanto sunt, etc., *usque ad* scientia ædificat. (Id., *epist. ad Anastasium*, tom. II, col. 593.)

Dominus autem ipse non solum, etc., *usque ad* et ipse. (Id., lib. *de Cor. et Grat.*, tom. X, part. I, col. 917.)

Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, etc., usque ad *evacuatur, etc.* Quod si ministratio
B mortis litteris deformata, etc., *usque ad* damnationem. (Id., lib. *contra inimicum legis et prophetarum*, tom VIII, col. 651 et seq.)

Quod si ministratio mortis litteris deformata, in lapidibus fuit in gloria, et cætera. Cur ministratio mortis dicitur si bona, etc., *usque ad* scriptum est. (Id., lib. *ad Simplicianum*, tom. VI, col. 109 et seq.)

Ita ut non possent filii Israel, etc., usque ad *evacuatur.* Quod non poterant intendere filii Israel in faciem, etc., *usque ad* ministrata sunt? Id., *lib.* I *contra inimicum legis et prophetarum*, tom. VIII, col. 652 et seq.)

Dicit Deus ad Cain : Et nunc maledictus tu a terra, etc., *usque ad* transeuntibus. (Id., lib. *contra Faust.*, tom. VIII, col. 259.)

C Evacuatur namque in Christo non Vetus Testamentum, etc., *usque ad* tegebantur. (Id., *lib. de Uti. credendi*, tom. VIII, col. 71.)

Erat prophetia antiquis temporibus, et a prophetiæ, etc., *usque ad* extendaris. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1459.)

Nihil enim prodest Testamentum Vetus de, etc., *usque ad* verissima spiritualis. (Id., *lib. de Civit. Dei*, 17, tom. VII, col. 539.)

Quomodo ergo tollitur velamen dicit ipse Apostolus. Cum autem transieris ad Dominum, auferetur velamen. Judæus ergo non transiens, etc., *usque ad* transeant ad Dominum. (Id., *serm. de ver. Evang.*, XVII, *psal.* LXIV, col. 778.)

Splendor in facie Moysi tanquam, etc., *usque ad*
D Jesus Christus. (Id., *tract. psal.* LXIV, tom. IV, part. I, col. 778.)

Personam ejus gerebat Moyses, et ideo velum ante se ponebat, quando loquebatur populo : quia quandiu illi in lege, carnalibus gaudiis et voluptatibus, etc., *usque ad* possit videri. (Id., *Joan.* V, *serm. de ver. Evang., lib. contra Manich.* I.)

Dominus autem spiritus est. Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Tanquam proprie videtur Filius Dominus vocari, etc., *usque ad* sed charitas. (Id., lib. *de Trin.* II, tom. VIII, col. 857 et seq.)

Nos vero omnes revelata facie ad gloriam, etc., usque ad *Spiritu Domini.* Satis apparet Apostolum

ab speculo ad speculum, etc., usque ad tamquam a Domini Spiritu. (Id., lib. *Sent. Prosperi.*, *lib. de Trin.* xv, tom. VIII, col. 1068.)

Cum ergo hac transformatione, ad perfectum fuerit hæc imago renovata, similes Deo erimus, quoniam videbimus eum non per speculum, sed sicuti est, quod dicit Paulus apostolus, facie ad faciem. In qua eum facie velamen, etc., *usque ad* ad faciem. (Id., *lib. ad Paulinam de vid. Deo*, tom. II, col. 620.)

CAPUT IV.

Ideo habentes hanc administrationem, etc., usque ad *non ambulantes in astutia.* Hanc administrationem non ex meritis nostris, sed ex Dei misericordia esse dixit. Propter quod habentes administrationem, etc., *usque ad* esse quod non sunt. (Id., *lib. de Baptis. par.*)

Neque adulterantes Verbum Dei: sed in, etc., usque ad *coram Deo.* Quid faciet animus nutans, cum se obtemperare, etc., *usque ad* est manifestius. (Id., *serm. de ver. Evang.* II, tom. V, part. I, col. 372.)

Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum. Et cum dixisset, aliis quidem sumus odor, etc., *usque ad* illi fuit? (Id., *lib. de Consensu Evang.* III, tom. III, part. I, col. 1188.)

In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, etc., usque ad *qui est imago Dei.* Utinam et isti cæci oppugnatores legis, et prophetarum: sic transeant ad Christum, ut non sint, etc., *usque ad* pertinebant. (Id., *lib.* I *contr. inimicum legis et prophetarum*, tom. VIII, col. 655.)

Hanc sententiam plerique nostrum ita, etc., *usque ad* exclamat. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 389.)

Illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Imago et æqualitas, et similitudo distinguenda sunt: quia, etc., *usque ad* impedimento sit. (Id., *lib.* LXXXIII *Quæst.*, tom. VI, col. 85 et seq.)

Non enim nosmetipsos prædicamus: sed Jesum Christum Dominum nostrum. Nos autem servos vestros, etc., usque ad *in facie Jesu Christi.* Quin etiam stultitiæ scribentis assignat, quod dixerit, etc., *usque ad* affectio. (Id., *lib. contr. inimicum legis et prophetarum*, tom. VIII, col. 609.)

Porro si huic displicet, etc., *usque ad* expressit dicens. (*Ibid.*, col. 611.)

Ad illuminationem, etc., *usque ad* inculcet. (Id., lib. *de Bapt. par.*, tom. X, part. I, col. 129.)

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamus. Aporiamur, etc., usque ad *in vobis.* Adhærens Deo, etc., *usque ad* probatur. (Id., *lib. de Sent. Prosp.*, tom. X, part. II, col. 1867.)

Habentes autem eumdem spiritum fidei sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum. Et nos credimus, etc., usque ad *in gloriam Dei.* Habentes autem eumdem spiritum fidei. Non enim ait scientiam fidei, sed spiritum fidei. Quod propterea dixit, ut intelligeremus quia fides, etc., *usque ad* loquimur. (Id., *lib. de Gratia et libero arbit.*)

Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, etc., usque ad [illegible]. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XLV, tom. III, part. II, col. 1722 et seq.)

Habentes autem eumdem spiritum fidei, etc., usque ad *loquimur.* Non diceret eumdem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos, etc., *usque ad* servitutem generat. (Id., *lib. ad Cons. Hilar. epist., ad Valerium Comitem.*)

Antiquos justos non salvos fecit nisi fides, etc., *usque ad* dictum est. (Id., *Ex lib. ad Bonifacium papam contra Pelagianos*, tom. X, part. I, col. 569.)

Credidi, propter quod locutus sum, etc., *usque ad* ad salutem. (Id., *tract. psal.* CXV, tom. IV, part. II, col. 1491 et seq.)

Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur, etc., usque ad *æterna sunt.* Nemini dubium est, sicut interiorem hominem intelligentia, etc., *usque ad* similitudo. (Id., *lib. de Trinitate*, tom. VIII, col. 983 et seq.)

Age nunc, videamus ubi sit quasi quoddam, etc., *usque ad* mens novit. (Id., *lib.* XII, col. 997 et seq.)

Paulus apostolus interiorem hominem pro spiritu, etc., *usque ad* qui fecit. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, lib. XXIV, col. 475 et seq.)

In corpore adhuc mortali renovatio, etc., *usque ad* in nobis. (Id., lib. *de Trinitate* IV, tom. VIII, col. 890.)

Ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, etc., *usque ad* visionem. (Id., *lib. de Trinitat.* XIV, tom. VIII, col. 1054 et seq.)

In baptismo quamvis tota et plena fiat, etc., *usque ad* factum est. (Id., *lib. de Bapt. par.*, tom. X, part. I, col. 156 et seq.)

Novus homo et interior et cœlestis habet, etc., *usque ad* pollicetur. (Id., *lib. de vera Religione*, tom. III, part. I, col. 145 et seq.)

Attende te hic habere laborem, sed attende qualem ille requiem, etc., *usque ad* requiem incredibilem. (Id., *tract. psal.* XCIII, tom. IV, part. II, col. 1211 et seq.)

Christiano causa recte gaudendi, etc., *usque ad* ad patriam. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1868.)

CAPUT V.

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem, etc., usque ad *non nudi inveniamur.* Prior enim omnium creata est quædam sapientia, etc., *usque ad* bonum est. (Id., *lib. Conf.* XII, tom. I, col. 833 et seq.)

Si possemus aliter pervenire ad Christum, etc., *usque ad* aceto potaverunt. (Id., *tract. psal.* LXVIII, tom. IV, part. I, col. 842 et seq.)

Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, etc., usque ad *mortale est a vita.* Aggravamur ergo corruptibili corpore et, etc., *usque ad* errore sunt. (Id., *lib. de Civit. Dei* XIV, c. II *et* III, tom. VII, col. 406.)

Ingemiscimus gravati: sub sarcina scilicet, etc., *usque ad* non extra. (Id., *serm. de natali apostolor.*, tom. V, part. I, col. 1374 et seq.)

Salvam fecisti de necessitatibus animam meam. Quid jam dicam de necessitate, etc., *ad usque* mortem nolumus. (Id., *tract. psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 238.)

Mortis diem omnes quidem affuturum sciunt, et eum, etc., *usque ad* transferatur. (Id., *lib. de Gratia Novi Testamenti,* tom. II, col. 544.)

Vide duas mortes, unam temporalem, *usque ad* recipienda. (Id., *serm. de amore Dei, et amore sæculi,* tom. V, part. II, col. 1714.)

Cum gratiam uberius in Domino Jesu Christo commendans, etc., *usque ad* meipsum illi. (Id., *lib. de Baptis. par.*, tom. X, part. I, col. 110 et seq.)

Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus : et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem, etc., *usque ad* in psalmis. (Id., *lib. de Trinit. Actuum* XV, *Matth.* V, *psal.* 90

Agnosco, Domine, ut possum. Nimirum illud, etc., *usque ad* in nobis. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* LXVIII, tom. III, part. II, col. 1815.)

Est illuminatio per fidem, etc. *usque ad* ait Apostolus. (Id., *tract. 4 Epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2010.)

Per fidem adhuc ambulamus, etc., *usque ad* exspectamus. (Id., *tract. psal.* XVII, tom. IV, part. I, col. 151.)

Quandiu enim sumus in corpore, etc., *usque ad* regione vivorum. (Id., *tract. psal.* CXIV. tom. IV, part. I, col. 1490.)

Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino, etc., *usque ad* per Christum. (Id., *psal.* CXIV, *tract. psal.* XIV, tom. IV, part. I, col. 143.)

In quantacunque temporali felicitate versemur, etc., *usque ad* hæc verba sunt. (Id., *lib. de Pœnitentia,* tom. V, part. col. 1538.)

Tunc ergo magna et perfecta jucunditas : tunc plenum gaudium : ubi jam non spes lactat, sed res nutrit. Tamen etiam nunc antequam res ipsa veniat nobis : antequam nos ad rem ipsam veniamus, etc., *usque ad* antequam videremus. (Id., *serm. de Verbis apost.*

Laus fidei est, etc., *usque ad* spes desiderat. (Id., *lib. Sentent. Prosperi,* tom. X, part. II, col. 1880 et seq.)

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi : ut referat unusquisque, etc., usque ad *sive malum.* Facienda est ergo justitia quæ nobis, etc., *usque ad* et corpus. (Id., *lib. de Civ. Dei* XVII, tom. VII, col. 531.)

Hic omne meritum comparatur : quo possit, etc., *usque ad* damnatio. (Id., *lib. Enchir.*, tom. III, col. 283.)

Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat, etc., *usque ad* judicantur. (Id., *epist. ad Vitalem,* tom. II, col. 984 et seq.)

Frustra sibi homo, etc., *usque ad* neglexit. (Id., *lib. Sentent. Prosperi,* tom. X, part. II, col. 1873.)

Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus : Deo autem manifesti sumus. Spero autem, etc., usque ad *non in corde.* Nemo Deo suadet, etc., *usque ad* suadet veritatem. (Id., *in Expos. epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2109.)

Sive enim mente excedimus. etc., usque ad *urget nos.* Videbitis cœlum apertum : et angelos ascendentes et descendentes supra filium hominis. Audi uno loco, etc., *usque ad* prædicatione. (Id., *tract.* VII *evang. sec. Joan.* I, tom. III, part. I, col. 1449 et seq.)

Extasis verbum est Græcum, Latine, quantum, etc., *usque ad* ut diceret. (Id., *tract. psal.* XXXX, tom. IV, part. I, col. 230.)

Sive, inquit, mente excessimus, etc., *usque ad* in nobis. (Id., *tract. in psal.* CIII, t. IV, part. II, col. 1364.)

Cogitemus quid nobis prærogatum, etc., *usque ad* salutem. (Id., *lib. de Catechizandis rudibus,* tom. VI, col. 322.)

Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui, etc., usque ad *et resurrexit.* Omnes itaque mortui sunt in peccatis, etc., *usque ad* possimus. (Id. *lib,* XX *de Civ. Dei,* tom. VII, col. 665.)

Charitatis erga nos Dei tantum apparuit, etc., *usque ad* et resurrexit. (Id., *epist. ad Armentarium et Paulinum,* tom. II, col. 483.)

Debet enim vita humana in se deficere, in Christo proficere : ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, et resurrexit, et dicat, etc., *usque ad* ut anima nostra ipsi vivat. (Id., *serm. de Epiphania ex lib. de grat. Nov. Test. Eccles.* X.)

Itaque ex hoc nos neminem novimus secundum carnem, etc., usque ad *jam non novimus.* Quod dicit, et si noveramus Christum secundum, etc., *usque ad* spe hoc sumus. (Id., *lib. contr. Faustum,* tom. VIII, col. 249 et seq.)

Si qua ergo in Christo nova creatura, etc., usque ad *per Christum.* Unde quemadmodum cum ipsa veritas, etc., *usque ad* mereamur. (Id., *lib. de Doct. Christ.*, tom. III, part. I, col. 33 et seq.)

Quid est, si non abiero, etc., *usque ad* spiritaliter novit. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XCI, tom. III, part. II, col. 1869.)

Sed quid est, jam non videbitis me, etc., *usque ad* mundum. (Id. *tract.* XCV, col. 1872.)

Omnis ergo nova creatura, id est populus innovatus per fidem, ut habeat interim in spe, quod in re postea perficiatur, in Christo habet etiam quod in se sperat. Itaque nunc vetera, etc., *usque ad* secundum carnem. (Id., *lib. contr. Faustum Manichæum quia omnia ex Deo.*)

Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt nova. Quæ vetera transierunt? In gentibus omnibus, etc., *usque ad* gaudio dicimus. (Id., *tract. psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1379 et seq.)

Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova, etc., *usque ad* in nova currendo. (Id., *tract. psal.* XXVIII, tom. IV, part. I, col. 420.)

Noveam creaturam dicit vitam, etc., *usque ad* ubi

ait. (Id., *in expositione epist. ad Gal.*, tom.III, part. II, col. 2147 et seq.

Et dedit nobis ministerium reconciliationis : quoniam quidem Deus erat,etc.,usque ad *reconciliationis*. Ut mundus credat,quia tu me misisti.Ecce qui,etc., *usque ad* a Deo. (Id., *tract.Evang.sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1920 et seq.)

Si autem diceret, ut cognoscant quia tu me,etc., *usque ad* per me. (*Ib.*, col. 1923.)

Deus erat, inquit, in Christo mundum reconcilians sibi, etc., *usgue ad* Deus esset. (Id., *tract. psal.* LXVIII, tom. IV, part. I, col. 850 et seq.)

Pro Christo ergo legatione, etc., usque ad *reconciliamini Deo.* Venient legati ex Ægypto, etc., *usque ad* prophetatum est. (Id., *tract. psal.* XCVII, tom. IV, part. II,col. 1254 et seq.) .

De peccato solus liberare potest, etc., *usque ad* reconciliari? (Id., *tract. evang. sec. Joan* , tom. III, part. II, col. 1695.)

Eum, inquit, qui non noverat, etc., usque ad *Dei in ipso.* Quæ ignorabam,interrogabant me. Ignorabat peccatum,etc.,*usque ad* facere vitium.(Id.,*tract., psal.* XXXIV, tom. IV, part. I, col. 333 et seq.)

Quis dubitet malum esse peccatum,etc.,*usque ad* per experientiam. (Id., *lib. contr. inimicum legis et proph.*, tom. VIII, col. 613.)

Et offeret munus suum domino agnum anniculum,etc.,*usque ad* in salutare. (Id.,*lib. Quæst.num.* XII, tom. III, col. 721.)

Quod enim Apostolum dixisse commemoras,quoniam, etc., *usque ad* non ficta? (Id., *lib.* I *contr. Maxim.* tom. VIII, col. 744 et seq.

Propter similitudinem carnis peccati,etc.,*usque ad* demonstravit. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 253.)

Illa namque justitia Dei,commendatur,etc.,*usque ad* justitia Dei. (Id., *lib. de Grat. Nov.Test.*, tom. II, col. 569 et seq.)

CAPUT VI.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei, etc.,usque ad *ecce nunc dies salutis.* Quid est quæso quod exardescimus, etc.*usque ad* charitatem (Id., *lib.* VIII *de Trinitate*, tom. VIII, col. 959.)

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum,sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, etc. usque ad *virtute Dei.* Sub illo jugo levi, et sarcina levi, audimus Apostolum dicere : In omnibus commendantes nosmetipsos, sicut Dei ministros,in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, etc., *usque ad* revelabitur in nobis. (Id., *serm. de ver. Evang.* 9.)

Per arma justitiæ a dexteris,et a sinistris,etc.,usque ad *bonam famam.* Dominus noster cum venisset in carne, etc., *usque ad* fortis est. (Id., *tract. psal.*XCII, tom. IV, part. II, col. 1182 et seq.)

Malitia enim iniquorum,sinistra sunt arma,etc., *usque ad* ad salutem. (Id.,*psal.* XCIII, col. 1215.

Ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti. Quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati et non

A *mortificati.* Alii dicebant bonus est, alii dicebant non, etc.,*usque ad* et simus. (Id., *tract. Evang. sec. Joann.* XXIX, tom. III, part. II, col. 1628.)

Non moriar,sed vivam,et narrabo opera Domini. Illi stragem, etc., *usque ad* tradidit me. (Id., *tract. psal.* CXVII, tom. IV, part. II, col. 1498 et seq.)

Quasi tristes semper autem gaudentes,sicut egentes, etc.,usque ad *omnia possidentes.*Est quædam animæ interior firmitas, etc., *usque ad* in tribulationibus. (*Ib.*, col. 1796 et seq.)

Vox lætitiæ et salutis, in tabernaculis justorum. Ubi vocem, etc., *usque ad* tribulationibus. (Id., col. 1498.)

Millia lætantium. Spe enim sunt gaudentes,etc., *usque ad* patientes. (Id., part. I, col. 829.)

B Hic ergo quid? labor, pressura, tribulatio, etc., *usque ad* possidebat. (*Id.*, part. I, col. 559 et seq.)

In ea societate beatus Joannes, etc., *usque ad* omnia possidentes. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.*CXX, tom. III, part. II, col. 1951.)

Os nostrum patet ad vos, o Corinthii,etc., usque ad *visceribus vestris.*Latitulo mandati charitas est,quia ubi, etc., *usque ad* non nocet homo. (Id., *tract.* 10, *Epist. Joan.* tom. III, part. II, col. 2058.)

Eamdem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico dilatamini et vos. Cordis dilatatio justitiæ est et, etc., *usque ad* est nobis.(Id.,*tract.psal.*CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1527.)

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ, etc.,usque ad *Christi ad Belial?* Nulla participatio est justitiæ, etc.,*usque ad* usque

C adhuc. (Id., lib. *de Baptismo contr. Donat.*, tom. IX, col. 166.)

Si dixerimus,quia societatem habemus,etc.,*usque ad* dedit Deus. (Id., *tract.* 1 *Epist. Joan.*, tom. III, col. 1981.)

Vos enim estis templum Dei vivi sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo, etc., usque ad *mihi populus.* Si consideremus ante gratiam Dei quid fuerimus,etc., *usque ad* deambulabit Deus. (Id., *serm. de ver. apostoli*, tom. V, part. I, col. 889.)

Propter hoc exite de medio eorum, et separamini dicit Dominus : et immundum, etc., usque ad *Dominus omnipotens.* Ecce, inquiunt,dicit propheta, etc., *usque ad* non parcere. (Id., *serm. de verb. Evang.* tom. V, part. I, col. 551 et seq.)

D Certe manifestum est jam prudentiæ vestræ,quomodo accipienda sunt omnia talia testimonia Scripturarum : ut quando scriptura sonat, etc.,*usque ad* non tangatis. (Id., 23, q. 4, *Tolerandum.*)

CAPUT VII.

Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus,etc., usque ad *ita ut magis gauderem.*Judas filius sponsi : persequens sponsum, hoc,etc., *usque ad* tolerabiles (S. Aug., *Tract. psal.* CXLII, tom. IV, part. II, col. 1847.)

Quoniam et si contristavi vos in epistola, non me pœnitet. Et si pœniteret videns quod epistola, etc.,

usque ad *ex nobis.* Ipsa tristitia reperitur in bono, etc., *usque ad* a nobis (Id., *lib. de Civ. Dei* XIV, tom. VII, col. 413).

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum, etc., usque ad *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.* Ecce enim id ipsum secundum Deum constristari, etc., *usque ad* rectas habent (Id., *lib. de Civ. Dei*, tom. VII, col. 413).

CAPUT VIII.

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei quæ data est in ecclesiis Macedoniæ, et quod in multo experimento tribulationis, etc., usque ad *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Propter nos, inquit, pauper factus est cum esset dives, etc., *usque ad* nos ditavit (S. Aug., *tract. Psal.*, tom. IV, part. II, col. 1293).

Quis enim hominum omnes thesauros, etc., *usque ad* ablatas amisit. (Idem, *serm. de Epiphania.*)

Non ait pauper factus est : cum dives, etc., *usque ad* qui dedit. (Idem, *serm. de verb. libri Salomo.*, tom. V, part. I, col. 216.)

Sed ex æqualitate in præsenti tempore, etc., usque ad *non minoravit.* Illi judicabunt de quibus dictum est, *usque ad* virtute tua. (Idem, *tract. psal.* CXXI, tom. IV, part. III, col. 1626 et seq.)

Gratias autem ego Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi : quoniam exhortationem, etc., usque ad *voluntatem nostram.* In his verbis apparet quantam, etc., *usque ad* indigentibus. (Idem, lib. *de Opere Monachorum*, tom. VI, col. 563.)

Devitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis in Domini gloriam. Providemus enim bona, etc., usque ad *in faciem ecclesiarum.* Vobiscum hic vivimus, et propter vos vivimus, etc., *usque ad* exemplum. (Idem, *serm. de Vita et mor. clericorum*, tom. V, part. II, col. 1568 et seq.)

CAPUT IX.

Nam de ministerio quod fit in sanctos, etc., usque ad *in omne opus bonum.* Ita jejuna, ut in alio te prandidisse gaudeas, etc., *usque ad* te dicat : Ecce adsum (Id., *tract. psal.* XLII, tom. IV, part. I, col. 482.)

Habet quamdam pinguedinem, etc., *usque ad* diligit Deus. (*Ibid.*, col. 756.)

Quidquid facis, etc., *usque ad* non facis. (Idem, *tract. psal.* XCI, tom. IV, part. II, col. 74 et seq.)

Sicut scriptum est. Dispersit, etc., usque ad *actionem Deo.* Quod oculus non vidit, etc., *usque ad* qui condidit sæcula. (Idem, *psal.* CXI, tom. IV, part. II, col. 1470.)

Quoniam ministerium hujus, etc., usque ad *dono ejus.* Quanta pinguedine sanctæ lætitiæ, etc., *usque ad* dedicarent. (Idem, lib. *de Opere Monac.*, tom. VI, col. 564.)

CAPUT X.

Ipse autem ego Paulus obsecro vos, etc., usque ad *sed quem Deus commendat.*

A Iste est Deus, etc., *usque ad* Christianos. (Id., *lib. de Consensu evangelistar.*, tom. III, part. I, col. 1053 et seq.)

CAPUT XI.

Utinam sustineretis, etc., usque ad *æmulatione.* Dicendo æmulor vos, quid nisi æmulationem, etc., usque ad *et non mirum.* (S. Aug., *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1583 et seq.)

Audi vocem zelantis. Zelo Dei vos, etc., *usque ad* quare zelas ? (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XIII, tom. III, part. I, col. 1498.)

Timeo, inquit, ne sicut serpens Evam, etc., usque ad *exhibere Christo.* Habet ergo hic sponsam quam, etc., *usque ad* prædixit. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* VIII, tom. III, part. II, col. 1452.)

B Omnis Ecclesia virgo appellata est. Diversa membra, etc., *usque ad* virginitatem. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* 13, tom. III, part. I, col. 1499.)

Paucarum est virginitas in carne, etc., *usque ad* Ecclesia. (Id., *tract. psal.* tom. IV, p. II, col. 1920.)

Nunc desponsata est Ecclesia, et virgo, etc., *usque ad* Apostolus. (Id., *lib. Quæst.* tom. VI, col. 47 et seq.)

Sponsus infans, de thalamo suo, etc., *usque ad* mentes. (Id., *serm. de nativit. Dom.*, tom. V, part. I, col. 1013.)

Timeo autem ne sicut serpens Evam, etc., usque ad *in Christo Jesu.* Quid est quod timet ? Ne virginitas sponsæ Christi, per astutiam diaboli corrumpatur. Timeo, inquit, ne sicut, etc., *usque ad* remanebit. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* VIII, tom. IV, part. II,
C col. 1452 et seq.)

Serpens ergo iste adulterans, etc., *usque ad* difficile videtur. (Id., *tract. psal.* XXXVIII.)

Per hæreticos timens Paulus ne ab eis, etc., *usque ad* ambulabit. (Id., *tract. psal.* XC, tom. IV, part. II, col. 1168.)

Nolite quæstiones mirari hominum, quæ serpunt, etc., *usque ad* est Deus. (Ibid., *psal.* XC, S. Aug. *Ex ser. quod tribus modis Christus intelligatur*, tom. V, part. II, col. 1496.)

Ille quidem serpens, id est ille error, etc., *usque ad* angelum lucis. (Id., *lib. contra Manichæos*, 2.)

In societate sanctorum angelorum, etc., *usque ad* quæratur. (Id., *lib. de Civ. Dei* 19, tom. VII, col. 635 et seq.)

D Magis opus est judicare, atque dignoscere etc., *usque ad* ambigit nemo (Id., *lib. Enchirid.*, tom. VI, col. 260.)

Periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis. Intelligendum est fuisse quosdam, qui cum vellent, etc., *usque ad* redigerent. (Id. *In expositione Epist. ad Galat.* tom. III, part. II, col. 2135.)

In fame et siti : in jejuniis multis : in frigore et nuditate. In commemoratione tribulationum ac laborum, etc., *usque ad* et dirigit. (Idem, *lib.* II *de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1996).

Præter illa quæ extrinsecus, etc., usque ad *eccle-*

siarum. Qui apponit scientiam, apponit dolorem. Ecce abundet, etc., *usque ad* quo posuerat. (Id., *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1268 et seq.)

CAPUT XII.

Cum homines a matribus concipiantur, etc., *usque ad* non uror. S. Aug. *in expositione Epist. ad Galat.* tom. III, part. II, col. 2132.)

Urunt quodammodo omnes tribulationes : sed aliud, etc., *usque ad* humiliationis. Idem, *lib. contra Manichæum.*)

Vasa figuli probat, etc., *usque ad* universa ossa? (Idem, *tract. psal.* CI, tom. IV, part. II, col. 1297.)

Damasci præpositus gentis, etc., usque ad *manus ejus.* Vidi in epistola Paulum fugientem. Per murum, etc., *usque ad* arguebat. (Id., *tract. Evang. secundum Joan.* IV, 6, tom. III, p. II, col. 1731 et seq.)

Scio hominem in Christo, etc., usque ad *homini loqui.* Erat enim hæc eorum consuetudo, qui sacras, etc., *usque ad* pertinebat. (Id., *tract. Evan. sec. Joan.* LXI, tom. III, part. II, col. 1800.)

Scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim, etc., *usque ad* facta sunt omnia. (Id., *lib. de Genesi ad litteram*, tom. III, part. I, col. 453 et seq.)

Movet quomodo ipsa Dei substantia videri, etc., *usque ad* concessam. (Id., *lib. ad Paulinam de videndo Deo*, tom. II, col. 610.)

Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Inter ipsos spiritales, etc., *usque ad* explicari. (Id., *tract. Evan. sec. Joan.* XXV.)

Nam et si voluero, etc., usque ad *dicam.* Dicat se dominum, etc., *usque ad* anima servi. (Id., *tract. Evan. sec. Joan.* LV, tom. III, part. II, col. 1793.)

Et ne magnitudo revelationum, etc., usque ad *carnis meæ.* Nempe hic agnoscitis Apostolum, etc., *usque ad* patria triumphantes. (Id., *serm. de ver. apost. ad Rom.*, tom. V, part. I, col. 835 et seq.)

Deus, inquiunt, potest omnia sanare. Hoc, etc., *usque ad* bona voluntate. (Id., *lib. de Natur. et grat.* tom. X, part. I, col. 262.)

Sollicitissime cavendum est in docendo superbiæ, etc., *usque ad* humiliata. (Id., epist. *ad Florentinum*, tom. II, col. 1090.)

Illud est vitium capitale, quod, etc., *usque ad* ut dicat. (Id., *tract. psalm.* LVIII, t. IV, part. I, col. 709.)

Cum enim infirmor, etc, usque ad *gravis nobis.* Nam hoc vitio ne et ipse tentaretur, etc., *usque ad* superbiæ. (*Ibid.*, col. 709 et seq.)

Exaltatio de abundantia gratiarum quam, etc., *usque ad* lippiens oculus. (Id., *tract. psalm.* CXXX, tom. IV, part. II, col. 1708.)

A De diaboli pœna futura: propheta commemorat, etc., *usque ad* sonantem. (Id., *tract. psalm.* XCVII, tom. IV, part. II, col. 1255.)

Quando infirmor, tunc potens sum. Novit Deus quid nobis expediat, etc., *usque ad* sanet ægrotum. (Id., *tract. Evang. sec. Joannem* VII, tom. III, part. II, col. 1443 et seq.)

Etiam temporibus hujus vitæ laboriosæ, etc., *usque ad* per dolorem. (Id., *lib. Genes. ad litteram*, tom. III, part. I, col. 289.)

Fideliter supplicans Deo, etc., *usque ad* parat veritas. (Id., *lib. Sentent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1876 et seq.)

Non enim quæro quæ vestra, etc., usque ad *parentes filiis.* Sindones fecit et vendidit. Bene quia, etc.,
B *usque ad* amictorium. (Id., *lib. Salomon*, tom. V, part. I, col. 230 et seq.)

Ego autem libentissime impendam et super impendar ipse, etc., usque ad *sint inter vos.* Perfecta charitas est : ut paratus sis mori pro fratre, etc., *usque ad* erat mori. (Id., *tract. Epist. Joan.* V, tom. III, part. II, col. 2014.)

Ne iterum cum venero humiliet, etc., usque ad *quam gesserunt.* Si jam de sanitate desperans, addis peccata peccatis, etc., *usque ad* æterna vitatur. (Id., *lib. de pœnitentia*, tom. V, part. II, col. 1548 et seq.)

Agunt enim homines ante baptismum pœnitentiam, etc., *usque ad* non cessamus. (Id., *epist. ad Seleucianam*, tom. II, col. 1086 et seq.)

CAPUT XIII.

C *Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum*, etc., usque ad *sed potens est in nobis.* Forte aliquis arbitratur quoniam non ipse, etc.. *usque ad* ejus auditur. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XLIV, tom. III part. II, col. 1135.)

Moris divinarum Scripturarum, etc., *usque ad* loquebatur. (Id., *tract. psal.* IV.)

Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, etc., usque ad *non sumus reprobi.* Talis enim erat susceptio quæ, etc., *usque ad* infirmitate carnis (Id., *lib. de Trinit.* I, tom. VIII, col. 840).

Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, etc., usque ad *cum omnibus vobis. Amen.* Intelligenda est enim gratia Dei per Jesum Christum, etc., *usque ad* dat Deus (Id., *lib. de Cor. et gra.*, tom. X, part. I,
D col. 917.)

Quod isti dicunt nos non debere, etc., *usque ad* Utrumque enim in Scripturis habes (Id., *serm. contr. Pelagianos*).

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ARGUMENTUM.

Galatæ sunt Græci. Hi verbum veritatis primum ab Apostolo acceperunt, sed post discessum ejus tentati sunt a falsis apostolis, ut in legem et circumcisionem verterentur. Hos Apostolus revocat ad fidem veritatis, scribens eis ab Epheso.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus non ab hominibus, neque per ho-

minem, sed per Jesum Christum, etc., usque ad *Evangelium Christi.* Priores sunt cæteri apostoli per Christum adhuc, etc., *usque ad* in cœlum (S. Aug., *lib.* I *Retractatio.*, tom. I, col. 622 et seq.).

Sed licet nos aut angelus, etc., usque ad *an Deo?* Prorsus admonitio beatissimi Apostoli, etc., *usque ad* recedit de via (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XCVIII, tom. III, part. II, col. 1884).

Nec ipse Apostolus voluit in se poni, etc., *usque ad* Donato (Id., *serm. de Kal. jan.*, tom. V, part. I, col. 1023).

Licet si nos, inquit. Et tu, Paule, potes, etc., *usque ad* amiserunt (Id., *tract. psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1387).

Et vovit Israel votum Domino, etc., *usque ad* suspendendo (Id., *lib. Quæst.*, *tit.* 40, *num.* 21).

An quæro hominibus placere? etc., usque ad *fratrem Domini.* Sunt homines qui putant sibi in bene vivendo sufficere, etc., *usque ad* infirmo fratri. (Id., *lib. de Ovibus*, tom. V, part. I, col. 301 et seq.)

Apostolus dicit : Si adhuc hominibus placerem, etc., *usque ad* fieri volo. (Id., *serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1271.)

Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Non vobis dicimus non nos jurare. Si enim hoc, etc., *usque ad* credebant. (Id., *serm. de verbis apostoli Jacobi*, tom. V, part. I, col. 977 et seq.)

Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ, etc., usque ad *clarificabant Deum.* Ut quid magnificabant Deum, si non Deus, etc., *usque ad* non fecerat. (Id., *epist. ad Vitalem*, tom. XI, col. 987.)

Luceant, inquit Dominus, opera vestra, etc., *usque ad* vivificavit Paulum. (Id., *serm. epist. Joan.* VIII, tom. III, part. II, col. 2037.)

CAPUT II.

Deinde post annos quatuordecim, etc., usque ad *aut cucurrissem.* Ipse apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo, etc., *usque ad* locutus audiatur. (S. Aug., lib. *contr. Faustum*, tit. 54.)

Non pro his autem rogo tantum, id est pro, etc., *usque ad* credit. (Id., *tract. Evan. sec. Joan.* CVI, tom. III, part. II, col. 1917.)

Proinde sic intelligamus quod, etc., *usque ad* a mortuis. (*Ibid.*, col. 1919.

De decem leprosis quos ita mundavit, cum, etc., *usque ad* monstrabat. (Id., *lib. Quæst. evang.* II, tom. III, part. II, col. 1334 et seq.)

Sed neque Titus qui mecum erat cum esset, etc., usque ad *hominis non accipit.* Et Timotheum propterea circumcidit, ne Judæis et, etc., *usque ad* damnari. (Id., *epist. ad Hieronymum*, tom. II, col. 280.)

Mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt. Sed econtra cum vidissent, etc., usque ad *hoc ipsum facere.* Dicit venisse se Hierosolymam, et, etc., *usque ad* discrepabat. (Id., *lib. Quæst. evang.*)

Cum autem venisset Petrus, etc., usque ad *simulationem.* Si hoc fecit Petrus quod facere debuit, etc., *usque ad* esse non posse. (Id., *epist. ad Hieronymum*, tom. II, col. 278 et seq.)

A In cujus sententiæ non consensionem sed simulationem, etc., *usque ad* sepulturæ violator. (*ibid.* col. 282.)

Ascribentibus auctoribus sanctarum Scripturarum, etc., *usque ad* Sacramenta tractare. (*Ibid.*, col. 285 et seq.)

Didicimus apostolum Petrum in quo *usque ad* provehitur. (Idem, *lib.* II *de Baptismo*, tom. IX, col. 127.)

Omnino tenendum in doctrina religionis nullo modo esse mentiendum. Ad ostendenda ergo, etc., *usque ad* redarguebat. (Idem, *lib.* c. *Mendac. ad Consent.*, tom. VI, col. 536 et seq.)

Et si tale aliquid ipse Paulus fecerat, etc., *usque ad* disputanti. (Idem, *epist. ad Hieronym.*)

B Illi qui se Christianos Nazarenos vocant, etc., *usque ad* remanserunt. (Idem, *lib.* VII *de Baptismo*, tom. IX, col. 225.)

Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores. Flamma combussit peccatores. Non est, etc., *usque ad* oneratos. (Idem, *tract. psal.* CV, tom. IV, part. II, col. 1412.)

Scientes autem quod non justificatur, etc., usque ad *constituo.* Non quia opera bona frustrantur, etc., *usque ad* impetrantur cætera. (Idem, *lib. ad Paulinum epis.*) *Ego enim per legem*, etc., usque ad *in me Christus.* Cognita Dei gratia quæ sola liberat a prævaricatione, etc., *usque ad* perimuntur. (Idem, *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1575 et seq.)

Audi Apostolum negantem se. Mihi, inquit, etc., *usque ad* in te. (Id., *serm. de ver. Evan. Galat.* 6.)

C *Quod autem non vivo*, etc., usque ad *pro me.* Apostolus dicit : Qui filio proprio non pepercit, sed, etc., *usque ad* invenimus. (Id., *tract. in Epist. Joan.* VII, tom. III, part. II, col. 2032 et seq.)

Non abjicio gratiam, etc., usque ad *mortuus est.* Quis ita sit surdus adversus apostolicas, etc., *usque ad* quod perierat. (Id., *lib. de Grat. et libero arbitrio*, tom. X, col. 890.)

Nemo in eo quod videtur habere glorietur, etc., *usque ad* ab eo. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1880.)

CAPUT III.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, etc., usque ad *ad justitiam.* Hic sane illa sententia ponitur, etc., *usque ad* circumcisus. (S. Aug. *lib. de Civ. Dei* XVI, D tom. VII, col. 500.)

Cognoscite ergo quia qui, etc., usque ad *vivet in illis.* Hoc dictum est ad Abraham, etc., *usque ad* videmus. (Id., *lib. contr. Faustum*, tom. VIII, col. 275.)

Impletum est quod promissum est Abrahæ, et ex, etc., *usque ad* et cœlum. (Id., *serm. de verb. Evangelii* XIV, tom. V, part. I, col. 727.)

Legimus justificari in Christo qui credunt, etc., *usque ad* ita dicitur. (Id., *lib. de Baptis. par.* tom. X, part. I, col. 115.)

Christus redemit nos, etc., usque ad *aut superordinat.* Secutus Apostolus dicit de Christo : Factus est pro nobis maledictum. Sicut non timuit, etc.,

usque ad sanabantur. (Id., *lib. contr. Faustum*, tom. VIII, col. 297 et seq.)

In prophetia dictum est. Maledictus omnis, etc., *usque ad* benedictio. (Id., *tract. psalm.* XXXVII, tom. IV, part. I, col. 411.)

Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Nunquid de genere venimus Abrahæ, etc., *usque ad* inseruit. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XXXVIII, tom. III, part. II, col. 1701.)

Non dicit et seminibus, etc., usque ad *qui est Christus.* Nisi Christus solus iret ad patrem, non diceret. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit, etc., *usque ad* unus est Christus. (Id., *serm. de ver. Evang.* LXI.)

Hoc autem dico testamentum, etc., usque ad *donavit Deus.* Apostolus cum Abrahæ laudaret, et commendaret, etc., *usque ad* mortem Joseph. (Id., *lib. Quæ. Exod.* tit. XLV, tom. III, part. I, col. 612.)

Quid igitur lex? etc., usque ad *unus est.* Cum exponerem, Quid ergo, etc., *usque ad* est gratia. (Id., *lib. retract.*, tom. I, col. 623.)

Lex prævaricationis gratia posita est, etc., *usque ad* addidit. (Id., *lib. de Perfectione justitiæ hominis*, tom. X, part. I, col. 315.)

Non angelus singulariter, sed omnino angeli dicuntur : per, etc., *usque ad* audiuntur. (Id. *lib.* III *de Trinit.*, tom. VIII, col. 885.)

Dominus noster Jesus Christus tanquam totus, etc., *usque ad* reficeret. (Id., *tract. psal.* XC, tom. IV, part. II, col. 1159 et seq.)

Quid ergo lex ? quasi quæ, etc., *usque ad* revelatum est. (Id., *serm. de verb. Apost.*)

Lex ergo adversus, etc., usque ad *justitia.* Opus est hoc gratiæ : quam qui accipiunt, etc., *usque ad* teneatur. (Id., *epist. ad Vitalem*, tom. II, col. 983.)

Lex enim sine gratia, littera sola est : manet, etc., *usque ad* extolleretis. (Id., *tract. psal.* LXX, tom. IV, part. II, col. 888.)

Putabamus nos facile justos esse posse, qua si viribus, etc., *usque ad* medicina. (Id., *tract. psal.* LXXXIII, tom. IV, part. II, col. 1064 et seq.)

Si enim data esset lex, quæ posset, etc., *usque ad* sanare se. (Id., *serm. de verb. Apost.* tom. V, part. I, col. 850.)

Bona est lex si quis ea legitime, etc., *usque ad* mortuus est. (*Ibid.*, col. 851.)

Quid fecit lex sine gratia, nisi magis, etc., *usque ad* ubi spes. (Id., *serm. de illuminatione cæci*, tom. V, part. I, col. 753.)

Sed conclusit Scriptura, etc., usque ad *credentibus?* Ex hac promissione, hoc, etc., *usque ad* sanandum fuit. (Id., *lib.* II *de Bapt. parv.*)

Si enim data esset lex quæ posset, etc., *usque ad* quæreret. (Id., *epist. ad Optatum episcopum*, tom. II, col. 859.)

Manifestatio, inquit, verborum tuorum, etc., *usque ad* clamares. (Id., *tract. psal.* CXVIII, tom IV, part. II, col. 1580 et seq.)

Prius autem quam veniret, etc., usque ad [illegible]

Certe enim ipsa est lex quæ subintravit, etc., *usque ad* peccati nostri. (Id., *Ex lib. cont. Faustum.* tom. VIII, col. 351 et seq.)

Omnes enim filii, etc., usque ad *neque femina.* De templo Dei, et quomodo accipiendum, etc., *usque ad* et piorum. (Id., *lib. de bap.* tom. IX, col. 193.)

Omnes enim apud eam vestiti sunt, etc., *usque ad* vestitus. (Id., *serm. lib. Salom. de muliere forti.*

Omnes enim vos, etc., usque ad *hæredes.* Unus est Christus, caput, et corpus docente, etc., *usque ad* adimplebat. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* CV.)

Cur ergo magnum volumus intelligi, etc., *usque ad* ejicientem. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* CXIX, tom. III, part. II, col. 1946 et seq.)

Omnibus in Christum credentibus, non solis, etc., *usque ad* Testamenti. (Id., *lib. de Grat. Nov. Test.* tom. II, col. 558.)

CAPUT IV.

Dico autem, quanto tempore, hæres, etc., usque ad *reciperemus.* Et nemo misit in illum manus : quia nondum, etc., *usque ad* fecerat. (Id., *tract. Evan. sec. Joan.* XXXI, tom. III, part. II, col. 1639.)

Quod ait, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, etc., *usque ad* dies salutis (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* CIII, tom. III, part. II, col. 1902 et seq.)

Filius quidem, non Pater, natus est de virgine Maria, etc., *usque ad* missus advenit. (Id., *serm. de Trin.*, tom. V, part. I, col. 357 et seq.)

Ecce quid est missum esse filium. Quæcunque propter, etc., *usque ad* æqualem. (Id., *lib. de Trinit.* IV, cap. 19, tom. VIII, col. 905.)

Emitte, inquit, illam de cœlis sanctis tuis, et mitte, etc., *usque ad* in gloria. (*Ibid.*, col. 907.)

Verbo itaque Dei ad unitatem personæ, etc., *usque ad* ipsa esset. (*Ibid.*, col. 909.)

Misit Deus Filium suum factum ex muliere, id est, etc., *usque ad* ad Deum. (Id., *tract. psal.* XXXI, tom. IV, part. I. col. 269.)

Interrogamus apostolum et dicit nobis, quoniam non sumus, etc., *usque ad* Jesus Christus. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* III, tom. III, part. II, col. 1397, et seq.)

Misit itaque Deus Filium suum factum ex muliere, etc., *usque ad* hominum. (Id., *lib. de Gra., Nov. Test.*, tom. II, col. 542.)

Neque enim absurde dicitur quisque non carne, etc., *usque ad* ostendit. (Id., *lib. de Cons. evangelist.* II, tom. III, part. I, col. 1073.)

Adoptionis nomen plurimum, etc., *usque ad* adoptio vocatur. (Id., *lib. contr. Faustum, tit.* 7.)

Quoniam autem estis filii Dei, etc., usque ad *per Deum.* Misit spiritum Filii sui clamantem : Abba pater, id est, etc., *usque ad* clamemus. (Id., *lib. de Cor. et gratia.*)

Aliquis forsitan quærat utrum et a Filio procedat, etc., *usque ad* habet Patre. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* C, tom. III, part. II, col. 1888.)

Sed tunc quidem, etc., usque ad *serviebatis.* Naturam filium esse dixisti. Non ergo pater, etc., *usque*

ad verum negetis. (Id., *lib. contr. Maximi.* II, tom. VIII, col. 758.)

Nunc vero cognoscentes, etc., usque ad *servire vultis*? Sic in sancto apparui tibi, ut viderem potentiam tuam, etc., *usque ad* apparere Deus, (Id., *tract. psal.* LXII, tom. IV, part. I. col. 754.)

Cum enim dicitur quod nos cognoscit, Deus cognitionem, etc., *usque ad* fit bonus. (Id., *lib. de Grat. Nov. Testam.*, tom. XVII, col. 574 et seq.)

Dicitur Deus cognovisse, quod ut, etc., *usque ad* cognosceretur effecit. (Id., *lib. de Civ. Dei* XXII.)

Sicut recte dicitur Deus facere quidquid, etc., *usque ad* donaverat. (Id., *lib. de Gen. ad litt.* IV, tom. III, part. I, col. 302 et seq.)

Dies observatis, et menses, etc., usque ad, *nihil me læsistis.* Sunt quædam quæ levissima putarentur, etc., *usque ad* talibus ait. (Id., *lib. Enchir.* tom. VI, col. 270.)

Non itaque dies observemus, et annos, et menses, etc., *usque ad* et annis. (Id., *lib. ad Jannuar.* II, tom. II, col. 210 et seq.)

Scitis autem quia, etc., usque ad *neque respuistis.* Aliud est induci in tentationem, aliud est, etc., *usque ad* antequam fiant. (Id., *lib.* II *de Serm. Domi. in monte*, tom. III, part. I, col. 1282.)

Sed sicut angelum Dei accepistis me, sicut Christum Jesum. Quia ipse loquitur in sanctis suis, etc., *usque ad* corpus suum. (Id., *ser de Kal. Januar.*, tom. V, part. I, col. 1023 et seq.)

Arguuntur quidam, quia cum lac consumerent, et lanis, etc., *usque ad* Jesu Christi. (Id., *lib. de Past. Ezec.* XXXIV, tom. V, part. I, col. 213 et seq.)

Ubi est ergo beatitudo vestra? etc., usque ad *apud vos.* Cur enim fieri non posset, etc., *usque ad* per justitiam, (Id., *lib. ad epist. contr. Gaudentium*, tom. IX, col. 727.)

Filioli mei quos iterum parturio, etc., usque ad *Legem non legistis*? Alienati sunt peccatores a vulva. A quadam vulva alienati sunt peccatores, etc., *usque ad* quam suo. (Id., *lib. psal.* LVII, tom. IV, part. I, col. 678.)

Scriptum est enim, quoniam Abraham, etc., usque ad *dicta.* Uterque quidem de semine Abrahæ, sed illum, etc. *usque ad* natus Isaac. (Id., *lib.* II *de Civ. Dei*, tom. VII, cap. 2 et 3, col. 438.)

Nostis duos filios Abraham habuisse, quos quidem, etc., *usque ad* ventilari. (Id., *tract. psal.* CIX, tom. IV, part. II, col. 1603.)

Forte quis putat ingenio fieri, etc., *usque ad* significent quærere, (Id., *lib. contr. Faust. lib* XII, tom. VIII, col. 273 et seq.)

In populo enim Judæorum figuratus, etc., *usque ad* in cœlo. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* II. tom. III, part. II, col. 1479.)

Unum quidem in monte, etc., *usque ad* litteræ. (Id., *serm. de verb. apost.*)

Quamvis in Veteri Testamento propter, etc., *usque ad* revelatum. (Id., *lib. contr. inimicum legis et prophetarum*, tom. VIII, col. 622 et seq.)

Unum quidem in monte, etc., *usque ad filiis suis.* In illo testamento, quod proprie Vetus dicitur, etc., *usque ad* ministraverunt. (Id., *lib. de Gestis Pelagii*, tom. X, part. I. col 328.)

Hierusalem cœlestis quæ sursum est, mater, etc., *usque ad* æternam. (Id., *tract. psal.* CXV, tom. IV, part. II, col. 1193 et seq.)

Est autem sicut nostis, vox ascendentium, Quod nisi ad illam, etc., *usque ad* debeamus. (Id., *tract., psal.* CXXV, tom. IV part. II, 1656 et seq.)

Nos autem, fratres, secundum, etc., usque ad *ita et nunc.* Testamentum Vetus ad Judæos proprie pertinet. Etenim, etc., *usque ad* superbiam. (Id., *serm. de Agar et Hismaele*, tom. V, part. I, col. 32 et seq.)

CAPUT V.

State, et nolite iterum, etc., usque ad *a gratia excidistis.* Primis Christianis qui ex Judæis crediderunt, donec, etc., *usque ad* perdurant. (Id., *lib. contr. Faustum.* tom. VIII, col. 357 et seq.)

Ecce ego Paulus, etc., usque ad *proderit.* Decepit ergo Timotheum, et fecit, ut nihil, etc., *usque ad* deserenda. (Id., *epist. ad Hieronym.* tom. II, col. 284 et seq.)

Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. Hæc est fides ex qua justus vivit, hæc, etc,, *usque ad* Deo dicitur. (Id., *lib. de Spir. et litt.* tom. X, part. I, col. 237.

Nam in Christo Jesu, etc.,usque ad *sicut te ipsum.* Multi enim dicunt Credo : sed fides sine operibus, etc, *usque ad* hoc es. (Id., *tract. in epist. Joan.* X, tom. III, col. 2054 et seq.)

Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed, etc., *usque ad* gloria tua. (Id., *serm. de verb. Ap.* XVI, tom. V, part. I, col. 865 et seq.)

Ut autem habitet Spiritus sanctus, etc., *usque ad* traxerit eum. (Id., *epist. ad Sixt. presbyterum.* tom. II, col. 878.)

Maledicta cum ex prophetia dicuntur, non sunt, etc., *usque ad* cœlorum, (Id., *lib. contr. Faust. tit.* 16. tom. VIII, col. 330.)

Quod fieri non potest, etc *usque ad* salutem. (Id., *lib. de Serm. Domini in monte.*

Si ergo vos filius liberaverit, tunc, etc., *usque ad* id agamus. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XLI, tom. III, part. I, col. 1692 et seq.)

Quod si invicem, etc., usque ad *consumamini.* Quid est mordetis, etc., *usque ad* consumamini. (Id., *tract psal.* LXXII. *Serm. Decalogi ad populum.*

Dico autem in Christo, etc., usque ad *illa faciatis.* Non ait, non feceritis : quia ea non habere non, etc., *usque ad* concupiscimus. (Id., *lib. contr. Julianam.* III, tom. X, part. I, col. 733 et seq.)

Dico autem : Spiritu ambulate, et concupiscentias, etc., *usque ad* continuo addidit. (Id., *serm. de verb. apostoli*, tom. V. part I, col. 715 et seq.)

Neque enim nullum est vitium, cum sicut, etc. *usque ad* pertrahamur. (Id., *lib. de Civ. Dei.* XIX. tom. VII, col. 629.)

A Hoc autem bellum nunquam ullum esset, si natura, etc., *usque ad* permittere. (Id., *lib. de Civ. Dei*, XXI, tom. VII, col. 729 et seq.)

Apostolus Jacobus ait : Unusquisque autem, etc., *usque ad* pugna erit. (Id., *serm. de contr.Jacob.* I, *psal.* XL.)

Verissime ac veracissime scriptum est, etc., *usque ad* non obeditur. (Id,, *lib. de Gen. ad litteram*, om. III, part. I, col. 416 et seq.)

Diligenda est etiam ipsa dilectio, etc., *usque ad* nisi bona dilectio ? (Id., *tract. psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1521.)

Est amor quo amatur, et qnod amandum, etc., *usque ad* vivimus. (Id., *ex lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1870 et seq.)

Quandiu vitiis repugnatur, etc., *usque ad* premuntur imperio. (*Ibid.*, col. 1873.)

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege· Magna mihi videtur quæstio, quid sit esse sub, etc., *usque ad*, peccarem. (Id., *epist. ad Hieron.*, tom. II col284 et seq.)

Caro, inquit, concupiscit adversus, etc., *usque ad* libertatis. (Id., *lib. de Nat. et grat.*)

Manifesta autem sunt opera, etc , usque ad *non consequentur*. Cum multis modis quos perscrutari et colligere, etc., *usque ad* loqueretur, (Id., *ib. de Civ. Dei* XIV, c, 23, tom. VII,, col. 404 et seq.)

Potest nobis si frumenta dominica, etc., *usque ad* alienus sit. (Id., *lib.* IV *de Baptismo*, tom. XI, col. 170 et seq.)

Qui non solum diabolo, etc., *usque ad* in regno. (Id,, *lib de Civ. Dei*, XX.)

Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Non qui adversus talia confligunt : sed, etc., *usque ad* sed postea. (Id., *tract psal.* CXLIII, tom. IV, part. II, col. 1859.)

Fructus enim spiritus est, charitas, gaudium, pax,longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia. Adversus hujus modi non est lex. Quod adjunxit, ut quodcumque, etc., *usque ad* efficitur bonus. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* LXXXVII, tom. III, part II, col. 1852 et seq.)

Qui autem sunt Christi, carnem, etc., usque ad *invidentes*. Congruit nostræ devotioni, etc., *usque ad* Deo placentem. (Id., *serm. de Quadrages.*, tom. V, part. I, col. 1039.)

Hæc est hominis vita beata,atque tranquilla, etc., *usque ad* concupiscentis. (Id., *lib. contr. Manich.* I.)

CAPUT XV.

Fratres, et si præoccupatus fuerit, etc., usque ad *tu tenteris*. Quæritur inter peccatum et delictum quæ sit, etc., *usque ad* comprehensa sunt. (Id., *lib.Quæst. Levit. tit.* 28, tom. CXV, part. I, col. 68 et seq.)

Scimus autem quia lex spiritalis est, ego, etc., *usque ad* sic est. (Id., *serm. de verb. apost.*, tom. V, part. I, col. 836.)

Si præoccupatus fuerit homo in, etc., *usque ad* compatientis affectu. (Id., *epist. ad S. Hieron.*, tom. II, col. 288.)

Alter alterius onera portate, et sic adimpletis legem Christi. Sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua, etc., *usque ad* portantur (Id., *lib. de Cons. evang.*, II., tom. III, part. I, col. 1112 et seq.)

Alia sunt onera in quibus unusquisque, etc., *usque ad* peccatorum. (Id., *serm. de verb. apost.*, tom. V, part. I, col. 896.)

Quia Veteris Testamenti custodia timorem, etc., *usque ad* erigat, (Id., *lib.* LXXXIII *Quæs.* tom VI, col. 80 et seq.)

Ille languidus grabato portabatur, sanatus autem, etc., *usque ad* proximum tuum. (Id., *tract. Evang. sec. Joan* , XVII, tom. III, part. 2, col. 1532.)

Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Audi Psalmum, etc., *usque ad* legem
B Christi (Id. *serm. de Epist. Joan.*, I, tom. III, part. II, col. 1987.)

Qui portant invicem onera sua nisi qui habent, etc., *usque ad* ait Apostolus. (Id., *tract. psal.* CXXIX, tom. IV, part. II, col. 1698 et seq.)

Nam si quis existimat se aliquid esse cum mihil sit, ipse se seducit. Neque enim prorsus nulla res est homo de quo ait Apostolus. Qui se putat aliquid, etc., *usque ad* sanitatem. (Id. *tract. Evang. sec. Joan.*, CII, tom. III, part. II, col. 1896.)

LLaudans invoca Dominum, et ab inimicis tuis salvus eris. Quia quod ipse Dominus : Sacrificium laudis, etc., *usque ad* audi Apostolum. (Id., *serm. de verb. Apo.* XII.)

Opus autem suum probet unusquisque : et sic in se-
C *metipso*, etc., usque ad *æternam*. Stulti et qui sibi placent tanquam de, etc., *usque ad* glorietur. (Id., *lib. de Grat. Novi Testa.*, tom. II, col. 574.)

Et nos quidem de sanctæ virginis disciplina et humilitate, etc., *usque ad* anima ejus. (Id., *epist. ad Julianum*, tom. II, col. 852.)

Bonum enim facientes, etc., usque ad *non deficientes*. Sane quædam quamvis in nomine, etc,, *usque ad* metemus. (Id., *tract., Evang. sec. Joan.* VII, IV, tom, III, part. II, col. 1825 et seq.)

Semen futuræ messis opera esse misericordiæ, etc., *usque ad* valeat ? (Id., *tract. psal.* CXI, tom. IV, part. II, col. 1468.) [illegible]

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce, etc., usque ad *nova creatura*. Dilexerunt enim gloriam ho-
D minum magis, etc., *usque ad* diligat. (Id., *tract., Evang. sec. Joan*, V, 3, tom. III, part. II, col 1780.)

Ibat ergo ad locum ubi fuerat crucifigendus, etc., *usque ad* ferebat. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* II, tom. III, part. II, col. 1945 et seq)

Fiat pax in virtute tua, etc., *usque ad* in Deo. (Id. *tract. psalm.* CXXI, tom. IV, part. II, col 1628.)

In quantum Dei sapientiam per quam facta sunt, etc., *usque ad* morientem. (Id., *lib.* II *de Trinitate*, tom. VIII, col 864.)

Cum viderimus eum sicuti est, jam transiet peregrinatio, etc., *usque ad* erubescamus. (Id. *serm. de ver. apost.* 20, tom. V, part. I, col 181.)

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Poterat dicere, etc., *usque ad* defixit. (Id., *Item ex eodem sermo.*, tom. V, part. I, col 875.

Gloriemur ergo et nos, etc, *usque ad* collocavimus (Id., *serm. de Pas. Dom.*)

A *Et quicunque hanc regum*, etc., usque ad *fratres Amen.* Novimus quidem Israel, etc., *usque ad* convincunt. (Id., *lib. adver. Judæos.*)

Super Israel magnificentia, etc., *usque ad* in semine. (Id., *tract. psal.* LXVII.)

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

ARGUMENTUM.

Ephesii sunt Asiani. Hi, accepto verbo veritatis, persisterunt in fide. Hos collaudat Apostolus scribens eis Roma de carcere per Tychicum diaconum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei sanctis omnibus qui sunt Ephesi, et fidelibus, etc., usque ad *Evangelium salutis vestræ recepistis.* Elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem, etc., *usque ad* novatio Dei. (S. Aug., *lib. de Prædestinatione sanctorum*, tom. X, part. I. col. 986 et seq.)

Ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus. Hoc agitur ut hoc simus, si immaculati intelligendi, etc., *usque ad* posset. Id. *lib de Perf. justit. hominis*, tom X, part. I, col. 312.)

Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt in ipso. Quæ in sanctis angelis et virtutibus Dei est, etc., *usque ad* renovantur. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 260 et seq.)

In quo etiam sorte vocati sumus. Sortem dicit gratiam qua, etc., *usque ad* essetis. (Id., *tract psal.* XXXIV, tom. IV, part. I, col. 246 et seq.)

Prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Prædestinati secundum propositum qui operatur, etc., *usque ad* quod ait. (Id., *lib. de Præd. sanctorum*, tom. X, part. I, col. 988.)

In quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Diffusa est enim Charitas Christi in cordibus, etc.. *usque ad* sufficit nobis. Id., *scr. de visione Dei*, tom. V. part. I, col. 158 et seq.

Propterea et ego audiens, etc., usque ad *pro vobis.* Deo gratias agit Apostolus pro his qui, etc, *usque ad* judicetur. (Id. *lib. de Præd. sanct.* tom. X, part, I, col. 989.)

Hoc et gratiarum actio indicat, quod, etc., *usque ad* et ab eis. (Id., *epist. ad Vitalem*, tom. II, col. 988 et seq.)

Memoriam vestri faciens in orationibus, etc., usque ad *in agnitionem ejus*, Patrem propterea etiam Deum esse Unigeniti, etc., *usque ad* de tuo. Id., *lib. cont. Maxim.* I, tom. VIII, col. 749.)

Illuminatos oculos cordis, etc., usque ad *in nos qui credidimus.* Redi, redi : tolle te a corpore. Corpus, etc,, *usque ad* ubi vides. (Id., *tract. Evan. sec. Joan.* XVIII, tom. III, part. II, col. 1541 et seq.).

Secundum operationem potentiæ, etc., usque ad *sub pedibus ejus.* Nec eos audiamus qui negant ad dexteram Patris sedere, etc., *usque ad* esse positurum. (Id., *lib de Ago. Christian.* tom. VI, col. 305.)

Et ipsum dedit caput, etc., usque ad *adimpletur.*

B Nullum majus donum præstare posset Deus, etc. *usque ad* Deus noster (Id., *tract. psal.* CXLVIII, tom. IV part. II, col. 1081.)

CAPUT II.

Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus, etc., usque ad *cogitationum.* Nubilosus iste aer ad abyssum pertinet, ubi nubes, ubi, etc., *usque ad* mundi sit. (Id., *tract. psal.* CXLVIII, tom. IV, part, II, col. 1343.)

Hæc autem potestas tenebrarum, id est diabolus, qui etc., *usque ad* vivificantis. (Id., *epist. ad Vital*, tom. II, col. 982.

Misit, inquit. in eos iram indignationis suæ : indignationem et iram, etc., *usque ad* vindicaret. (Id., *tract. psal.*. LXXVII, tom. IV., part. I, col. 1001 et

C seq.)

Vere sibi consulit qui Deum judicem cogitat, apud quem, etc., *usque ad* vincebat. (Idem, *serm. in natali S. Cypriani*, tom. V. part. I, col. 1411 et seq.)

Cum tales nos interrogaverunt in, etc., *usque ad* de illis operetur. (Id., *tract. psal.* CXLVIII, tom. IV, part. II, col. 1640 (*sensu mystico*).

Et eramus natura filii iræ sicut et cæteri. Qui autem incredulus est Filio, non videbit, etc., *usque ad* hominem. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XIV, tom. III, part. II, col. 1510.)

Genus humanum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas, etc., *usque ad* inolevit. (Id., *tract. Evang. sec. Joan.* XLIV, *de illuminat. cæci nati*, tom. III, part. II, col. 1715 et seq.)

D Tenebatur itaque justa damnatione genus, etc., *usque ad* accepit. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 248 et seq.)

Ipsa est ira tua, Domine, in Adam, etc., *usque ad* natus est. (Id., *tract. psal.* CII, tom. IV, part. II, col. 1331.

Natura nobis facta est pœna. Ex vindicta, etc., *usque ad* dubitemus. (Id., *tract. psal.* XXXVII, tom. IV, part. I, col. 391.)

Vindicta enim primi, etc., *usque ad* præbetur gratia (Id., *tract psal.* LII.)

Qualis sine vitio primitus, etc., *usque ad* cæteri. (Id., *lib.* I *retract.* tom. I, col. 600.)

Deus autem qui dives, etc., usque ad *Christo Jesu*. Quod hic dixit, Convivificavit nos Christo, etc., *usque ad* sequitur et dicit. (Id., *lib. contr. Faustum*, tom. VIII, col. 252.)

Ut ostenderet in supervenientibus, etc., usque ad *Christo Jesu*. In cœlo ergo nos futuros esse promisit, etc., *usque ad* non dubitat. (Id., *tract. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1926.)

Gratiam enim salvati estis, etc., usque ad *quis glorietur*. Non quia bona opera ista pia cogitatione frustrantur, etc., *usque ad* ex Deo est. (Id., *lib. ad Bonifacium pap. urb.*, tom. X, part. I, col. 584 et seq.)

Cum dixisset, Gratia salvi facti, etc., *usque ad* ambulemus. (Id., *lib. de Grat. et liber, arbit.*, tom. X, part. I, col. 891 et seq.)

Scriptum est, quia sumpsit Deus limum de terra, etc., *usque ad* ambulemus; (Id., *tract. psal.* CXLIV, tom. IV, part. II, col. 1875 et seq.)

Quomodo quisquam de libero arbitrio in bono, etc., *usque ad* creaverat Deus. (Id., *lib Enchir.*, tom. VI, col. 247.)

Gratia salvi facti estis per fidem : et hoc non ex vobis : sed Dei, etc., *usque ad* damnes. (Id., *serm. de verb. apost.* XV, tom. V, part. I, col. 916 et seq.)

Ipsius enim sumus factura : creati in Christo, etc., usque ad *in sanguine Christi*. Prædestinatio est gratiæ præparatio : gratia vero, etc., *usque ad* effectus. (Id., *lib. de Prædest. sanctorum*, tom. X, part. I, col. 974 et seq.)

Ille itaque operetur hominem bonum, etc., *usque ad* in nobis. (Id., *lib. de Genes. ad litteram*, tom. III part. I, col. 385.)

Annuntiat firmamentum. Quid, etc., *usque ad* ipsi nos. (Id., *tract. psal.*. XVIII, tom. IV, part. I, col. 159.)

Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque, etc., usque ad *in semetipso*. Lapis quem reprobaverunt ædificantes factus est in caput anguli, etc., *usque ad* lapidem reprobantes. (Id., *lib. adver. Judæos*, tom. VIII, col. 60.)

Et veniens evangelizavit, etc., usque ad *his qui prope*. Quos dixit qui erant prope? Judæos, quia unum, etc., *usque ad* longe est. (Id., *tract. psal.* LXXXIV, tom. IV, part. II, col. 1077.)

Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Et ad Romanos ubi similis quæstio, etc. *usque ad* Abba pater (Id., *lib. Serm.*, tom. V, part. I, col. 857 et seq.)

Ergo jam non estis hospites, etc., usque ad *domestici* Dei. Duas in toto mundo civitates faciunt duo amores, etc., *usque ad* deinde sit civis. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1877.)

Superædificati super fundamentum apostolorum, etc., usque ad *in spiritu Sancto*. Fundamenta ejus in montibus sanctis. Qui sunt, etc., *usque ad* ædificium. (Id., *tract. psal.* LXXXVI, tom. IV, part. II, col. 1101 et seq.)

Sicut non absurde dicimus fundamenta cœli qui A bus, etc., *usque ad* verba eorum. (Id., *tract. psal.*, tom. IV, part. II, col. 1049 et seq.)

CAPUT III.

Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus : si tamen audistis, etc., usque ad *qui omnia creavit*. Habet Deus in semetipso absconditas quorumdam factorum, etc., *usque ad* dat Deus. (S. Aug. *lib.* IX *de Genes. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 406 et seq.

Ut innotescat principibus et, etc., usque ad *per fidem ejus*. Non sane propter inferiorum scientiam nuntiis, etc. *usque ad* dictum est. (Id., *lib.* V *de Genes. ad litt.*, tom. III. part. I, col. 334 et seq.)

Propter quod peto ne deficiatis, etc., usque ad *per fidem in cordibus vestris*. Consonant omnes divinæ B lectiones, ut spem non in, etc., *usque ad* det vobis. (Id., *serm. de eisdem verb. avo.*. tom. V, part. I, col. 909 et seq.)

In charitate radicati et fundati, etc., usque ad *profundum*. Quid pergis corde, homo Christiane, per latitudinem, etc., *usque ad* crucis est. (Id., *Ex eodem serm. 7, de eisdem verb. Apostoli*, tom. V, part. I, col. 904 et seq.

Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Fides in nobis, Christus in nobis, etc., *usque ad*. Ego sum veritas. (Id., *tract. in Joan.* L, tom. III, part. II, col. 1762 et seq.)

Et cum loquebatur, etc., *usque ad* orandum est. (Id., *tract. psal.* IV, tom IV, part. I, col. 80.)

Nunc enim dicitur homini: Tolle crucem tuam et C etc., *usque ad* profundum. (Id., *lib. ad Januarium* I, tom. II, col. 215 et seq.

Charitas in commune magis, quam in privatum consulens : dicitur, etc., *usque ad* eis dicatus. (Id., *lib. de Grat. Nov. Test.*, tom. II, col. 564 et seq.)

Non enim frustra talem mortem, etc., *usque ad* plenus Deo. (Id., *serm. in basilica Tricilar.*, tom. V, part. VII, col. 371 et seq.

Pennæ animarum quæ sunt, nisi quibus sursum, etc., *usque ad* ventorum (Id., *tract. in psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1347.)

In charitate radicati et fundati : ut possitis, etc. usque ad *sæculi sæculorum. Amen.*

Ego hæc verba apostoli Pauli sic intelligere soleo. In latitudine, etc., *usque ad* plenitudine, Dei. (Id., *lib. ad Paulinam de vivendo Deo*, tom. II, col. 611.)

D

CAPUT IV

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, etc., usque ad *invicem in charitate*. Sic ergo dilectissimi diligite otium, ut vos ab omni, etc., *usque ad* vobiscum. (*epist. ad Eudoxium*, tom. II, col. 188 et seq.)

Solliciti, etc., usque ad *vinculo pacis*. Ecclsia accepit hoc donum, ut in Spiritu sancto fiat remissio peccatorum, etc., *usque ad* potati sumus. (Id., *serm. de blas. Spir. sanct.* tom. V, part. I, col. 454 et seq.

Unum corpus, etc., usque ad *spe vocationis vestræ*,

Ideo Spiritus sanctus omnium gentium linguis se A demonstrare dignatus est, etc., *usque ad* de forma gloriaris. (Id., *serm.* 1 *in Pentecost.*, tom. V, part. I, col. 1232.)

Unus Dominus, etc., usque ad *in omnibus nobis.* Aliud sunt ea quæ creduntur: aliud fides qua creditur, etc., *usque ad* prævidet voluntatem. (Id., *lib.* XIII *de Trinit.*, tom VIII, col. 1016 et seq.)

Unicuique, etc., usque ad *mensuram donationis Christi.* Quid est hoc? Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, etc., *usque ad* non ad mensuram accipit. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom III, part. II, col. 1508.)

Propter quod dicit, etc., usque ad *ut adimpleret omnia.* Ad ipsum Dominum locutione conversa, etc., *usque ad* quid manifestius? (Id., *tract. in psal.* LXVII, B tom. IV, part. 1, col. 829 et seq.)

Procul dubio Spiritus sanctus donum Dei est, etc., *usque ad* omnes prophetæ, etc. (Id., *lib.* XV *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1084 et seq.)

Et ipse dedit quosdam etc., usque ad in *ædificationem corporis Christi.* De prophetis quod ait Apostolus, Quosdam quidem dedit Deus in ecclesia apostolos, etc., *usque ad* duobus nominibus amplexus est. (Id., *lib. ad Paulin. episc.*, tom. II, col. 635.)

Quosdam autem pastores, etc., usque ad *corporis Christi.* Ut enim exordio generis humani de latere viri dormientis costa, etc., *usque ad* quod est Ecclesia. (Id., *lib.* I *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 778 et seq.)

Hæc est domus, quæ sicut Psalmus canit, ædificatur, etc., *usque ad* accepit in hominibus. (Id., C *lib.* XV *de Trinit.*, tom VIII, col. 1085.)

Donec occurramus omnes, etc., usque ad *ad circumventionem erroris.* Quod ait Apostolus, occursuros nos omnes in virum perfectum, etc., *usque ad* ætatis plenitudinis Christi. (Id., *lib.* XXII *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 777 et seq.)

Veritatem autem facientes, etc, usque ad *in ædificationem sui in charitate.* Ecce qui est vir perfectus, caput et corpus, etc., *usque ad* in omnibus impletur. (Id., *ibid.*, col. 776 et seq.)

Hoc igitur dico, etc., usque ad *habentes intellectum.* Omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, etc., *usque ad* qui intelligunt illuminantur. (Id., *tract. in psal.* XLI. tom. IV, part. I, col. 465.)

Alienati a vita Dei etc., usque ad *et ipso edocti* D *estis.* Et anima humana secundum quemdam modum dicitur immortalis, etc., *usque ad* videat lumen. (Id., *serm. de symb.*, tom. V, part I, col. 1059.)

Sicut non est a carne, sed supra carnem, etc., *usque ad* et in tenebrosa demergitur. (Id., *lib. Sent. Prosp.* tom. X, part. II, col. 1873, 1877, 1878.)

Sicut est veritas, etc., usque ad *desideria erroris.* Neque enim, ut nonnulli putant. etc., *usque ad* cum proximo suo. (Id., *lib. de Passione Domini*, tom. V. part. II, col. 1724.)

Renovamini, etc., usque ad *sanctitate veritatis.* Cum dixisset ad imaginem nostram, statim subjunxit, etc., *usque ad* mentis illuminatæ. (Id., *lib.* III *de Gen ad litt.* tom. III, part. I, col. 292.)

Qui vero commemorati convertuntur ad Dominum, etc., *usque ad* non ipsa quæ renovatur. (Id., *lib.* XIV *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1053 et seq.)

Propter quod deponentes, etc., usque ad *sumus invicem membra.* Nemo cogitet cum Christiano loquendam veritatem, et cum pagano mendacium, etc., *usque ad* habere mereatur. (Id., *ex serm. contra mendacium*, tom. VI, col. 519 et seq.)

Irascimini et nolite peccare. Si propterea irasceris servo tuo quia peccavit, etc., *usque ad* peccare desinite. (Id., *tract. in Psal.* IV, tom. IV, part. I, col. 80.)

Legebam, irascimini et nolite peccare, etc., *usque ad* non peccarem? (Id., *lib.* IX *Confes.* tom. I, col. 767.)

Dictum est in Psalmo: Irascimini et nolite peccare, etc , *usque ad* et ille ignoscit. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 649.)

Sol non occidat super iracundiam vestram. Intelligitur quidem et secundum tempus, etc., *usque ad* cum iracundia tua. (Id., *tract. in psal* XXV, tom. IV, part. I, col. 189.)

Nulli irascenti videtur sua ira injusta, etc., *usque ad* celeriter ignoscit. (Id., *lib. Sent. Prosp.* tom. X, part. II, col. 1887.)

Si irasci non est fas fratri suo: aut dicere, etc., *usque ad* super iracundiam vestram. (Id., *lib. de Serm. Dom. in monte*, tom. III, part I, col. 1242.)

Turbatus est ab ira oculus meus, etc., *usque ad* non sinitur. (Id., *tract. in psal.* VI, t. IV, part. I, col. 95.)

Supercecidit ignis et non viderunt solem, etc., *usque ad* non est ortus in nobis. (Id., *tract. in psal.* LVII, tom. IV, part. I, col. 688.)

In sacramento dictum accipitur, etc., *usque ad* super iracundiam hominis. (Id., *serm. de psal.* XXV, tom. IV, part. I, col. 189 et seq.)

Nolite locum dare, etc., usque ad *det gratiam audientibus.* In abscondito te Dominus Jesus Christus jussit orare, etc., *usque ad* in gehenna ignis. (Id., *tract. in psal.* XLI, tom. IV, part. I, col. 466 et seq.)

Deus tentat ut doceat diabolus tentat. etc., *usque ad* foris triumphant. (Id., *serm. de tentatione Abraham*, tom. V, part. I, col. 29.)

Et nolite contristare, etc., usque ad *in diem redemptionis.* Sicut recte dicitur Deus facere quidquid ipso in nobis operante fecerimus, etc., *usque ad* bona opera fecerimus. (Id., *lib.* IV *de Genes.*, *ad litt.* tom. III, part. I, col. 302 et seq.

Omnis amaritudo, etc., usque ad *in Christo donavit vobis.* Blasphemia est per quam, etc., *usque ad* de ipso Deo falsa dicuntur. (Id., *lib. contra Mendacium*, tom. VI, col. 545 et seq.)

CAPUT V.

Estote ergo imitatores Dei, etc., usque ad *gratiarum actio.* Traditus est propter delicta nostra: et

dilexit Ecclesiam, etc., *usque ad* iste nostræ redemptionis. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan*, tom. III. part. II, col. 1459.)

Nosse debetis, et intelligere *usque ad* nominibus nuncupantur. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, col. 1875 et seq.)

Hoc enim scitote, etc., usque ad *in filios diffidentiæ*. Positurus est enim oves ad dexteram, etc., *usque ad* manifestet cogitationes cordis. (Id., *lib. de Pœnitentia*, tom. V, part. II, col. 1544 et seq.)

Cum manifestissimum sit multo gravius peccare scientem, etc., *usque ad* et Dei. (Id., *lib.* IV *de Baptismo*, tom. IX, col. 158,)

Nolite ergo effici, etc., usque ad *justitia, et veritate*. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino etc., *usque ad* ibi non addidit in Domino. (Id., *lib. de Perfect. vitæ hominis*, tom. X, part, I, col. 307 et seq.)

Et terra nostra antequam acciperet formam doctrinæ, etc., *usque ad* sponso unico tuo. (Id., *lib.* XIII *Confess.*, tom. I, col. 850 et seq.)

Et vidit Deus lucem quia bona est, etc., *usque ad* boni estote. (Id., *serm. de vig. Paschæ*, tom. V, part. I, col. 1092.)

Quemadmodum in ipsis corporibus, ea quæ inferiora sunt, etc., *usque ad* lux in Domino. (Id., *lib. de Grat, Nov. Testam.*, tom. II, col. 562).

Probantes quid sit, etc., usque ad *turpe est et dicere*. Nemo ante tempus deserat aream. Toleret paleam in tritura, toleret in area, etc., *usque ad* neque superbientes ut insultanter arguatis (Id., *serm. de verb. apost.*, tom. V, part. I, col. 899 et seq.)

Omnia autem, etc., usque ad *lumen est*. Hoc est judicium: quoniam lux venit in mundum, etc., *usque ad* quod in se odisset ostenderit. (Id., *tract. in Evang. sec, Joan.*, tom. III, part. II, col. 1491.)

Propter quod dicit, etc., usque ad *illuminabit te Christus*. Somnus animæ, est oblivisci Deum suum, etc., *usque ad* illuminabit te Christus. (Id., *tract. in psal.* LXII, tom. IV, part. I, col. 750).

Nisi enim ad mortuos suscitandos Dominus venisset, etc., *usque ad* in sepulcro. (Id., *serm.* 44 *de verb. Evang.* tom. V, part. I, col. 1194 et seq.)

Videte itaque, fratres, etc., usque ad *in quo est luxuria*. Dies malos duæ res faciunt, malitia et miseria, etc., *usque ad* tempus redimas. (Id., *serm.* 50, *hom.* 10, tom. V, part. I, col. 909 et seq.)

Sed implemini, etc., usque ad *in cordibus vestris Domino*. Ambulantes ergo in Christo, et adhuc peregrinantes, etc., *usque ad* mutus est Deo. (Id., *tract. in psal.* LXXXVI, tom. IV, part. I, col. 1108.)

Gratias agentes, etc., usque ad *in timore Christi*. Ab hoc uno et vero Deo vitam speramus æternam, etc., *usque ad* satis esse contenderint. (Id., *lib.* VII *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 220 et seq.)

Mulieres viris suis subditæ, etc., usque ad *diligite uxores vestras*. Nolite mœchari post uxores vestras, etc., *usque ad* ad caput Ecclesiæ Christum. (Id., *serm. de decem chordis*, tom. V, part. I, col. 83 et seq.)

A *Sicut et Christus*, etc., usque ad *in verbo vitæ*. Dictum est de Domino in Evangelio: Baptizabat Jesus plures quam Jonnes, etc., *usque ad* non est baptismus. (Id., *tract.* 15 *in Evang. sec Joan.*, tom. III, part. II, col. 1511 et seq.)

Ut exhiberet ipse etc., usque ad *seipsum diligit*. Superexaltat autem misericordia judicis, etc., *usque ad* significavit in triduo. (Id., *lib. de Perf. justi hom.*, tom. X, part. I, col. 310.)

Ipse est enim finis, ut nihil duplici corde faciamus, etc., *usque ad* mundam et simplicem. (Id., *lib. de Serm. Dom. in monte*, tom. III, col. 1288 et seq.)

Lavabis me, id est mundabis: et super nivem dealbabor. Et si fuerint peccata vestra ut fœnicium, etc., *usque ad* mundatum. (Id., *tract. in psal.* L,
B tom. IV, part. I, col. 593.)

Vestis sacerdotalis Ecclesiam significat, etc., *usque ad* rugam non habeant (Id., *tract. in psal.* CXXXII, tom. IV, part. II, col. 1734.)

Exhibete ergo vos dignum corpus tali capite, etc., *usque ad* in Christo Jesu. (Id., *serm. quod tribus mod. Christ. intel.*, tom. V, part. II, col. 1500 et seq.)

Nemo enim unquam, etc., usque ad *et de ossibus ejus*. Cum de sancta dilectione præciperet, etc., *usque ad* foventes carnem suam. (Id., *lib.* XXI *contr. Faust.*, tom. VIII, col. 392.)

Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, etc., *usque ad*. consuetudinis bonæ (Id., *lib. de Doct. Christian.*, tom. III, part. I, col. 28.)

Caro diligitur quidem nec tamen proprie, etc.,
C *usque ad* sunt omnia. (Id., *lib.* I *Retract.*, tom. I, col. 617.)

Propter hoc relinquet, etc., usque ad *timeat virum suum*. Illa extasis quam Deus immisit in Adam, etc., *usque ad* dicere potuisse. (Id., *lib.* IX *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 408.)

Neque enim dixit frustra Apostolus: Adam qui est forma futuri, etc., *usque ad* corpus esse possemus. (Id., *lib.* XII *contr. Faust.*, tom. VIII, col. 258.)

Quantum mysterium de Christo continet, etc., *usque ad* forma futuri. (Id., *tract. in Evang. sec Joan.*, tom. III, part. II, col. 1463.)

Ut noveritis quia unus dicitur Christus caput et corpus suum, etc., *usque ad* quia erunt duo in carne una. (Id., *tract in psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 232.)

D Sic ergo aliquando insinuantur in Scripturis Christus, etc., *usque ad* unus Christus est. (Id. *serm. quod trib. mod. Christ. intellig.* tom. V, part. II, col. 1500 et seq.)

Dominus noster Jesus Christus Salvator sedens ad dexteram Patris, etc. *usque ad* nos creatura. (Id., *tract, in psal.* CXXXVIII, tom. IV, part. III, col. 1784 et seq.)

Omnes fideles quid audiunt ab Apostolo? Vos autem estis corpus Christi, et membra ex parte, etc., *usque ad* sponsa in corpore. (Id.. *serm. de ver. Evang.* tom. V, part. I, col. 570 et seq.)

Reliquit Patrem cum dixit: Ego a Patre exivi, etc.,

usque ad et Ecclesiam corpus ejus. (Id., *lib. contr. Manich.*, tom. III, part. I, col. 215 et seq.)

CAPUT VI.

Filii, obedite parentibus, etc., usque ad *et correptione Domini.* Ad duo præcepta, id est ad dilectionem Dei et proximi, etc., *usque ad* cantate canticum novum. (Id., *lib. De decem chordis*, tom. V, part. I, col. 80 et seq.)

Servi, obedite dominis, etc., usque ad *potentia virtutis ejus.* Prima servitutis causa peccatum est, etc., *usque ad* immortalitate felicibus. (Id., *lib.* XIX *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 643 et seq.)

Ordinavit enim sic Deus Ecclesiam, etc., *usque ad* subditi erant etiam domino temporali. (Id., *tract. in psal.* CXXXIV, tom. IV, part. II, col. 1750 et seq.)

Nam si servus non ex animo tibi serviat, etc., *usque ad* cum bona voluntate. (Id., *tract. in psal.* LXX, tom. IX, part. II, col. 1037 et seq.)

Induite vos armaturam Dei, etc., usque ad *et in omnibus perfecti stare.* Nunquid homines solos habet inimicos Ecclesia? etc., *usque ad* principem potestatis aeris hujus. (Id., *tract. in psal.* CXVII, tom. IV, part. II, col. 1496.)

Intelligendi sunt inimici pro quibus orandum sit, etc., *usque ad* et vincitis. (Id., *tract. in psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 248.)

Docemur iniquos nosse, contra quos invisibiliter dimicamus, etc., *usque ad* migra ad lucem. (Id., *tract. in psal.* LXXXIV, tom. IV, part. II, col. 107 et seq.

Diabolus et angeli ejus in Scripturis sanctis manifesti sunt, etc., *usque ad* lux in Domino. (Id., *tract. in psal.* LIV, tom. IV, part. I, col. 830.)

Non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc., *usque ad* omnino non possunt. (Id., *tract. in psal.* LV, tom. IV, part. I, col. 649 et seq.)

Habemus hostes invisibiles, etc., *usque ad* tenebrarum harum. (Id., *tract, in psal.* CXII, tom. IV, part. II, col. 1475 et seq.

Præliorum et bellorum genera commemorare for- A tasse longum est, etc., *usque ad* qui non existentem fecit te. (Id., *tract. in psal.* CXLIII, tom. IV, part. II, col. 1858 et seq.)

Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc., *usque ad* invisibilem vincis credendo. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 434 et seq.)

Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc., *usque ad* de sinu matris lucis orate. (Id., *serm. de vigil. Paschæ*, tom. V, part. I, col. 1091.)

Venit enim princeps mundi hujus, etc., *usque ad* virgo pepererat. (Id., *tract.* 79 *in Evang.*, *sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1838.)

Contra spiritalia nequitiæ in spiritalibus. Cum diabolus jam misisset in cor, etc., *usque ad* adjuta per B gratiam. (Id., *tract.* 55 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1786.)

Quia vero et ipsi mali angeli non a Deo sunt conditi, etc., *usque ad* in filiis diffidentiæ. (Id., *lib. de Natura boni*, tom. VIII, col. 561 et seq.)

State ergo succincti, etc., usque ad *Evangelii pacis.* Stola prima est dignitas, etc., *usque ad* tangenda terrena. (Id., *lib.* I, *Quæst. evang.*, tom. III, part. II, col. 1346.)

Marcus dicendo calciari apostolos, etc., *usque ad* innitatur. (Id., *lib.* II *de Consen. Evang.*, tom. III, part. I, col. 1090.)

In omnibus, etc., usque ad *ignea exstinguere.* Neque enim melius potest intelligi quod dictum est Deo, etc., *usque ad* transfigi non sint. (Id., *lib. de Doctr. Christ.*, tom. III, part. I, col. 79 et seq.)

C *Et galeam salutis*, etc., usque ad *consolentur corda vestra.* Sermo ergo Dei gladius bis acutus, etc., *usque ad* verax inventus est. (Id., *tract. in psal.* CXLIX, tom. IV, part. II, col. 1955 et seq.)

Pax fratribus, etc., usque ad *in incorruptione. Amen.* Pax, inquit, fratribus et charitas cum fide, etc., *usque ad* nisi Dei dona. (Id., *lib. de Gra. et lib. arb.*, tom. X, part. I, col. 905.)

Non tamen qusniam fides datur priusquam postuletur ab illo cui datur, etc., *usque ad* non habentibus poscimus dari. (Id., *lib, de Dono persev.*, tom. X, part. II, col. 1021.)

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

ARGUMENTUM.

Philippenses sunt Macedones. Hi accepto verbo veritatis perstiterunt in fide: nec receperunt falsos apostolos. Hos collaudat apostolus, scribens eis a Roma de carcere per Epaphroditum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Timotheus servi, etc., usque ad *Domino Jesu Christo.* Sicut sunt duo timores qui faciunt duo genera timentium, etc., *usque ad* quasi non acce- D perit. (Id., *tract.* 85 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1849.)

Gratias ago Deo, etc., usque ad *verbum Dei loqui.* Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incipit, etc., *usque ad* opera nihil valemus. (Id., *lib. de Grat. et lib. arb.*, tom. X, part. I, col. 961.)

De mundo, inquit, non sunt, sicut et ego non sum de mundo, etc., *usque ad* veritas et vita. (Id., *tract.* 108 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1915.)

Quidam quidem, etc., usque ad *suscitare vinculis meis*. Sunt in Ecclesia quidam præpositi,etc.,*usque ad* inter mercenarios remanere. (Id., *tract.* 46 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1729 et seq.)

Etiam per mercenarios vocem audite pastoris,etc., *usque ad* Christus annuntietur.(Id., *ibid.*, col. 1751.)

Possunt isti maledicti potius calumniatores,etc., *usque ad* non de turpitudine vitiorum. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 429 et seq.)

Notissimum esse arbitror sanctitati vestræ quod ait Apostolus, etc., *usque ad* non credunt esse quæ dicunt. (Id., *tract. in psal.* CXV, tom. II, part. II, col. 1490 et seq.)

Fuerunt enim etiam temporibus apostolorum qui veritatem non veritate, etc., *usque ad* prius negetur. (Id., *lib. contra Mendacium*, tom. VI, col. 527.

Tres personas dixit Dominus, et debemus illas investigare in Evangelio, etc., *usque ad* bonum paratum. (Id., *serm.* 49 *de verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 756 et seq.)

In se autem reversus dixit : Quanti mercenarii patris mei abundant panibus, etc., *usque ad* perceperunt mercedem suam. (Id., *lib. Quæst. in Evang.*, tom. III, part. II, col. 1345.)

Quid enim dum omnimodo, etc., usque ad *mori lucrum.* Audi quales commemorat Apostolus falsos fratres,etc., *usque ad* homicida est. (Id., *tract.* 5 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1424.)

Videmus istos, etc., *usque ad* diffametur. (Id., *lib. contra Petil.*, tom. IX, col. 314.

Quod si vivere, etc., usque ad *collaborantes fidei Evangelii.* Cum verba propria faciunt ambiguam scripturam,etc., *usque ad* necessariam propter vos, (Id., *lib.* III *de Doctrina Christiana*, tom. III, part. I, col. 65 et seq.)

Hæc enim quæ nunc agimus,etc.,*usque ad* justus et fide vivit. (Id., *lib. ad Jan.*, tom. II, col. 216.)

Intret ante conspectum tuum gemitus compeditorum, etc., *usque ad* gemitus eorum. (Id., *tract. in psal.* LXXVIII, tom. IV, col. 1019.)

Corpus nostrum ornamentum nobis fuit,etc., *usque ad* quibus ministraret. Id., *tract. in psal.* CXLV, tom. IV, part. II, col. 1896.)

Manere, inquit, in carnem necessarium propter vos. Compellor autem, etc., *usque ad* justus judex. (Id., *tract. in psal.* XCIII, tom. IV, part. II, col. 1207 et seq.)

Et in nullo terremini, etc., usque ad *audistis de me.* Vobis, inquit, donatum est pro Christo, etc., *usque ad* dixit esse donatum. (Id.,*lib. de Grat. et lib. arbitr.*, tom. X, part. I, col. 897.)

Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, etc., *usque ad* ut pateretur pro eo. (Id., *lib. de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 962.)

CAPUT II.

Si qua ergo consolatio, etc., usque ad *id ipsum sentientes.* In hoc cognoscimus, sicut dicit apostolus Johannes, etc., *usque ad* in vinculo pacis. (Id., *serm. de blas. Spir. sanct.*, tom. V, part. I, col. 461.)

Nihil per contentionem, etc., usque ad *quod et in Christo Jesu.* Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus,etc., *usque ad* onera nostra portemus. (Id., *lib. Quæst.*, tom. VI, col. 81 et seq.)

Qui cum in forma Dei,etc.,usque ad *formam servi accipiens.* Hinc ergo magis quærebant eum Judæi interficere, etc., *usque ad* formam servi accipiens. (Id., *tract.* 7 *in Evang. sec. Joannem*, tom. III, part. II, col. 1535.)

Non ergo exinanivit amittens quod erat, etc., *usque ad* Christus occisus est. (Id., *tract. in Evang. secundum Joannem*, tom. III, part. II, col. 1836 et seq.)

Christus Dei Filius est et Deus homo, etc., *usque ad* Dominus noster Jesus Christus. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 249 et seq.)

Nam si temporalibus et passibilibus Deus tribuit, etc., *usque ad* Deus Christus. (Id., *epist. ad Maximin.*, tom. VIII, col. 797 et seq.)

Deus quem genuit, etc., *usque ad* infirmus est. (S. August., *lib. Quæst.* 83, tom. VI, col. 31.)

Si potuit et noluit, invidus est. Ex quo conficitur, etc., *usque ad* non degenerando ab æquali. (Id., *tract. in psal.* LXXIV, tom. IV, part. I, col. 949 et seq.)

Qui cum in forma Dei esset, etc., *usque ad* a quo genitus est. (Id., *tract. in psal.* CXXVI, tom. IV, part. II, col. 1671.)

Et hæretici quidem dicunt minorem Filium esse quam Pater est, etc., *usque ad* esse creatura. (Id., *lib. de Trin.*, tom. VIII, col. 829 et seq.)

Pater ergo et Filius unum sunt, etc., *usque ad* de substantia ejus dicuntur. (Id., *lib. de Trin.*, t. VIII, col. 926 et seq.)

Cuinam enim rapina erat esse æqualis Deo, etc., *usque ad* nos divites facit. (Id., *lib. ex Verb. apostol.* tom. V, part. I, col. 1213 et seq.)

In principio erat Verbum. Et ideo in principio fecit Deus cœlum et terram, etc., *usque ad* in carne venisse. (Id., *serm. de ejusd. apost. verbis*, tom. V, part. I, col. 990.)

Vide quantus factus sit tantillus, etc., *usque ad* factus est homo. (Id., *serm. in nat. sancti Joannis Baptistæ*, tom. V, part. I, col. 1321.)

Venit aliquis et accepit aliquid, etc., *usque ad* quod ostendit. (Id., *ex serm. de Paulo apostolo*, tom. V, part. I, col. 1279 et seq.)

Dicit Joannes. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Audite jam utrumque in illo notissimo capitulo, etc., *usque ad* formam servi accipiens. (Id., *ex sermone de tribus modis*, tom. V, part. II, col. 1095.)

Ipse est Christus et factor et factus. Vide factorem. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, etc., *usque ad* quis enarrabit. Id., *serm. de verbis Evangelii*, tom. V, part. I, col. 1149 et seq.)

Assumpta autem carne qua factus est homo sicut æqualem se novit, etc., *usque ad* major est Pater. (Id., *lib.* I *contr. Maximinum*, tom. VIII, col. 747.)

Si enim confiteris Dei formam, etc., *usque ad* esse non potuit inæqualis. (Id., *ibid.*, col. 747 et seq.)

Quoniam cum in forma Dei esset, non rapinam, etc., *usque ad* omnino procedere. (Id., *serm. de disceptatione contra Pascentium,* tom. II, col. 1042 et seq.

Qui cum in forma Dei esset, etc., *usque ad* mutatam divinitatem. (Id., *lib. de Gratia Novi Testamenti,* tom. II, col. 543.)

In similitudinem, etc., usque ad *ut homo.* Habitus in ea re dicitur quæ nobis ut habeatur accidit, etc., *usque ad* diceretur illa susceptio. (Id., *lib. Quæst.*, tom. VI, col. 84 et seq.)

Humiliavit, etc., usque ad *mortem autem crucis.* Discite, inquit, a me. Cum essem in principio Deus apud Deum, creavi vos, etc., *usque ad* et ego reficiam vos. (Id., *serm.* XII *de Verbis apostolorum,* tom. V, part. I, col. 898.)

Intelligens ergo Pater effusionem, etc., *usque ad* in cordibus nostris charitatem. (Id., *serm. in natali sancti Laurentii,* tom. V, part. I, col. 1396.)

Creator hominis homo esse dignatus est, etc., *usque ad* si crucifigeretur. (Id., *tract.* 36 *in Evang. secundum Joannem,* tom. III, part. II, col. 1664 et seq.)

Propter quod et Deus, etc., usque ad *in gloria est Dei Patris.* In passione magis ejus humilitas quam claritas commendatur, etc., *usque ad* sine fine semper est claritas. (Id., *tract.* 104 *in Evang. sec. Joannem,* tom. III, part. II, col. 1903.)

Propter quod Deus eum exaltavit, etc., *usque ad* Filius unigenitus Dei. (Id., *lib. contr. Maximin.*, tom. VIII, col. 759.)

Novimus Christum sedere ad dexteram Patris post resurrectionem a mortuis, etc., *usque ad* scabellum pedum tuorum. (Id., *tract. in psal.* CIX, tom. IV, part. II, col. 1450 et seq.)

Dicitis vos Christum colere, etc., *usque ad* de Deo natus æqualis. (Id., *lib.* II *contr. Maximin.*, tom. VIII, col. 759.)

Quod dicit Jacob ad Joseph quod est somnium, etc., *usque ad* et infernorum. (Id., *lib. Quæst. Gen. tit.* CXXIII, t. III, part. I, col. 581 et seq.)

Itaque charissimi mei, etc., usque ad *pro bona voluntate.* Quando jubet ut operentur, etc., *usque ad* qui operatur in vobis. (Id., *lib. de Grat. et lib. arb.*, tom. X, part. I, col. 894.)

Audi vocem Apostoli. Cum timore, inquit, etc., *usque ad* auferatur superbo. (Id., *tract. in psal.* LXV, tom. IV, part. I, col. 789.)

Mirum est autem quod prædicato Christo crucifixo, etc., *usque ad* ne sicceris. (Id., *serm. de ver. Evang.* tom. V, part. I, col. 730.)

Nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos, etc., *usque ad* in Domino glorietur. (Id., *lib. de Cor. et grat.*, tom. X, part. I, col. 925 et seq.)

Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate, etc., *usque ad* detur totum Deo. (Id., *lib. de Bono Persev.*, tom. X, part. II, col. 1013.)

Proprium quippe arbitrium, etc., *usque ad* magnitudinem continentiæ. (Id., *epist. ad Jul.*, tom. II col. 851 et seq.)

Quomodo dicis quod audio dicere : ut recte credamus in Deum, etc., *usque ad* viam ejus volet. (Id., *lib. de Bono Persev.*, tom. X, part. II, col. 1012 et seq.

Omnia autem facite, etc., usque ad *et congratulamini mihi.* Similitudo de luminaribus data est ad sanctos, ut, etc., *usque ad* per figuram liber legis. (Id., *tract. in psal.* XCIII, tom. IV, part. II, col. 1193 et seq.)

Qui numerat multitudinem stellarum, etc., *usque ad* jam numerat Deus. (Id., *tract. in psal.* CXLVI, tom. IV, part. II, col. 1904.)

Sicut stellas cœli non exstinguit nox, etc., *usque ad* mundana iniquitas. (Id., *lib. Sent. Prosp.*, tom. X, part. II, col. 1869.)

Spero autem in Domino, etc., usque ad *erga meum obsequium.* Inter mercenarios pastor ingemuit, etc., *usque ad* inter mercenarios remanere. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1739.)

CAPUT III.

De cætero, fratres, etc., usque ad *vobis autem necessarium.* Dixisse quidem Apostolum scimus ad Philippenses : Eadem, etc , *usque ad* mihi molestus sit. (S. Aug. *lib de Præd. sanct.*, tom. X, part. I, col. 959 et seq.)

Videte canes : videte malos operarios : videte concisionem. Canes appellavit non ratione, sed consuetudine, etc., *usque ad* innocentibus irritentur. (Id., *lib. de Grat. Nov. Testam.* tom. II, col. 555.)

Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo. Maxime in illo loco satis claret quod Spiritus sanctus non sit creatura, etc., *usque ad* in corpore vestro. (Id., *lib. de Trin.* tom. VIII, col. 827 et seq.)

Audistis dicentem Apostolum Paulum. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritui Dei servimus, etc., *usque ad* quam cursor præter viam. (Id., *serm. de ed lect.*, tom. V, part. I, col. 915 ad 926.)

Circumcisus octava die. In veteribus sacramentis circumcisio parvulorum, etc., *usque ad* post septimum octavus est. (Id., *epist. ad Hilar. mon.*, tom. II, col. 680.)

Nec moveat quod ait secundum justitiam quæ in lege est, etc., *usque ad* secundum spem vitæ æternæ. (Id., *lib. ad Bonifacium, pap. Urb.*, tom. X, part. I, col. 558.)

Propter quem omnia, etc., usque ad *justitia in fide.* Hoc ergo Judæorum Paulus destruxerat quod malum habebant, etc., *usque ad* quod in Petro reprehenderat, (Id., *epist. ad Hier.*, tom. II, col. 156.)

Quid est, Non habens meam justitiam, quæ ex

lege est, etc., *usque ad* non sunt subjecti. (Id., *lib. de Grat. et lib.arb.*,tom.X, part. I, col.895 et seq.)

Qui præcepta legis implere se putat per arbitrium, etc.,*usque ad* deputantur in semine. (Id.,*lib.* II *contr. Jul.*, tom. X, part. II, col. 1209.)

Suscitat a terra pauperem, etc.,*usque ad* opulentos ille inops. (Id., *lib.* XVII *de Civ. Dei in expos. Cantic. Annæ*, tom. VIII, col. 530.)

Non quod jam acceperim, etc., usque ad *comprehensus sum a Christo Jesu.*Notum mihi,fac, Domine, finem meum.Finem illum dicit, etc.,*usque ad* delectationem Domini. (Id.,*tract. in psal.* XXXVIII, tom. IV, part. I, col. 417.)

Nemo fidelium, etc., *usque ad* usque in finem. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1878.)

Nova vita in fide, etc., *usque ad* non arbitror apprehendisse. (Id., *lib.* II *ad Jan.*, tom. II, col. 217.)

Ecce distentio est vita mea : et me suscepit dextera tua, etc., *usque ad* nec prætereuntem (Id., *lib.* XII *Confes.* tom. I, col. 825.)

Fratres ego me non arbitror,etc.,usque ad *perfecti hoc sentiamus.*Ipse confitetur nondum se accepisse, etc., *usque ad* justitiæ imitatores. (Id., *lib.de Spir. et litt.*, tom. X, part. I, col. 241 et seq.)

Tota vita Christiani boni secundum desiderium est, etc.,*usque ad* ab amore sæculi. (Id.,*serm. epist. Joan* , tom. III, part. II, col. 2008 et seq.)

Fratres,ego meipsum non arbitror apprehendisse, etc., *usqne ad* donavit. (Id., *tract.in psal.*XXIX, tom. IV, part. I, col. 434 et seq.)

Præterita, quæ jam post tergum oportet ponere, etc., *usque ad* quæ ducit ad vitam. (Id., *tract. in psal.* LVII, tom. IV, part. col. 681 et seq.)

Quantumcunque hic vixerimus, etc., *usque ad* gloriaris. (Id., *tract. in psal.* LXX, tom. IV, part. I, col. 873.)

Omnia quæ temporis fine clauduntur, etc., *usque ad* appetitio est æternorum. (Id., *tract. in psal.* LXXXII, tom. IV, part. II, col. 1143.)

Cui tanta revelabantur quid ait, etc., *usque ad* dat gratiam. (Id., *tract. in psal.* CXXX, tom.IV, part. II, col. 1714 et seq.)

Quærite,inquit,Deum : et vivet anima vestra,etc., *usque ad* in his veritas exquirenda. (Id., *lib.* IX *de Trin.*, tom. VIII, col. 959 et seq.)

Justitia secundum quam justus ex fide vivit,etc., *usque ad* illam non assequitur. (Id., *lib. Sent. Prosperi*,tom. X, part. II, col. 1886.)

Quotquot ergo perfecti sumus,hoc sapiamus,etc., *usque ad* præceptis ostenderetur. (Id., *lib. de Perf. just.hom.*, tom. X, part. I, col. 300 et seq.)

Et si quid, etc., usque ad *permaneamus regula*. Si in quo pervenimus,in eo ambulemus, etc.,*usque ad* quod hic non potuimus. (Id.,*tract.* LIII *in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1777.)

Beatus Apostolus eos alloquens, qui sibi jam videbantur perfecti esse, etc., *usque ad* relinquere fundamentum. (Id., *tract.* 98 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1884.)

A *Multi enim ambulant*, etc.,usque ad *qui terrena sapiunt.* Hoc ab homine colitur quod Deus diligit, etc., *usque ad* ut colatur. (Id., *lib.Sent. Prosp.*, tom. X, part. II, col. 1879.)

Nostra autem conversatio, etc., usque ad *subjicere sibi omnia.*Sic quomodo hic sum,quandiu hic sum, etc., *usque ad* in illa quæ desiderat. (Id., *tract. in psal.* XXXVIII, tom. IV, part. I, col. 421.)

In cœlo sunt oves quibus pastor vita est, etc., *usque ad* et cor tuum. (Id., *tract. in psal.* XLVIII, tom. IV, part. I, col. 556.)

Te decet hymnus,inquit, Deus.Sed ubi ? in Sion, etc., *usque ad* non abripi in saxa. (Id., *tract. in psal.* LXIV, tom. IV, part. I, col. 774.)

CAPUT IV.

B *Itaque, fratres mei,etc.*,usque ad *gaudete.* Gaudere nos Apostolus præcipit,sed in Domino,etc.,*usque ad* nihil solliciti fueritis. (Id., *apost. serm. de verb. Evang.* tom. V, part. I, col. 934 et seq.)

Non potest unquam fraudari, etc., *usque ad* lætatur æterno. (Id., *lib. sent. Prosp.*, tom. X, part. II, col. 1867.)

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Omnia quippe bona opera amant in luce constitui, etc., *usque ad* pariter appareret. (Id., *epist. ad Marcellin.*, tom. II, col. 510.)

Dominus enim prope est. Etsi super omnes cœlos ascendit corpore, etc., *usque ad* prope est. (Id., *tract.in psal.* XLVI, tom. IV, part. I, col. 528.)

Nihil solliciti sitis, etc.,usque ad *innotescant apud Deum.* Non sic accipiendum est, tanquam Deo in- C notescant, etc., *usque ad* claritatis Dei. (Id., *lib. ad Prob. de orando Deo*, tom. II, col. 501.)

Ab omnia quippe scienda quæ scit, sufficit sibi illa perfectio, etc., *usque ad* nostra dissimilis. (Id., *lib.de Trinit.* tom. VIII, col. 1075.)

Annuntiabitur Domino generatio ventura.Quod non sic accipiendum est, etc., *usque ad* sapiens efficitur. (Id., *lib.de Grat. Novi Testam.*, tom. II, col. 568.)

Et pax Dei, etc., usque ad *Christo Jesu Domino nostro.*Quantum est,aut quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam, etc., *usque ad* nomine nuncupamus. (Id., *lib.* XXII *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 796 et seq.

Pax ista præcellit omnem intellectum : sed utique nostrum, etc., *usque ad* pax ejus excellit. (Id., *lib.* D *Enchir.*, tom. VI, col. 561 et seq.)

De cætero, fratres, etc., usque ad *Deus pacis erit vobiscum.* Sanctorum conversatio cauta etiam debet esse, etc., *usque ad* et bonam famam. (Id., *lib. ad Julianam de sanct.vit.*, tom.VI, col. 448 et seq.)

Gavisus sum, etc., usque ad *occupati autem eratis.*Vere terra fructuosa, cui gaudet Apostolus, etc., *usque ad* quadam aruerant. (Id., *tract. in psal.* XLIX, tom. IV, part. I, col. 573.)

Dicebamus enim eos terræ fructibus significari, etc., *usque ad* qui confortas eum. (Id., *lib.* XLIII *Confes.*, tom. I, col.862 et seq.

Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis,

etc., *usque ad* sed perpetuo retineri. (Id., *lib.* I *Quæst. evang.*, tom. III, part. II, col. 1337 et seq.)

Scitis autem et vos, etc., usque ad *in usum mihi misistis.* Ad bona opera eos redisse nunc gaudet, etc., *usque ad* sequitur dicens. (Id., *lib.* XIII *Confes.*, tom. I, col. 863.)

Non quia requiro, etc., usque ad *cum spiritu vestro. Amen.* Didicit a te Deus meus inter datum et fructum discernere, etc., *usque ad* unde lætatur. (Id. *ibid.*)

A Accipete psalmum, et date tympanum. Accipite et date, etc., *usque ad* reddite manus vestras. (Id., *tract. in psal.* LXXX, tom. IV part. II, col. 1035 et seq.)

Ipse Apostolus datum non quærebat, etc., *usque ad* ne vos inanes remaneatis. (Id., *lib. de Past.*, t. V, part. I, col. 272.)

Non quia quæro datum, sed inquiro fructum, etc., *usque ad* ab eo quærebatur. (Id., *lib.* II *de Serm. Domini in monte*, tom. III, part. I, col. 1271.)

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

ARGUMENTUM.

Colossenses, et hi sicut et Laodicenses sunt Asiani, et ipsi præventi erant a pseudoapostolis. Nec ad hos accessit ipse Apostolus : sed et hos per epistolam corrigit. Audierant enim verbum ab Archippo, qui ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus jam ligatus scribit eis ab Epheso per Tichycum diaconum, et Onesimum Acolytum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi, etc., usque ad *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Tunica illa Domini desuper texta, etc., *usque ad* tibi sors est. (Id., *tract. in psal.* XXX, tom. IV, part. I, col. 246 et seq.)

Qui eripuit nos, etc., usque ad *filii dilectionis suæ.* Quisquis hæc legis, et gratiam Dei, etc., *usque ad* libera nos a malo. (Id., *tract. in psal.* CV, tom. IV, part. II, col. 1416 et seq.)

Non ait autem, meum regnum non est hic, sed non est hinc, etc., *usque ad* non hinc (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. IV, part. II, col. 1939, et seq.)

Si charitas qua Pater diligit Filium suum, etc., *usque ad* est genitus. (Id., *lib.* XV *de Trin.*, tom. VIII, col. 1082 et seq.)

Si charitas qua Pater diligit Filium suum, etc., *usque ad* est genitus. (Id., *lib.* XX *de Trin.*, tom. VIII, col. 1082 et seq.)

Si vere volumus defendere liberum arbitrium, etc. *usque ad* in adoptionem filiorum. (Id., *epist. ad Vital.* tom. II, col. 281 et seq.)

In quo habemus, etc., usque ad *imago Dei invisibilis.* Non est difficile videre diabolum victum, etc., *usque ad* non spiritus. (Id., *lib.* XIII, *de Trin.*, tom, VIII, col. 1028 et seq.)

Ad quemdam modum erit homo imitator Dei velut imago, etc. *usque ad* imaginem regis. (Id., *lib. De decem chordis*, tom. V, part. I, col. 82.)

In tribus primis præceptis decalogi, quæ ad Deum pertinent, etc., *usque ad* sed cum illo. (Id., *lib.* II, *ad Jan.*, tom. II, col. 213.)

Primogenitus omnis creaturæ, etc., usque ad *omnia in ipso constant.* Secundum formam Dei dictum est, Ante omnes colles genuit me, etc., *usque ad* caput

B corporis Ecclesiæ. (Id., *lib.* II *de Trin.*, tom. VIII, col. 857.)

Fides catholica quæ inter Creatorem creaturamque distinguit, etc., *usque ad* omnia reconciliari in ipsum. (Id., *lib. contr. Secund.*, tom. VIII, col. 381 et seq.)

Et ipse est caput, etc., usque ad *ipse primatum tenens.* Aliud est sapientem tantum fieri per sapientiam Dei, etc., *usque ad* rectissime dicitur. (Id., *lib. de Agon Christian.*, tom. VI, col. 301 et seq.)

Totus Christus secundum Ecclesiam, id est caput et corpus prædicatur, etc., *usque ad* civitas Regis magni. (Id., *serm. quod trib. modis Christ. intell.*, tom. V, part. II, col. 1499 et seq.)

Non igitur mirum si propter exemplum, etc., *usque ad* qui datus est nobis. (Id., *lib.* VII, *de Trin.*, C tom. VIII, col. 938.)

Quia in ipso complacuit, etc., usque ad *creatura quæ sub cœlo est.* Per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, etc., *usque ad* vident faciem Patris. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 261.)

Cujus factus sum, etc., usque ad *data est mihi in vobis.* Debemus intelligere personam Ecclesiæ, etc., *usque ad* sæculum finitum erit. (Id., *tract. in psal.* LXI, tom. IV, part. I, col. 730 et seq.)

Videte quid dixit Apostolus, quia in ipso Christus, etc.. *usque ad* in carne mea. (Id., *tract. in psal.* LXXXVI, tom. IV, part. II, col. 1104.)

Ut suppleam, inquit, quæ desunt pressurarum non mearum, sed Christi, etc., *usque ad* non persequeretur. (Id., *tract. in psal.* XLIV, tom. IV, part. I,
D col. 513.)

Ut impleam verbum Dei, etc., usque ad *operatur in me in virtute.* Primo volens ostendere mihi, Domine Deus meus, quam resistas superbis, etc., *usque ad* stulti facti sunt. (Id., *lib.* VII *Confess.*, tom. I, col. 740 et seq.)

Verbum enim tuum æterna veritas superioris creaturæ tuæ, etc., *usque ad* sicut supplicium. (Id., lib. VII *Confess.*, tom. I, col. 748.)

CAPUT II.

Volo enim vos scire, etc., usque ad *abundantes in illo in gratiarum actione.* Vitiorum omnium huma-

norum causa, est superbia, etc. *usque ad* et discitur. (Id., *lib. de Spir. et litt.*, tom. X, part. I, col. 237.)

Hæc autem omnia quæ pro nobis Verbum caro factum, etc., *usque ad* vocarentur. (Id., *lib.* XIII, *de Trin.* tom. VIII, col. 282 et seq.)

Videte ne quis, etc., usque ad *non secundum Christum.* Quid est Juno? etc., *usque ad* cavendos esse admonens. (Id., *serm. de Kal. Jan.* tom. V, part. I, col. 1024.)

Respondendum est hominibus qui calumniari libris nostræ salutis, etc., *usque ad* eruisse sententiam. (Id., *lib. de Gen. ad litt.*, tom. III, part, I, col. 262.)

Quia in ipso inhabitat, etc., usque ad *principatus et potestatis.* Deus qui ubique præsens est, et ubique totus præsens, etc., *usque ad* nefas est velle judicare. (Id., *lib. ad Dard. de præs.*, tom. II, col. 845 et seq.)

Satis est ergo scire corporale aliquid, etc., *usque ad* verbo usus est. (Id., *lib.* XII *de Gen. ad litt.* tom. III, part. II, col. 459.)

Montem in quo placuit Deo habitare in eo, etc., *usque ad* et tu in me. (Id., *tract. in psal.* LXVII, tom. IV, part. I, col. 826 et seq.)

In quo et circumcisi, etc., usque ad *suscitavit illum a mortuis.* Illud sabbatum nisi et ipsum inter prophetias, etc. *usque ad* corporis carnis. (Id., *lib.* XII *contr. Faust.* tom. VIII, col. 354.)

Non duas utique res intelligi voluit, etc. *usque ad* quæ mens vocatur. (Id., *lib.* XIV *de Trin.* tom. VIII, col. 1053.)

In circumcisione Christi, et cætera. Resurrectio Christi quæ facta est tertio quidem die passionis, etc., *usque ad* sapitis super terram. Id., *ex verb. apost.* tom. V, part. I, col. 916.)

Et vos cum mortui essetis, etc., usque ad *omnia delicta.* Præputium vocavit, etc., *usque ad* exspoliandi sumus. (Id., *lib. ad Paul. episc.*, tom. II. col. 641.)

Deles quod adversus nos, etc., usque ad *affigens illud cruci.* Nostrum ergo corpus mortuum est propter peccatum, etc., *usque ad* peccatorum. (Id., *lib.* II *de Baptismo parv.*. tom. X, part. I, col. 180.)

Tu, inquit, humiliasti sicut vulneratum superbum, etc., *usque ad* ubi superbus est. (Id., *tract. in psal.* LXXXVIII, tom. IV, part. II, col. 1126 et seq.)

Victimam sanctam qua deletum est chirographum, etc. *usque ad* leo et draco. (Id., *lib.* IX, *Confes.*, tom. I, col. 778 et seq.)

Exspolians principatus, etc., usque ad *in semetipso.* Unde accepit diabolus exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, etc., *usque ad* redimens peccatores. (Id., *lib.* IV *de Trin.*, tom. VIII, col. 899 et seq.)

Quod enim dicit exuisse se carnem, etc., *usque ad* resurrectione complebitur. (Id., *lib. contr. Faust.* tom. VI, col. 300 et seq.)

Principatus exemplavit, id est exemplum dedit, etc., *usque ad* servire cogunt. (Id., *lib. ad Paul. episc. ex lib. de Agon. Christ.*, tom. VI, col. 291 et seq.)

Nemo ergo vos judicet, etc., usque ad *corpus autem Christi.* Patres nostri qui duo placuerunt, tenuerunt ordinem, etc., *usque ad* recitatur ad confirmationem. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 236 et seq.)

Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israel, etc., *usque ad* membra peregrinantia significabat. (Id., *tract.* 28 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1626.)

Primo Judæorum ille redarguendus est error, quo putant, etc., *usque ad* carnalis celebratio jam quiescat. (Id., *lib. adver. Jud.*, tom. VIII, col. 52 et seq.)

Nemo vos seducat, etc., usque ad *in honore aliquo ad saturitatem carnis.* In his verbis adhibenda est quædam pronuntiatio in vultu, etc., *usque ad* Christus advenerat. (Id., *lib. ad Paul. episc.*, tom. II, col. 640.)

Ambulans frustra inflatus, etc., usque ad *in augmentum fidei.* Non autem solum vaniloquos, etc., *usque ad* liberetur a malo. (Id., *tract.* 98 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1884.)

Si autem mortui, etc., usque ad *in mundo decernitis?* Quidquid passus est, in illo et nos passi sumus, etc., *usque ad* capitis et corporis. (Id., *tract. in psal.* LXII, tom. IV, part. I, col 749.)

Ubi invenis aliter et aliter, facta est ibi quædam mors, etc., *usque ad* viximus ut moreremur. (Id. *tract.* 23 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1588.)

CAPUT III.

Igitur si consurrexistis, etc., usque ad *non quæ super terram.* Nondum utique resurreximus sicut Christus etc., *usque ad* Spe enim salvi facti sumus. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 251.)

Commutatio quæ corruptionem non habebit, etc., *usque ad* est in nobis. (Id., *serm. de Resur. mort.*, tom. V, part. II, col. 1627.)

Si vis esse cœlum : purga de corde tuo terram, etc. *usque ad* in cœlis est. (Id., *tract. in psal.* XCVI, tom. IV, col. 1243.)

In voce tubæ corneæ? etc., *usque ad* non secundum carnem militamus. (Id., *tract. in psal.* XCVII, tom. IV, part. II, col. 1256.)

Secundum hanc fidem et spem et dilectionem qua, etc., *usque ad* non nisi Ecclesia est. (Id., *lib. ad Januar.*, tom. II, col. 205 et seq.)

Quæ sursum sunt sapite, etc., *usque ad* nos debemus exuere. (Id., *lib. Quæst.* LXXXIII, *q.* 29, tom. VI, col. 18 et seq.)

Si Deus et hominem de terra, et bestias de terra formavit, etc., *usque ad* non quæ super terram. Id., *lib.* VI *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 348.)

Mortui enim estis, usque ad *cum ipso in gloria.* Manifestum est, et cuivis advertenti facile cognitum,

etc., *usque ad* æstimabamus insaniam. (S.Aug., *lib.* II *ad Jan.* tom.II, col. 208.)

Quoniam tanquam fenum citi arescent, etc., *usque ad* cum ipso apparebitis in gloria. (Id., *tract. in psal.* XXXVI, tom. IV, part. I, col. 357 et seq.)

Omnes ergo divites boni fideles, etc., *usque ad* apparebitis in gloria. (Id., *serm. de verb. in Prov. Salom., cap.* XIII, *v.* 7, tom.V, part. I, col. 215.)

Simus ergo recti corde. Tempus gloriæ, etc., *usque ad* apparebitis in gloria. (Id., *tract* 28 *in Evang. sec. Joan.*, tom.III, part. II col. 1225.)

Mortificate ergo, etc. Mortificemur et resurgimus, etc., *usque ad* servitus. (Id. *lib. de Resur. mort.*, tom. V, part. II, col. 1627.)

Fornicationem, etc. Neque avari, etc., *usque ad* dubitaret. (Id., *lib. de Bapt.*, tom. IX, col. 89.)

Exspoliantes, etc. Veterem hominem, etc., *usque ad* imaginem Dei. (Id., *lib. c. Faust.*, tom. VIII, col. 7 0.)

Sanguis, inquit, etc., *usque ad* peccatorum. (*Serm. in. epist. Joan.* tom.III, part. II, col. 1982.)

Eum qui renovatur etc., usque ad *modestiam, patientiam.* Satis ostendit ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, etc., *usque ad* agnitione renovaretur. (Id. *lib.* III *de Gen. ad litt.*, tom.III, part. I, col. 292.)

Si ergo spiritu mentis renovamur, etc., *usque ad* induimus per fidem. (Id., *lib.* XII *de Trinit.*, tom. VIII, col 1004 et seq.)

Ista renovatio reformatioque mentis secundum Deum, etc., *usque ad* non ipsaque renovatur. (Id., *lib.* IV *de Trintt.*, tom.VIII, col. 389 et seq.)

Supportantes, etc., usque ad *ita et vos.* Lavando pedes jam bonorum atque mundorum discipulorum significavit Dominus, etc., *usque ad* solvatur in cœlo. (Id., *tract.* 38 *in Evang. sec. Joan.*, tom.III, part. II, col. 1794 et seq.)

Super omnia autem, etc., usque ad *in omni sapientia.* Tunica illa sortita, omnium partium significat unitatem, etc., *usque ad* in unum omnes colligit. (Id. *tract.* 18 *in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1949.)

A *Docentes et commonentes, etc.* usque ad *Deo et Patri per ipsum.* Neque enim omnis qui labiis personat, etc., *usque ad* sancti Spiritus sui. (Id., *lib. de Grat. Novi Testam.*, tom. II, col. 563.)

Mulieres subditæ estote, etc. usque ad *timentes Deum.* Est etiam ordo naturalis, etc., *usque ad* felicitatem. (Id., *lib. Quæst. in Gen. lit.* 152, tom. III, part. I, col. 590.)

Quam multi in nostra communione veraciter, etc., *usque ad* non perdet mercedem suam. (Id., *lib. contr. Faust.*, tom. VIII, col. 255 et seq.)

Hæc tibi regula proponitur, etc., *usque ad* ut amaret. (Id., *ser. de verb. Evang.*, tom V, part. I, col. 418.) Pax domestica est ordinata cohabitantium, etc., *usque ad* providendi beneficentia. (Id., *Sent. Prosperi*, tom X. part. II, col. 1872 et seq.)

B *Quodcunque facitis, etc.*, usque ad *acceptio apud Deum.* Eam Deus innocentia probat, etc., *usque ad* acceptio apud Deum. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom, X, part. II, col. 1869-1877.)

Nomen et conditionem servitutis, etc., *usque ad* emendatur filius. (Id., *ibid.*, col. 1873.)

CAPUT IV.

Domini quoq justum est, etc., usque ad *habetis in cœlo.* Etiamsi habuerint servos justi parentes nostri, etc., *usque ad* tolerare quod serviunt. (Id., *lib.* XIX *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 644.)

Sicut in potestatibus societatis huanæ, etc., *usque ad* ita Deus in omnibus. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom X, part. II, col. 1873.).

Qui doctrinam Christi adversam dicunt, etc., *usque*
C *ad* esse reipublicæ. (Id., *epist. ad Marcel.*, tom, II, col. 532.)

Orationi instate, etc., usque ad *mihi fuerunt solatio.* Joannes dicit : Etsi quis peccaverit, etc., *usque ad* interpellet. (Id., *serm. ni Epist. Joan.*, tom. II, col. 532.)

Salutat vos Epaphras, etc., usque ad *vobiscum. Amen.* Si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem, etc., *usque ad* perseveretur a nobis. (Id., *lib. de Cor. et grat.*, tom. X, part. I, col. 921 et seq.)

IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Thessalonicenses sunt Macedones, qui accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, etiam in persecutione civium suorum. Præterea nec receperunt falsos apostolos, nec ea quæ a falsis apostolis dicebantur. Hos collaudat Apostolus scribens eis Athenis per Tychicum diaconum, et Onesimum acolytum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Sylvanus, etc., usque ad *Deo vivo et vero.* Judæorum proprie Synagoga dici solet, etc., *usque ad* requirebat, (Id., *tract. in psal.* LXXXI, tom.IV, part. II, col. 1047.)

Et exspectare, etc., usque ad *ab ira ventura.* Ira
D Dei non perturbatio est, etc., *usque ad* pœna peccato. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1872.)

Nam et ipsi. scitis, etc., usque ad *Christi apostoli.* Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, etc., *usque ad* cum offertur. (Id., *ibid.*, col, 1877.)

Sed facti sumus parvuli, etc., usque ad *regnum et gloriam.* Non nutrix nutriens filios, sed nutrix fovens ut filios, etc., *usque ad* ut iterum parturiret. (Id., *tract. in psal.* XLIX, tom. IV, part I, col 582.)

Et mater parvulum amat nutrire, etc., *usque ad* et laudabimus eum. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 156 et seq.)

Scalas vidit Jacob per somnium, et ipsis scalis ascendentes, etc., *usque ad* descendunt prædicatione,

(Id., *tract. in Evang. sec, Joan.* vii, tom. III,part,ii, col. 1449. et seq.

Ideo et nos grntias, etc., usque ad *gloria nostra et gaudium.* Quid est quod hinc Deo gratias agit, etc., *usque ad* est vere verbum Dei. (Id., *lib de Præd. sanct.*, tom. X, part. i, col. 989.)

CAPUT III.

Propter quod, etc., usque ad *vos statis in Domino.* Defecit, inquit in dolore vita mea, etc., *usque ad* vita ejus. (Id., *tract. in psal.* xxx. tom. IV, part. i, col. 241.)

Admonemus charitatem vestram, etc., *usque ad* statis in Domino. (Id.,*serm. de verb. Evang.*,tom.V, part. i, col. 230 et seq.)

Quam enim gratiarum actionem, etc., usque ad *dirigat viam nostram ad vos.* Cernebat utique, etc..*usque ad* sentiebat. (Id. *lib. contr. Faust., tit.* i, tom. VIII, col. 208.)

Vos autem Domigus, etc., usque ad *sanctis ejus. Amen.* Apostolus Paulus benedicens Thessalonicenses, etc., *usque ad* ut invicem diligamus.(Id.,*lib. de Grat. et lib. arb.*., tom. X, part. i, col. 904.)

CAPUT IV.

De cætero ergo fratres, etc., usque ad *nullius aliquid desideretis.* Adulterium facere prohiberis ne noceas, etc.. *usque ad* spes salutis omnino remanebit. (Id., *serm., de conv. Paul.*, tom. V, part. i, col. 1272 et seq.)

Nolumus autem vos, ett., usque ad *eos qui dormierunt.* Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a sommo, etc., *usque ad* accepturi sunt. (Id., *tract.* 49 *in Evang, sec. Joan.*,tom. III, col.1751 et seq.)

Admonet nos beatus Apostolus ut de dormientibus, etc., *usque ad* spiritaliter amant. (Id., *serm, de eisd. verb. Apost.*, tom. V, part.i,col. 936 et seq.)

De dormientibus, inquit, nolo vos ignorare, etc., *usque ad* transivit et Dominus. (Id., *serm.* 2 *de ead. lect.*, tom. V, part. i, col. 939.)

Et sic semper, etc., usque ad *in verbis istis.* Consolemur nos ergo invicem et in his sermonibus, etc., *usque ad* martyrum fortitudo. (Id., *ibid.*, col. 938 et seq.)

Et mortui, etc., usque ad *cum Domino erimus.* Poterat etiam hoc donare credentibus, etc., *usque ad* quæ non videntur. (Id., *lib.* ii *de Baptis. parv.*,tom. X, part. i, col. 181.)

Dixit apostolus cum loqueretur de resurrectione mortuorum. Et nos viventes, etc, *usque ad* gustata morte victuri. (Id., *lib ad Dulcitium*, tom. VI, col. 159 et seq.)

Quæri solet utrum illi quos hic viventes inventurus est Christus. etc., *usque ad* ut nosse possimus (Id., *lib.* xx *de Civit. Dei*, tom. VII. col.688 et seq.)

CAPUT V.

De temporibus, etc., in nocte, ita veniet. Non dixit, post quantum temporIs hoc futurum sit, etc.,*usque ad* non est vestrum scire.(Id.,*epist.ad Hesych.episc.*, tom, II, col. 907 et seq,)

Media autem nocte, id est, nullo sciente aut sperante. etc., *usque ad* omnes resurgemus. (Id., *lib. Quæst.* lxxxiii, tom. VI, col. 46.)

Cum enim dixerint pax, etc., usque ad *et non effugient.* Sed confiteri nos,inquis,pæna nostra compellit adesse jam finem, etc., *usque ad* virtutes cœlorum movebuntur. (Id., *ibid.*, col. 918 et seq.

Vos autem fratres etc., usque ad *neque tenebrarum.* Illi qui præsumeutes de cupiditatibus suis, *usque ad* nunc autem lux in Domino,(Id., *tract. in psal.* cxx, tom. IV, part. ii et col. 1606 et seq.)

Igitur non dormiamus. etc., usque ad *et pacem habete cum eis.* Multi cum dormiunt, non faciunt locum Domino, etc., *usque ad* videbant divitias transituras. (Id.,*in psal.* cxxx, col. 1719.)

Digna debemus operari, id est tanquam in luce, etc., *usque ad* in Christo operatur. Id., *in psal.* lxi, col. 740.)

Rogamus antem vos, etc•, usque ad *invicem et in omnes.* Quantum ad nos pertinet,omnes salvos fieri velle debemus, etc., *usque ad* dissimulatione negligitur. (Id., *lib, de Cor. et grat.*, tom. X, part. i, col. 918 et seq.)

Quando videt homo aliquem male viventem,etc., *usque ad* justus et misericordia. (Id., *serm de verb. Evang.*, tom. V, part. ii, col. 1732 et seq.)

Semper gaudete. Venite exsultemus Domino, etc., *usque ad* mundo insultare. (Id., *tract. in psal.* xciv, tom IV, part. ii, col. 1217.)

Misericordia et veritas qræeunt ante faciem tuam,etc., *usque ad* in nomine tuo exsultabunt.(Id., *in psal.* lxxxviii, col. 1228.)

Beati eritis, inquit, cum vobis maledicent, etc., *usque ad* immortalitatem. (Id., *lib.* ii *de Serm. Dom. in monte*, tom. III, part. i, col• 1236.)

Sine intermissione orate. Dominus ait : Oportet semper orare, et non deficere, etc.,*usque ad* clamor cordis est.(Id.,*lib.de Hæres.*,tom.VIII,col.40 et seq.)

In omnibus gratias, etc., usque ad *omnibus vobis.* Vera fidelium humilitas est in nullo superbire,etc., *usque ad* aut benigna. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. ii, col. 1866.)

Spiritum nolite exstinguere,etc.Non quia exstingui potest, sed quantum in ipsis est, exstinctores, etc., *usque ad* in vobis semper luceat. (Id.,*in psal.* lxxvi, col. 993.)

Ipse autem Deus pacis, etc., usque ad *Amen.* Quamvis et proprie dicatur spiritus non universa anima, etc., *usque ad* hoc est vivificet. (Id., *lib.* ii *ad Victorem Vincentium* ; tom X, part. i, col. 496 et seq.et 485 et seq.)

Et ego,inquit,si exaltatis fuero a terra omnia traham, etc , *usque ad* omnia trahi post se.(Id.,*tract.* 53 *in Evang, sec. Joan.*, tom. III, part. ii,col. 1733.)

Tria sunt quibus homo constat : spiritus,anima, et corpus, etc., *usque ad* et nos immutabimur.(Id., *serm. de fide et symb.*, tom. VI, col. 193 et seq.)

Aliud est esse sine peccato, etc.,*usque ad* se non esse declarat. (Id., *lib. de Perf. just. hom.*, tom. X, part. i, col. 304.)

IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Ad Thessalonicenses secundam scribit Epistolam Apostolus : et notum facit eis de temporibus novissimis, et de adversarii dejectione. Scribit hanc Epistolam ab Athenis per Titum diaconem, et Onesimum acolytum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Sylvanus et Timotheus, etc., usque ad *charitas uniuscujusque vestrum in invicem.* Hoc dixit, ne forte de tanto bono, etc., *usque ad* habeatis ex vobis (*Id.*, *lib. de Grat. et lib. arb.*, tom. X, part. I, col. 904.)

Ita ut et nos ipsi, etc., usque ad *requiem nobiscum.* Pressuras persecutionesque justorum, etc., *usque ad* perficiendam purgationem. (Id., *tract.* 13 *contra Faust.*, tom. VIII, col. 291 et seq.)

In revelatione, etc., usque ad *qui crediderunt.* Si pejor est conditio nescientium quam scientium legem, etc., *usque ad* qui ignorant Deum. (Id., *lib. de Grat. et lib. arb.* tom. X, part. I, col. 884 et seq.)

Quia creditum est, etc., usque ad *Domini Jesu Christi.* Salus religionis hujus per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, etc., *usque ad* vocatione sua sancta. (Id., *lib.* II *Retract.* tom. I, col. 643.)

CAPUT II.

Rogamus autem vos, fratres, etc., usque ad *seducat ullo modo.* Quando dicebat. Non cito moveamini mente, etc., *usque ad* hujus dies ultimus. (Id., *epist. ad Hesych. episc. de fine sæc.*, tom. II, col. 905 et seq.)

Diligendus ergo est et exspectandus Domini, sicut sancte exhortaris, adventus, etc., *usque ad* utique non credebat. (Id., *ibid.*, col. 909 et seq.)

Quoniam nisi venerit, etc., usque ad *iniquitatis his qui pereunt.* Rogamus vos, inquit, fratres per adventum Domini, etc., *usque ad* justissime judicatu-

A rum. (Id., *lib.* XX *de Civit. Dei.*, tom. VII, col. 685 et seq.)

Non retinetis, etc., usque ad *illustratione adventus sui.* Hæc verba apostolica ita sane obscura sunt, et mystice dicta, etc., *usque ad* hic omnino tacetur. (Id., *epist. ad Hesych. episc.* tom. II, col. 908.)

Eo quod charitatem, etc., usque ad *in omni opere et sermone bono.* Judæi cum putant ad suum regnum visibilem istam pertinere prophetiam, etc., *usque ad* et non tota gens pereat. (Id., *tract.*, *in psal.* CV, tom. IV, part. II, col. 1418.)

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi neque fiet, etc., *usque ad* potius quam passurus. (Id., *epist. ad Hesych. episc.* tom. II, col. 915.)

B CAPUT III.

De cætero, fratres, etc., usque ad *malis hominibus.* Nunquid postremo apostolum Paulum pro Judæis infidelibus, etc., *usque ad* præcipit ut faciat. (Id., *epist. ad Vital.*, tom. II, col. 988.)

Non enim omnium, etc., usque ad *imitari nos.* Posse habere fidem, etc., *usque ad* qua juste judicat. (Id., *lib. Sent. Prosper.*, tom. X, part. II, col. 1887.)

Quoniam non in quiete, etc., usque ad *panem manduceut.* Non, inquiunt, de hoc opere corporali, etc., *usque ad* præconio facere jubentur. (Id., *lib. de Oper. monach.*, tom. VI, col. 549 et seq.)

Vos autem, fratres, nolite perficere benefacientes. Propter necessitates sanctorum, etc., *usque ad* ne sint infructuosi. (Id., *ibid.*, col. 561.)

C *Quod si quis, etc.*, usque ad *cum omnibus vobis. Amen.* Diligamus inimicos, corripiamus, etc., *usque ad* non præcidit dilectionem. (Id., *tract. in psalm.* LIV, tom. IV, part. I, col. 635.)

Superbo oculo et insatiabili corde huic convescebar, etc., *usque ad* ipsi saturabuntur. (Id., *in psalm.* C, col. 1290.)

IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Timotheum instruit, et docet de ordinatione episcopatus, et diaconii, et omnis ecclesiasticæ disciplinæ, scribens a Laodicia per Tychicum diaconem.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi, etc., usque ad *quæ est in fide.* Quod iste profanas, et aniles fabulas, etc., *usque ad* catholicus lector intelligit. (Id., *lib. contr. inim. leg. et proph.* tom. VIII, col. 637 et seq.)

Finis autem præcepti, etc., usque ad *fide non ficta.* Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam,

D etc., *usque ad* tenet in moribus. (Id., *serm. de laude charitatis.* tom. V, part. II, col. 1533.)

Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., *usque ad* quadam sorte junguntur. (Id., *lib, de Doctr. Christ. primo,* tom. III, part. I, col. 29 et seq.)

Omnium igitur hæc summa est, ut intelligatur legis, et omnium divinarum Scripturarum plenitudo, etc., *usque ad* ut perfecta sit. (Id., *ibid.*, col. 36.)

Omnia igitur præcepta divina referuntur ad cha-

ritatem, etc., *usque ad* superet nulla erit. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 288 et seq.)

Amate, sed quid amatis videte, etc., *usque ad* et fide non ficta. (Id., *tract. in psalm.* XXXI, tom. IV, part, I, col. 260.)

Quidquid ergo salubriter mente concipitur, etc., *usque ad* laqueus erit dilecti. (Id., *tract. in psal.* CXL, tom. IV, part. II, col. 1816.)

Cum enim diceret charitas,addidit de corde puro, etc., *usque ad* spes nostra fallatur. (Id., *lib.* I *de Doct. Christ.*, tom. III, part. I, col. 36.)

A quibus quidam, etc., usque ad *de quibus affirmant.* Quid enim molestiæ, tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarii, etc., *usque ad* ad escam perveniant. (Id., *lib. de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 261 et seq.)

Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur. Justo enim non est lex posita : quæ tamen bona est,*usque ad* nisi divina gratia subveniri. (Id., *lib. de Spir. et litt.*, tom. X, part. I, col. 208 et seq.)

Bona est lex illi qui ea legitime utitur,etc., *usque ad* sanante per gratiam. (Id., *epist. ad Anast.*, tom. II, col. 593 et seq.)

Scientes hoc, etc., usque ad *quod creditum est mihi.* Deo vivit qui sub Deo est, legi autem, qui sub lege est. Sub lege autem vivitur, in quantum quisque peccator est,id est in quantum a veteri homine non est mutatus. Sua enim vita vivit.

Et ideo lex supra illum est, quia qui illam non implet, infra, etc., *usque ad* stabili gaudens bono. (Id., *expos. Epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2145 et seq.)

Gratias ago ei, etc., usque ad *quorum primus ego* sum. Apostolus Paulus ex persecutore Christi annuntiator factus, etc., *usque ad* persecutor et injuriosus. (Id., *serm. de conv. Paul.*, tom. V, part. I, col. 1268 et seq.)

Sed ideo misericordiam, etc., usque ad *in vitam æternam.* Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, etc., *usque ad* negare poterit debitum. (Id., *tract. in psal.* LXXXIII, tom. IV, part. II, col. 1067.)

Sed misericordiam, etc., usque ad *in incredulitate.* Magna est misericordia tua : et de magna misericordia, etc., *usque ad* sed magnam misericordiam. (Id., *in psal.* L, tom. IV, part. I, col. 588.)

Fidelis sermo, etc., usque ad *in vitam æternam.* Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores, etc., *usque ad* versati in infirmitate ejus. (Id., *serm.* 9 *de eisdem verb. apost.*, tom. V. part. I, col. 945 et seq.)

Christus Jesus venit in mundum peccatores, inquit, salvos, etc., *usque ad* ad eum sanandi currite. (Id., *ibid. serm.* 10, col. 951 et seq.)

Audivimus beatum apostolum Paulum dicentem, Humanus sermo, et omni acceptione dignus, etc., *usque ad* sine parvulos venire ad me. (Id., *ibid. serm.* 8, col. 940, et seq.)

Regi autem, etc., usque ad *bonam militiam.* Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Apparet, fratres, evidentissime, etc., *usque ad* regni ejus non erit finis. (Id., *tract. in psal.* CIX, tom. IV, part. II, col. 1453.)

Si in illis vocibus quæ fiebant in Exodo, etc., *usque ad* nullus imperiosus egisse. (Id., *lib.* II *de Trinit.*, tom. VIII, col. 866.)

De invisibili Deo inter nos agitur, etc., *usque ad* videbimus eum sicuti est. (Id., *lib. contr. Maximin.*, tom. VIII, col. 762 et seq.)

Habens fidem, etc., usque ad *non blasphemare.* Istud Apostoli quale est ? nonne ita mirabile, etc., *usque ad* excluditur opere Satanæ. (Id., *lib. de Nat. et grat.*, tom. X, part. I, col. 262.)

Nulla creatura est, sive quæ in veritate manet dans gloriam Deo, etc., *usque ad* sibi retinuit (Id., *expos. Epis. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2128 et seq.)

CAPUT II.

Obsecro igitur, etc., usque ad *ad agnitionem veritatis venire.* Quandiu permistæ sunt ambæ civitates, etc., *usque ad* cum illo per speciem. (Id., *lib.* XIX *de Civit. Dei.*, tom. VII, col. 656 et seq.)

Sicut autem Jerusalem significat civitatem societatemque sanctorum, etc., *usque ad* Dei ædificatio estis. (Id., *lib. de catechizandis Rudibus*, tom. VI, col. 337 et seq.)

Ista plane difficillime discernuntur, ubi ait: Obsecro, etc., *usque ad* et habitavit in nobis. (Id., *lib. ad Paul. episc.* tom. II, col. 635 et seq.)

Cum audimus, et in sacris litteris legimus quod velit omnes homines salvos, etc., *usque ad* quodcunque non fecit. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 280 et seq.)

Sicut illud quod dictum est, omnes in Christo vivificabuntur, etc., *usque ad* nisi ab ipso volente non fiunt (Id., *in psal.* CXII, *ex epist. ad Vital.*, tom. II, col. 985 et seq.)

Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et, etc., *usque ad* sub Dei potestate. (Id., *lib. de Spir. et litt.*, tom. X, part. I, col. 238.)

Quia ergo nos qui salvi futuri sint nescientes, etc., *usque ad* quoniam nos facit velle. (Id., *lib. de Nat. et grat.*, tom. X, part. I, col. 255.

Unus enim Deus, etc., usque ad *pro omnibus.* Cum sit ipse Christus sapientia Dei per quam creata sunt omnia, etc., *usque ad* qui est veritas in æternis. (Id., *lib.* I *de cons. evang.*, tom. III, part. I, col. 870.)

Tu es veritas super omnia præsidens, etc., *usque ad* nobis serviendo. (Id., *lib.* X *Confess*, tom. I, col. 867 et seq.)

Si omnes homines, quandiu mortales sunt, etiam miseri sint necesse est, etc., *usque ad* qui in superioribus vita. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 268 et seq)

An apostolus Petrus, sicut eum quidam favore perverso excusare nituntur, etc., *usque ad* quomodo est membrum ? Id., *tract. in Evang. sec Joan.* LXIII, tom. III, part. II, col. 1810 et seq.)

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. A Habes majestatem ad quam ores, etc., *usque ad* misericordiam. (Id., *tract. in psal.* XXIX, tom. IV, part. I, col. 216 et seq.)

Talem se Deus præbuit hominibus, ut etiam panem de cœlo miserit, etc., *usque ad* quod non poteras. (Id., *tract. in psal.* CXXXIV, tom. IV, part. II, col. 1741 et seq.)

Mediatorem Dominum Jesum Christum secundum hominem dici, etc., *usque ad* diligendo imitati sunt. (Id., *expos. Epist. ad Gal* tom. III, part. II, col. 2122.)

Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum, etc., *usque ad* si dici non potest. (Id., *lib. Enchir.*, tom. VI, col. 249 et seq.)

Ego, inquit, Dominus,ero illis in Deum, etc., *usque ad* et divina humanitas Christi. (Id., *lib. de* B *Ovib. Ezech.*, tom. V, part. I, col. 310.)

Cujus testimonium, etc., usque ad *in fide et veritate.* Ait Dominus Jesus his qui crediderant in eum, etc., *usque ad* id quod videatur. (Id., *tract.*. 40 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1690 et seq.)

Volo ergo viros, etc., usque ad *per opera bona.* Levavit pro nobis Dominus noster manus suas in cruce, etc. *usque ad* levari ad Deum. (Id., *in psal.* LXII, tom. IV, part. I, col. 755.)

Mulier, etc., usque ad *in silentio.* Quod dictum est, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur, etc., *usque ad* et augebitur culpa. (Id., *lib.* XI *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 450.)

Adam enim, etc., usque ad *in prævaricatione fuit.* Si jam spiritalis erat Adam, quamvis mente, non C corpore, etc., *usque ad* invidendo vetuisset. (Id., *ibid*,, col. 452 et seq.)

Superbus ille angelus, ac per hoc invidus, etc., *usque ad* diaboli laqueis implicati. (Id., *lib.* XIV *de Civit. Dei.*, tom. VII, col. 419 et seq.)

Salvabitur, etc., usque ad *cum sobrietate.* In isto sexu masculi et feminæ, apostolus Paulus occultionis cujusdam rei, etc., *usque ad* sanctificatio non invenitur. (Id., *lib* XII *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1004.)

Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum, etc., *usque ad* operare opera tua. (Id., *tract. in psal.* LXXXIII, tom. IV, part. II, col. 1060 et seq.)

Qualis pax? quam oculus non vidit,nec auris au- D divit, etc., *usque ad* pax super Israel. (Id., *tract. in psal.* CXXVII, tom. IV, part. II, col. 1688.)

CAPUT III.

Fidelis sermo : Si quis, etc., usque ad *columna et firmamentum veritatis.* Nec si esse quisquam debet otiosus, *usque ad* opprimat ista necessitas. (Id., *lib.* XIX *de Civitate Dei*, tom. VII, col. 647.)

Et manifeste magnum, etc., usqne ad *assumptum est in gloria.* Non in Deo tantum innotescit angelis quod absconditum est, etc., *usque ad* ipsa veritas clamat. (Id., *lib.* V *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 335.)

CAPUT IV.

Spiritus autem, etc., usque ad *qui cognoverunt veritatem.* Audi ergo quod confiteris te non videre, etc., *usque ad* dæmoniorum mendaciloquorum. (Id., *lib.* XXX *contra Faust.*, tom. VIII.)

Hinc etiam illud præceptum quod est. Non mœchaberis, etc., *usque ad* Manichæi, si dederis. (Id. *ibid.*, col. 310.)

Quod autem Dominus invitatus venit ad nuptias, etc., *usque ad* bonum vinum usque adhuc. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col, 1458 et seq.)

Quia omnis creatura, etc., usque ad *quam assecutus es.* Testamento Veteri ubi quidam cibi carnium prohibentur, etc., *usque ad* tamen auctoritas commendata. (Id., lib. *contr. Faust.*, tom. VIII, col. 233 et seq.)

Omnia munda mundis, Domini est terra et plenitudo, etc., *usque ad* recitatur ad confirmationem. (Id., lib. I *ad Tit.*, tom. VIII, col. 236 et seq.)

Ineptas autem, etc., usque ad *quæ nunc est, et futuræ.* Videte amatoria sancta cantica. Videte Cantica canticorum, etc., *usque ad* divitiæ et honor. (Id., *tract in psal.* CXLIII, tom. IV, part. II, col. 1868.)

Fidelis sermo, etc., usque ad *qui te audiunt.* Quid est homo, quia memor es ejus, aut filius hominis, etc., *usque ad* beatos fieri prædicat. (Id., *tract. in psal.* VIII, tom. IV, part. I, col. 113.)

CAPUT V.

Seniorem, etc., usque ad *acceptum est coram Deo.* Qualis illa erat docente te magistro intimo in schola pectoris, etc., *usque ad* quasi ab omnibus genita fuisset. (Id., lib. *Confess.* IX, tom. I, col. 773.)

Quæ autem vere vidua, etc., usque ad *nocte et die.* Omnis anima quæ intelligit se derelictam omni auxilio, etc., *usque ad* auxilium præsto est illi. (Id., *tract. in psal.* CXXXI, tom. IV, part. II, col. 1725 et seq.

Concerta in oratione, vince hoc sæculum, etc., *usque ad* nulla damna formides. (Id., *lib. ad Probam de or. Deo*, tom. II, col. 506.)

Quantacunque temporalium bonorum felicitate circumfluas, etc., *usque ad* incorruptione vegetatur. (Id., *ibid.*, col. 496 et seq.)

Deliciæ igitur spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, etc., *usque ad* ut Deus acquiratur. (Id., *lib. de Bono viduit.*, tom. VI, col. 447 et seq.)

Qui exaltas me de portis mortis, etc., *usque ad* per portas mortis pervenitur. (Id., *tract in psal.* IX, tom. IV, part. I, col. 123.)

Vita quæ in peccatis est, mors appellari in Scripturis solet, etc., *usque ad* tangere mortuum. (Id., *lib. contr. Manich.*, tom. III, part. I, col. 212.)

Si quis autem, etc., usque ad *si filios educavit.* Quia duo præcipua præcepta, hoc est ad dilectionem Dei, et dilectionem, etc., *usque ad* infideli deterior. (Id., *lib.* XIX *de Civit. Dei, cap.* 14, tom, VII, col. 642 et seq.)

Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum

stantem quem diligebat, etc., *usque ad* discipulus in sua. (Id., *tract.* 119 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part, II, col. 1950 et seq.)

Si quid sane pecuniæ res tua familiaris habet, etc., *usque ad* infideli deterior. (Id., *epist. ad Lætam*, tom. II, col. 1059.)

Si hospitio, etc., usque ad *subsecuta est.* Dicimus, fratres, humilitatem ab Excelso, etc., *usque ad* humilitatis affectus. (Id., *tract.* 58 *in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1794.)

Adolescentiores, etc., usque ad *irritam fecerunt.* In conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, etc., *usque ad* sive desint. (Id., *lib. ad Julian. de sanct. vid.*, tom. VI, col. 437 et seq.)

Vovete et reddite Domino Deo vestro, etc., *usque ad* ut voveatis et reddatis. (Id., *tract. in psal.* LXXV, tom. IV, part. I, col. 967 et seq.)

Quod enim cuique antequam vovisset licebat, etc., *usque ad* fidem irritam fecerunt. (Id., *lib. ad Pollent.*, tom. VI, col. 468.)

Simul autem, etc., *usque ad* non oportet. Nemo vos fallat. Si non vultis falli, etc., *usque ad* unus assumetur et unus relinquetur. (Id., *tract. in psal.* XCIX, tom. IV, part. II, col. 1279 et seq.)

Volo autem juniores, etc., usque ad *retro post Satanam.* Nuntiarum bonum apostolica auctoritate et sobrietate commendat, etc., *usque ad* cadere et interire. (Id., *lib. ad Julian. de sanct. viduit.*, tom. VI, col. 437.)

Si quis fidelis, etc., usque ad *sufficiat.* Habebat et Dominus loculos, etc., *usque ad* viduis sufficere possit. (Id., *tract.* 64 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1883.)

Qui bene præsunt, etc., usque ad *sub duobus aut tribus testibus.* Operarii enim sumus, etc., *usque ad* daturus es. (Id., *tract.* 17 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1530.)

Nunquid de bobus pertinet ad Deum, etc., *usque ad* implet officium. (Id., *tract. in psal.* CXXVI, tom. IV, part. II, col. 1675.)

Christum Dominum et Paulum servum ejus audiamus, etc., *usque ad* vulnus esse mortiferum. (Id., *serm.* 83 *de vers. Evang.*, tom. V. part. I, col. 510 et seq.)

Manus cito, etc, usque ad *tuas infirmitates.* Sicut se habet firmissima veritas, etc., *usque ad* impediaris. (Id., *de Viduit.*, tom. VI, col. 444.)

Quorumdam hominum peccata, etc., usque ad *abscondi non possunt.* Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quod animo fiant, etc., *usque ad* quo manifestentur. (Id., *lib.* II *de serm. Domini in monte*, tom. X, part. I, col. 1297.)

CAPUT VI.

Quicunque sunt sub jugo, etc., usque ad *quæstum esse pietatem.* Quæ de servo Hebræo præcipiuntur, etc., *usque ad* recusasset. (Id., *lib. Quæst. in Exod.* CLXXVII, tom. III, part. I, col. 724.)

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Hanc igitur sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult, etc., *usque ad* vivendum est. (Id., *lib. ad Probam de or. Deo*, tom. II, col. 498 et seq.)

Nihil enim intulimus, etc., usque ad *contenti simus.* Recole dives primordia tua, etc., *usque ad* his contenti simus. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 412.)

Nam qui volunt, etc., usque ad *in interitum et perditionem.* Videte quid divitibus dictum sit, etc., *usque ad* ne desideret. (Id., *tract. in psal.* CXXXVI, tom. IV, part. II, col. 1769.)

Radix enim omnium malorum, etc., usque ad *bonam confessionem.* Attende quid dimiserunt, etc., *usque ad* non divitiæ, sed cupiditas. (Id., *serm. de verb. evang.*, tom, V, part. I, col. 412.)

Initium omnium peccati superbia, etc., *usque ad* mittatur æternum. (Id., *lib.* II *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 436 et seq.)

Inclina cor meum in testimonia tua, etc., *usque ad* et non in avaritiam. (Id., *tract. in psal.* CXXVIII, tom. IV, part. II, col. 1530 et seq.)

Ut serves mandatum, etc., usque ad *Dominus dominantium.* Ostendi non esse consequens, etc., *usque ad* Patris natura non fecit. (Id., *lib.* II *contra Maxim.*, tom. VIII, col. 766 et seq.)

Unius igitur ejusdem cum Patre substantiæ est, etc., *usque ad* et Filium et Spiritum sanctum. (Id., *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 825 et seq.)

Qui solus habet immortalitatem. Quidquid etiam a meliore in deterius, etc., *usque ad* ubi nulla mutabilitas. (Id., *tract.* 23 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, p. II, col. 1588.)

Quod ait Apostolus : Qui solus habet immortalitatem, etc., *usque ad* idem ipse est. (Id., *lib. de Trinit.* tom. VIII, col. 854 et seq.)

Vera æternitas et vera immortalitas non est, etc., *usque ad* facta mutatio. (Id., *lib. Sentent. Prosperi*, tom. X, p, II, col. 1859.)

Et lucem inhabitat., etc., usque ad *Amen.* Omne quippe quod oculis corporis conspici potest, etc., *usque ad* sicuti est. (Id., *epist. ad Italic.*, tom. II, col. 319.)

Dictum est : Deus habitat lucem inaccessibilem, etc., *usque ad* muneribus suis. (Id., *tract. in psal.* CXVIII *et* XXXIII, tom. IV, part. II, col. 1514 et seq.)

Si modum quærimus quomodo locutus sit Deus, etc., *usque ad* repellenda est. (Id., *lib.* VIII *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 391 et seq.)

Divitibus hujus sæculi, etc., usque ad *ut apprehendant veram vitam.* Nihil enim tam timendum est in divitiis, quam superbia, etc., *usque ad* non hujus mundi. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom. V, part. I, col. 957 et seq.)

Ut apprehendant veram vitam. Qui nolunt divites fieri, vel qui non curant, etc., *usque ad* quod hic damus. (Id., *ibid.*, col. 412 et seq.)

Pauper Dei in animo est: non in sæculo, etc., *usque ad* saturet panibus. (Id., *tract. in psal.* CXXXI, tom. IV, part. II, col. 1727.)

O thimotee, etc., usque ad *Amen.* Veniat in mentem adversus tales apostolica illa admonitio. Aptavi vos, etc., *usque ad* apostolus Paulus. (Id., *lib.* xv *contr. Faust.*, tom. VIII, col. 313 et seq.)

Non enim ait, devitans verborum novitates, sed addidit, etc., *usque ad* velut imperitiam deridere. (Id., *tract.* 7 *in Evang. sec. Joan.*. tom. III, part. II, col. 1879 et seq.)

IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Item Timotheo scribit de exhortatione martyrii, et omnis regulæ veritatis: et quid futurum sit temporibus novissimis, et de sua passione scribens a Roma.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi tu melius nosti. In hoc Apostoli testimonio cavere debemus, etc., *usque ad* operetur patientiam. (Id., *serm. de grat. et lib. arb.*, tom. . X, part. I, col. 904 et seq.)

Major quippe libertas est necessaria, etc., *usque ad* cruciantia superarent. (Id., *lib. de Corr. et grat.*, tom. X, part. I, col. 937 et seq.)

CAPUT II.

Tu ergo, fili, alios docere. Excellenti ergo sanctitate eminentes, etc., *usque ad* salubriter imitentur. (Id., *tract, in psal.* LXXI, tom. IV, part. I, col. 904.)

Labora in omnibus intellectum. Timotheum quem dicit germanissimum filium, etc., *usque ad* saluberrime hortatur. (Id., *lib. de oper. monach.*, tom. VI.)

Profectus fidelium sine tentatione, etc., *usque ad* tentationi resistens. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1877.)

Filium hominis Christum ita credanus, etc., *usque ad* et filium hominis. (Id., *lib. contr. Faust.*, tit. 3, tom. VIII, col. 209 et seq.)

Et repulit tabernaculum Joseph, etc., *usque ad* secundum Evangelium meum. (Id,, *tract. in psal.* LXXVII, tom. IV, part. I, col. 1006 et seq.)

In quo laboro etc., usque ad *verbum veritatis.* Credidi, inquit, propter quod locutus sum, etc., *usque ad* ego humiliatus sum nimis. (Id., *tract. in psal.* CXV, tom. IV, part. II, col. 1492.)

Dicat ergo Ecclesia Christi, civitas regis magni, etc., *usque ad* nec in præconibus alligatis. (Id., *lib.* XVII *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 528.)

Propterea non poterant credere, etc., *usque ad* voluntatis humanæ. (Id., *tract.* 53 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1776.)

Profana autem etc., usque ad *ut cancer serpit.* Cum sint inter se duo ista contraria, etc., *usque ad.* in atria Domini (Id., *tract. in psal.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1556 et seq.)

Ex quibus est etc., usque ad *quorundam fidem.* Omnes enim sectæ quæ se aliquam religionem hominibus inserere præsumpserunt, etc., *usque ad* intelligimus corporum resurrectionem (Id., *tract.* XVIII *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1551 et seq.)

Nonnulli enim attendentes verba, etc., *usque ad* in tribulatione patientes. (Id., *lib. ad Januar.*, tom. II, col. 206.)

Sed firmum, etc., usque ad *nomen Domini.* Dicebat Apostolus: Ex quibus est Hymenæus et Philetus, etc., *usque ad* ab iniquitate recede. (Id., *tract. in psal.* XCII, tom. IV, part. II, col. 1185.)

Satis enim fixum atque immobile debet corde retineri, etc. *usque ad* nominat nomen Domini (Id., *lib. de catechizand. Rud.*, tom. VI, col. 323.

Nec moveat quod sæpe diabolus seducit etiam illos, etc., *usque ad* seipsum videt (Id., *lib.* XX *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 669.)

Nondum apparuit judicium, sed jam factum est, etc., *usque ad* novit zizania. (Id. *tract.* 12 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1490.)

Modo enim corpus Christi mistum est tanquam area, etc., *usque ad* salvus erit. (Id., *ibid.*, col. 1221.)

De illis ovibus, de quibus dicit Apostolus: Novit Dominus qui sunt ejus etc. *usque ad* de manu mea. (Id., *ibid.*, col. 1725.)

Numerus ergo justorum, qui secundum propositum *usquad* sacrosancta mysteria. (Id., *lib.* v *de Bapt. contr. Donat.*, tom. IV, col. 195 et seq.)

In magna autem domo, etc., uque ad *de corde puro.* Quosdam qui circa veritatem aberraverant, etc., *usque ad* tolerare coguntur. (Id., *ibid.*, *lib.* III, col. 452.)

De quibus ait Apostolus: Sermo eorum sicut cancer serpit etc., *usque ad* ut cancer serpebat. (Id., *ibid.*, lib. IV, col. 165 et seq.)

Omnibus consideratis puto me non temere dicere, etc., *usque ad* spiritualiter separati sunt. (Id., *ibid.*, *lib.* VII, col. 241.)

Ne quæramus eum absque nobis, etc. *usque ad* vel unius moris in domo. (Id., *ex tract. psal.* LXVII, tom. IV, part. I, col. 815 et seq.)

De vasis aureis et argenteis, etc., *usque ad* et fictilia. (Id., *ex lib. Retract.* II, tom. I, col. 638.

Stultas autem, etc., usque ad *qui resistunt veritati.* Mundo et simplici oculo opus est ut inveniatur via sapientiæ etc., *usque ad* veritatem. (Id., *lib.* II

de Serm. Dom. in monte, tom. III, part. I, col. 1273 et 1281.)

Ita nos nec deesse voluit fratrum correptioni, etc. *usque ad* correptionis aspergimus. (Id., *in exposit. epist. ad Gal.*, tom. III, part. II, col. 2143,)

Ne quando Deus, etc., usque ad *ad ipsius voluntatem*. Correptionis utilitas, quæ nunc est major, nunc minor, etc., *usque ad* respexit eum Dominus. (Id., *lib. de Cor. et grat.*, tom. X, part. I, col. 919 et seq.)

CAPUT III.

Hoc autem scito, etc., usque ad *magis quam Dei*. Qui hoc animo pascunt oves Christi, etc.. *usque ad* sed volens eam vicit. (Id., *tract.* 124 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, p. II, col. 1967 et seq.)

Vide quando dixit Apostolus, etc., *usque ad* comprehendi non potest. (Id., *epist. ad Hesych.*, tom. II, col. 912 et seq.)

Habentes speciem, etc., usque ad *hos devita*. In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, etc., *usque ad* conscientiæ bonæ interrogatio (Id., *lib. contra Faust.*, tom. VIII, col. 262 et seq.)

Certe jam renati ex aqua, et Spiritu, fratres nostri, etc., *nsque ad* et fundati. (Id., *serm. in epist. Joan.*, tom. III, p. II, col. 1994.)

Ponite corda vestra in virtute ejus, etc., *usque ad* in hac area. (Id., *tract. in psal.* XLVII, tom. IV, part. I, col. 541)

Sacramentum sancti lavacri nusquam est etc., *usque ad* Apostolus docet. (Id., *lib. de Agon. Christ.*, tom. YI, col. 307 et seq.)

Ex his enim sunt, etc.. usque ad. *pervenientes*. Divini cantici vox est, etc., *usque ad* intentio proficiendi. (Id., *tract.* 63 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1803 et seq.)

Quemadmodum autem, etc., usque ad *eripuit me Dominus*. Animositas hæreticorum semper inquieta est, etc., *usque ad* digitus Dei est hic (Id., *lib.* II *ad Joan.*, tom. II, col. 219.)

Ait Jeremias propheta: Clamavit perdix, etc., *usque ad* nota erit omnibus. (Id., *lib. contr. Faust. tit.* XIII, tom. VIII, col. 289.)

Et omnes etc., usque ad *patientur*. Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, etc., *usque ad* non rapuit exsolventem. (Id., *lib. de Past.*, tom. V, part. I, col. 275 et seq.)

Quod ait apostolus Paulus: Quicunque volunt in Christo pie vivere, etc., *usque ad* procurrit Ecclesia. (Id., *lib.* XVIII *de Civit Dei*, tom. VII, col. 613 et seq.)

Sensi in epistola tua, etc., *usque ad* corvum et columbam. (Id., *epist. ad Sebast.*, tom II, col. 1064.)

Verum est illud: Omnes qui volunt pie vivere, etc., *usque ad* qui eas curant. (Id., *tract. in psal.* LIV, tom. IV, part II, col. 634.)

Nemo sibi dicat: Fuerunt tribulationes, etc., *usque ad* nihil exeat. Id., *tract. in psal.* LV, col. 649.) Omnes qui secundum Christum pie volunt vivere, necesse est, etc., *usque ad* opprobrio et despectu. (Id., *tract. in psal.* CXXII, col. 1635 et seq.)

Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, etc., *usque ad* spiritui nostro. (Id., *in psal.* CXXVII, col. 1687 et seq.)

Ait Apostolus: Omnes qui volunt in Christo pie vivere, etc., *usque ad* non noverunt. (Id., *serm. de verb. Apost.*, tom. V, part. I, col. 910.)

Magnus bonorum labor est, etc., *usque ad* recedit a sua. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1869,)

Mali autem homines, etc., usque ad *ad omne opus bonum instructus*. Cæcus si cæcum ducat, etc., *usque ad* illorum fuit. (Id., *tract. in psal.* LIV, tom. IV, part. I, col. 664 et seq.)

CAPUT IV.

Testificor, etc., usque ad *patientia et doctrina*. Importunitas opportunitati utique contraria est, etc., *usque ad* miseria misericordes facit. (Id., *expos. Epis. ad Gal.*. tom. III, part. II, col. 2143 et seq.)

Quod errabat non revocastis, et quod periit non inquisistis, etc., *usque ad* ante tribunal Christi. (Id., *lib. de Past.*, tom. V, part. I, col. 278.)

Sonet verbum Dei volentibus, etc., *usque ad* aut spinas evellant. Id., *tract. in psal.* CXXVIII, tom. IV, part. II, col. 1689.)

Scio scriptum esse: In multiloquio non effugies peccatum, etc., *usque ad* erat necessarium. (Id., *lib.* CCLXIV *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1098.)

Erit enim tempus, etc., usque ad *sobrius esto*. Cavete timendo, et orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, etc., *usque ad* sicut cancer serpit. (Id., *tract.* 98 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col 1878.)

Ego enim jam delibor, etc., usque ad *maxime autem membranas*. Apostolus Paulus, quem certe invenimus sine ullis bonis, etc., *usque ad* et esse donum Dei. (Id., *lib. de Grat. et lib arb.*, tom. X, part. I, col. 890 et seq.)

Plus omnibus laboravi, ait Apostolus, etc., *usque ad* misericordia coronaris. (Id., *tract. in psal.* CII, tom. IV, part. II, col. 1321 et seq.)

Reposita est mihi corona justitiæ, etc., *usque ad* omnia præmia. (Id., *in psal.* CVIII, col. 1275.)

Quomodo potuit hæc dicere, cui adhuc restabat, etc., *usque ad* ut dimitteretur, orabat. (Id., *lib. de Spir et litt.*)

Qua Domini pollicitatione certus erat in illo fine, quem adhuc futurum jam fidendo, etc., *usque ad* diligunt nomen ejus. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1400 et seq.)

Apostolus ubi spem dat bonis de judicio, seipsum ponit, etc., *usque ad* et regnum ejus. (Id., *in psalm.* C, tom. IV, part. II, col. 1283 et seq.)

Intuentes igitur quod commemorasti de Apostolo etc., *usque ad* desideratur affectu. (Id., *epist. ad Hesych. episc.*, tom. II, col. 704 et seq.)

Defecit in salutare tuum anima mea. Bonus est ergo, etc., *usque ad* a credentibus non videtur. (Id., *in psalm.* CXVIII, tom. IV, part. II, col. 1557.)

Si enim amamus Christum, utique adventum ejus desiderare debemus, etc., *usque ad* modo quis prohibet. (Id., *in psalm.* CXLVII, tom. IV, part. II, col. 1913 et seq.)

Superest mihi corona justitiæ. Omnia dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis. Et tanto magis omnia dici possunt, quanto minus digne dici aliquid potest. Nam et lux est illuminatorum, et requies exercitatorum, et patria redeuntium, et esca indigentium, et corona vincentium : et quæcunque bona temporaliter transeuntia per creaturæ partes A error appetit infidelium, veriora in æternum manentia in Creatore omnium simul inventura est pietas filiorum.

Alexander ærarius., etc., usque ad *resistit verbis nostris.* Non ait reddat, sed reddet illi Dominus, etc., *usque ad* sæpe cecinerunt. (Id., *lib. de Serm. Dom. in monte* tom. III, part. I, col, 1265.)

Et redditione reddet vobis omnia mala, etc., *usque ad* vel fecit. (Id., *lib. Locut. Gen.*, tom. III, part. I, col. 502.)

In prima mea defensione, etc., usque ad *Amen.* Non orat pro Alexandro, etc., *usque ad* non exhibuerit. (Id., *lib.* I *de Serm. Dom. in monte.*, tom. III, part. I, col. 1266.)

IN EPISTOLAM AD TITUM.

ARGUMENTUM.

Titum commonefacit et instruit de constitutione presbyterii, et de spiritali conversatione, et hæreticis vitandis, qui traditionibus Judaicis credunt, scribens ei a Nicopoli.

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Dei, apostolus, etc. usque ad *Christo Jesu Salvatore nostro.*

Dicit Apostolus, tempora æterna, etc., *usque ad* futurum erat. (Id., *lib.* XII *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 365 et seq.

Si in principio temporis, etc., *usque ad* justum est enim. (Id., *lib.* I *de Gen. contr. Manich.*, tom. III, part. I, col. 174 et seq.)

Quæri potest quomodo ab Apostolo dictum sit, Ante tempora æterna, etc., *usque ad* tempus autem mutabile (Id., *lib. Quæst.*, tom. VI, col. 84.)

Hujus rei gratia, etc., usque ad *crimine est.* Nullus in Ecclesia recte posset ordinari, etc., *usque ad* remittantur. (Id., *lib. ad Boni, papam urbis*, tom. X, part. I, col. 563 et seq.)

Quemlibet valde justum discutias in hac vita, etc., *usque ad* non perfecta libertas. (Id., *tract.* 41 *in Joan.*, tom. III, part. II, col. 1697.)

Illa quæ *apathia* Græce dicitur, etc., *usque ad* esse pejorem. (Id., *lib.* XIV *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 415.)

Unius uxoris vir, etc., usque ad *sanctum, continentem.* Ecclesiæ dispensatorem non licere ordinari nisi unius uxoris virum, etc., *usque ad* semper est malum. (Id., *lib. de Bono conjug.*, tom. VI, col. 387 C et seq.)

Amplectentem eum, etc., usque ad *lucri gratia.* Inter multa, etc., *usque ad* servare res suas. (Id., *serm. de verb. Apost.* tom. V, part. I, col. 961.)

Quis enim audet apertissime loquendo contradi- A veritati, etc., *usque ad* non contradicit. (Id., col. 963.)

Eixit quidam ex illis, etc., usque ad *a veritate.* Jam illud non miror, quod homo, etc., *usque ad* secundum vos dixerunt. (Id., *lib. contr. inim. leg. et proph.*, tom. VIII, col. 646 et seq.)

Omnia munda, etc., usque ad *et conscientia.* Cum ait Apostolus. Omnia munda mundis, naturas ipsas intelligi voluit, etc., *usque ad* mens et conscientia. (Id., *lib. contr. Faust. tit.* LXI, tom. VIII, col. 497 et seq.)

Immundis autem et infidelibus nihil est mundum, etc., *usque ad* qui displicet. (Id., *in psalm.* CII, tom. IV, part. II, col. 1362.)

Immundis et infidelibus, quorum polluta sunt B mens et conscientia, etc., *usque ad* enuntiatur. (Id., *lib.* XII *de Trinit.*, tom. VIII, col. 1000 et seq.)

Confitentur se nosse, etc., usque ad *bonum reprobi.* Quicunque negat quod Jesus non sit Christus, etc., *usque ad* et contremiscunt. (Id., *serm. in epist. Joan.*, tom. III, part. II, col. 2027 et seq., et 2054 et seq.)

Vitia ovium late jacent, etc., *usque ad* ambos occidit. (Id., *lib. de Pastor.*, tom. V, part. I, col. 274 et seq.)

CAPUT II.

Tu autem loquere, etc., usque ad *nemo te contemnat.* Jejunium magnum et generale, etc., *usque ad* Salvatoris nostri Jesu Christi. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1529.)

CAPUT III.

Admone illos principibus, etc., usque ad *Amen.* Quis non intelligat in lavacro regenerationis, etc., *usque ad* per patientiam exspectamus. (Id., *lib. contr. Faust.* tom. VIII, col. 473 et seq.)

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

ARGUMENTUM.

Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo ejus, scribens ei ab urbe Roma de carcere per suprascriptum Onesimum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus vinctus Christi Jesu et Timotheus frater, etc., usque ad *teipsum mihi debes*. Philemonem
A scripsit Apostolus, ut non quasi ex necessitate, etc., *usque ad* pro bona voluntate. (Id., *lib. de Perfect. just. hom.* tom. X, part. I, col. 275.)

Ita frater ego, etc., usque ad *Amen*. Cum homine in Deo frueris, etc., *usque ad* incommutabili bono. (Id., *lib. de Doctr. Christ.* tom. III, part. I, col. 22 et seq.)

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

ARGUMENTUM.

In primis dicendum est cur apostolus Paulus in hac epistola scribendo non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui vel ordinis describeret dignitatem. Hæc causa est : quod ad eos scribens qui ex circumcisione crediderant, quasi gentium apostolus et non Hebræorum : sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem ipse demonstrans, meritum officii sui noluit anteferre. Nam simili modo etiam Joannes apostolus propter humilitatem in epistola sua nomen suum eadem ratione non prætulit. Hanc ergo epistolam fertur Apostolus ad Hebræos conscriptam Hebraica lingua misisse : cujus sensum et ordinem retinens Lucas evangelista, post excessum apostoli Pauli Græco sermone composuit.

CAPUT PRIMUM.

Multifarie multisque modis, etc., usque ad *hæredem universorum*. Erat ille dominus prophetarum, etc., *usque ad* dominus erat. (Id., *tract.* 24 *in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1595 et seq.)

Tempus constituit Dominus promissis, etc., *usque ad* creditum exspectaretur. (Id., *tract. in psal.* LXXIII.)

Per quem fecit et sæcula. Creaturæ motibus cœperunt currere tempora, etc., *usque ad* in ipso sunt omnia. (Id., *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1883.)

Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. In æternitate stabilitas est, etc., *usque ad* et Filius unus est Deus. (Id., *serm. de verb. Evang.* tom. V, part. I, col. 666 usque ad 670.)

Portansque omnia, etc., usque ad *faciens*. Creatoris omnitenentis, etc., *usque ad* gubernare cessaret. (Idem. *lib. Sent. Prosperi*, tom. X, part. II, col. 1882.)

Deus enim omnipotens et omnitenens, etc., *usque ad* quia idem ipse. (Idem, *lib.* VIII *de Gen. ad litt.*, tom. III, part. I, col. 391 et seq.)

Fundavit post omnia terram super firmamentum ejus, etc., *usque ad* in sæculum sæculi. (Idem, *tract. in psalm.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1353.)

Purgationem purgatorum faciens. Asperges me, inquit, hyssopo et mundabor, etc., *usque ad* munda-
B tam. (Idem, *tract. in psal.* L, tom. IV, part. I, col. 593.)

Sedet ad dexteram, etc., usque ad *omnes angeli Dei*. Quanquam possit etiam ille dies, etc., *usque ad* prædicat. (Idem, *in psal.* II, tom. IV, part. I, col. 71.)

Et ad Angelos, etc., usque ad *flammam ignis*. Et hoc, quamvis non videamus apparitionem angelorum, etc., *usque ad* minister Dei. (Id., *in psal.* CIII, tom. IV, part. II, col. 1348 et seq.)

Illam ipsam supernam atque cœlestem unde peregrinamur patriam, etc., *usque ad* republica. (Id., *lib.* III *de Trinit.*, tom. VIII, col. 873.)

Ad Filium autem, etc., usque ad *præ participibus tuis.* Erat sedes regni judicis temporalis pertinens ad eos qui sub lege, etc., *usque ad* dictus est Christus.
C (Id., *tract. in psal.* XLIV, tom. IV, part. I, col. 503 et seq.)

Messias Hebraice, Latine Christus est, etc., *usque ad* singulariter Christus. (Id., *tract. in Evang. sec. Joan.* tom. III, part. II, col. 1444.)

Dicis et ante incarnationem Christi, etc., *usque ad* a Jordane. (Idem, *lib.* I *contr. Maxim.*, tom. VIII, col. 782 et seq.)

Et tu in principio, etc., usque ad *anni tui non deficient.* In principio terram tu fundasti, Domine, etc., *usque ad* hoc solum vere est. (Idem, *in psal.* CI, tom. IV, part. II, col. 1312 ad 1315.)

Mutabis ea et mutabuntur, etc., *usque ad* si vis dies est. (Id., *psal.* CXXI, tom. IV, part. II, col. 1623.)

Non enim discernens, etc., *usque ad* quod erat. Id., *lib.* I *contr. Maximin.*, tom. VIII, col. 756 et seq.)

D *Ad quem autem*, etc., usque ad *scabellum pedum tuorum.* Sedet ergo a dextris Patris Filius, etc., *usque ad* indesinenter peragitur. (Id., *in psal.* CIX, tom. IV, part. II, col. 1460 et seq.)

Nonne omnes, etc., usque ad *capiunt salutis.* Substantia, vel si melius dici potest, essentia Dei, etc., *usque ad* Genesi scriptum est. (Id., *lib. de Trinit.*, tom. VIII, col. 881 et seq.)

CAPUT II.

Quæ cum initio, etc., usque ad *secundum suam*

voluntatem. Sed quid ultra differimus, etc., *usque ad* lex dabatur. (Id., *ibid.*, col. 885.)

Non enim angelis, etc., usque ad *non subjectum ei.*

Ex tractatu psal. VIII.

Omnis filius hominis, homo : quamvis non omnis homo, etc., *usque ad* spiritus subjiciuntur. (Id., *tract. in psal.* VIII, tom. IV, part. I, col. 103 et seq.)

Nunc autem necdum videmus, etc., usque ad *per passionem consummari.* Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre, etc., usque ad creatura Creatori. (Id., *lib. contr. Maximin.*, tom. VIII col 805.)

Quod itaque scriptum est ad Hebræos, etc., *usque ad* percipite regnum. (Id., *ibid.*, col. 787.)

Quid enim sanctificant, et qui sanctificantur ex uno omnes. Loquens Dominus ad Patrem et orans pro discipulis suis dicit : Sanctifica eos, etc., usque ad quod ipse sum ego. (Id., *tract.* 105 *in Evang. sec. Joan.*, tom. III, part. II, col. 1915 et seq.)

Et iterum : Ecce ego, etc., usque ad *participavit ejusdem.* Quod, quid est aliud, quam eorum particeps factus est, etc., *usque ad* habitavit in nobis, (Id., *in psal.* XVIII, tom. IV, part. I, col. 155.)

Ut per mortem, etc., usque ad *obnoxii erant servituti.* Poterat etiam hoc donare credentibus, etc., *usque ad* immortalitas consecuta. (Id., *lib.* II *de Bapt. parv.*, tom. X, part. I, col. 181 et seq.)

Desideremus vitam Christi, etc., *vsque ad*, plus amandus est. (Id., *serm. in verb. Evang.*, tom. V. part. I, col. 726 et seq.)

Nusquam enim angelos apprehendit, etc., usque ad *et eis qni tentantur auxiliari.* Cum omnibus modis medeatur, etc, *usque ad* ille sustinuit. (Id., *lib. de vera Relig.*, tom. III, part I, col. 134.)

CAPUT III.

Unde, fratres sancti, etc., usque ad *propter incredulitatem.* Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, etc., *usque ad* Dominus plebem suam. (Id. *in psalm.* XCIV, tom. IV, part. II, col. 1225 et seq.)

CAPUT IV.

Timeamus ergo etc., usque ad *nunquam de alia loqueretur posthac die.* Generatio, inquit, qeæ non direxit cor suum, *usque ad* et valet quod non valebat. (Id., *in psalm.* LXXVII, tom. IV part. I, col. 991.)

Itaque relinquitur,, etc. usque ad *teneamus spei nostæ confessionem.* Misericordias Domini in æternum cantabant, etc., *usque ad* nullus est finis. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 803 et seq.)

Non enim habemus pontificem, etc., usque ad *in auxilio opportuno.* Cum aliquoties in Scripturis inveniatur homines dictos esse sine querela, etc., *usque ad* esset caro peccati. (Id., *lib. de Nat. et grat.* tom. X, part. I, col. 253 et seq.)

CAPUT V.

Omnis namque pontifex, etc., usque ad *quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Erant sacrificia, antea Judæorum secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, etc., *usque ad* cujus nostis sacrificium. (Id., *in psal.* XXXIII, tom. IV part. I, col. 302 et seq.)

Sublatum est enim sacrificium Aaron, et cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Si natum ex utero, etc., *usque ad* a nobis acceptam. (Id., *in psal.* CIX, tom. IV, part. II, col. 1459.)

Etenim cum deberetis magistri esse, etc., usque ad *ad discretionem boni ac mali.* Cum jam deberetis tempore ipso esse doctores, etc., *usque ad* non subtrahitur fundamentum. (Id., *tract.* 98 *in Joan.*, tom. III, part. II, col. 1882 et seq.)

Sunt quidam homines, qui cum audierint quia humiles esse debent, etc., *usque ad* solido cibo. (Id., *in psal.* CXXX, tom. IV, part. III col. 1712.)

CAPUT VI.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, etc., usque ad *et ostentui habentes.* Ipsa ab Ægyptiis separatio, significat dicessionem, etc., *usque ad* mortificari ut vivamus. (Id., *lib. de Fide et operibus.*, tom. VI, col. 208.)

Terra enim, etc., usque ad *ad confirmationem est juramentum.* De cœlis nulla dubitatio est, etc., *usque ad* præparatur. (Id., *in psalm.* LXXXVIII. tom. IV, p. II, col. 1123.)

In quo abundantius volens Deus, etc., usque ad *pontifex factus in æternum.* Jacta in Deum curam tuam, etc., *usque ad* fluctuationem justo. (Id., *in psalm.* LIV, tom. IV, p. I, col. 644.)

Et incedentem, etc., *usque ad factus in æternum.* Impietates nostras tu propitiaberis. Tu sacerdos, etc., *usque ad* auferetur velamen. (Id., *in psalm.* LXIV, tom. IV, p. I, col. 777 et seq.)

CAPUT VII.

Hic enim Melchisedech, etc., usque ad *et non secundum ordinem Aaron dici* ? Locus diligenti consideratione *usque ad* resurrectionis exemplum (Id. *lib.* X *de Genesi ad litteram*, tom. III, p. I, col. 423 et seq.)

Translato enim sacerdotio, etc., usque ad *secundum ordinem Melchisedech.* Oportebat enim, ut evacuaturus, etc., *usque ad* ordinem Melchisedech. (Id. *Quæst. in Levit.*. qu. 83, tom. VI, col. 50.)

Reprobatio quidem fit, etc., usque ad *non sine jurejurando.* Circumcisio præputii, et cætera hujusmodi priori, etc., *usque ad* sepulturæ violator. (Id., *epist. ad Hieronym.*, tom. II, col. 281 et seq.)

Alii quidem sine jurejurando sacerdotes, etc., usque ad *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Dominus omnipotens dicit. Non est mihi voluntas, etc., *usque ad* perseverat in cœlo. (Id., *lib. adver. Judæos*, tom. VIII, col. 61 et seq.)

Talis enim decebat, etc., usque ad *Filium in æternum perfectum.* Evidenter Scriptura testatur, etc., *usque ad* incontaminabilis non haberet. (Id., *lib.* II *de Baptismo parvulorum*, tom. X, p. I, col. 162 et seq.)

Intelligere debemus, ne ipsos quidem superbissi-

mos, etc., *usque ad* et quod offerebat. (Id., *lib.* IV *de Trinit.*, tom. VIII, col. 901.)

CAPUT VIII.

Capitulum autem super ea quæ dicuntur, etc., usque ad *quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Audiamus ex Evangelio : quia lex per Moysen data est : gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Si enim discernimus, etc., *usque ad* Testamento revelata sunt. (Id., *in spalm.* LXXII, tom. IV, p. I, col. 930 et seq.)

Nam si illud prius culpa vacasset, etc, usque ad *prope interitum est.* Si quæratur a nobis cur non eo ritu colamus Deum quo coluerunt, etc., *usque ad* impletum probatur. (Id., *lib. contra Faustum*, tom. VIII, col. 501 et seq.)

Nempe in veteribus libris, etc., *usque ad* omne semen Israel. (Id., *lib. de Spiritu et littera*, tom. X, p. I, col. 221 et seq.)

Legem pone mihi, Domine, etc., *usque ad* non titulus honoris. (Id., *in psalm.* CXVIII, tom. IV, p. II, col. 1528 et seq.)

Sicut lex sanctorum scripta in tabulis lapideis, etc., *usque ad* qui datus est nobis. (S. Aug., *lib. de Spir., et lit.*, tom. X, p. I, col. 225 et seq.)

CAPUT IX.

Habuit quidem, etc., usque ad, *quod dicitur sancta.* Primat erat ingredienti porta atrii : quæ patebat viginti, etc., *usque ad* in Levitico scriptum est. (Id., *lib. Quæst. in Exod. in expositione tabernaculi, paulo ante finem*, tom. III, p. I. col. 670 et seq.)

Post velamentum autem, etc., usque ad *non est modo dicendum per singula.* Et dividet vobis velamen, etc., *usque ad* prhcipiuntur est figurat. (Id., *lib. Quæst. in Exod.*, qu. 112, tom. III, p. I. col. 635.)

Propitiatorium autem quid dicat, etc., *usque ad* in Dei misericordia. (S. Aug. *ibid.*, tom. III, part. I, col. 633 et seq.)

His vero ita compositis, etc., usque ad *usque ad tempus correctionis impositis.* Septem diebus vestiet se ea sacerdos, etc., *usque ad* misericordiam judicio. (S. Aug., *ibid.*, tom. III, part. I, col. 640 et seq.)

Christus autem, etc., usque ad *redemptione inventa.* Filius Dei fecit nos : factus est inter nos, etc., *usque ad* ipse sacerdos. (S. Aug. *in psal.* CXLIX, tom. IV, part. II, col. 1952 et seq.)

Si enim sanguis hircorum, etc., usque ad *ad emundationem carnis.* De juvenca rufa, cujus cinerem ad aquam aspersionis, etc., *usque ad* qui vere vir mundus est. (S. Aug., *in Num.* qu. 33, tom. III, part. I, col. 732 et seq.)

Quanto magis sanguis Christi, etc., usque ad *ad serviendum Deo viventi*? Hoc sacrificium, ubi sacerdos est victima, etc., *usque ad* et habitavit in nobis. (Id., *ser. de Sacr. vespertine*, tom. V, part. II, col. 1501 et seq.)

Et ideo Novi Testamenti mediator est, etc., usque ad *qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Primo enim* quod ita cœpit, etc., *usque ad* distinctione declaravit. (Id., *lib. Quæst. in Num.*, tom. III, part, I, col. 732 et seq.)

Ubi enim Testamentum, etc., usque ad *quod mandavit ad vos Deus.* Habeo, etc., *usque ad* possedit. (Id., *in psal.* LXXIX.)

Sicut Apostolus ad Hebræos dicit, Testamentum, etc., *usque ad* et ipse nobis. (Id., tom. VI, col. 86 et seq.)

Etiam tabernaculum, etc., usque ad *exspectantibus se in salutem.* De sacrificiis animalium quis nostrum, etc., *usque ad* implevit. (Id., tom. VIII, col. 346 et seq.)

CAPUT X.

Umbram enim habens, etc., usque ad *semel mundati.* Montem Sion istum quem habitasti in ipso, ubi erat populus ante, etc., *usque ad* umbræ tollerentur. (S. Aug., *in psal.* LXXIII, tom. IV, part. I, col. 934,)

Cur autem non dicam præcepta illa, etc. *usque ad* boni non fiant. (Id. *epist. ad Hieronym.*, tom. II, col. 281.)

Sed in ipsis commemoratio peccatorum, etc., usque ad *auferri peccata.* Manifeste Scriptura testatur, illum sanguinem, etc., *usque ad* præfigurabatur. (Id., tom. II, part. I, col. 703.)

Ideo ingrediens mundum dicit, etc., usque ad *ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Sacrificium et oblationem noluisti, ait Domino. Antiqui enim, etc., *usque ad* Deus meus, volui. (Id., *in psal.* XXXIX, tom. IV, part. I, col. 441 et seq.)

Sunt etiam qui universas, etc., *usque ad* et in Ecclesia. (Id., *in psal.* CL, tom, IV, part II, col. 1962.)

Sapientia ædificavit sibi domum, et suffulsit columnas septem, etc., *usque ad* participantibus ministratur. (Id., *lib. de Civitate Dei*, tom. VII, col. 555 et seq.)

Superius dicens, etc., usque ad *et sacerdotem magnum super domum Dei.* Verus ille mediator, in quantum formam etc., *usque ad* plenissimam perducemur. Id., *lib.* X *de Civitate Dei*, tom. VII, col. 298 et seq.

Accedamus cum vero corde etc., usque ad *quanto videritis appropinquantem diem* Fidelis Dominus in verbis suis. Quid enim promisit, etc., *usque ad* in omnibus operibus suis. (Id., *in psal.* CXLIV, tom. IV, part. II, col. 1880 et seq.)

Voluntarie enim peccantibus, etc., usque ad *reportetis promissionem.* Ecce enim Dominus, inquit, ut ignis veniet, etc., *usque ad* caro sunt. (Id., *lib. de Civitate Dei*, tom. VII, col. 692.)

Adhuc enim modicum, etc., usque ad *sed fidet in acquisitionem animæ.* Justi recti exultate in Domino, etc., *usque ad* et vincentem coronat. (Id.' *in psal.* XXXII, tom. IP. part. I, col. 279.)

CAPUT XI.

Est autem fides sperandarum substantia re-

rum, etc., usque ad *consecuti sunt senes.* Hæc est enim laus fidei, si quod creditur, etc., *usque ad* quæ non videntur. (S. Aug., *in Joan.*, tom III. part. IV, col. 1837.)

Fide intelligimus, etc., usque ad *quæ per fidem est, hæres est institutus.* Consideremus ea quæ fecit Deus, etc., *usque ad* usque nunc operatur. (Id., *de Gen. ad litteram*, tom III, part, I, col. 333 et seq.)

In principio fecit Deus cœlum et terram. Terra, etc., *usque ad* condidit mundum. (Id., *contra Manich.*, tom. III, part. I, col. 176 et seq.)

Fide qui vocatur Abraham, etc., usque ad *cujus artifex et conditor Deus.* Beatus Stephanus, etc., *usque ad* fuerat amputanda. (Id., *lib. de Civit. Dei.* tom. VII, col. 495 et seq.)

Fide et ipsa Sara sterilis, etc., usque ad *ad oram maris innumerabilis.* Ambo seniores erant, etc., *usque ad* est mortui. (Id., *lib.* XVIII *de Civit. Dei* tom. VII, col 507 et seq.)

Natus est itaque Abrahæ, etc., *usque ad* congaudebit mihi. (Id., *ex lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 510.)

Juxta fidem defuncti sunt, etc., usque ad *Paravit enim illis civitatem.* Quid est quod dixit Jacob, etc., *usque ad* Dominus pollicetur. (Id., *lib. Quæst. in Gen.* tom. III, p. I, col 590.)

Incola ego sum in terra, etc., *usque ad* peregrinatur a Domino. (Id., *in psalm.* CXVIII, tom. IV, p. II, col. 1518 et seq.)

Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem. Abraham et Isaac et Jacob, etc., *usque ad* custodit. (Id., *contra Faustum*, tom. VIII, col. 454.)

Fide obtulit Abraham Isaac, etc., usque ad *benedixit Isaac et Jacob et Esau.* Hanc ergo promissionem pater pius fideliter tenens, etc., *usque ad* spinis Judaicis coronatus. (Id., *lib.* XVI *de Civit. Dei* tom. VII, col. 511.)

Magna fides, magna pietas, etc., *usque ad* impossibile esse Creatori. (Id., *serm. de immolatione Isaac*, tom. V, p. I, col. 27.)

Fide Jacob moriens, etc., usque ad, *excipiens exploratores cum pace.* Quid est quod adoravit, etc., *usque ad* rei futuræ præ figurabatur. (Id. *Quæst. in Gen.*, tom III, p. 1, col. 583.)

Et quid adhuc dicam? etc., usque ad *repromissiones.* Abraham non solum non est culpatus, etc., *usque ad* miracula faciebat. (Id., *ex lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 35.)

Obturaverunt ora leonum, etc., usque ad *de resurrectione mortuos suos.* Pluralem numerum pro singulari positum esse intelligamus, *clauserunt ora leonum*, cum solus Daniel significari intelligatur. Et pluraliter dictum *secti sunt*, cum de solo Isaia tradatur. Sicut in psalmo etiam quod dictum est, *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum*, pluralem numerum pro singulari positum in Actibus apostolorum exponitur. Nam reges propter Herodem, A principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem psalmi adhibuerunt.

In Vetere Testamento, quando commendabas, etc., *usque ad* in Domino præcesserunt. (Id., *lib. de Grat. Novi Testamenti*, tom. II, col. 546 et seq.)

Alii autem distenti sunt, etc., usque ad *ut non sine nobis consummarentur.* Et in illis patribus, etc., *usque ad* Ecclesiæ meæ minimis meis. (*Ibid.*, tom. II, col. 549 et seq.)

CAPUT XII.

Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, etc., usque ad *atque in dextera sedis Dei sedet.* Tunc enim et lex impletur, etc., *usque ad* quas nusquam futurus. (Id., *lib de catechizandis Rudibus*, et tom. VI, col. 338 seq.)

B *Recogitate enim eum*, etc., usque ad *adversus peccatum repugnantes.* Perfectior in hac vita, etc., *usque ad* utique martyres. (Id,, *serm. de verb. Apost.* tom. V, p. I, col. 868.)

Et obliti estis consolationis, etc., usque ad *ergo adulteri et non filii estis.* In Christo sit quem vis esse Christianum, etc., *usque ad* in passionibus suis. (Id., *de Past.*, tom. V, part. I, col. 276.)

Flagellat autem omnem filium, etc., *usque ad* sine flagello. (Id., *in psal.* XXXVI et XXXVII, tom. IV, p. I, col 274.)

Quem enim diligit Dominus corripit, etc., *usque ad* in infirmitate perficitur. (Id., *in psal.* LXXXIX, tom. IV, p. II, col. 1145.)

Quando corripit Deus, etc., *usque ad* comparatio C creaturæ. (Id., *lib de Sent. Prosperi*, tom. X, p. II, col, 1882.)

Multum est autem quod, etc., *usque ad* unicum flagellatum. (Id., *in psal.* LXXXVIII, tom. IV, p. II, col. 1131.)

Misericors Dominus. etc., *usque ad* disciplinam pater ejus. (Id., *in psal.* CXIV, tom. IV, p. II, col. 488.)

Quia non repellet Dominus, etc., *usque ad* temporale est. (Id., *in psal.* XCV, tom. IV, p. II, col. 1205.)

Neque quisquam superbe de se præsumat, etc., *usque ad* convertetur in luctum. (Id., *in psal.* LXXIV, tom. VI, part. I, col. 946.)

Deinde patres quidem, etc., usque ad *in recipiendo* D *sanctificationem ejus.* Donec domemur et perdomemur, etc., *usque ad* parcat tibi et deserat te. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom, V, p. I, col. 376 et seq.)

Omnis autem disciplina, etc., usque ad *magis autem sanetur.* Disciplinam quam Græci appellant paideian *usque ad* justitiæ. (Id. *in psal.* CXVIII, tom. IV, part. 2, col. 1547 et seq.)

Ut nonnulli in Græco epistimin interpretati sunt, etc., *usque ad* reddet justitiæ. (Id. *lib.* XIV *de Trinit.* tom. VIII, col. 1836 et seq.)

Pacem sequimini, etc., usque ad *inquisisset eam.* Filii Dei sumus et agnoscamus quod filii ejus sumus

etc., *usque ad* desideramus. (Id., *serm. de visione* A *Dei.*, tom. II, col. 630.)

Quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat Deus etc., *usque ad* ut sanaret. (Id., *in psalm.* CIX, tom. IV, part. II col. 1446 et seq.)

Cujus vox movit terram, etc., usque ad *Etenim Deus noster ignis consumens est.* Videamus quid etiam Apostolus, etc., *usque ad* pars ima perierit. (Id., *lib. de Civit. Dei*, tom. VII, col. 683 et seq.

CAPUT XIII.

Charitas fraternitatis, etc., usque ad *tanquam et ipsi in corpore morantes.* Negavit Sara, dicens : Non risi, etc., *usque ad* in cœlos iissent. (Id., *in Gen.* tom III, p. I, col. 558.)

Quot occurrit Lot angelis, etc., *usque ad* receperunt angelos. (Id., *ibid.*, tom. III, p. I, col. 559.)

Exhibuit itaque hospitalitatem *usque ad* quis in eis esset. (Id., *contra Maximin.*, tom. III, col. 808,)

Et Abraham in tribus, et Lot in duobus viris Dominum agnoscebant. etc., *usque ad* receperunt angelos. (Id., *lib.* XVI *de Civit. Dei*, tom. VII, col. 509.)

Dominus mihi adjutor est, etc., *usque ad* adjutorio despicientur. (Id., *in psal.* CXVIII, tom. IV, p. II, col. 1496.)

Doctrinis variis usque ad *sed futuram inquirimus.* Leprosi non absurde intelliguntur, etc., *usque ad* præceptor abstergit. (Id., *ibid.*, tom. III, part. II, col. 1354 et seq.)

Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Qui timetis Dominum, laudate eum, etc., *usque ad oculi mei salutare tuum.* (Id., *lib. de Grat. Novi Testamenti*, tom. II, col. 357 et seq.)

Beneficentiæ autem etc., *usque ad promeretur Deus.* B Sacrificium visibile invisibilis, etc., *usque ad* lex pendet, et prophetæ. (Id., *lib. de Civitate Dei*, tom. VII, col. 282, et seq.)

Obedite præpositis vestris, etc., usque ad *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Audistis, fratres mei, etc., *usque ad* Amen. (Id., *serm. de verb. Evang.*, tom. V.)

AD FLORI DIACONI OPERA APPENDIX

(*Nostro Floro quædam carmina, sub nomine Flori Drepani in Bibliotheca maxima Patrum recusa, adjudicant nonnulli. Hæc vide, si placet, Patrologiæ tomo LXI, col.* 1981.)

CAPITULA EX LEGE ET CANONE COLLECTA.

(Apud Acherium, Spicileg.)

Hæc a domno Floro viro prudenti collecta sunt ex Lege et Canone.

Caput legum in Canonem receptum de cohertione Judæorum, et de auctoritate ac firmitate judicis et testimonii episcoporum : imperator Theodosius et Valentinianus Cæsar Almaghio viro illustri, præfecto prætorio Galliæ.

Quia religiosos populos nullis decet superstitionibus depravari, Manichæos omnesque hæreticos vel schismaticos, sive Mathematicos, omnemque sectam catholicis inimicam ab ipso aspectu urbium diversarum exterminari debere præcipimus, ne præsentium quidam criminosorum contagione fœdentur. Judæis quoque vel paganis causas agendi vel militandi licentiam denegamus, quibus Christianæ legis nolumus servire personas, ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infausti jubemus excludi, nisi his emendatio matura subvenerit. Data VII Id. Jul. Aquileiæ. Consule Theodosio Augusto et Valentiniano Cæsare III.

Constantinus ad Felicem præfectum prætorio.

Sanximus namque, sicut edicti nostri forma declarat, sententias episcoporum quolibet genere illatas, sine aliqua ætatis discretione inviolatas semper incorruptasque servari; scilicet pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur quidquid episcoporum fuerit sententia terminatum, sive utique, inter minores, sive inter majores ab episcopis fuerit judicatum apud vos, qui judiciorum summam tenetis et apud cæteros omnes judices ad exsecutionem volumus pertinere; multa enim quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat et promit C sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes utique causæ quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmantur, nec liceat ulterius retractari negotium quod episcoporum sententia deciderit.

Testimonium etiam ab uno licet episcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibato protulerit. Hoc quod nos edicto salubri aliquando censuimus, hac perpetua lege firmamus.

Ex concilio Carthaginensi.

Ipse se indignum Ecclesiæ consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo sæculare poscit auxilium, cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad eum deferri, atque ibi determinari D præcipiat.

Quod nemo clericus ad testimonium dicendum compellatur. Ex concilio Carthaginensi.

Non liceat clericum in judicium ad testimonium devocari, cum qui cognitor alias præsens, et nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.

Item ibi.

Quicunque ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum petiverit, honore proprio privetur.

Imperatores Valentinianus, Theodosius et Arcadius.

Continua lege sanximus nomen episcoporum vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi judices suos, nec quidquam gis publicis commune cum legibus.

Imperator Theodosius et Valentinianus Cæsar.

Privilegia ecclesiarum vel clericorum omnium prona devotione revocamus scilicet, ut quidquid a divid principibus singuli quique antistites impetrarunt, jugi soliditate servetur, nec cujusquam audeat titillare præsumptio, in quo nos nobis magis præstitum confitemur.

Quod clerici episcopali audientiæ reservari jubentur.

Clericos igitur omnes, quos indiscrete et ad sæculares judices debere deduci, infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est ut divini numeris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.

Imperator Honorius et Theodosius Augg.

Vacent ecclesiæ solis quibus bene consciæ sunt divinæ prædicationis officiis. Cuncti in orationibus celebrandis horarum omnium momenta consumant. Gaudeant nostra in perpetuum liberalitate munitæ, quarum nos erga cultum pietate et æterna devotione gaudemns.

Imperator Honorius et Theodosius.

Episcopos vel presbyteros, diacsnos et quoscunque inferioris loci Christianæ legis ministros, ab episcopis solum, non ab olio oportet accusatos audiri.

Theodosius et Valentinianus Augg.

Audemus quidem sermouem facere sollicite, plus timore capti de sanctis venerabilibus sacerdotibus et secundis sacerdotibus, vel etiam Levitis, et eos cum omni timore nominare, quibus terra caput inclinat.

Et post pauca.

Quod in sacerdotibus Ecclesia constat.

De obnoxiis vero inquiunt :

Si quis ambulaverit cum episcopo, vel cum presbytero, vel etiam cum diacono, sive in platea, sive in agro, sive in quolibet loco, nullo pacto retineri vel obstringi jubemus. Quoniam in sacerdotibus Ecclesia constat.

K. Reges isti Christianissimi, qui tanta reverentia de Ecclesia loquuntur, non frustra audierunt: *Et nunc, reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei in tremore*(*Psal.* II, 11, 12.) Mira autem et vera sententia, quod ecclesia non tam in lapidibus quam in sacerdotibus constat. Et ideo juste nunc et religiose sancitur, ut reverentia quæ altari et templo exhibetur, eadem sacerdotibus exhibeatur; et sicut hoc est, ut juxta templum vel altare ibi nemo reum et crimini vel etiam morti obnoxium contingat; ita neque a latere episcopi, presbyteri et diaconi quolibet loco abripere vel contingere audeat.

Item ibi ex concilio Carthaginensi qualiter episcopus presbyter et diaconus purgari debeant.

Si quis episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, et fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis, et presbyter a sex episcopis cum proprio suo episcopo audiatur, et diaconus a tribus.

Item tibi.

Quisquis episcoporum, presbytorum et diaconorum seu clericorum, cui in ecclesia fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali: in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit.

Ex epistola episcopi ad imperatorem de baptizatis Hebræis.

Postquam divinæ gratiæ auxilio et vestræ pietatis patrocinio, juxta auctoritatem divinæ legis et ecclesiasticorum Patrum constituta pro Judæorum illuminatione cœpimus laborare adjuvante eadem divina gratia conversi sunt plures ex eis ad Dominum, tam viri quam feminæ, majores natu et juvenes, adolescentes et pueri, et cum eis etiam seorsum aliqui ex servis et ancillis. Cnmque hic numerus cœpisset multiplicari, et gaudium matris Ecclesiæ de salute conversorum in dies augeri, cœperunt conversi invitare aversos ad eam quam cognoverant veritatem, maxime pueros et innocentes, eo quod cæteri magis existant duri utpote invaterati dierum malorum. Cœperunt ergo pueri et adolescentuli quod videbant in istis, desiderare fieri in seipsis, et maxime ut arbitror, quia per singula Sabbata a fratribus et sacerdotibus nostris in synagoga verbum Domini prædicatur. Quod cum impii sensissent parentes, cœperunt eos furtim et maxime nectibus ab inferiores provinciæ partes, id est Arelatem urbem, dirigere quo magna eorum multitudo tam ex Cabilonense quam ex Matacensi et Viennensi civitatibus translata est. Quod cum mihi ab eisdem qui crediderant Judæis dolenter nuntiatum fuisset, jussi eos qui residui erant, absque læsione vel damno aliquo in præsentiam meam sub conspectu Ecclesiæ deduci, ut si qui inter eos essent qui nostra desiderarent, pateret eis janua matris Ecclesiæ, ereptis de manibus impiorum. Statim igitur, mirabile dictu! sex pueruli priusquam ab aliquo exhortari cœpissent, sacerdotum nostrorum pedibus provoluti profitebantur se velle baptizari, atque ut ad me perducerentur orabant. Cumque perducti essent, similiter supplicsntes et rogantes omnium gratulatione suscepti sunt. Post vero et alii numero quadraginta septem qui idem professi sunt, quos omnes sub conspectu Dei et Ecclesiæ bonis et fidelibus fratribus tradidi instruendos, et in solemnitate Paschali generalis lavacri celebritate baptizandos et nutriendos Domino. Reliquos vero, in quibus nihil boni desiderii vel petitionis agnovi, restitui intactos parentibus suis.

Vestræ et bonitatis, vestræ orthodoxæ Christianitatis et pietatis, quatenus et isti absque interpellatione atque inquietudine malignorum tranquille in filios Ecclesiæ educentur, et illi qui crudeliter ne salvi fierent ab impiis Arelatem translati sunt, per episcopum ejusdem Ecclesiæ a vestra serenitate diligenter admonitum, et ad divinum opus exercendum alacriter instigatum similis aliquid gratiæ auxiliante Domino consequantur. Si enim magnæ eleemosynæ opus est in causis temporalibus aliquem vi oppressum eripere, aut ex bestiæ alicujus faucibus rapere, quanto major de illo merces speranda est, qui vel ab impiis hominibus, vel a malignis spiritibus ne ad Deum venire possit opprimitur, sicut potestas et facultas congrua datur, valuerit ad salutem lucrari. Testatur hoc apostolus Jacobus exhortans et dicens : *Si quis autem erraverit a veritate, et converterit quis eum scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* v, 19, 20).

FLORI EPISTOLA AD IMPERATRICEM JUDITH.

Incipit (*a*) *epistola Julii Flori ad Judith imperatricem uxorem* (sic ; leg. *matrem*) *Karoli Calvi de sequentibus libris.*

Domina Augusta et felicissima Judith, dum in humanis quo altius adcrescas non inveniatur rebus, quia, si de viro agitur, quis nobilior imperator aut sapientior in divinis seculariumve disciplinis Ludovico Cesare invicto? nec mirum talem protulisse excellentissimo Augusto secula sobolem Carolo ; si autem de venustate corporis, ut absque adulationis fusco proferam quod verum est, pulchritudine superas omnes quas visus vel auditus nostræ parvitatis comperit reginas ; sin autem de prole, nonne mundi gloria et hominum delectatio Carolus? qui elegantia corporis ac moribus optimis seu agili prudenciæ studio inmaturam vincendo propriam superat etatem, ut videatur avus ejus non obiisse, sed pocius, detrusa caligine somni, novum illustrare orbem ; siquidem in nepote inmortale ingenium, una cum nomine decor et virtus splendeant ; quamobrem dum in temporalibus nihil desit rebus ut augmento careas, studio sapiencie dilataris ut excellentior retro seculis imperatricibus reperiaris. Igitur indita a Deo vobis sapientia et naturaiis ingenii seientia attonitum me reddidit inter ceteros auditores. Quam in divinis et liberalibus studiis ut vestræ eruditionis novi facundiam, obstupui, mecumque deliberans ut aliquid munusculum meo labore congestum vestræ offerrem almitatis flagrantiæ, igitur ab Octaviano Augusto et Domini nativitate salvatoris nostri sæculum adgressum scribendo opus peregi usque ad regna Francorum et Langobardorum, deficientibus Romanorum imperatoribus seu judicibus ab Italia, et Gallis Gothorumque regibus qui successerant ab eis etiam depulsis . Quod videlicet opus quinque distinxi in libris. His enim, velut in speculo, per vestram sanctissimæ devotionis ammonicionem atque jussionem, Carolus gloriosissimus vestre filius excellencie inspicere quid agendum vel quid vitandum sit poterit. Decet enim, dominam te venerabilem unicum erudire filium nostræ jocunditatis et novi seculi regem ; memor Bethsabee quæ itidem priscorum erudivit sapientissimum seculorum regem, ut idem de se ait : « Nam et ego filius fui patris mei tenellus et unigenitus coram matre mea. Et docebat me atque dicebat : suscipiat verba mea cor tuum, custodi precepta mea et vives. Posside sapientiam, posside prudentiam, ne obliviscaris neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam et custodiet te, dilige eam, etc. » Bis autem, prout de Domini confidimus pietate, sacris jussionibus vestris parebit, et inter ceteras materne dilectionis admoniciones hos libellos sue non dedignabitur contradere memorie, quibus imperatorum gestis sanctorumque triumphis, atque doctorum magnificencium doctrinis illustratus caucius quid agendum sit sive subtilius inveniet quid sit vitandum. Igitur hos codicellos vestræ dilectionis amor me, Domina semper augusta, scribere compulit, quid vestræ almitatis et inmortalis sapientiæ judicium expectant. Quod si judicando consequantur laudem, vestræ reputabitur eternaliter memoriæ, quoniam sacratissimum nomem vestrum Judith *judicans* sive *laudans* interpretatur.

(*a*) Hanc epistolam ex codice ms. Abrincensis bibliothecæ, olim monasterii S. Michaelis *in periculo maris*, edidit D. Ravaisson in appendice libri cui titulus : *Rapport au ministre sur les bibliothèqnes de l'Ouest.* De quibus hic agitur historiarium libri, quorum fragmenta dedit Labbeus Bibliothecæ Manuscriptorum tomo III pag 190, an Flori nostri sint dubitandi locus. EDIT.

ANNO DOMINI DCCCLXII.

B. SERVATUS LUPUS

PRESBYTER ET FERRARIENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN SERVATUM LUPUM

(Apud Baluz. in notis ad epistolas Lupi.)

Sancta fuit apud Ferrariense memoria Lupi. Sane ex illius operibus apparet virum fuisse moris antiqui. Natus est autem, quantum conjectura assequi datur, in provincia Lugdunensi quarta, ex clara haud dubie familia, sub imperio Ludovici Pii. A puero deditus fuit studiis litterarum. Factus monachus Benedictinus in monasterio Ferrariensi, ab Aldrico abbate suo, qui Senonensis postea antistes fuit, in Germaniam, cum diaconus jam esset, studiorum causa missus est ad Rabanum abbatem Fuldensem, celeberrimum per eas tempestates sacrarum Scripturarum interpretem. Illic, facilitate morum, sibi conciliavit amicitiam plurimorum, magnamque hinc famam eruditionis ac pietatis reportavit in Galliam Anno 838, x Kal. Octobris, haud multo post reditum ex Germania suum, Ludovico Pio imperatori præsentatus a Judith Augusta, et turbæ aulicorum immistus, in spem dignitatis proximam adductus est ; et paulo post ordinatus est presbyter. Tandem quia Odo abbas Ferrariensis (a) *atrocium facinorum manifestus, Karoli Calvi Francorum regis animum in*

(*a*) *Ferrariensis.* Vetus et nobile monasterium diœceseos Senonensis, eo etiam nobilius, quod Lupum quondam habuerit abbatem. In Vita Ludovici Pii scriptum est, ipsum reparasse « monasterium sanctæ Mariæ et sancti Petri Ferrariis, quod antiquitus Bethlehem vocabitur : in cujus curia pater ejus Pipinus occidit leonem ; et ipsemet a Stephano papa Romano in regem honorifice consecratus est

se concitaverat, ejus auctoritate amotus est a regimine illius monasterii, quod commissum est Lupo. Is ergo cum præcepto Caroli illuc accedens, a monachis electus est X Kal. Decembr. anni 842. Pridie dein Kalendas Carolus ei donum abbatiæ confirmavit. Nondum tamen Odo paruerat jussis principis. Itaque Lupus, cui pellendi Odonis delegala cura a Carolo, illum hinc abscedere fortiter compulit. Præbuit istud materiam novis sermonibus, ac si Lupus Odoni comparasset insidias, per fraudemque potius ac vim quam canonice factus esset abbas Ferrariensis. Sed ipse eam calumniam expurgavit in epistola scripta ad Jonam episcopum Aurelianensem. Anno 844 functus est legatione pro Carolo in Burgundia, annoque eodem exeunte habita fuit synodus episcoporum apud Vernum palatium regium, cui interfuit Lupus noster. Tantaque tum erat ejus fama, ut, licet hic adesset Hincmarus, Lupus tamen ab universa synodo rogatus sit scribere canones in ea decretos. Anno 847 interfuit conventui apud Marsuam, secus Trajectum : quo Lotharius imperator, Ludovicus rex Germaniæ, et Carolus Calvus rex Francorum, convenerant, pacis causa. Per eas tempestates, anno nimirum 849, ut ego arbitror, a Carolo missus est ad Leonem IV papam ; et anno 845 interfuit concilio Suessionensi, in cujus actione II legit volumen gestorum depositionis Ebbonis Rhemorum archiepiscopi. Pervenit autem usque ad tempora Nicolai I papæ ; obiitqae post annum 861. Familiares habuit præstantissimos quosque sui sæculi viros, Hincmarum Rhemensem, Rabanum Moguntinum, Wenilonem Senonensem, Heriboldum Antissiodorensem, Pardulum Laudunensem, Prudentium Tricassinum, Jonam Aurelianensem, Odonem Bellovacensem, Æneam Parisiensem, Eginhardum abbatem Seligenstadiensem, Hilduinum, Ludovicum, et Hugonem S. Dionysii, Ratbertum Corbeiensem, Ratramnum monachum Corbeiensem, Gotteschalcum monachum Orbacensem, et alios plurimos. Atque hæc omnia, et multo plura, colligi abunde possunt ex ipsius Lupi epistolis, aliisque illius ævi monumentis.

in eadem ecclesia. »Illic ab Ansegiso Senonensi archiepiscopo, paulo post Lupi ætatem, coronati sunt Ludovicus et Carlomanus, filii Ludovici Balbi regis.

NOTITIA BIBLIOGRAPHICA.

A Servatus Lupus presbyter, et ab anno 838 (*a*) abbas monasterii sancti Petri quod Bethehem sive Ferrarias dicitur in diœcesi Galliæ Senonensi ordinis S. Benedicti, Rabanum Maurum præceptorem suum vocat epist. 40, qui ejus adhuc diaconi rogatu Collectarium in Epistolas Pauli fecit. Abbas Lupus anno 853 concilio Suessionensi interfuit, et superstes adhuc fuit post anno 851, ut a Caveo bene notatum. Scripsit anno 849 (*b*) *librum* et *collectaneum* testimoniorum (*c*) *de tribus quæstionibus*; de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum et malorum, et de sanguine Christi effuso pro omnibus, ut omnes vult salvos *Deus*, quamquam culpa propria non omnes salvantur. Edidit, post mancam in Belgio anno 1648 Donati Candidi editionem, Sirmondus anno 1 50, unde recusa in Sirmondi operibus tom. II, p. 1227, et Gilbertus Manguinus Paris. 1650 4° in parte altera tomi primi Scriptorum sæculi IX de Prædestinatione et Gratia, sub titulo commentitio *Lupi Servati, presbyteri Moguntinensis*. Consulendus etiam Lud. Cellotius in Hstoria Gotteschalci, Paris. 1655 fol.

Capitula XII concilii II *in Verno palatio* anno 844 *habiti*, quæ stylo suo comprehensa ad Hincmarum se direxisse scribit Lupus epist. 4 , edita in tomis Conciliorum et in Sirmondi Conciliis Galliæ, tom. III, pag. 17, at apud Carolum Le Cointe, tom. VIII Annalium Francorum, pag. 742.

Liber epistolarum CXXX (*d*) ex Papyrii Massoni editione Paris. 1588 8° et in Bibl. Patrum edit. Colon. tom. IX, sed ad mss. codicem emendatus, in Andreæ du Chesne tom. II Scriptorum de rebus Francorum, pag. 726.

Vita S. Maximini episcopi Trevirensis, anno 839 scripta ad Waldonem : edita s Surio 29 Mail, sed omissa ab Henschenio tom. VII Mail, quoniam antiquiora Acta ait se nactum anonymi Sanmaximiensis ex quo Lupus sua expresserit, quia a scriptore miraculorum Maximini, *Lupus episcopus* appellatur. Ex hac Vita quædam de Carolo Martello affert Baronius ad annum 741, n. 15; unde factum ut *Caroli Martelli gesta* a Lupo tradita quidam scripserint. De Maximo illo adeundus Tillemontius tom. VII Memoriarum, p. 247, 694 seq.

Vita S. Wigberti, abbatis Fritzlariensis in Hassia; ad Bunum, sive Brunum, (*e*) abbatem Herveldensem sive Hirsfeldensem, edito a Joannes Busæo S. J, ad calcem epistolarum Hincmari Rhemensis, et Constitutionum Caroli Magni, Moguntiæ 1602 4°, p. 339. Scripta anno 836.

Homiliæ duæ in solemnitates S. Wigberti, et *hymni totidem* vulgati sub Lupi nomine ab eodem Busæo in paralipomensis Opusculorum Petri Blæsensis, Joan. Trithomii aliorunque, Mogunt. 1604 8° Hæe Lupi scripta recensuit atque eruditis notis illustravit Stephanus Baluzius Paris. 1664 8°, quæ editio recusa in Bibl. Patrum Lugd. 1672, tom. XV, statim in limine. Sed prodiit deinde iterum Lupus (licet titulus Antuerpiam præferat) 1710 8°, ex se- B cunda laudati Baluzii recensione. Vide Acta Erudit. 1715. p. 205.* Vitam S. Maximini Baluzius scriptori huic tribuit: reliqui tamen omnes Lupo alteri Catalaunensi episcopo, qui cadente sæculo IX florebat, ascribendam esse censent. Vide auctores Historiæ litterariæ Gallicæ, tom. V, pag. 267. Ita pariter Homilias geminas in solemnitate S. Wigberti alterius esse criptoris ex styli diversitate viri illi docti dijudicant: opinanturque insupor unicam esse homiliam in geminas dissectam; altera enim ex illis incipit: *Restat;* quod Sermonis continuationem non ambigue demonstrat.

Sermonem Lupi (sed certe junioris, *Wulfstani* forsan (*f*) de quo infra, archiep. Eboracensis et episcopi Vigorniensis, *super incursu Dacorum* sive Danorum anno 1094, edidit Anglo-Saxonice et Latine Georg. Hickesius in diss. epistolari tom. II Thesauri septentrionalis, p. 99, 106. Axon., 1703 fol., et alterum *in festum S. Jodoci*, mss. in Bibliothecis Angliæ exstare Caveus adnotavit. C

(*a*) Baronius ad an. 838, num. 6.
(*b*) Sigebertus, cap. 94 de S. E.
(*c*) Cœlestini papæ, Augustini plura, tum Hieronymi, Philippi in Jobum, Gregorii papæ, Fulgentii Ruspensis, Joannis diaconi Rom., Isidori episc., Bedæ. et Joannis CPolitani sive Chrysostomi, rejectis iis quæ in contrariam sententiam Faustus Regensis scripsit.
(*d*) In his 128 et 129 sunt illæ duæ epistolæ ad Carolum Calvum et Hincmarum Rhemensem, quas cum libro de tribus Quæstionibus Sirmondus vulgaverat.
(*e*) Nide Vossium, II, 35, pag. 317.
(*f*) Vide Humfredi Wanleji Catalogum librorum Veterum septentrialonum. pag. 140 seq., in tomo secundo Thesauri Hicketiani.

B. SERVATI LUPI

PRESBYTERI ET ABBATIS FERRARIENSIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

OPERA

STEPHANUS BALUZIUS Tutelensis in unum collegit, epistolas ad finem vetustissimi codicis emendavit notisque illustravit.

(Juxta editionem anno 1710 datam et posterioribus curis ab ipso Baluzio multis in locis auctam atque emendatam.)

STEPHANI BALUZII PRÆFATIO.

Annus agitur centesimus et vicesimus ex quo vir A clarissimus Papirius Massonus in publicum emisit epistolas Lupi, abbatis monasterii Ferrariensis, descriptas ex veteribus membranis ejusdem monasterii, quarum illi copiam fecerat Petrus Daniel ballivus fani sancti Benedicti ad Ligerim. Sane dubium non est quin plurimum debeamus eruditis vigiliis Massoni, qui nonnullos veterum scriptorum libros e tenebris eruit quibus fortean hactenus careremus. Sed tamen optandum esset ut quam in conquirendis veterum lucubrationibus diligentiam adhibuit, eamdem in edendis adhibuisset, neque totam fiduciam collocasset in amanuensibus et librariis. Nam his imputandum arbitror quod vetustos auctores a Massono editos tam fœde maculatos habemus. Neque enim suspicari licet eam in Massono sive oscitantiam sive B supinitatem fuisse ut in singulis fere lineis recederet a codicibus quibus utebatur. Et tamen certum est nullos auctores indiligentius esse tractatos quam quos Papirii Massoni cura vulgavit. Exemplo sint opera Agobardi, archiepiscopi Lugdunensis, et Gesta Collationis Carthaginensis inter catholicos et Donatistas. Et Gestorum quidem exemplar vetus, illud ipsum nimirum quo usus est Massonus, exstat hodie in bibliotheca Colbertina, sed adeo diversum ab editione Massoni, ut ea deinde ad ejusdem codicis fidem recudenda fuerit studio Petri Pithœi viri eruditissimi et in hujuscemodi rebus multum exercitati, a nobis demum multo felicius emendata et edita in tomo primo nostræ collectionis Conciliorum. Agobardi vero codex manuscriptus, quo usus est Massonus exstat, in bibliotheca regia. Hunc ego codicem C manibus meis tractavi, contuli cum edito, et compertum habeo editionem Massoni immensum differre a veteri codice. Neque ego tamen id primus adnotavi, sed Franciscus Juretus vir clarissimus. Is enim in notis ad epistolam 91. Ivonis Carnotensis, afferens locum illum ex epistola Agobardi ad imperatorem Ludovicum Pium, *reiculas illas pro quibus contendit, arbitrari ut stercora*, admonuit sic scriptum se vidisse in codice antiquo Papirii Massoni. Nam vulgata editio corrupte obtrudit *recusias illas*; quam Jureti observationem esse verissimam ego quoque deprehendi. Itaque optandum esset, ceu diximus, ut paulo diligentiorem operam in his suis editionibus adhibuisset Massonus. Ex eadem porro indiligentia factum est ut Lupi epistolas habeamus fœdissime conspurcatas, adeoque miseras ac perditas, ut si Lupus hodie reviviseeret, vix se ipse, opinor, agniturus esset. Quo factum est ut, cum vir eruditus Andreas Duchenius vestustum codicem Lupinarum epistolarum nactus esset, novam earum editionem adornaverit ac publicaverit: in qua, ut id dicam quod res est, quamplurimos errores sustulit, non tamen omnes. Erant enim adhuc multo plura quæ emendatione indigebant. Tandem ad me ventum est, Lector, novissimum editorem operum Lupi abbatis Ferrariensis. Itaque necessarium videtur nonulla præfari de nova hac editione et tecum paucis agere de hoc meo instituto.

Cum primum ad hæc stndia, quæ nunc exercent viros eruditos, animum appuli, id mihi negotii credidi in primis dari ut, si quo modo possem, ea converterem in usum publicum. Et a puero magna mihi semper antiquitatis cura. Itaque semper amavi excutere forulos bibliothecarum, sic existimans futurum ut aliquid fortuito nanciscerer quod utiliter in publicum ederetur; vel si obtineri id non posset, saltem vetustos editorum auctorum codices reperirem, quorum ope renovari et restitui possent ea quæ jam edita fuerant. Id vero jam satis feliciter, opinor, tentatum est in Salviano Massiliensi et Vincentio Lirinensi, quos dedimus et meliores et emendatiores. Tandem anno 1664 vir eruditissimus ac mihi amissimus Nicolaus Cocquelinus, doctor et socius Sorbonicus, mihi utendum dedit vetustissimum codicem, optimæ illum notæ, in quo continentur epistolæ Lupi abbatis Ferrariensis, qui nunc exstat in bibliotheca Colbertina. Hunc ego codicem avide statim contuli cum edito; adeoque discrepare ab eo vidi editiones ut non ultra dubitaverim qui denuo recudendæ essent illæ Lupi epistolæ.

Ergo si quid in hac editione discrepare videris a superioribus, neque in notis admonuero emendationes esse meas, scito mutationem quæ contigit, a codice veteri profectam esse. Nisi si interdum loci veterum scriptorum qui a Lupo laudatur, ex melioribus editionibus vel ex antiquis codicibus manuscriptis restituti sunt; exempli causa, locus unus ex Augustino, alter ex Justino sive Trogo Pompeio, itemque alius ex alio quopiam scriptore.

Quoniam vero Lupum abbatem haud alium esse puto quam Servatum Lupum presbyterum, cujus exstant nonnullæ lucubrationes seorsim editæ, eas quoque hic adjici curavimus; ut in eodem volumine haberes, Lector, quæcunque lucubrationes Lupo Ferrasiensi tribuuntur ab eruditis.

De auctore porro nihil est impræsentiarum quod dicam cum et breviarium vitæ ejus habeas in initio notarum mearum, et passim vitam ejus illustraverim in ipsis notis. Habes præterea, post hanc præfationem, illustrium scriptorum testimonia, quæ sufficere tibi abunde possunt.

Vale, Lector; et si quid emendatione arbitraberis indigere, admoneto. Dabimus enim operam ut corrigatur.

ELOGIA DE B. LUPO.

Rodolphus, presbyter et monachus, in Vita Rabani abbatis Fuldensis.

In epistolas quoque Pauli, hortatu Lupi diaconi. Collectarium fecit, colligens de diversis opusculis sanctorum Patrum sententias eorum, et in ordinem disponens, in triginta libris illum determinavit.

Rabanus, archiepiscopus Moguntinus, in epistola ad Samuelem, episcopum Vormaciensem.

Quia audivi quamdam partem laboris mei, quem in expositionem sacrarum Scripturarum, prout potui, elaboravi, vos habere velle, et maxime in Epistolas B. Pauli apostoli, transmisi sanctitati vestræ quemdam Collectarium de sanctorum Patrum opusculis in easdem epistolas, quem nuper rogante Lupo monacho atque tunc diacono confeci.

Ejusdem Rabani epistola ad Lupum.

Venerando fratri et commilitoni Lupo Christi ministro Rabanus servus servorum Dei in Domino salutem. Postquam desiderabili præsentia tua, etc. *Reliqua vide inter Opera B. Rabani Mauri, hujusce Patrologiæ tom.* CXI, *col.* 1273.

Gotteschalcus in epistola ad Ratramnum monachum Corbeiensem, loquens de libro Lupi de tribus quæstionibus.

Nempe tribus horum studui proprium indere sensum,
Mateaudo, bonæ, atque Lupo rutilantibus ore,
Poscens obnixe satagant ut vera referre.
Nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit uno:
Qui cum sit cantus simul et catus, est moderatus,
Sic jam terna sui librans responsa libelli,
Ut dempto neutri pleno discrimine parti
Congruat (*a*).

Ex Actis concilii Suessioniensis habiti anno 853.

Residentibus in synodo venerabilibus episcopis in nomine Domini, Hincmaro, Rhemensis Ecclesiæ archiepiscopo, Wenilone Sennense, etc. Residentibus etiam presbyteris et abbatibus, Dodone, abbate monasterii sancti Savini; Lupo, abbate monasterii Bethlehem, quod Ferrarias dicitur, etc.

Item ex Actione 2 ejusdem concilii.

Et revelatum est volumen illud (*scilicet Gesta depositionis Ebbonis, archiepiscopi Rhemensis*) synodo coram principe glorioso Carolo a Lupo, venerabili presbytero et abbate in monasterio sancti Petri quod Bethlehem vel Ferrarias dicitur.

Ex vita sancti Faronis, episcopi Meldensis, scripta ab Hildegario, ejus successore, cap. 118.

Publicatam siquidem ex tertia persona rem admodum mirabilem hac insertione notavimus ut posteris quoque futuris sit monimentum. Nam non de incerta alicujus fama hoc dictum ab imo emanabit mentis, sed de illius ore accepimus cui ostensum est mirabiliter, qui dicitur de nomine Lupus, ornatus luce sapientiæ, pastor modo pro religione sanctitatis in monasterio famosissimo Ferrariensi, ubi cœtus monachorum in Christo cum illo toto orbe est venerandus. Hic vero cum in viridi ætate, videlicet juvenili, studio sophiæ floreret, et ob hoc ab abbate suo, qui vocabatur Odo, cujus amor spiritualis reverendissimum cunctis præstabat, dulcissime tractaretur, quoniam altera spes illius loci ex beneplacitis initiamentis jam præmeditabatur, accidit aliquando abbati præfato itinere eum sibi sociari quo palatium quod vulgo dicitur Franghenewrt attingeret. Qui cum jam longitudinem viæ dispositæ superasset ex parte, parsque residua ad superandum sollicitasset, forte juveni prædicto Lupo ipsum iter jam prope mediatum acerrimum dedit dolorem corporis in inguine, intantum ut etiam via absumpta uno in loco sacrato qui dicitur de nomine sancti Trudonis eum defectum debilitate gravi collocaret, et ibi per omnia membra cruciatus molestior acriter ei inferendo deponeret. Jam vero languor validissimus eum ex supremis tantum sollicitabat. Et ecce salutifer visitator clementissimus Faro cubiculo adest, ubi sopor inanis ejus membra pressa fatigabat. Ex quo loco umbris noctis fugatis amicus Christi Faro nivea sui famosa corporis ac lactiva canicie vultus apparuit, et cum eo puer præstanti forma bajulus ampullæ olei gressus illius cereo accenso quasi regens, sicque blandis luminibus in eum juvenem intentus hic lenibus ex media parte lectuli astitit verbis: Agnoscine me? inquit. Si nescis, episcopum atque patronum urbs Meldica me habet, et nomen meum, quod est Burgundofaro, ipsius incolæ dum sæcula labentia current, per generationum successiones suarum decurrere facient. Me etenim auctor medicinæ tibi misit. Fidus esto advenire sanitatem hac mea unctione olei. Ad hæc autem ubi in eum deduxit juvenis præfatus oculos intuitumque defixit, leniter admovit Dei antistes vulneri manum liquore olei madefactam, et membra dolentia tactu mollissimo cuncta percurrens, donec ampulla manualis

(*a*) Lupi enim librum taxat ut ancipitem et neutri parti congruentem. Quippe qui inter cætera, cum de Christi sanguine quod non pro omnibus fusus sit probasse in quæstione III videretur, mox retractans, pro omnibus fusum Pauli testimonio doceat et Chrysostomi. Ex quo sane apparet Lupo ac si partium suarum frustra gloriari et Gotteschalci fautores, quem Cotteschalcus ipse sibi in hoc libro non satisfecisse significat. Sirmond.

pueri defecit administrstione olei. Curre, inquit inclytus ad puerum, ad Meldense meum monasterium, hoc enim liquore abundanter affluit, et ex eo hoc vasculum refice. Hæc dixit beatus Faro ad cognoscendam medicantis faciem reique veritatem. Evigilans juvenis a vano sopore, hansit cœlum tristitiæ molestiis dissolutis; et, quod dictu est mirabile, convocatis qui aderant comprehendit vera esse hæc, non vana somnia, dum clara luce pertractant oculis membra ejus sudare madentis pinguedine olei.

Sigebertus de ecclesiasticis Scriptoribus, cap. 94.

Lupus Servatus librum composuit de tribus quæstionibus, id est, de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum et malorum, de sanguinis Christi quadam superflua taxatione vel redemptione usque ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio amo Domini octingentesimo quadragesimo nono.

Joannes Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis.

Lupus Servatus presbyter, ad quem Rabanus abbas Fuldensis octo libros in Epistolam Pauli apostoli ad Romanos scripsisse legitur, vir in divinis Scripturis studiosus et doctus, atque in sæcularibus juxta ætatem sui temporis copiose peritus, scripsit nonnulla ingenii sui opuscula. Exstat ejus volumen de tribus Quæstionibus, et quædam epistolæ, et alia.

Papirius Massonus in præfatione sua, edita anno 1588.

Ferraria antiquum nomen adhuc retinet; estque monasterium Galliæ in diæcesi Senonum, quod Bethlehemiticum etiam appellatur, quatuor tantum millibus a Montargi oppido distans in Lugdunensi via ad Lupam amnem sito, qui in Sequanam influit. Ejus monasterii abbatem fuisse Lupum et ex synodo Suessionensi habita Caroli Calvi temporibus anno 853, et ex hoc epistolarum libro satis apparet. Quin ex sancti Judoci monasterio vel Cellæ maritimæ ad ostium Cantii inter Stapulas et Montrolium urbes positæ etiam præerat: quam sibi ereptam et Odulfo comiti attributam a rege, posteaque redditam, pluribus epistolis nunc queritur, nunc lætatur. Sunt autem hæ non contemnendæ propter rerum et eorum

A ad quos scribuntur dignitatem. Nam ad domnum apostolicum Benedictum tertium scribit, et Leonis decessoris ejus epistolæ ad Nomenonium mentionem facit. Ad maximos principes, Lotharium Cæsarem, Carolum Galliæ, et Edilulphum Angliæ reges; sed ad Carolum multo plures leguntur, quod Senonibus et Francorum genti in Gallia imperaret. Ad doctos quoque suæ ætatis viros Einhartum et Rabanum, quos præceptores suos honorifice vocat, Jonam Aurelianensem episcopum cujus exstant libri de Cultu imaginum, eidem Carolo dicati; Hincmarum, doctissimum Rhemorum metropolitanum, et Hilduinum, a quo scripta sunt Areopagitica; ut alios prætercam, excepto Marcwado, abbate Prumiensi. Prumia, vulgo *Prom*, monasterium est in finibus Trevirorum, et virum illum magni fecisse Lupus videtur. Ac ipse quidem ab Aldrico decessore Guenilonis episcopi Senonum in Germaniam studiorum causa missus est, quod in ea provincia tunc florerent litteræ;

B fuitque deinceps curiosus optimorum librorum, et quos e Germania, Italia, Anglia Galliaque sibi ad exscribendum mitti petiit, ut ex pluribus locis apparebit. Cæterum quia unicum exemplar harum epistolarum in veteribus membranis a Petro Daniele ex ipso monasterio Ferraria allatum penes me habui, idque propter vetustatem multis locis corruptum, quibusdam lacerum et mutilum, fieri non poterit ut hic liber integer et incorruptus doctis hominibus videatur. Maluimus tamen utcunque affectum legi quam omnino non esse. Invenientur enim fortasse alia. Quanquam hoc scio, in tota Senonum provincia non reperiri, ubi et multa monasteria et frequentes ecclesiæ sunt et Lupus honestissimis parentibus natus est. Utilitatem vero magnam afferet iis qui volent illius temporis calamitates nosse, quæ nostris nihilo mitiores fuere.

Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

Lupus, abbas monasterii Ferrariensis in Gallia,

C scripsit librum epistolarum, qui exstat. Cumque inter cæteros scribat ad Benedictum III papam, hinc illum hoc tempore floruisse colligitur, quod etiam patet ex synodo Suessionensi, anno 853 habita apud sanctum Medardum, cui Lupus hic abbas interfuit, ut synodi Acta testantur.

B. SERVATI LUPI

ABBATIS FERRARIENSIS

EPISTOLÆ

1 EPISTOLA PRIMA.

AD EGINHARDUM (a).

Charissimo Eginhardo Lupus salutem.

Diu cunctatus sum, desiderantissime hominum, auderem necne excellentiæ vestræ scribere. Et cum me ab hoc officio aliæ rationabiles causæ, tunc etiam ea maxime deterrebat quod posse id contingere videbatur ut dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem. Scilicet quod præpropero et inusitato prorsus ordine ab ipso familiaritatis munere inchoaverim, qui nec primordia notitiæ

D contigissem. Ita vehementer æstuanti facilis et modesta et quæ sane philosophiam deceat animi vestri natura tantæ rei obtinendæ spem tribuit. Verum ut aliquid rationis afferre videar, taceo quidem sæcularium litterarum de amicitia sententias, ne, quoniam eis apprime incubuistis, Horatianum **2** illud doctissimorum ore tritum merito accipiam:

In silvam ne ligna feras
HORAT. *Satyr.* lib. I, sat. 10.

Deus certe noster nedum aliquam aspernandi ami-

(a) *Ad Eginhardum.* Hic Caroli Magni imperatoris notarius fuerat, et vir erat, quantum ferebat illa ætas, eruditissimus.

cos occasionem relinqueret. (a) diligendos omnino inimicos præscripsit. Itaque patienter, quæso, et benigne advertite animum, dum altius meas repeto cogitationes, ut nosse possitis quam hoc non perperam nec juvenili moliar levitate. Amor litterarum ab ipso fere initio pueritiæ mihi est innatus, nec earum, ut nunc a plerisque vocantur, superstitiosa otia fastidio sunt. Et nisi intercessisset inopia præceptorum, et longo situ collapsa priorum studia pene interissent, largiente Domino meæ aviditati satisfacere forsitan potuissem. Siquidem vestra memoria per (b) famosissimum imperatorem Carolum, cui litteræ eo usque deferre debent ut æternam ei parent memoriam, cœpta revocari, aliquantum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum dictum: (c) *Honos alit artes, et accenduntur omnes ad studia gloriæ.* Nunc oneri sunt qui aliquid discere affectant; et velut in edito sitos loco studiosos quosque imperiti vulgo aspectantes, si quid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Ita dum alii dignam sapientiæ palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, a tam præclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet propter se ipsam appetenda sapientia: cui indagandæ a sancto metropolitano episcopo (d) Aldrico delegatus, doctorem grammaticæ sortitus sum, præceptaque ab eo artis accepi. Sic quoniam a grammatica ad rhetoricam et deinceps ordine ad cæteras liberales disciplinas transire hoc tempore fabula tantum est, cum deinde auctorum voluminibus spatiari aliquantulum cœpissem, et dictatus nostra ætate confecti displicerent, propterea quod ab illa Tulliana cæterorumque gravitate, quam insignes quoque Christianæ religionis viri æmulati sunt, oberrarent, venit in manus meas (e) opus vestrum, quo memorati imperatoris clarissima gesta (liceat mihi absque suspicione adulationis dicere) clarissime litteris allegastis. Ibi elegantiam sensuum, ibi raritatem conjunctionum, quam in auctoribus notaveram, ibidemque non longissimis periodis impeditas et implicitas ac modicis absolutas spatiis sententias inveniens, amplexus sum. Quare cum et ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum præcipue propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci opportunitatem ut vos præsentes alloqui possem; ut quemadmodum vos meæ parvitati vestra tum probitas sapientia fecerat claros, ita me vestræ sublimitati meus etiam erga vos amor et erga disciplinas studium commendaret. Neque vero id optare desistam quandiu ipse (f) incolumis in hac vita vos esse cognovero. Quod posse contingere hoc magis in spem ducor quo ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem (g) vobis vicinior factus sum. Nam a præfato episcopo ad venerabilem (h) Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem (i) divinarum Scripturarum. Ergo cum ad vos iturum hinc ejus nuntium comperissem, primo

(a) *Diligendos inimicos.* Vide quæ adnotavimus ad librum III. Salviani de gubernatione Dei. Sed de hoc rursum agemus in notis ad epistolas Ruricii, episcopi Lemovicensis.

(b) *Famosissimum.* Epitheton illud Carolo Magno tribuitur in Vita quoque Ludovici Pii, quæ sic incipit: *Famosissimus regum, nullique suo tempore postponendus, Carolus*, etc. Item in vita Ælfredi regis Anglo-Saxonum, quam Asserus Menevensis descripsit: *Carolum itum magnum et famosissimum Francorum regem adiit.* Præter auctorem vitæ Ludovici Pii, et Asserum Menevensem, qui epitheton illud tribuunt Carolo Magno, tributum quoque ei animadverti ab Herico monacho Antissiodorensi in epistola ad Carolum Calvum. « Illud vel maxime vobis, inquit, æternam parat memoriam, quod famosissimi avi vestri Caroli studium erga immortales disciplinas non modo ex æquo repræsentatis, verum etiam incomparabili fervore transcenditis; dum quod ille sopitis eduxit cineribus, vos fomento multiplici tum beneficiorum, tum auctoritatis, usquequaque provehitis, imo, ut sublimibus sublimia conferam, ad sidera perurgetis. » Et videtur omnino Hericus habuisse ob oculos hanc Lupi epistolam. Vetus codex monasterii Aureæ Vallis, laudatus a Joanne Chapeavillo in Adnotationibus ad tomum primum Historiæ Episcoporum Leodiensium, pag. 154: « Temporibus Gerbaldi et Walcandi, Leodiensium pontificum, Carolus famossimus imperator Romanus plurimas a fundamentis construxit Ecclesias. »

(c) *Honos alit artes.* Sumptum ex Cicerone in libro primo Tusculanarum Quæstionum. Meminit ejus loci etiam Symmachus lib. I, epist. 43: *Vetus sententia est*, inquit, *artes honore nutriri.* Vide eumdem Symmachum in epist. 79 et 96 ejusdem libri.

(d) *Aldrico*, Ferrariensi tum abbate post Adalbertum, postea vero Senonum archiepiscopo ante Wenilonem, ut dicetur ad epistolam 29.

(e) *Opus vestrum.* Id est, liber Eginhardi de Vita Caroli Magni, qui in omnium manibus versatur. Ex hoc porro Lupi loco recte collegerunt viri docti falli eos qui librum illum de Vita Caroli abjudicant Eginhardo.

(f) *Incolumis.* Pro *incolumes*, in accusativo plurali. Istud enim refertur ad Eginhardum. Notus est veterum mos, qui arbitrio consilioque auris usi, accusativos plurales tertiæ declinationis interdum inflectebant per *is*, interdum per *es*, ut Probus Valerius observat apud A. Gellium lib. XIII, cap. 19, Noctium Atticarum. Ego existimo antiquos non aliam ob causam variasse eas inflexiones quam ut vitarent similiter cadentia, quæ esse insipida et inertia et puerilia facetissime significat Lucilius apud eumdem Gellium lib. XVIII, cap. 8. Patrum denique nostrorum memoria nonnulli viri eruditissimi vetustum hunc usum revocarunt in scribendo. Vide Priscianum, lib. V.

(g) *Nobis vicinior.* Quia nimirum Lupus, qui studiorum causa profectus erat in Germaniam, morabatur apud Rabanum in monasterio Fuldensi. Eginhardus vero habitabat in monasterio Seligenstadiensi. Utrumque autem monasterium in diœcesi Moguntina situm est.

(h) *Rabanum.* Monachum et abbatem Fuldensem, tandem vero archiepiscopum Moguntinum, virum eruditissimum, cujus multa exstant illustria ingenii monumenta. Ad eum scripta est epistola 40 Lupi, in qua eum vocat præceptorem suum.

(i) *Divinarum Scripturarum.* Quarum celeberrimus per ea tempora interpres erat Rabanus, abbas Fuldensis. Tum vero Lupus erat diaconus. Mirum autem in modum deditus erat studio sacrarum litterarum. Quæ causa fuit ut Rabanum oraverit commentaria scribere in Epistolas Pauli: cui operi tum demum incubuit Rabanus, postquam Lupus a Fulda redierat in Galliam. Vide epistolam Rabani ad Lupum, quæ edita est inter elogia.

quasdam verborum obscuritates,a vobis uti elucidarentur,mittendas proposui; deinde præstare visum est ut etiam hanc epistolam dirigere debuissem; quæ si a vobis dignanter **4** accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor. Sed semel pudoris transgressus limitem,etiam hoc postulo ut quosdam librorum vestrorum mihi hic posito commodetis.Quanquam multo sit minus libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi.Tullii de rhetorica liber; quem quidem habeo,sed in plerisque mendosum.Quare cum codice isthic reperto illum contuli; et quem certiorem putabam, mendosiorem inveni. Item ejusdem auctoris de rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo de Oratore·Quos vos habere arbitror,propterea quod in (*a*) brevi voluminum vestrorum post commemorationem libri ad Herennium, interpositis quibusdam aliis,scriptum reperi : *Ciceronis de rhetorica.*Item : *Explanatio in libros Ciceronis.* Præterea : (*b*) *A Gellii noctium Atticarum.*Sed et alii plures in prædicto brevi : quos,si Deus apud vos mihi gratiam dederit,istis remissis accipiens describendos mihi,dum hic sum,avidissime curare cupio. Exonerate, quæso, verecundiam meam,quæ supplico facientes; meque rimantem amaras litterarum radices,earum jam jucundissimis explete fructibus: illo vestro facundissimo eloquio incitate; quæ si meruero,tantorum beneficiorum gratia,quoad vixero, semper mihi habebitur. Nam quæ vos eorum merito sit remuneratio secutura non opus est dicere.Plurima scribenda in alia mens suggessit; sed vestrum ingenium meis ineptiis ultra remorari non debui,quod scio vel exterioribus occupatum utilitatibus, vel circa intimas et abditas philosophiæ rationes intentum.

5 EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

Desiderantissimo præceptori Eginhardo Lupus.

Molestissimo nuntio de excessu venerabilis (*c*) ve-

(*a*) *Brevi voluminum.* Infra epist. 80, *Breves etiam, quos de facultate monasterii vestri mittere debuistis.* Epistola missa e concilio Carthaginensi ad episcopos Numidiæ,Mauritaniæ utriusque,Tripolis et provinciæ Proconsularis, anno 397 : « *Brevem* vero statutorum (in quo omnia videntur esse complexa,et quædam diligentius custodita) huic epistolæ subdi fecimus; ut compendio,quæ decreta sunt,recensentes, sollicitius observare curemus. » Unde et in codice Canonum Ecclesiæ Africanæ caput 94,in quo recensentur causæ quæ agendæ sunt,sic inscriptum est, *Brevis causarum.* Carolus Magnus in Capitulis anni 813 : « De rebus quæ Hildegardæ reginæ traditæ fuerunt, volumus ut fiant descriptæ *breves,* et ipsæ *breves* ad nos fiant adductæ. » Libro III Capitular., cap. 82 : « Non solum beneficia episcoporum, vel abbatum,abbatissarum, atque comitum,sive vassorum nostrorum,sed etiam fisci nostri describantur in *breve.* » Breves itaque tum dicebant,quos vulgus rotulos et inventaria vocat, ut ad Capitula Caroli Calvi observat Sirmondus.Inde *Inbreviare* in eisdem Capitulis, id est, in breves seu pittacia referre et describere. Inde etiam *Inbreviator, sive descriptor stipendiorum regalium,* in Documento de examinatione Willeberti, episcopi Catalaunensis.

(*b*) *A Gellii.*Magnum hac nostra et superiori ætate certamen fuit inter eruditos, scribendumne foret **A**,*Gellius*, an vero *Agellius* unica dictione. In veteri isto codice diserte ubique scriptum est *A. Gellius* in duobus locis in quibus hic auctor laudatur.

(*c*) *Vestræ conjugis.*Ex hoc loco itemque ex sequentibus epistolis jampridem collegerunt viri docti auctoritatem conciliari posse narrationi de conjugio Eginhardi cum Imma Caroli Magni filia, quæ exstat in Chronico monasterii Laurishamensis.Ea sic habet : « Eginhardus,archicapellanus notariusque imperatoris Caroli,cum in aula regia laudabiliter serviens, diligeretur ab omnibus,a filia quoque ipsius imperatoris Imma nomine,regi Græcorum desponsata,amabatur ardentius. Aliquantum temporis fluxerat, et amor alternus quotidie inter ambos per augmenta crescebat. Utrosque enim timor retardavit,et offensio regia, ne tam gravia conveniendi inirent conamina.Sed amor improbus omnia vincit.Deniquecum idem vir egregius irremediabiliter amando æstuaret, auresque virginis per internuntium appellare nec præsumeret,novissime sumpta de semetipso fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidemque pulsans clanculum, et intrare permissus,tanquam allocuturus juvenculam de regali mandato,statim versa vice solus cum sola secretis usus alloquiis,et datis amplexibus,cupito satisfecit amori. Interea cum jam appropinquante luce diei, per silentia noctis unde venerat regredi vellet, de improviso nivem haud modicam decidisse cognovit; et ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foras exire timuit; ambosque,pro conscientia facti, anxietas simul et formido intus remanere compulit. Cumque nimia sollicitudine fluctuantes quid facto opus esset deliberarent,tandem elegantissima juvencula,quam audacem faciebat amor,consilium dedit ut ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet,eumque usque ad locum illius hospitio contiguum ante lucanum reportaret; ibique eo deposito rursum per eadem vestigia cautius observata rediret, Eam noctem imperator divino,ut creditur,nutu insomnem duxit; diluculoque consurgens,eminusque de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere nutanti gressu vix incedere, et ad condictum locum deposita quam gestabat sarcina celeri repedare recursu.Quibus multo intuitu perspectis, imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absque divina dispositione id fieri reputans,sese continuit,et visa interim silentio suppressit. Interea Eginhardus sibi conscius,certusque rem nullo modo dominum suum regem diu latere posse, tandem inter angustias reperto consilio imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans,asserens tot et tantis servitiis suis condigna non rependi præmia. His auditis, rex,dissimulato rei et eventu et exitu,diu conticuit.Dehinc eum certificans se postulationi ejus quantocius responsurum,diem constituit;statimque consiliarios primosque sui regni et cæteros quosque sibi familiares passim evocatos convenire jussit.Congregata itaque magnifica diversarum dignitatum frequentia, ita exorsus est, imperatoriam inquiens majestatem nimis injuriatam esse et despectatam in indigna filiæ suæ notariique sui copulatione,et exinde non mediocri sese agitari perturbatione.Quibus nimio stupore perculsis,et de rei novitate et magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus,rex innotuit eis evidentius, referens eis a primordio quid per semetipsum oculata fide cognoverit,consiliumque eorum atque sententiam expostulans super hoc.At illi inter se diversi diversa sentientes,in præsumptorem hujus rei duras et varias dedere sententias; aliis sine exemplo puniendum,aliis exsilio damnandum, aliis alio modo disperdendum (ut cuique impetus erat) adjudicantibus.Porro quidam ex eis tanto mitiores quanto sapientiores,habita secum deliberatione,quam intime regem exoravere quatenus ipse rem per semetipsum

A stræ conjugis consternatus, plus quam unquam vobis nunc optarem adesse; ut vestram mœstitiam vel (*a*) mea compassione levarem, vel concepto sensu ex divinis eloquiis assiduo sermone solarer. Verum donec id Deus præstet esse possibile, suggero ut memores humanæ conditionis, quam merito peccati contraximus, modice sapienterque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta (*b*) lenioris fortunæ forti semper animo devicistis. Invocato itaque Deo, nunc illas tolerantiæ vires expromite, ad quas charissimum quemlibet casu simili deprehensum probabiliter vocaretis. Opto vos valere feliciter.

EPISTOLA III.

EGINHARDI AD LUPUM.

Eginhardus Lupo suo salutem.

Omnia mihi studia omnesque curas tam ad meas quam amicorum causas pertinentes exemit et excussit dolor quem ex morte olim fidissimæ conjugis, jam nunc (*c*) charissimæ sororis ac sociæ, gravissimum cepi. Nec finiri posse videtur; quoniam exstinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet, ut inde penitus non possit avelli. Huc accedit quod ipsum dolorem identidem accumulat et vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes quam in (*d*) martyrum meritis atque interventione collocavimus exspectationem nostram ex asse frustrata est. Inde evenit ut solantium verba, quæ aliorum mœstitiæ mederi solent, plagam cordis nostri recrudescere potius faciant atque rescindant, cum me æquanimiter ferre jubent infortunii molestias quas ipsi non sentiunt, atque in eo censent mihi gratulandum in quo nullum gaudii vel lætitiæ valent demonstrare vestigium. Quis est enim mortalium cui mens constet, quique sanum sapiat, qui sortem suam non defleat, et qui se infelicem ac miserrimum non judicet, cum in afflictione **B** positus eum quem votis suis fauturum fore crediderat aversum atque inexorabilem experitur? Hæccine talia tibi videntur ut suspiria, ut lacrymas homuncioni tantillo commovere, ut ipsum ad gemitum et planctum concitare, ut etiam in desperationis barathrum dejicere potuissent? Et utique dejecissent, nisi divinæ miserationis ope suffultus quid in hujusmodi (*e*) causis aut casibus majores ac meliores nostri te-

examinare et secundum divinitus ei collatam sapientiam diffinire dignaretur. Verum ubi rex singulorum circa se affectum ponderavit, et inter diversorum sententias quid potissimum consilii sequeretur expendit, sic eos allocutus est. « Non ignoratis, *inquit*, « humanum genus variis subjectum esse casibus et « frequenter evenire ut res nonnullæ, quæ contrariis « initiis inchoantur, meliorem aliquando sortiantur « exitum. Proinde non est desperandum; sed potius « super hac re, quæ et gravitate et novitate sui nostrum exsuperat ingenium, divinæ providentiæ « (quæ nunquam in sui dispositione fallitur, quæque « etiam malis bene uti novit) pietas est exspectanda « et expetenda. Quapropter tam tristis facti a notario « meo non exigam pœnas, per quas infamia filiæ « meæ magis videbitur augeri quam minui. Unde « dignius et laudabilius imperii nostri gloriæ arbitramur congruere ut data adolescentiæ venia, legitimo eos matrimonio conjungam, et rei probrosæ « honestatis colorem superducam. » Regis igitur audita sententia, fit incomparabile gaudium, magnitudoque animi ejus ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Eginhardus jussus adesse ingreditur; quem Rex ex opinato salutans, ita eum placito vultu alloquitur: « Jamdudum auribus nostris a vobis « delata est querimonia quod servitiis vestris regali « munificentia hactenus non responderimus digne. « Sed, ut verum, fatear, maxime super hoc culpanda « est vestra negligentia. Quandoquidem licet sustineam tot et tanta negotia solus, tamen si quid voluntatis vestræ compertum haberem, servitia vestra digno fuissem prosecutus honore. Verum ne vos diutino sermone protraham, querimoniis vestris amplissima donatione satisfaciam; et ut vos etiam fidelem mihi ut prius et benevolum posthac sentiam, « juri vestro nuptum tradam meam filiam vestram scilicet portatricem, quæ quandoque alte succincta « vestræ subvectioni satis se morigeram exhibuit. » Protinus ad regis edictum cum multo comitatu adducta est ejus filia: quæ roseo vultum perfusa pudore, tradita est per manus patris in manus prædicti Eginhardi cum dote plurima, prædiorum quoque nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisque donariis aliisque pretiosis supellectilibus. Hactenus ex Chronico Laurishamensi. Vide similem historiam de sorore Henrici II imperatoris apud Radulfum de Diceto, pag. 470; Henricum de Knygthon, pag. 2326, et M. Chronicon Belgicum, pag. 107. De matrimonio porro Eginhardi vide Bernardum a Mallinckrott in tractatu de Cancellariis imperii Germanici, pag. 22.

(*a*) *Mea compassione*. Pars enim solatii est, amicum habere qui mœrori nostro participet, sortemque nostram nobiscum deploret ac defleat.

(*b*) *Lenioris fortunæ*. Recte admonet Lupus debere Eginhardum acceptam nuper calamitatem ferre pa- **C** tienter, qui secundam fortunam forti semper animo tulerit. Difficilius enim reperiuntur qui secundam, quam qui adversam fortunam bene ferant. Secundis enim rebus insolescunt plerique homines et efferuntur; adversis omnes ad temperantiam moderationemque revocantur; ut ait conterraneus meus M. Aut. Muretus, lib. v Variarum Lectionum cap. 15. Hinc illa Galbæ verba ad Pisonem futurum principem: « Fortunam adhuc tantum adversam tulisti. Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant: quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur, » apud Tacitum, in libro primo Historiarum. Et apud Quintum Curtium in libro decimo, Alexander increpans milites seditionem velut inceptantes: « Secundis rebus, *inquit*, quæ circumfluunt vos, insanire cœpistis: obliti status ejus, quem beneficio exuistis meo: digni hercule qui in eodem consenescatis; quoniam facilius est vobis adversam quam secundam regere fortunam. » Vide sanctum Gregorium **D** in libro primo de Cura Pastorali, cap. 3.

(*c*) *Chariss. sororis*. Hinc confici posse puto Eginhardum fuisse factum abbatem vivente adhuc uxore, quam, quod commercio conjugali tum abstinerent, fidissimam olim conjugem fuisse dixit; tum vero cum mortua est, charissimam sororem, sociam ac contubernalem. Eginhardus in epistola 32. *Imma, soror dilectissima, his esto adjutrix tibique animam commendo.*

(*d*) *Martyrum*. Id est, sanctorum Marcellini et Petri, qui in monasterio Seligenstadiensi, cujus abbas erat Eginhardus, jacent, illuc translati opera ejusdem Eginhardi. Vide notas ad epistolam 60.

(*e*) *Causis aut casibus*. Ego arbitror voces illas, *causis aut*, esse superfluas, admonitionemque esse librarii, qui cum divinare non potuisset quidnam potius legendum esset, *causis* aut *casibus*, utrumque posuit,

nendum servandumque sanxissent ad inquirendum subito me convertissem. Erant ad manum doctores egregii nedum non spernendi, verum omnimodis audiendi atque sequendi, gloriosus videlicet martyr Cyprianus, et illustrissimi sacrarum divinarum litterarum expositores Augustinus atque Hieronymus; quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus depressum gravi mœrore cor sursum levare conatus sum, cœpique mecum sedulo reputare **7** quid super excessu charissimæ contubernalis sentire deberem, (*a*) cujus mortalitatem magis quam vitam videbam esse finitam. Tentavi etiam si possem a memetipso exigere ut id ratione apud me fieret quod longa dies solet efficere; scilicet ut vulnus quod animo nostro nondum sperata morte repentinus casus inflixit cicatricem ducere ac spontaneæ consolationis medicamento sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit; et licet saluberrima sint quæ a memoratis doctoribus ad mitigandum gravem dolorem velut a peritissimis idemque mitissimis medicis offeruntur, plaga quæ adhuc sanguinem trahit sanandi maturitatem nondum admittit. Hic fortasse miraris ac dicis ex hujusmodi occasione natum dolorem tam longum ac diuturnum esse non debuisse, quasi in dolentis sit potestate quando id finiatur quod ille, quando inciperet, neque in potestate habuit, neque præscivit. Metiri tamen posse videtur doloris ac mœroris magnitudo sive diuturnitas de eorum quæ acciderunt damnorum quantitate: quæ ego cum quotidie in omni actione, in omni negotio, in tota domus ac familiæ administratione, in cunctis quæ vel ad divinum vel humanum officium pertinent disponendis atque ordinandis immaniter sentiam, qui fieri potest ut vulnus quod tot ac tanta incommoda intulit, cum crebro tangitur non recrudescat potius et renovetur quam sanescat aut solidetur? Arbitror enim, nec vereor quod hæc opinio falsum me habeat, hunc dolorem atque anxietatem, quæ mihi de charissimæ contubernalis occasione exorta est, perenniter mecum perseveraturam donec id ipsum temporis spatium quod **8** Deus mihi ad hanc miseram ac temporalem vitam concedere voluerit debito sibi termino finiatur: quam tamen proficuam potius mihi quam noxiam hactenus experior, cum animum ad læta et A prospera festinantem velut quibusdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentemque ad revocationem mortis revocet, quam ad spem et amorem longævitatis odium atque oblivio senectutis illexerat. Video mihi non multum superesse temporis ad vivendum, licet quantum id esse debeat mihi penitus ignoretur. Sed hoc certissimum teneo, et recens natum cito posse mori, et (*b*) senem diu non posse vivere. Ac proinde longe utilius ac beatius fore censeo ipsam temporis incerti brevitatem cum luctu quam lætitia ducere. Quia si secundum Dominicam vocem beati ac felices erunt qui lamentantur et lugent (*Matth.* v), e contrario infelices ac miseri fient qui dies suos in jugi et continua lætitia finire non metuunt, gratias ago atque habeo charitati tuæ, B quod me per litteras tuas consolari dignatus es. Neque enim majus aut certius tuæ erga me dilectionis indicium dare potuisti quam ægro atque jacenti manum exhortationis porrigendo, monendoque ut surgerem, quem mente prostratum ac mœrore depressum ignorare non poteras. Bene vale, charissime ac desiderantissime fili.

9 EPISTOLA IV.

AD EGINHARDUM.

Epistolam vestræ dignationis calamitatem quæ dudum vobis contingit graviter querentem haud quaquam mediocriter commota mente perlegi, confectumque vestrum animum tam diuturni mœroris anxietate vehementer indolui. Et quamvis qui me longe præstent amicorum solatia tentaverint hunc C tantum levare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint, ut litteris vestris satis eminet, quod ipsi casus vestri considerationem non satis ad se admiserunt, eo usque ut eorum quidam super excessu gratissimæ quondam uxoris gratulandum monerent, quod, ut opinor, nihil ad consolationem pertinet non tam ætatis levitate vel ingenii, quod exiguum sentio, confidentia quam proni erga vos amoris magnitudine hæc rursum, qualiacunque sint, in vestri solatium non sum veritus cudere. Siquidem conscius mihi sum intimum me (*c*) nobilissimæ illius feminæ morte cum vestra, tum etiam ipsius vice traxisse dolorem; quem atrociter exasperantem vestræ litteræ, fateor, recrudescere coegerunt. Unde

lectori judicium integrum relinquens. Vide notas ad epistolam 122.

(*a*) *Cujus mortalitatem.* Imitatum ex Plinio in epistola prima libri secundi; ubi de Virginii Rufi morte sic loquitur: *Si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est.*

(*b*) *Senem diu*, etc. Repetit istud ipsum Lupus infra epist. 84. Sumptum est autem ex epistola Hieronymi ad Principiam, in qua mores Marcellæ describit. Hæc ergo cum virum juvenis admodum extulisset, desideriumque exstincti non posset pati, a secundis nuptiis abstinere decrevit. Verum ea erat Marcellæ nobilitas, ea species oris, ea gratia, ut plane constet laboriosum et difficile negotium suscepisse illam cum in ea nobilitate et ætate contenta esse voluit unico matrimonio. Itaque dum D multi eam proci ambirent, senex quoque quidam valde dives, captus forma mulieris, nuptias flagitare cœpit, magno etiam emere paratus legitimos illius amplexus. At mulier, postquam aliter procum removere non potuit, excusavit ob senectutem: neque enim esse se hujus firmitudinis ut tot mortes tam brevi temporis spatio sustinere posset, nam istum cito moriturum, quia senex erat. *Illoque mandante*, inquit Hieronymus, *posse et senes diu vivere et juvenes cito mori, eleganter lusit: Juvenis quidem potest cito mori, sed senex diu vivere non potest.*

(*c*) *Nobiliss. feminæ.* Uxoris nimirum Eginhardi. Itaque cum Lupus eam splendidis natalibus ortam prodat, validum hinc argumentum peti potest ad confirmandam narrationem Chronici Laurishamensis.

nequaquam desperaverim quod aliis, necdum sit datum mihi ut aliquod solatium vobis persuadere possim a Domino reservatum. Vilibus plerumque remedium quæritur quod pretiosissimis et artis vigilantissima compositis diligentia frustra diu tentatum est. Itaque firmamentum justi, ut vobis videtur, doloris vestri duas in partes, epistolas mihi reddendo, divisistis. **10** Earum prima, quæ et vel maxima, illa est, quod vota vestra et spes, quam in sanctorum martyrum intercessione locaveratis, vos velut irrita fefellerunt. Altera, quæ proxime primam accedit, quod sinister ille casus quantum vobis importaverit incommodi quotidianis meriti negotiis cogimini, dum vos onus domesticarum divinarumque rerum, quod illius memorabilis feminæ fida societas leve fecerat, vestris ex toto impositum ac relictum cervicibus obruit. Revera valida utraque res, et quæ præter sapientem, qui adversa quoque modice ferre didicerit, facile quemlibet sua mole possit opprimere. Ac primo quidem quam proposui pariter conabor non subvertere ac penitus auferre (quod prorsus impossibile perfectis etiam oratoribus, si essent, video, multo magis mihi), sed tenuare, imbecillemque inspectu rationis efficere. Certe hinc movemini, certe hinc afficimini, quod vos cassa vota frustrata sint, ac spes in martyribus, imo in Deo sita illuserit. Quasi vero id vobis omnimodis constet quod tantopere poposcistis vestræ uxorisque saluti conducere. Quod sane si vobis satis exploratum fuisset, acrioris justique doloris ingens esse videbatur fomes, dum vos non quasi filium corriperet, sed veluti in adversarium divina censura desævisset. Attamen sic quoque non desperationis barathrum subeundum, sed divinitas infensa precibus assiduis ac summissa fuerat flectenda patientia. Nunc autem cum Deus omnes homines salvos velit fieri, ac in nomine ipsius, qui Salvator dicitur, nemo postulet nisi qui propriæ saluti proficua flagitarit, cumque vos in nomine Salvatoris plena fide petieritis, quis non opinetur non **11** exauditos quidem vos ad temporale votum, exauditos autem ad perpetuam salutem? Ego plane firmissime crediderim et vobis et uxori ejus etiam immaturo excessu consultum. Quæritis quemadmodum? Nempe quod conjuges ex duobus corporibus in unam redacti compagem, licet concordissime vixerint, non una letho resolvuntur; et quantum ad usitatum naturæ pertinet ordinem, necesse est unum alteri superesse. Hinc jam vestra prudentia intelligit quando sententia in hominem divinitus emissa, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III), differri aliquantulum potest, in perpetuum autem vitari non potest, fidis optandum conjugibus, cum uter eorum remansurus sit, eum fore superstitem qui sit et ad calamitatem ferendam robustior et ad justa de more Christiano curanda magis idoneus. Non enim sexu differentia virtutis, sed animo capienda est. Alioqui non video religiosi conjuges quemadmodum sibi sincero amore devincti sint. Cum hæc ita se habere indubitata ratio persuadeat, planum igitur est verisimile esse non illi feminæ venerabili solum, sed etiam vobis a Deo magnum quiddam præstitum, dum quod vobis eligendum fuerat ipse ultro ingesserit, quanquam occulto, minime tamen injusto judicio. Certe illa et si ex vestro consortio multa didicerat, ita ut non sui sexus modo, verum etiam turbam virorum sua insigni prudentia gravitate atque honestate, quæ res magnam vitæ humanæ tribuunt dignitatem, longe superaret, ac corpore femina, animo in virum profecerat, ad sapientiæ vestræ fastigium nunquam penitus aspirasset, nunquam tantum robur semperque similem, quam in vobis singulariter **12** omnes mirantur, constantiam ullis unquam profectibus æquavisset. Nunquam, si supervixisset, tantum vestræ quantum vos et illius et vestræ perpetuæ saluti procurare potuisset. Ac per hoc, quoniam dum in hoc fragili versamur corpore, omni perturbatione ita vacare non possumus quin aliquando aliqua ægritudinis molestia quatiamur, quod posse sapienti contingere philosophi putaverunt hoc vobis evenire optem, ut casus adversos, ut primo aspectu apparet, quibus vulgo inculta mortalium multitudo subruitur, vestræ mentis sapientia sensim emolliat, imo divinæ voluntati vestram contemperet. Deinde, quia vitæ hujus obscurissimas tenebras sermo divinus irradiat juxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII), quomodo ipse formet eamdem vitam penitus intuendum est. Nimirum in Dominica oratione quotidie dicimus: *Fiat voluntas tua*, scilicet non nostra, quæ ignara rerum sibi salubrium falli consuescit, sed *tua*, quæ, utpote Dei, futura prænoscit. Salvator quoque noster passione impendente cum dixisset, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVII), assumpti hominis infirmitatem, imo membrorum suorum, propter quod ad has preces descenderat, imbecillitatem sic divina virtute consolidat: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Scilicet fallere fallique nescius magister, quod Deus suo nos exemplo instituit ut cum adversa urgerent, sic ea depellere precibus conaremur, ut in his etiam contra nostrum votum ejus fieri voluntatem salubriter amplecteremur. Recolite, quæso, Paulum, cujus tanta erat eminentia ut in tertium raptus cœlum audierit **13** arcana verba sanctæ Trinitatis quæ non licet homini loqui, tamen Dominum orasse quo a se angelum Satanæ, a quo tribulabatur, submoveret, nec obtinuisse quod voluit, sed quod profuit. Revocate in memoriam Davidem, quatenus se pro impetranda filio vita macerarit. Et certe cum tantus esset propheta, ne responsum quidem divinum tam immani confectus mœrore promeruit. *Quæcunque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV). Ergo perpendite qualiter David cassam precum suarum expertus instantiam, consolationem ratione perceperit, ac justitiæ Dei subjectus humiliter acquieverit. Non estis tam fundatæ forti-

tudinis. Quod præfato dictum est Apostolo, vobis responsum accipite : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII). Siquidem et ipse mœrorem scriptæ orationis, si quis ei subortus fuerat, hoc admonitus oraculo aliud oportere, deposuit. Hujusmodi præceptis et exemplis sacræ Scripturæ capitula exuberant : quæ, quoniam, ut insignis ait poeta (*Virgil.*, *Ecl.*, X) : *Non canimus surdis*, epistolarisque coarctat angustia, præteriens, vobis consideranda relinquo. Suffecerit hæc tantum tetigisse quæ sola recepta vulneris hujus tumorem, quantum mea fert opinio, mulcere atque lenire largiente Domino poterunt. Quanquam mihi multa volventi aliud etiam occurrat, quod hoc Dei judicium clementiæ quam iracundiæ videri possit certissimum documentum. Nam quia *flagellat omnem filium* B *quem recipit* (*Hebr.* XII), affectum vestrum in uxoris amore forsitan subdivisum non passus, putari potest ad se solum **14** amandum revocavisse; ac si quid ejus corpori intemperanter diligendo plus justo a vobis indultum fuerat, ejusdem corporis subtractione punisse. Cumque per prophetam loquitur : *Non consurget duplex tribulatio* (*Nahum* I), quod LXX interpretum sic expressit translatio : *Non judicat Deus bis in idipsum*, hic emendare dignatus est quod ut homo excessistis (nemo enim mundus a sorde), ne quid gravius in vos quandoque decerneret. Quare Dei amplecti debetis immensam pietatem, qui vos sua dignos judicaverit correctione, quam offensam metuere disciplinæ illius verbera sustinentes. *Fili*, inquit Salomon, *noli deficere a disciplina Domini, et ne fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim Dominus* C *diligit, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi* (*Prov.* III). Denique quorum isthic peccata non visitat, quosque florere pro voto permittit, in hos post mortem ejusdem ira desævit. De talibus in psalterio legimus : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* LXXII). Et in Job : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (*Job.* XXI). Præterea hoc mihi subjicit mens, voluisse Deum rebus ipsis vos experiri quam sit infelix qui in perpetuum abjungatur ab ipso, in quo est perpetua et vera delectatio, si tam immaniter afficiat licet fidissimi atque charissimi tamen hominis, momentanea separatio. Cum hæc verisimilia esse videantur, abolete, quæso, quantum potestis, de quo sermo habetur, mœrorem, et cum D Job dicite : *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum : sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I). Et cum Apostolo in Dei spatiamini laudibus dicentes : *Benedictus Deus et Pater* **15** *Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* I). Restat pars altera suscepti negotii : quæ stringenda breviter est, ne forte plura dicens sim oneri, qui gestiam esse solatio. Hinc instaurari, imo perseverare doloris vulnus asseruistis, quod duplicatus quotidie dispositionis labor quid boni perdideritis admoneat, ac propterea

A nec finiri posse videatur. Id esse verissimum ipse concesserim ; illudque quod inter alia posuistis, non posse pro voluntate hominem dolori finem imponere, quem nec præsciat, nec imminentem queat effugere, vehementer approbo, satisque catholice dictum intueor. Non est enim in potestate hominum via ejus, sed a Domino gressus hominum diriguntur, et humani libertas arbitrii eget omnimodo auxilio gratiæ Dei ; sed plane quæ facta sunt infecta esse non possunt, nec dolor revocare valet semel præterita, nec est in homine unde a seipso petat auxilium. Quocirca deprehensi quibuslibet angustiis, quo verius nos sentimus fragiliores, hoc oportet celerius ad divinæ miserationis subsidium velut ad portum tutissimum confugiamus. Eleganterque illud dictum est : *Necesse est adesse divinum ubi humanum cessat auxilium.* Nec longus, dummodo conemur, ferendus est labor. Nam qui ad se hoc modo votat : *Venite ad me qui laboratis* (*Matth.* XI), nitentes adjuvat, ad se pervenientes informat, in se permanentes procul dubio coronat. Quare quod dixistis memoratum dolorem quoad viveretis mansurum vobiscum, expressit hoc a vobis, sentio, concreta longo usu magnitudo amoris ; sed in ea vos obstinatione **16** animum relinquere, quantum audeo, dehortor ; siquidem et illi cujus causa emersit nihil immoderatum proderit, et vobis multum nisi deponatur, officiet. Quinimo totum vos curandum sanandumque Domino permittite, cui est perfacile quod nostra natura difficillimum judicat. Nam quis speravit in Domino et deceptus est ? Obsecro, totum cor vestrum ad rogandum Deum effundite. Præstare vult qui se ut rogetur, admonuit, *Petite et accipietis* (*Joan.* XVI). Petite ut ipse vobis affectum inspiret rogandi, et effectum ipse tribuat impetrandi. Dicite quod clarissimus idemque suavissimus auctor Augustinus (lib. X *Confess.*, cap. 29. 31, 37) : *Da quod jubes, et jube quod vis.* Siquidem sua nos Deus gratia ut velle ac posse aliquid boni queamus et prævenit et subsequitur. Quod evidenter in Psalmis didicimus, ubi scriptum est : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII). Utique *et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXII). Acquiescite Spiritui sancto per Davidem monenti : *Jacta in Domino curam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV) ; ac Domino fiducialiter dicite : *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me* (*Psal.* XXXI). Et cum Apostolo jam exsultantes in Dei laudibus ingeminare poteritis : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV). *Tristitia* enim *sæculi mortem operatur* (*II Cor.* VII), haud dubium quin spiritualem, sed et corporalem, ut optime nostis, sæpe consciscit. Quamobrem ærumnis vitiorum quibus premimur contristemur, et ab eorum falsa dulcedine, quanta possumus amaritudine separari nitamur, ac hujus incolatum vitæ, in qua sine querela non vivitur, modeste feramus. Cæterum, veniam a Deo exspectantes, in eo plena fide lætemur. Denique illud **17** quod in Evangelio promittitur : *Beati*

qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth* v), A non de iis qui lugent de amissione charorum et temporalium commodorum,verum de illis qui mœrent, initio sejuncti a mortifera vitiorum delectatione, donec virtutibus Spiritus sancti gratia consolationem recipiant,vel de his qui propter sua proximorumve peccata salubriter affliguntur, propter quod illius felicis vitæ dilationem,cui votis omnibus suspiramus, rectissime intelligitur. Proinde petentes quondam uxori refrigerium sempiternum,quæ mortem, ut credimus, non incurrit, sed exuit,vobis patientiam et in bonis actibus perseverantiam atque profectum postulate a Domino Deo nostro, et dicto citius consolationem vestro infundet pectori; ita ut audiatis Apostolum cohortantem : *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete* (*Phil.* iv). Ergo B sane quod dignati estis vestros æstus mecum communicare, attentius et pro illa et pro vobis supplicare conabor. Credo, quamvis non meo merito, vestra tamen Deum humilitate placandum,qui absque respectu vestræ magnitudinis cum mea parvitate conferre tam seria non horruistis. Ostendi ut potui et humana ratiocinatione et divinis auctoritatibus non vos exauditos ad votum patienter ferendum, dolorisque vulnus, quod irremediabile videbatur, quemadmodum mitigari posset. Vestræ prudentiæ ac solitæ dignationis erit quæ pia intentione non docendi, sed commemorandi causa profusa sunt, æque pia mente lectitare,et si qua in his capi possit utilitas, pro jure amicitiæ vestram deputare.

18 Libellum (*a*) de adoranda cruce, meo judicio utilissimum, quem meo nomini dedicastis, ut par C fuit amplexus sum. Atque utinam morem mihi gerentes sic omnia quæcunque ab initio enodanda vobis misi,vel hoc anno reliqui, aperire non gravaremini! Profecto non mihi solum, sed multis videtur hic labor prodesse. Tamen et pro hoc quod nunc mihi nec opinanti misistis, et pro aliis quibus a vobis institutus jam antea sum, maximas agens habesque gratias, quid Deus vestræ indulgentissimæ dignetnr inspirare pietati sollicitus præstolabor.

Medio Maio vita comite hinc recedere decrevi. Quo tempore, Deo volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, et aliquot apud vos dies facturus, ut et libros vestros vobis restituam, et quibus indiguero discam, fruarque aliquandiu vestro suavissimo alloquio, atque informer mihi D gratissimo vestræ gravitatis et honestatis exemplo. Nam me hoc tempore discessurum inanis vobis fama mentita est. Quod etsi,quod penitus nolo, contingeret, sic quoque ad vos sine dubio properarem. Tantus enim mihi vestri amor incumbit, ut nullatenus vobis insalutatis,sanctorumque martyrum neglecto patrocinio, ad patriam remearem. Cupio te mei memorem bene valere in Domino, prosperisque pollere successibus,Domine desiderantissime Pater, et de me optime per omnia merite.

19 EPISTOLA V.

AD EUMDEM.

Fidissimo Patri Eginhardo Lupus salutem.

Memoriam vos habere mei quam gratum habeam nequaquam facile dictus est, præsertim cum eminentiæ vestræ sublimitas eo usque se submiserit ut ultroneæ salutationis munus hac vice meruerim, quamvis optaverim vestris refici litteris, quantumque jam æstus rei notæ deferbuerit discere,atque si vobis hinc a parvitate mea quidquam persuaderi potuerit. Ego certe,quemadmodum pollicitus sum,et pro illius charissimæ sempiterno refrigerio specialiter ac quotidie Dominum supplico,et quod vobis vel in præsenti vel futura vita conducibile credo vigilanti perseverantia postulare non desino. Proficiamne aliquid,vos forsitan sentiatis. Haudquaquam tamen dubitaverim harum fructum petitionum in divina miseratione reponere,ac licet serum,quantum ad voti spectat impatientiam, maturum tamen propter illius justitiæ pondus sine dubio præstolari. Obsecro autem,legite libri sancti Augustini de Civitate Dei xxi, titulum 27, et videte si non his quæ scripsi paria de eadem calamitate vir ille divini ingenii senserit; quæ plane nunquam ante legeram : sed cum postea ea percurrissem,admodum miratus sum mea tam similia sensu fuisse, ut ab is colorem traxisse penitus viderentur. Cæterum profectionis in patriam, ac per hoc ad vos, tempus aliquantum producere coactus sum. Namque venerabili **20** viro (*b*) Marcwardo, per quem mea reversio administranda est, cum in Italiam legatus mitteretur, ac me prius ad suum colloquium ut amicissimum evocavisset,mihi consuluerat ut hinc die qua significaveram vobis recedens sanctitatem vestram petere debuissem. Verum illustris abbas Rabanus postmodum regressus a palatio, foret necne per id temporis isthic

(*a*) *De adoranda cruce.* Hic Eginhardi liber non exstat. Utrum vero is scriptus sit occasione Claudii Taurinensis damnantis venerationem sanctæ crucis, ut Baronio videtur,aliis discutiendum relinquo. Solis enim conjecturis in eo argumento agere possumus.

(*b*) *Marcwardus.* Hæc scriptura constans est in veteri codice,cum in editione Massoni semper scriptum sit *Marcwardus.* Marcwardum etiam(sic enim scribendum est,pro *Macunardus*) vocat Regino,abbas et ipse Prumiensis : « Anno Dominicæ Incarnationis 829, Tancradus, secundus abbas Prumiensis monasterii, obiit; et Marcunardus ei in regimine successit, vir prudens,et sacræ religioni deditus.» Item Theganus, chorepiscopus Trevirensis,in opere de Gestis Ludovici Bii, cap. 53 : « Post hoc misit imperator legatos suos ad Lotharium,Marcwardum venerabilem abbatem, cum cæteris fidelibus suis. » Et alioqui Marcwardus nomen est Germanicum, ut patet ex Annalibus Fuldensibus ad annum 880 et ex Lamberto Schafnaburgensi ad annum 1073 : « Rex, inquit, Natalem Domini Bahenberg celebravit. Ibi Bertoldo duci Carnotensium ducatum sine legitima discussione absenti abstulit, et Marcwardo cuidam propinquo suo tradidit. » Et ad annum 1150 vivebat Marcwardus abbas Fuldensis, ut in Antiquitatibus Fuldensibus docet Christophorus Browerus. Marcwardo abbati Prumiensi successit Eigil anno 853, ut dicemus ad epistolam 55.

propter legationem sibi commissam, ad liquidum A scire non potuit; atque ob eam rem hortatus est ut reditum meum ad Non. Jun. differrem, quando solemnitas sancti Bonifacii se abesse minime sineret, nisi forte ipsi quoque imperialis jussionis et ea quam gravissima præjudicaret auctoritas. Itaque cum suam post regressionem Marcwardus ex me quæsitum quando potissimum reverti vellem misisset, memoratæ rei causa equos huc adducendos ut pridie Non. Jun. curaret petii, quo Christo propitio (*a*) VIII. Id. ejusdem mensis iter ad vos possem arripere : quod ille, si vita comes fuerit, indubitanter implebit. Quare certum diem quidem, quo ad vos venturus sim, exprimere non audeo; sed intra eam hebdomadam quæ Non. Jun. cœperit omnino me venturum, Deo volente, confirmo. Atque utinam exoneratum B omni curarum molestia vestrum reperire tunc merear animum, ut non vacet modo pro solita dignatione quæcunque amicalia videbuntur mecum conferre, verum etiam ubi vel meum vel aliorum me deficit, vestrum adsit consultum ingenium; cui quantum assurgam, quantumque deferam, quantum denique eo me vel adjutum vel adjuvandum credam, ut adulationis morsum effugiam, nolo amplius dicere; Deus viderit, cujus idipsum gratia procuravit.

21 Interim hæc quæ subjeci paterna, qua me semper fovetis, pietate considerare dignamini, ut ea prævisa mihi facilius expediatis. In priori libro Arithmeticæ Boetius quarto capitulo sic ponit *Quod autem dictum est secundum duorum generum contrarias passiones hujusmodi est*, ab eo loco usque ad hæc verba, quæ paucis interjectis subjiciuntur, *Spatio est maxima* C *parcissimo quantitate*, minus mihi quam velim clarum est. In eodem libro, capitulo 21, negat esse *difficile diligentibus*, præter quas ipse expresserit partes, multiplices superpatientis secundum monstratum a se modum cæteras reperiri. Quod si per vos plene quod paulo præmisit superius intellexere ubi ait, *Vocabunturque hi secundum proprias partes duplex superbipartiens*, et sequentia, nimirum mihi non erit difficile. Idem auctor eximius secundo ejusdem operis libro, itemque secundo capite, *et ut ait*, inquit, *Nichomachus inmusitatum*, sive, ut alibi reperi *enmusitaton theorema proficiens*, etc.; quæ verba Græca quam habeant proprietatem nescio si recte receperim. In eodem libro, cap. 25, ab eo loco ubi scriptum est : *Omnis quoque cubus qui ex tetragonorum* D *superficie in profunditatem corporis crevit*, usque ad eum, *Angulos vero octo, quorum singulis sub trihus ejusmodi continetur, quales priores fuere tetragoni unde cubus ipse productus est*, ut verbo ipsius loquar, figuram rei subtilis non assequor, et ut per vos ejus intellectum capiam vehementer indigeo. In Victorii quoque calculum prævia Dei gratia vestraque doctrina ingredi cupio. Quin etiam in hujusmodi dictionibus, ut est *aratrum, salubris*, et similia, **22** quæ non modo positione, sed etiam natura penultimam A videntur habere productam, magna hæsitatio est, in qua me adhuc laborare profiteor; utrumnam naturæ serviendum sit, ut penultima, ut est, longa pronuntietur; an propter illud quod Donatus ait, Si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, ut *Catullus;* ita tamen si positione longa, non ex muta et liquida fuerit, nam mutabit accentum, ut *pharetra*, in natura simul et tali positione productis, communis syllaba naturæ præjudicet, et accentus in antepenultimam transferatur. Namque nihil in auctoribus solidum adhuc reperire potui unde uter eorum sensus aut astrui aut abdicari mihi posse videatur. Erit igitur vestræ prudentiæ hanc ambiguitatem dirimere ut utrum eorum aliquo documento fortissimo roborare. Siquidem ad difficultatem, quod certam B hinc nullius reperio regulam, accedit etiam hoc quod in metro ejusmodi, ut est. *aratrum*, semper productam invenio penultimam, cum si in naturaliter quoque longis communis syllaba valeat, manifestum sit *aratra* nominativo, accusativo, et vocativo pluralibus per dactylum poni potuisse. Sunt et alia complura interroganda, quæ notata teneo, quæque commodius, si Deus vosque permiseritis, præsens disquiram. Et obsecro per quam mihi pietatem gratuito semper exhibuistis ut quoad veniam ad vos, quæ necessaria mihi scitis me unde discam nisi ex vobis restare, ex abditis vestræ memoriæ diligentius eruere ac mihi jure caritatis et amicitiæ ultro aperire dignemini; ut semina in me vestri figentes ingenii, frugem illius ad plurimos transmittatis.

C **23** Præterea scriptor regius Bertcaudus dicitur antiquarum litterarum, duntaxat earum quæ maximæ sunt, et unciales a quibusdam vocari existimantur, habere mensuram descriptam. Itaque si penes vos est, mittite mihi eam per hunc, quæso, pictorem, cum redierit, schedula tamen diligentissime sigillo munita.

A. Gellium misissem, nisi rursus illum (*a*) abbas retinuisset, questus necdum sibi eum esse descriptum. Scripturum se tamen vobis dixit quod præfatum librum vi mihi extorserit. Verum et illum et omnes cæteros, quibus vestra liberalitate fruor, per me, si Deus vult, vobis ipse restituet.

Abdita in lege et maxime Græca nomina, et alia ex Servio item Græca, quæ initio vobis direxi, saltem D nunc utinam ne gravemini explanare. Valeas, clarissime præceptor et Pater dulcissime, prosperisque perpetuo successibus polleas.

EPISTOLA VI

AD REGINBERTUM.

Charissimo et desiderantissimo Reginberto Lupus et Adalgus æternam salutem.

Graviter in me Lupum litteræ tuæ invectæ suut, quod videlicet omni germanitate atque natura eo usque mentem exuerim ut infelicitatem tuam saltem

(*a*) *Abbas*. Idem est Rabanus, Abbas Fuldensis. Nam tum Lupus morabatur in monasterio Fuldensi.

consolatoriis apicibus fastidissem lenire, quando alterius subsidii conferendi nulla copia provenisset. Unde collegi litteras meas nequaquam tibi redditas quas per Marcwardum abbatem a Transrhenanis partibus ante hoc ferme **24** triennium direxi, nec tamen illius incuria. Nam ipse, cum te minime invenisset gentili nostro (*a*) Bodoni, quem nobis fidum credebat, monstratas litteras tibi tradendas reliquit : quod ille si complevisset, cognovisses me fraterna pietate, non tua modo penitus miseratum incommoda, sed etiam recuperandæ fortunæ jam tum consilium agitasse. Verum omittamus ista, quibus aut fraus aut negligentia detraxit effectum ; præsentia magis urgent. Hilarioris fortunæ faciem tibi aliquantulum aperiri utcunque gratulamur. Nec ejus indulgentia te abuti volumus, sed omnem illius fructum in tua tuorumque utilitate collocare. Id quemadmodum facere debeas melius intelliges, si tibi quæ nostra sunt innotescant. Superiore anno, annitentibus amicis, in præsentiam (*b*) imperatoris deductus sum, et ab eo atque (*c*) Regina benigne omnino exceptus : et nunc, hoc est x Kal. Octobris, indictione prima, ad palatium regina quamplurimum valet evocante promoveo, multique existimant fore ut cito mihi gradus dignitatis aliquis conferatur. Quod si divina exhuberante gratia evenerit, non dubites illico te accersendum, ut una permissu imperatoris degentes, communium studiorum exercitatione jucundissima pertruamur. Sin autem spes nostras eventus eluserit, rescribe an velis me per amicos * ut ab imperatore locus tibi quidem reddatur in monasterio tuo, apud me autem studendi gratia quatenus uterque nostrum voluerit, conferatur. Cum hæc ita se habeant, hortor ne divinæ Scripturæ nulla tibi fuerit cura, cujus et usus frequens est cognitio salutaris. Atque illud quæso præcipue ut in mente habeas, firmaque **25** semper memoria complectaris : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ*, et sequentia (*Eccle* XII) Librum quem flagitasti misissem, nisi lator defuisset idoneus. Verum et illum et omnes quotquot divinitus accepero tecum si vita comes fuerit, communicare desidero, tuaque non minus quam mea commoda indesinenter curabo,

(*a*) ***Bodoni.*** Sic vetus codex. Nam editio Massoni habuit ***Bordoni.*** Hunc ego virum valde puto eum esse quem Rabanus Moguntinus ait ætate sua renuntiasse fidei Christi ut se verteret ad Judæos. Sic enim scribit Rabanus in cap. 42 libri adversus Judæos : « Quantum autem eorum nefanda societas et venenatum colloquium proficiat ad impietatem, dum *sermo eorum*, dicit Apostolus, *sicut cancer serpit*, in uno ab eis mirabiliter et horribiliter decepto omnibus considerare licet. Quod enim nunquam antea gestum meminimus, seductus est ab eis diaconus palatinus nobiliter nutritus, et in Ecclesia officiis exercitatus, et apud principem bene habitus ; ita ut eorum diabolicis persuasionibus abstractus et illectus desereret palatium, desereret patriam et parentes, desereret penitus Christianorum regnum ; et nunc apud Hispaniam inter Sarracenos Judæis sociatus, persuasus sit ab impiis Christum Dei Filium negare, baptismi gratiam profanare, circumcisionem carnalem accipere, nomen sibi mutare : ut qui antea Bono, nunc Eliezer appelletur, ita ut et superstitione et habitu totus Judæus effectus, quotidie in synagogis Satanæ barbatus et conjugatus cum cæteris blasphemet Christum et Ecclesiam ejus. » Gentilem suum fuisse docet Lupus. Quia vero videmus Christianos in Hispania degentes, qui Bodonis crudelitate afflicti valde erant, lacrymabilem ad Carolum Calvum episcoposque in regno ejus constitutos epistolam misisse, orantes ut memoratus apostata reposceretur, hinc colligimus illum oriundum fuisse ex ea regni Francici parte quæ Carolo Calvo cessit. Alioqui enim cur non potius a Lothario Augusto aut Ludovico Germaniæ rege repeterent ? Itaque quod videmus in Annalibus Bertinianis Bodonem Alamannica gente progenitum sic interpretari debemus, parentibus quidem Alamanis progenitum, sed in Gallia natum. Præstat autem integrum locum describere ex iisdem Annalibus ad annum 839 : « Bodo diaconus Alemanica gente progenitus, et ab ipsis pene cunabulis in Christiana religione palatinis eruditionibus divinis humanisque litteris aliquatenus imbutus, qui anno præcedente Romam orationis gratia properandi licentiam ab Augustis poposcerat multisque donariis muneratus impetraverat, humani generis hoste pellectus, relicta Christianitate, ad Judaismum sese convertit ; et primum quidem consilio proditionis atque perditionis suæ cum Judæis inito quos secum adduxerat paganis vendendos callide machinari non timuit. Quibus distractis, uno tantummodo secum, qui nepos ejus ferebatur, retento, abnegata (quod lacrymabiliter dicimus) Christi fide, sese Judæum professus est. Sicque circumcisus, capillisque ac barba crescentibus, et mutato potiusque usurpato Eleazari nomine, accinctus etiam cingulo militari, cujusdam Judæi filiam sibi matrimonio copulavit : coacto memorato nepote suo similiter ad Judaismum translato. Tandemque cum Judæis miserrima cupiditate devinctus Cæsaraugustam urbem Hispaniæ mediante Augusto mense ingressus est. Quod quantum Augustis cunctisque Christianæ fidei gratia redemptis luctuosum exstiterit difficultas, qua imperatori id facile credendum persuaderi non potuit, patenter omnibus indicavit. » Ex hoc interim loco, ut antea quoque adnotabamus et ex Rabano discimus, tum Diaconos neque comam neque barbam nutrire solitos et a nuptiis abstinuisse. De Bodone porro, diacono palatino, monendus es, lector, miserabilem illum casum huic viro accidisse anno 838, ut habetur in Chronico brevi monasterii S. Galli, quod a Duchesnio editum est : *Puoto diaconus de Palatio lapsus est in Judaismum inter octavam et nonam horam in vigilia Ascensionis Domini.* Adeo autem pertinax Judaicæ perfidiæ defensor dein fuit ut non alius fuisse unquam videatur iniquior adversus Christianos. Hujus rei fidem faciunt annales Bertianini ad annum 838 : « Bodo, qui ante aliquot annos Christiana veritate derelicta ad Judæorum perfidiam concesserat, in tantum mali profecit ut in omnes Christianos Hispaniæ degentes tam regis quam gentis Sarracenorum animos concitare statuerit, quatenus aut relicta Christianæ fidei religione ad Judæornm insaniam Sarracenorumve dementiam se converterent, aut certe omnes interficerentur. Super quo omnium illius regni Christianorum petitio ad Carolum regem regnique sui episcopos cæterosque nostræ fidei ordines lacrymabiliter missa est ut memoratus apostata reposceretur, ne diutius Christianis illic versantibus aut impedimento aut neci foret. » Hinc ergo docemur Bodonem fuisse diaconum palatii Caroli Calvi. Ex Hincmari porro Rhemensis epistola, de sancto Dionysio scripta ad regem Carolum, discimus illum fuisse clericum Hilduini abbatis S. Dionysii.

(*b*) *Imperatoris.* Id est Ludovici Pii. Itaque actum id fuit anno 837. Mensis enim December anni sequentis habuit secundam indictionem.

(*c*) *Regina.* Judith, ultima Ludovici Pii uxore, Caroli matre.

si quidem puerilia jam deposui. Tenet animum causarum amor utilium, ad quæ deprehendenda plurimum me adjuvari optime de nobis meriti Adalgi germani nostri confiteor instantia, cujus nomine hujus etiam epistolæ vestibulum illustravi.

EPISTOLA VII.

AD EUMDEM.

Æquumne fuisse putas, cum te mearum rerum fidissimum fecissem custodem, si me tuarum exsortem diu manere paterer? Cæterum quanta me tui cura possideat, nedum tu, nemo dubitaverit, si sospitatem nobis et quam animo præcipio facultatem Deus suffecerit. Namque quod scripsi non eo te modo quo disposueras apud me nunc posse studere, cum ad me veneris, et nostra quæ litteris comprehendi non possunt cognoveris, tua comprobabit prudentia. Quanquam, si nulla mei status provenerit, satius et ut apprime sis et in Virgiliana lectione, ut optime potes, proficias. Abundabis enim otio, meaque prona in te diligentia, quam temetipso uteris magistro non tam fructuose quam laboriose proficias. Deo enim largiente et possum et **26** adesse tibi incredibiliter cupio. Feci autem litteras ad Auduinum et Ebrorum de tua reversione, quam visitationis adumbravi vocabulo. Verum deliberatio nostra, postquam veneris, manendum redeundumne tibi sit, facile inveniet. Præsentiam tamen tuam Kalendis Julii absque ulla retractatione mihi exhibe, quam differri maximum non sinit quod impendet negotium. Bene vale.

EPISTOLA VIII.

AD ADALGARDUM.

Singulariter uniceque dilecto Adalgardo Lupus in Domino salutem.

Obsecutus voluntati tuæ, quanquam gravate, litteras has ipse formavi; quæ si breviores quam voluisses, ut erunt, fuerint, tibi debebis imputare; quia me inextricabiliter implicitum duo uno tempore eodemque angustissimo munera extorsisti. Sed me diu te morer, in talibus intelligendum reor quod Priscianus ait, in aliis vero rarissime, non absolute quibuslibet verbis, sed unde illi sermo erat, anomalis. Namque quod alia penultimam primæ vel secundæ personæ producant Servius auctor est, qui in eo versu ubi Virgilius sistolen fecit his verbis:

> Egerimus nosti et nimium meminisse necesse est,
> VIRG. *Æneid.* lib. VI.

R, inquit, metri necessitate corripuit. Item Juvencus:

> Ne sanctum canibus dederitis, neve velitis,

licet quidam præteritum perfectum subjunctivi et futurum differre scribant. Rarissime autem id fieri in aliis anomalis, propter *voluerimus, ritis*, *ederimus*, **27** *ritis*, et si qua sunt cætera hujusmodi, ut mea fert opinio, expressit, quorum penultimas incunctanter producimus. *Doceberis* per *e* penultimam dicendum ipse Priscianus astruit, qui sicut in activo, sic

A etiam in passivo præsentis temporis declinationem dicit docere aliorum temporum delinationem absque perfecto et his qui ex eo nascuntur, *quæ fit*, inquit, *secundum unamquamque ex tribus conjugationibus.* Ergo sicut præsens tertiæ conjugationis passivum ab activo fit, interposita *r*, *i* tamen ut ipse vigilanter admonuit, in *e* mutata, hoc est, *legeris*, non *legiris*, eodem modo, quia *docebo*, servat deductionem tertiæ conjugationis *doceburis*, *i* activi convertit in *e*. Multa ex hac et priore quæstione dici posse intelligo. Sed epistolaris brevitas ea me reticere compellit. Habeo vero tibi plurimas gratias quod in Macrobio corrigendo fraternum adhibuisti laborem. Quanquam librum, cujus mihi ex eadem folium direxisti, præoptarem videre. Est revera venerabilis et exactissimæ diligentiæ. Nec minus tibi gratulor

B pro commento Boetii. Nescio tamen adhuc an totum id contineatur, aut si tuum sit, aut si cum alio id contuleris. Hinc autem te castigatum in perpetuum velim, ut nihil mihi unquam aut scribas aut dicas ambiguum, quod tamen ipse compertum habeas, et in morem oraculorum Apollinis sententiam tuam aliqua obliquitate confundas. Siquidem neque utrum liber Tusculanarum nobis esset scriptus, neque quid Agio ageret, neque quos libros inveneris, neque, quod me satis sollicitat, utrum hoc secessu emolumentum sis aliquod assecutus, expressisti. Cæterum exercitus et alii more tuo agunt; **28** nec his novi aliquid accidit, nisi quod interventu Bosonii et Frosm. et librum recepi, et in societatem obnitentibus omnibus sum admissus. Bene

C vale.

EPISTOLA IX.

AD LEOT.

Luppus abbas dilecto suo (*a*) Leot. salutem.

Molimina hostium nostrorum, quæ litteris nostris ex integro cognoscere concupisti, tam numero, tam callida tamque tumentia exstiterunt ut si plene exponerentur, libri magnitudinem vindicarent. Unde factum est ut hac vice scriptori parcerem; tibi autem et quibusque benivolis beneficii divini seriem non quidem denegarem, sed in aliud tempus commodius, ut credo, differrem. Exitum tamen non tacui, propter quem et mihi et omnibus mei studiosis ingentes Deo sunt gratiæ et habendæ et referendæ.

D Guichardo, si cognoscendæ veritatis desiderio opus nostrum expetit, arbitror non negandum. Cavendum tamen prudenter ne dum prætendit discendi desiderium, nocendi aditum subdola mente rimetur. Bene vale.

29 EPISTOLA X.

AD MARCWARDUM.

Litterarum vestrarum non aliam quam fuit esse decebat sententiam, cum olim tantus nos charitatis fervor affecerit ut ejus refrigerandi ne parva quidem remanere posset suspicio. Resquam secreto parvitati

(*a*) *Ad Leot.* Ita prorsus codex ms., pro quo Massonus edidit, *ad Leotericum.* Sed fortassis hæc quoque epistola scripta fuit ad Deotaldum, cui quinta decima inscripta fuit. Id neque affirmare neque repellere in animo est.

meæ significastis, quam grata sit, æquis oculis, ut A puto, Deus aspicit, et vobis ab eo qui pertulit fideliter exponetur. Gratias liberalitati vestræ super muneribus mihi et fratribus missis artificiose non ego referre cum pro comperto teneatis quod sicut vestram benevolentiam in nos singulariter experti sumus ita privatam quamdam ejus dignitatem animo speculemur. Cæterum ut ea quæ monuistis in me Deus operetur, vestrum erit assiduis orationibus impetrare, scilicet ut qui nostri vobis infudit curam, profectus concedat audire lætitiam. Quid super Suetonio Tranquillo et Josepho a vobis fieri optem demonstrabit Eigel, nostrarum rerum fidus interpres. Salutate omnes fratres ex nostra parvitate, specialiterque, [a] Gerungum, Fulcoldum et Ansboldum; et ut nostri benigne meminerint, dignamini postulare.

30 EPISTOLA XI.

AD LOTHARIUM REGEM

De cella sancti Judoci.

Domine præcellentissime Auguste, nos fratres ex cœnobio Ferrariensi, multis et maximis hoc anno pressi angustiis, erubescimus quod totiens celsitudinis vestræ majestatem inquietare compellimur. Tamen recordantes quia pro vobis fideliter oravimus et oramus, et promissionem adjutorii vestri tenentes, non desperamus nos impetraturos quod petimus. Cellam [b] sancti Judoci, quam Magnus Karolus quondam [c] Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, beatæ memoriæ pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur, ut quod eleemosynæ superesset in nostrum usum cederet. Hanc per subreptionem [d] Rhuodingus a vobis obtinuit, nobisque legitimam donationem patris vestri repetentibus impostorum crimen inurit. Unde petimus ut inspecto edicto patris vestri, pro reverentia beati Petri et [e] beatæ Mariæ et Pauli, apud quos communem Dominum pro vobis exoramus, sic hoc negotium terminare dignemini ut non solum invasor cellæ illius in præsenti juste redarguatur, verum etiam posteris calumniandi nobis occasio auferatur. Nam etsi dominus noster, pater quondam B vester, hoc nobis munus non concessisset, tam intente pro vobis et laboravimus et laboramus ut si eamdem cellam aut amplius quid a vestra excellentia peteremus, non esse nobis negandum unanimiter **31** conflamus. Ipse autem Deus inspiret prudentiæ vestræ ut sicut hoc scandalum vestro tempore cœpit, ita etiam per vos firmissimum finem accipiat; ut hoc beneficio et nos et posteri nostri pro vobis et filiis vestris nitamur eum attentius implorare, vosque sic tribuat imperare in terris ut æternum regnum possideatis in cœlis.

[a] *Gerungum.* Vel ex eo patet hunc fuisse monachum quod eum Lupus vocat fratrem. An vero is sit qui per ea tempora monachus fuit Fuldensis ac postea abbas Hirsaugiensis, nondum mihi bene compertum est; quanquam satis huc inclinat animus, quippe monachi quandoque mutabant sedes. C Utcunque se res habeat, Gerungus, monachus Fuldensis, factus est albas Hirsaugiensis anno 854, obiitque annp 885, Kal. Augusti, anno ætatis LXXI, sepultus apud Hirsaugiam in basilica S. Aureli, ut in Chronicc Hirsaugiensi tradit Trithemius. Fuerat olim discipulus Strabi Fuldensis, a quo litteras sæculares, id est humaniores didicerat. Insignisque profecto videtur inscriptio epistolæ ejusdem Strabi ad eumdem Gerungum qui ei dicans librum de arithmeticis dimensionibus sic loquitur: *Reverendissimo merito patri, ætate filio, littera discipulo, gratia magistro, Gerungo abbati.* Similem epigraphen nos anno superiore restituimus in epistola Salviani ad Salonium pag. 215. Cæterum hic adnotandum est hunc Gerungum videri non esse diversum ab eo qui sub Ludovico Pio imp. fuit summus ostiariorum sacri palatii magister; de quo vide Annales Eginhardi ad annum 822 et epistolas Frotharii, episcopi Tullensi. Nam illum postea fuisse monachum docet Wandalbertus diaconus lib. II. Miraculor. S. Goaris, D cap, 20.

[b] *Cellam* S. *Judoci.* Sancti Judoci monasterium, sive cella maritima, de qua hic sermo, situm est haud procul ostio Quenti fluminis, vulgo *Canche*, adversum nimirum oppido Stapularum, quod in ora fluminis situm est. Positam fuisse hanc cellam haud procul Quentowico, in comitatu Pontivensi, arbitratur R. P. Philippus Labbeus Sammarthani vero scripserc esse ipsum Quentowicum. Istorum autem sententiæ ego accedo propter auctoritatem Alcuini, qui in epistola 93, cellam S. Judoci locat in loco cui *Vicos* nomen erat. *Martinus*, inquit, *in Vicos apud sanctum Judocum infirmus remansit.* De quo haud dubie loquitur etiam in epistoia 12 ad Carolum Magnum: *Revertenti me de Wicus propter causas necessarias,* etc. Locus ergo (quod Sirmondus quoque observavit ad Capitula Caroli Calvi, tit. 31) dicebatur simpliciter *Vicus*; interdum vero, quod ad fluvium Quentum situs esset, *Quentowicus*, id est, *Wicus Quenti*, non secus ac Briva, quod est oppidum in Lemovicibus, a Gregorio Turonensi, lib. III. Hist., cap. 10, vocatur *Briva-Curretia*, eo quod ad Curretiam amnem sita sit. Id nos docuit Wilibaldus in Vita sancti Bonifacii, archiepiscopi Moguntini, cap. 5, ubi ait hunc sanctum ex Anglia profectum appulisse cum sociis suis ad fluvium *Cuent*, sive Quentum, deinde vero paululum substitisse apud *Cuentawic* sive Quentawicum. Hæc sunt verba Wilibaldi: « Pleno vento prosperoque cursu ostia fluminis citius quod dicitur CUENT, omni jam expertes periculo naufragii, aspiciunt, ad aridam sospites terram perveninnt. Sed et castrametati in CUENTAWIC, donec superveniens se collegarum multitudo congregasset. » Quentawich portus meminit auctor Chronici Fontanellensis his verbis: *Anno 844 Quentawich portum miserabili clade devastaverunt Nortmanni;* cujus cladis meminit Lupus in epistola 43, ut illic adnotabimus. Hodie Quentawicus, ut pleraque alia Galliarum oppida, relicto veteri nomine, sancti Judoci nomen retinet. Vulgo *Saint-Josse sur Mer.*

[c] *Alcuino.* Magistro nimiro suo, qui integro nomine dictus est Flaccus Albinus Alcuinus. Abbas fuit monasterii Ferrariensis. obiitque anno 804. Ejus funus curatum est a Sigulfo abbate Ferrariensi.

[d] *Rhuodingus.* Hinc patet hanc epistolam esse scriptam ante divisionem imperii inter filios Ludovici Pii. Nam Carolus Calvus Cellam S. Judoci postea dedit Odulfo comiti, ut patet ex diversis Lupi epistolis et ex præcepto Caroli.

[e] B. *Mariæ.* Tametsi enim monasterium istud vocetur monasterium sancti Petri Ferrariensis obhoc quod sancto Petro dicatum sit, ex hoc tamen loco, itemque ex Vita Ludovici Pii, discimus illud beatissimæ quoque Virgini Mariæ dicatum esse. Sic enim scribit auctor Vitæ Ludovici: *Monasterium sanctæ Mariæ et sancti Petri de Ferrariis, quod antiquitus Bethlehem vocabatur.*

EPISTOLA XII.

AD PARDULUM.

Chrissimo a prǽsuli Pardulo Lupus plurimam salutem.

Cum repeto memoria intimos vos esse regi, nihil miror quando ad fidei vestræ meritum et sine invidia sapientiæ metior privilegium; imo gaudeo plurimum quod jacentes res ecclesiasticas credo vestra industria sublevandas. Proinde fiducia familiaritatis hortor et moneo ne perceptam a Deo gratiam negligatis. Talentum enim, ut optime nostis, cum usura restituendum a Domino accepistis. Ecce quanta vobis lucrandi ultro confertur occasio. Monachi b sanctæ Columbæ c privilegio et antiquorum et præsentium muniti episcoporum, regumque et imperatorum et priscis et recentibus instructi edictis spem recuperationis aliquam nacti, pietatis regiæ portum petunt, ubi tutum perfugium vestra intercessione cupiunt invenire. Dignamini, quæso, legere quæ ferunt et ut a rege clementer audiantur efficere; et prudentiæ vestræ laudabili acumine ne gravemini aperire, hii qui ante eum feliciter regnaverunt, quam proficuum sibi et patriæ judicaverunt, si **32** Dei servis postulata concederent. Ferte opem indigentibus, præstate refrigerium laborantibus sit vestrum memoriale saltem aliquorum Dei servorum d instaurata libertas. Occupationum ve-

a *Præsuli Pardulo.* Laudunensi episcopo.

b *Sanctæ Columbæ.* Celeberrimus per eas tempestates monasterium sanctæ Columbæ apud civitatem Senonensem, in quo etiam conditum fuit corpus sancti Lupi episcopi Lenonensis, ut vetera Acta testantur. Vetus autem et magna inter monachos sanctæ Columbæ et sancti Petri Vivi Senonensis controversia fuit de sacris reliquiis ejusdem Lupi; quæ Innocentii III auctoritate sedata est, qui secundum monachos sanctæ Columbæ pronuntiavit, ut patet ex ejus regesto, lib. xv, epist. 10.

Privilegio episcoporum. Nimirum Gallicanorum. Nam ita antiquitus assolebat. Rarius enim tum implorabatur apostolicæ sedis auctoritas. Tamen haud ita multo post, ita postulantibus regibus nostris, Romani pontifices protectiouem sedis apostolicæ concesserunt quamplurimis monasteriis. Quod ideo factum puto ut quos auctoritate regia principes a monasteriorum rebus summoverant, religione terrerent. Sic Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, privilegia quædam petiit a Sede apostolica non quod ea necessaria essent, sed ut iis *carnales et animales homines territi* reverentius se erga Hincmarum et Rhemensem Ecclesiam haberent ut ad Nicolaum papam scribit Hincmarus. Sic Ivo. Carnotensis episcopus in epistola 94, ad Paschalem II scribens, ejus auctoritate fulciri postulat concessionem quamdam a comite Carnotensi factam Ecclesiæ suæ; sed tamen aperte docet novum esse et insolens ut in hujuscemodi negotiis imploretur apostolicæ sedis auctoritas. *Nec indebitum est*, inquit, *si adversus nova morborum genera inveniuntur et apponuntur insolita medicamenta.* Itaque mores antiquos convellere studuit ut *tali obice*, id est privilegio Romano, retineret eos qui deinceps concessionem a comite Carnotensi factam infringere tentarent.

d *Instaurata libertas* Monasterii nimirum S. Columbæ. Nam sub Ludovico Pio eam amiserat, ejus auctoritate subjectum archiepiscopo Senonensi. Clarius monachus in Chronico sancti Petri Vivi Senonensis loquens de Hieremia archiepiscopo hæc ait ad annum 844 : « Insuper addidit ei rex abbatiam sanctæ Columbæ, quam antecessores sui nuper perdiderant, ut esset sub tuitione archiepiscopi Senonicæ urbis. Postea tamen idem Ludovicus, anno XXIII imperii sui, IV Nonas Aprilis, eidem monasterio restituit libertatem, insuperhabito præcepto dato in gratiam Ecclesiæ Senonicæ, quod *per subreptionem quorumdam* impetratum fuisse ait. Dein, hand dubie sub Carolo Calvo, rursum hoc monasterium amisit libertatem. Orat ergo Pardulum Lupus ut pro ea qua valebat apud Carolum gratia id apud eum efficiat ut libertas, quæ tot edictis principalibus totque episcoporum privilegiis confirmata fuerat, restituatur monachis sanctæ Columbæ. Dedit autem Carolus rex precibus Parduli, juxta Lupi postulata, ut rursum monasterium sanctæ Columbæ subtraheretur auctoritati archiepiscopi Senonensis, ut patet ex Proclamatione Caroli adversus Wenilonem. Nam tum Wenilo, secessione facta a Carolo ad Ludovicum regem Germaniæ, *de abbatis sanctæ Columbæ præceptum obtinuit* a Ludovico, *et litteras ad missos, quo eamdem abbatiam revocarent*, id est, ut missi dominici denuo eam abbatiam subjicerent archiepiscopo Senonensi, regia nimirum auctoritate, quod indicat eam tum non fuisse subjectam archiepiscopo Senonensi. Ea fuit nostra conjectura. Postea vero vir harum rerum scientissimus domnus Claudius Chantelovius, monachus Benedictinus, mecum communicavit Caroli præceptum de ea re, quod omnem dubitandi occasionem adimit. Libertatem enim amplissimam tribuit huic monasterio sanctæ Columbæ cum consilio procerum suorum, episcoporum videlicet ac ducum. Datum est hoc præceptum in Compendio palatio *Nonis Decembris anno octavo regnante Carolo gloriosissimo rege, indictione undecima*, id est, anno 848, quæ est, ut apparet, epocha Lupinæ istius epistolæ. Ex his porro quæ dicta sunt colligi abunde potest monasteriorum libertatem tum pependisse ex nutu principum; qui eam concedebant, dein vero. si res ita ferret, revocabant pro arbitrio. Sic Carolus Magnus monasterium Senoniense in Vosago subdidit ditioni Angilramni Metensis archiepiscopi successorumque ejus. *Hic enim locus ab initio sui ab imperio dependebat;* ut ait Richerius monachus in libro secundo Chronici Senoniensis capite primo. Sic Caroli filius, Ludovicus Pius, monasterium Glannafolium subjecit monasterio Fossatensi, ut ad epistolam 159 Ivonis Carnotensis adnotavit Juretus. Sic Rodulfus rex monasterium Tutelense subjecerat cœnobio sancti Savani Pictaviensis; quo jugo illud postea liberavit, non aliam ob causam quam quod ita expedire religioni arbitrabatur. Sic Henricus I abbatiam Casæ Dei subjecit episcopo Arvernensi, ut patet ex ejus præcepto.

Notanda interim sunt verba Clarii quibus utitur ut significet monasterium sanctæ Columbæ subjectum denuo fuisse archiepiscopo Senonensi; *ut esset*, inquit, *sub tuitione archiepiscopi Senonicæ urbis.* Hinc enim discimus quænam regibus nostris mens fuerit cum in præceptis suis constituebant ut monasteria quibus ipsi libertatem tribuebant sua propria essent et sub regia semper defensione atque tuitione posita. Carolus Calvus in præcepto pro monasterio sanctæ Gratæ in diœcesi Urgellensi : « Propterea has nostræ auctoritatis litteras prænominato abbati suisque monachis ex prædicto monasterio fieri jussimus; per quas fidelibus nostris notum fieri volumus memoratum monasterium cum præfata cella et eorum omnibus appendiciis vel cunctis rebus, sicut domni et genitoris nostri fuit, nostrum proprium esse (*Sic Vindocinense monasterium dicitur* alodium B. Petri, *eo quod ab initio subjectum sit sedi apostolicæ*), et sub nostra semper defensione atque tuitione consistat; ut nullus episco-

stratum intuitu parcius rem suggero, quam vestra mirabilis capacitas effectu tanti boni sufficienter A intellectam desiderantibus patefaciat. Benigne mei memores cupio vos valere feliciter.

pus, aut comes, vel missus discurrens ibi aliquam dominationem aut tyrannidem potestatem exerceant, nisi quemadmodum canonica auctoritas jubet. » Præcepta huic similia exstant prope innumera. Reges ergo nostri, cum ita constituerent, tuitionis ac defensionis vocabulis ad se trahebant causas monasteriorum, quas attingere episcopos vetabant; iis tamen exceptis quæ canonum violationem respiciebant, has enim episcopali audientiæ reservabant. Probatio hujus rei petenda est ex libro II Capitularium, cap. 8 : « Abbatibus quoque et laicis specialiter jubemus ut in monasteriis quæ ex nostra largitate habent episcoporum consilio et documento ea quæ ad religionem canonicorum, monachorum, sanctimonialium pertinent, peragant, et eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant et obediant. » Antea quippe lege generali per omnes ubique provincias promulgata monasteria etiam prorsus in potestate episcoporum; adeo ut si quippiam illic actum fuisset extra regulam, ab episcopis corrigeretur. Dein vero paulatim reges nostri curam monasteriorum in se susceperunt, deque statu eorum monachorum regia auctoritate cognoscebant quibus impertierant regiam tuitionem. Unde in Capitulis Caroli Calvi legimus ipsum in provincias misisse legatos, qui una cum episcopis et monasteriorum possessoribus, quos ad eamdem quoque sollicitudinem delegabat, vitam et mores monachorum regia vice examinarent, cunctaque ad se referrent, ut patet ex capite 1 actionis septimæ synodi Suessionensis, quod postea repetitum est in capitulari Compendiensi. Et ne longius abeamus, exempla petentes e longinquo, hic noster Lupus, ut ipse in epistola 63 auctor est, legatus fuit una cum Heriboldo episcopo Antissiodorensi et Prudentio Trecassino ut monasteria in regno Caroli constituta vivificaret. Ea fortassis de causa vir eruditissimus Franciscus Florens canonici juris interpretes, præsertim vero auctorem Glossæ, graviter reprehendit quod exemptiones a regibus concessas monasteriis ad temporalia tantum porrigi dixerint, non autem ad spiritualia. Non absimili autem instituto hodie pontifex Romanus persæpe delegat visitatores et commissarios ad noscendos monasteriorum morbos. Itaque monasteria, ut sæculi nostri verbis utamur, erant per eas tempestates immediate subjecta auctoritati regiæ, et ad eam nullo medio respiciebant. Et quoniam eo præsidio monasteria indigebant ut facilius occurrerent contradictionibus sive episcoporum sive aliorum quorumcunque, ii qui monasteria de novo fundabant, ea statim ponebant sub tuitione ac defensione principum. Ex innumeris exemplis quæ in hoc proferri possunt, unicum tantum afferam, ex quo intelligi poterit quæ fuerit forma cæterorum. Anno 867, Raymundus, comes Tolosanus, monasterium Vabrense in Ruthenis ædificans edicit *ut sub tuitione et immunitate regis perenniter consistat*, ut est apud Catellum in Historia comitum Tolos., pag. 69. At principes, quorum aliunde summa in hoc erat auctoritas, existimabant ex ea fundatorum institutione sequi ut tota monasteriorum illorum dispositio penes ipsos esset, sive in constituendis abbatibus, sive etiam in ordinandis rebus monasteriorum monachorumque moribus informandis. Quæ causa fuit ut abbates illic pro arbitrio constituerent, sive ex monastico ordine, sive et laicali. Unde Lotharium et Ludovicum impp. graviter monuit synodus Ticinensis, habita anno 850, ut idoneis viris monasteria committerent juxta ordinationem fundatorum. Sic enim scriptum est in canone 16 : « Suggerendum est beatissimis imperatoribus quia hi qui monasteria et xenodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur quod a nullo melius quam a summis potestatibus protegenda crediderint. Et si ea contra decreta institutorum personis quibus non licet dederint, ipsi impugnatores efficiuntur qui propugnare debuerunt. » Vertit se deinde Christianorum pietas ad sedem Petri; proque principum tuitione, ut antea assolebat, pontificum Romanorum tuitionem implorari mos fuit. Quo factum est ut Joannes Saresberiensis in Policratico, lib. VII, cap. 19 et 21, loquens de exemptionibus monasteriorum, privilegium apostolicum conjungat cum regio. Sic monasterium Cluniacense, a Willelmo, Aquitaniæ duce, fundatum, positum est sub tuitione apostolorum Petri et Pauli atque Romani pontificis defensione. Sic monasterium Vindocinense a Goffrido Martello, comite Andegavensi, *Beato principi apostolorum Petro Et Romanæ ejus Ecclesiæ in alodium et patrimonium*
B oblatum est, cum consensu tamen Henrici Francorum regis. Itaque regum antiquorum pietatem postea secuti sunt Romani pontifices, cum tuitionem ac defensionem suam impenderent monasteriis ut ea liberarent a potestate episcoporum. Neque enim mihi admodum placet quod quidam eam auctoritatem repetunt a jure divino, ex illis Christi verbis ad Petrum : *Quodcunque ligaveris*, etc. Sumptum id, ut dixi, ex more regio, quemadmodum pleraque alia. Veluti istud. Principes aiunt : « Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus ne hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ex se eligendi abbates. » Pontifices Romani : « Obeunte te nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur nisi
C quem fratres communi assensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam elegerint. » Adeo autem verum est monasteriorum statum olim pependisse a regibus nostris, ut et Henrici quoque primi auctoritate Ecclesia Casæ-Dei apud Arvernos evecta sit ad abbatiæ dignitatem absque ulla mentione summi pontificis. Exstant enim ea de re litteræ ejusdem regis penes clariss. virum Antonium Vionem Herovallium, quas ille lubentissime, ut est prono erga hæc studia animo, consensit addi his notis nostris.

Hæ ergo sic se habent : « In nomine Domini Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Henricus Dei gratia Francorum rex. Si regia sollicitudo ea procurat quæ ad instaurationem sanctæ Ecclesiæ catholicæ pertinere noscuntur, procul dubio magnum regii culminis statim præparare probatur, et non solum in præsenti stabilitatem regni corroborat,
D sed etiam in futuro præmium æternæ retributionis conciliat. Qua de re notum esse volumus omnium fidelium Dei atque nostrorum præsentium scilicet atque futurorum industriæ, quod nostram adiens mansuetudinem venerabilis vir et Deo dignus Rotbertus Brivatensis canonicus et thesaurarius, a domino Rencone dilectissimo et familiarissimo nostro Arvernorum episcopo missus, et per litteras commendatus, innotuit se quamdam ecclesiam in pago Arvernensi in eremo sitam, et ab eo honoribus ampliatam, Casam-Dei nominatam, ad culmen et honorem abbatiæ promovere velle, nostræ liberalitatis jussu et potestate, et episcopi sui permissione. Agentes itaque commune consilium cum proceribus et primoribus palatii nostri, decrevimus ejus annuere precibus; et tam pro nostra, quam pro patrum nostrorum indulgentia, per præceptum nostræ firmitatis auctorisavimus, et abbatiam fieri jussimus

EPISTOLA XIII.

AD ÆDILULFUM REGEM.

Ad laudem et gloriam Dei magnis laudibus efferendo (*a*) Ædilulfo regi omnium servorum Dei ultimus Lupus abbas ex monasterio (*b*) sancti Judoci præsentis temporis felicitatem et beatitudinis æternæ salutem.

Quoniam regiminis vestri opinionem bonam co-

et permisimus, ecclesiæque Arvernensi subdidimus, tali tenore, ut Arvernensis episcopi jussu et voluntate, et monachorum loci illius petitione et electione, abbas loco illi provideatur, et Deo dignus procurator absque omni venalitate et munere instituatur. Insuper etiam in Assumptione beatæ Dei genitricis et Virginis Mariæ, abbas loci illius ad sedem Arvernensis matris ecclesiæ cum tribus aut quatuor monachis atque cum canonicis festivæ diei solemnitatem peragat, libramque incensi in censum persolvat. Dona etiam pro Dei amore et timore ecclesiæ prædictæ concessa, auctoritate nostræ potestatis assignavimus, et sigillo regio confirmavimus; scilicet in eadem villa ecclesiam quamdam in honore sanctorum martyrum Agricolæ et Vitalis consecratam, in territorio Brivatensi ecclesiam unam in honore sancti Andreæ Comæ cum omnibus ad eam pertinentibus. In vico Triniaco, ecclesiam sancti Germani martyris, cum ipso vico, et omnibus ad eum pertinentibus. In territorio Fornolensi, ecclesiam cum ipsa villa, et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Bellopomerio cum ipsa villa, et omnibus ad eam pertinentibus, capellam de Castello Bullione. In vico Lucidiaco, tres ecclesias, cum ipso vico, et omnibus ad eum pertinentibus. In villa sancti Domini, duas ecclesias, et medietatem ipsius villæ. In castro de Monte-Vasconum, capellam. In villa sancti Victoris, duas ecclesias. In territorio Bocensi, ecclesiam sancti Desiderii episcopi et martyris. In territorio Lugdunensi, in villa quæ dicitur Sociacus, ecclesiam sanctæ Mariæ, cum ipsa villa, et omnibus ad eam pertinentibus. Et etiam quamplura prædia villarum, terrarum cultarum et incultarum, silvarum, vinearum, aquarum, pascuorum. Quicunque autem aliquam controversiam vel calumniam huic donationi inferre præsumpserit, atque aliquid de prædictis rebus ei ecclesiæ traditis vel tradendis demere tentaverit, petitio illius irrita nostro præcepto fiat, et episcopi compatriotæ plenam vindictam fratribus ecclesiæ illi deservientibus faciant. Habeat autem prædicta ecclesia licentiam adaugendi et accrescendi jussu nostræ majestatis. Et quidquid rectores ejus in quacunque parte nostri regni salvo jure ecclesiastico acquisierint, tam in villis, quam in prædiis, aut aliquibus bonis, firmitate nostræ majestatis signavimus, et tam futura, et acquirenda, quam præterita, et acquisita bona tradidimus et auctorisavimus. Præcipimus quoque, ne aliquis laicus aliquam consuetudinem capiendi aliquid in loco illo habeat, neque aliquam molestiam abbati illi inferre præsumat; sed abbati omnia disponenda permittat, et sic a nobis jussum esse non discredat. Mandamus etiam ut si quis aliquam calumniam huic traditioni inferre præsumpserit, rectores loci illius ad regale suffragium concurrant, salva ecclesiastica auctoritate, et plenam vindictam recepisse se gaudeant. Hæc autem præceptum, ut validiori astipulatione nitatur, annulo nostro subterfirmavimus, et Arvernensi episcopo et cæteris nostri regni episcopis auctorisare mandavimus. Actum Victriaco palatio publice, obtentu domni et venerabilis Hugonis Nivernensis episcopi, mense Septembri, luna XI, Indictione secunda, ab Incarnatione Domini anno millesimo quinquagesimo secundo, regni domni et invictissimi Henrici regis vicesimo primo. S. Aymonis Bituricensis archiepiscopi, S. Arnulfi Turonensis archiepiscopi, S. Agoberti Carnotensis episcopi, S. Odonis fratris regis, S. Renconis Arvernensis episcopi, S. Rotberti Burgundiæ ducis, S. Herberti Antissiodorensis episcopi, S. Willelmi Aquitanensis ducis, S. Guidonis Rhemensis archiepiscopi, S. Isambardi Aurelianensis episcopi, S. Helmuini Augustodunensis episcopi, S. Willelmi Normannorum ducis, S. Mainardi Senonensis archiepiscopi, S. Enzelini Parisiensis episcopi, S. Widonis Cabilonensis episcopi, S. Radulfi comitis, S. Theobaldi comitis, S. Rainaudi camerarii. Seguinus sciolus scripsit ad vicem Balduini regii cancellarii XII Kalendas Octobris. »

Cæterum quod paulo ante annotavi, totam monasteriorum dispositionem Caroli Calvi ævo fuisse penes principes, etiam quoad monachorum mores informandos, sic accipi velim ut principes dicere voluerim maximam diligentiam adhibuisse ut monachi viverent secundum regulam, neque ab ea recederent, et si quid extra illam agerent, cura missorum dominicorum emendaretur, ut patet ex lib. I Capitularium, cap. 122, et ex epistola 63 Lupi. Præterea eorum lectionem et cantum ordinabant jure regio, ut colligitur ex eodem capite 122 itemque ex 80 ejusdem libri. Et Ludovicus Pius eodem libro cap. 85 statuit ut regula Canonicorum, quam ipse ex dictis sanctorum Patrum colligi jusserat, *ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur, et modis omnibus sive a canonicis, sive a sanctimonialibus canonice degentibus, deinceps observetur*. Et hæc quidem in aversione. Nam singulorum regulæ capitum observatio pertinebat ad curam abbatum, ut patet ex libro eodem Capitularium cap. 73.

Ex ea observatione sequitur monasteriorum libertatem olim pependisse ex nutu principum, qui eam concedebant, dein vero, si res ita ferret, revocabant pro arbitrio : cujus rei nonnulla exempla attuli. Addi vero debuit exemplum Caroli Calvi : qui cum monasterium Magniloci subjecisset episcopo Arvernensi, dein tamen præceptum de ea subjectione revocavit ; adeoque libertatem huic monasterio concessit, « ut ipsi monachi et omnes illorum res in nostra et successorum nostrorum ab hodierna die et deinceps emunitate consistant Præcipimus quoque per præsens nostræ altitudinis præceptum, ut a nostra vel successorum nostrorum tuitione memoratus locus nunquam excidat, » etc. Exstat præceptum istud in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap. 38, § 7.

(*a*) *Ædilulfo regi* Anglorum, quem alii Edelulfum et Ethelulfum, vocant. Longius abeunt qui eum vocant Edilnulfum, et Edelboldum. Ædilulfum Anglorum regem uxorem duxisse satis constat Juditham, Caroli Calvi filiam. Ac licet exstent Acta benedictionis super illam, quando eam Edelulfus accepit in uxorem, itemque benedictionis, quando uncta est in reginam, nondum tamen adnotatum est quo tempore istud acciderit. Docet autem auctor Annalium Bertinianorum contigisse istud anno 856. Hæc sunt ejus verba : « Edilvulf rex Occidentalium Anglorum, Roma rediens, Judith filiam Carli regis mense Julio desponsatam, Kal. Octobribus in Varmaria palatio in matrimonium accipit, et eam, Ingmaro Durocortori Remorum episcopo benedicente, imposito capiti ejus diademate, reginæ nomine insignit : quod sibi suæque genti eatenus fuerat insuetum. Patratoque regiis apparatibus utrinque atque muneribus matrimonio, cum ea Britanniam regni sui ditionem navigio repetit. » Tum de eadem Juditha hæc narrant iidem Annales ad annum 858 : « Edilvulf rex Occidentalium Saxonum moritur, relictam ejus Judith reginam Adalboldus filius ejus uxorem ducit. » Adelboldo

(*b*) *Sancti Judoci*. Vide notas ad epistolam 11.

gnovimus, et vires vobis a Deo collatas contra inimicos Christi audivimus, omnipotentem Deum, qui easdem vires tribuit, precamur ut contra omnes Christiani nominis hostes vos insuperabiles faciat, qui potestate sua incomprehensibili, sed tamen justa, omnia semper dispensat. Verum quia meam parvitatem a vestra excellentia separat (*a*) continens, obsequendo notus vobis fieri cupio ; maxime postquam vestrum in Dei cultu fervorem ex (*b*) Felice didici, qui (*c*) epistolarum vestrarum officio fungebatur. Præcipite igitur quidquid possibile mihi creditis, et me in omnibus ad famulandum paratum invenietis. Sed ut vos ad promerendum Deum excitemus, certandi vobis prioribus materiam ostendimus et in præsenti spem et in **33** futuro sæculo mercedem procul dubio præbituram. Ecclesiam in monasterio nostro, quod est (*d*) mediterraneum, et Ferrarias appellatur, ac Bethlehem a conditore impositum nomen possidet, (*e*) operire plumbo molimur post Deum in honore beati Petri et omnium cæterorum apostolorum consecratam : cujus operis, si dignamini, vos esse participes precamur. Estote igitur in Dei honorem ad hoc perficiendum adjutores, non meriti nostri, sed respectu divinæ mer-A cedis. Quia qui sine vestra largitione pro vobis intercessores sumus, alacriores erimus, si vobis et nobis profuturum, ad animæ tantummodo remedium, munus acceperimus. Erimus tamen, sicut ante significavimus, in omne quidquid nobis possibile injunxeritis parati. Omnipotens Deus ad propagationem et conservationem suæ fidei vos et posteritatem vestram diutissime regionis vestræ faciat esse principes, et quandoque sempiternæ beatitudinis hæredes.

EPISTOLA XIV.

(*f*) AD FELICEM.

Dilectissimo amico Felici Lupus, abbas monasterii Ferrariensis atque sancti Judoci salutem.

Licet aliquot anni fluxerint ex quo nos invicem, B largiente Dei gratia, in (*g*) monasterio Faræ primo cognovimus, nec postea evenerit opportunitas, quod optavi, ut familiariter loqueremur, tamen quia in neutro nostrum fervor charitatis refrixit, precor ut apud laudabilem vestrum Ædilulfum mea petitio vestra **34** diligentia sortiatur effectum. Si quidem recordatus quantæ illum liberalitatis prædicaveritis, per litteras flagito ut quoniam statui Ecclesiam

boldo tandem mortuo, ea nupsit Balduino comiti, non consentiente Carolo Calvo patre. Unde graves adversus Balduinum Judithamque procellæ, quæ anno tandem 863 coquieverunt. Tum enim Carolus « filiam suam Judith, ut loquuntur iidem Annales, sicut domnus apostolicus eum petierat, consilio fidelium suorum Balduino, quem secuta fuerat, legaliter conjugio sociari permisit. » Flodoardus lib. III Hist. Rhem., cap. XII : « De conjunctione Balduini C comitis et Judith indebita. Quæ scilicet Judith, Caroli regis filia, Edilnulfo regi Anglorum, qui et Edelboldus, dudum fuerat in matrimonium copulata, et reginæ decore ac benedictione insignita. » Exstant in libro Capitulorum Caroli Calvi benedictiones Judith istius, ejusdem Caroli filiæ, primum quando benedicta est ut sponsa Ædilulfi, deinde vero ut regina.

(*a*) *Continens.* Illud dicere voluit Lupus, freto se disjunctum esse ab Ædilulfo Anglorum rege. Continens autem dixit pro mari, impropria admodum significatione. Nam *continens* dicitur terra quæ mari adjacet. Unde Sicilia insula dicitur a continente avulsa ob veterem fabulam. Vide Freinsheimium ad Q. Curtium lib. IV, cap. 11, ad illum locum : *in continenti vos esse.*

(*b*) *Felice.* Vide epistolam sequentem.

(*c*) *Epistolar. v. officio.* Erat ergo Felix notarius Ædilulfi, vel fortean cancellarius.

(*d*) *Mediterraneum*, id est, longe a muri constructum. Itaque in margine veteris codicis, his octoginta annis hæc glossematis vice adjecta sunt, *id est a mari fluminibusve remotum ;* quod, ob imperitiam exscriptorum, in textum dein receptum est in editione Massoni. Nam his carebat manuscriptus codex, nosque editionem nostram iis carere debere censuimus, ob eam causam. Absunt etiam ab editione Duchesnii.

(*e*) *Operire plumbo.* Postquam Lupus ecclesiam monasterii Ferrariensis ædificaverat, ædificiumque illud in eo statu esset, ut nihil illic præter tectum desideraretur, litteras ad Ædilulfum regem Anglorum pientissimum, et ad Felicem regium quondam notarium dedit, quibus eos orat ut plumbum ex Anglia sibi suppeditent, quod usui esse posset ad operiendum templum. Sic Stephanus abbas sanctæ Genovefæ Parisiensis, qui dein episcopus fuit Tornacensis, reparandæ ecclesiæ suæ intentus, levari se sumptuum parte postulat a Waldemaro episcopo Selewicensi, quo plumbum Anglicanum emere possit, usui futurum ad operiendam ædem illam sacram. Ita enim ad eum scribit in epistola 165 : « Eos (id est, parietes basilicæ sanctæ Genovefæ) reficere incœpimus, comparata jam lignorum macerie, quæ et superponatur innovatis parietibus, et tecto plumbeo supponatur. Sub quodam rubore mendicantes rogamus, et petimus, ut aliquid de benevola ac benefica liberalitate vestra nobis mittatis, quo plumbum emamus, non Romanum, sed Anglicum. Quoniam Anglico plumbo teguntur ecclesiæ, nudantur Romano. » Curiam Romanam hic satyrico sale defricat Stephanus, ob eam videlicet causam quod illa pro auro non carbones, ut aiunt, sed plumbum tribuere consuevisset, illudque immenso pretio. Unde illa Petri Blesensis verba ad Henricum II regem Anglorum scribentis in epistola 41 : « Nuntii vestri a Romana curia redierunt, exonerati quidem argento, onerati plumbo. »

(*f*) *Ad Felicem.* In edito legitur, *ad Felicem regium scribam ;* quod additum puto a Massono. Nam in veteri codice nihil in titulo istius epistolæ legitur, præter hæc verba, *Ad Felicem.* Et sane tum, cum hæc epistola scripta est, vir ille non erat regius scriD ba, tametsi fortean esset inter intimos Ædilulfi regis. Nam in superiore epistola dixit Lupus : *Ex Felice didici, qui epistolarum vestrarum officio fungebatur,* quod est præteriti temporis.

(*g*) *Monasterio Faræ.* Ita diserte codex manuscriptus. In ora tamen libri his octoginta annis scriptum est *f. Ferrariæ.* Qui enim tum legebat has Lupi epistolas, nondum noverat ubinam terrarum situm esset monasterium Faræ. Illud dolendum quod hic error imposuit erudito viro Papirio Massono, qui, repudiata lectione sincera, supposititiam retinuit. Sic enim edidit, *in monasterio Ferrariensi*, etc., quam lectionem retinuit etiam Andreas Duchesnius. Est autem Faræ monasterium in diœcesi Meldensi situm, in pago videlicet Brigeso. Vulgo *Farmonstier en Brie.* Nomen accepit a Fara, pientissima femina, a qua fundatum est temporibus Dagoberti regis.

beati Petri principis apostolorum in monasterio Ferrariensi tegere plumbo, ad diuturnitatem contignationis, ut ad augmentum bonorum suorum, ex eodem plumbi metallo ad memoratum opus, quantum ei Deus inspiraverit, nobis dignetur largiri. Quod si exuberante Dei clementia, et vestra cooperante industria, obtinuero, vestræ rursum erit sollicitudinis ut munificentiæ illius beneficium ad villam (*a*) Stapulas provehatur. Nos autem, sicut et in litteris præfeto regi directis expressimus, et pro illo semper orare parati sumus, et si quid possibile nobis injunxerit, celeriter exsequi. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XV.

(*b*) AD LEOTALDUM.

Lupus abbas Leotaldo suo salutem.

Non eram nescius te id animo continere quod litteris expressisti; quoniam pene omnia sunt mihi ac frequenter in oculis quibus modis benevolentiæ germanus animus sit solitus respondere. Unde autem te certiorem fieri poposcisti, indulgentia Dei scias me pro tempore bene valere, meisque dispositionibus, quas justitia semper condire cupio, nihil quod sciam, obsistere. Quamobrem bono animo esto, et pro nostra communi salute hoc sancto tempore instantius deprecare. Patrem patratum nomen esse gradus **35** sacerdotalis existimo, cum is qui eo fugeretur tantum venerationis a civibus mereretur ut eorum pater factus diceretur, per quem ea faciebant quæ (*e*) in Servio legis; ut hostes, quos viribus superare moliebantur, prius religione terrerent.

EPISTOLA XVI.

(*d*) AD ORSMARUM METROPOLITANUM TURONUM.

Reverentissimo Orsmaro metropolitano Lupus in Domino salutem.

Germani mei vestrique fidissimi relatione postquam mihi vestra opinio innotuit, miro semper ardeo desiderio experiri quod illius diligentia delecta A biliter prælibavi; maximasque sanctitati vestræ ago et habeo gratias quod ultro certare beneficiis non fastidistis, memoratum fratrem episcopaliter excipiendo et benigne fovendo, parvitatem vero meam ad vestrum amorem sincerissimo affectu invitando. Quod an pura mente depromam facile vestra prudentia colliget, si facultatem demonstrandi divina unquam gratia nactus fuero. Interim quod jam didicimus quantum de vobis præsumere debeamus, impendio supplicamus ut commentarios Boetii in Topica Ciceronis, quod in chartacio codice sive, ut emendatius allis dicendum videtur, chartinacio Almaricus in (*e*) armario sancti Martini habet, obtentos ab eo nobis per hunc, quem ob hoc direximus, nuntium dirigatis. Monemusque ut cum quilibet B quæsierit cuinam præfatum codicem commodaturi **36** sitis, nostra nomina supprimentes, quod quibusdam propinquis vestris id magnopere flagitantibus velitis eum mittere respondeatis. Si autem per vos illum accipere meruerimus, optime tractabimus, et tempore opportuno remittemus. Super vestra incolumitate nobisque gratissima prosperitate litteris nos certiores facere dignemini, et ne aliqua ex parte ad vos frustra miserimus pariter procurate.

EPISTOLA XVII.

(*f*) AD JUNETUM.

Quanquam vasta terrarum amplitudo diversis nos secernat locis, tamen, quia charitas illius qui per fidem facit unanimes habitare in domo Ecclesiæ nos concordi sociat religione, æquum est ut quæ, dictante C utilitate, vicissim vobis scribimus germana reverentia complectamur. Itaque frater vester post longos errores ad nos devenit, delictique sui qualitatem simpliciter exposuit; quam litteris comprehendere otiosum judicavimus, quando et rebus et verbis illius scire volentibus absque difficultate constabit. Cujus condolentes calamitati, et congratulantes conversioni, sanctitati vestræ has tenuitatis nostræ litteras

(*a*) ***Stapulas.*** Oppidum est in ora Quenti fluminis, haud procul ab Oceano, adeoque vicinum monasterio sancti Judoci, quod in altera fluminis ora situm est. Cæterum hinc colligi potest epistolam hanc fuisse scriptam ante recuperationem cellæ S. Judoci. Nam si ea tum recuperata fuisset, commodior videlicet futurus erat portus Quentawici, ob propinquitatem monasterii. Postquam enim recuperata est cella; tum non Stapulas, sed ad cellam sancti Judoci deferri petiit ex Anglia libros quosdam, quos ab abbate quodam Eboracensi Lupus poscebat, ut patet ex epistola 62. Stapulæ porro vetus nomen servavere. Hodie enim huic loco nomen est *Etaples.*

(*b*) *Ad Leotaldum.* Presbyterum fortassis Lingonensem, in castro Divionensi commorantem: cujus mentio exstat in Chronico S. Benigni Divionensis ad annum 841, his verbis: « In diebus ejus dedit Leotaldus presbyter, unus ex clericis hic commanentibus, in isto burgo, et in fine Tremolense, partem hereditatis suæ. » Item paulo supra: « Baldo præpositus et cæteri cum eo clerici cum Leotaldo presbytero commutaverunt terram. Dedit Leotaldus peciolas duas de terra. Una est juxta Divion castrum, alia in loco qui dicitur Petraficta. Fratres dederunt Leotaldo presbytero terram in fine Tremolensi. » Et fortean eidem Leotaldo inscripta est epistola mona Lupi, cujus hic est titulus in veteri codice, AD LEOT. pro quo Massonus edidit, *Ad Leotericum.*

(*e*) *In Servio legis.* Nimirum in commentariis ad libros IX et X Æneidos. Describam autem ipsa Servii verba ex libro X, ut intelligat lector quid innuerit Lupus: « Nam si quando homines vel animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano, cum fe- D cialibus, id est, sacerdotibus qui faciendis fœderibus præsunt, proficiscebatur etiam pater patratus; et ante fines stans clara voce dicebat belli causam; et nolentibus res raptas restituere vel auctores injuriæ tradere, jaciebat hastam quæ res erat pugnæ principium; et sic licebat more belli res rapere. »

(*d*) *Ad Orsmarum.* Cujusnam sedis episcopus fuerit indicat titulus epistolæ, nimirum Turonensis. Alibi vocatur Ursmarus, ut in Capitulis Karoli Calvi, et alibi. Sed discrimen illud nullius est momenti.

(*e*) *Armario.* Bibliotheca. Ista explicatio est certissima. Et quanquam facile sit illam probare multis testimoniis, abstineo ab illis referendis. Ob eam causam custos bibliothecæ vocabatur Armarius. Vide glossarium Latinum Cangii.

(*f*) Titulus hic additus est ex editione Massoni. Nam vetus codex nihil hic scriptum habuit.

destinandas decrevimus, quibus imploramus ut ex- A cessus illius vindictam nostræ deprecationi remittere non dedignemini. Siquidem temeritatis suæ adeo dignum refert pretium, ut si qui forte sint ejus inimici, tantæ, tam molestæ, tam denique infructuosæ peregrinationis illius exsaturari possint injuria. Perditorum **37** enim hominum acquiescens circumventioni pene usque ad ultimas Galliæ partes abductus est; omnique ope nudatus, inde ad vos magno cum rubore, ut videtis, revertitur. Quocirca vestra clementia nostris flexa precibus et culpam dignanter indulgeat, et pietatis gremium ei citius pœnitenti aperiat.

EPISTOLA XVIII.

QUIBUSDAM FRATRIBUS EX MONASTERIO (*a*) SANCTI AMANDI. B

Charissimis fratribus Lupus in Domino salutem.

(*b*) Curam vestri nec me cupide appetisse nec insolenter excepisse vidistis, quod parvitatem meam duplici onere gravari, non provehi, facile sentiebam; et nunc eamdem curam in promptu est conjicere me libenter deponere, nec alicui eam gerenti aliquatenus invidere; siquidem et sine dolore amittuntur quæ absque delectationis illecebra possidentur; et juxta B. Apostolum (*Phil.* I), sive ex veritate, sive ex occasione, Christus annuntietur, et in hoc gaudeo et gaudebo. Proinde videtur mihi obediendum vobis esse cui præcipitur, et ad generale placitum occurrendum, quod in prædio quodam Parisiorum, cui (*c*) Bonogilo nomen est, incipiet Kal. Julii celebrari. (*d*) Sacris enim regis obniti, præsertim hoc C tempore, periculosum existimo. Exiguitatem vero meam, si vita comes fuerit, absque difficultate in conventu reperietis. Quod si tardius quam voluissetis præsentes vobis redditæ fuerint litteræ, noveritis vestra IX Kal. Jul. mihi fuisse allatas, et meas **38** postridie ejus diei traditas. Mei benigne memores cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XIX.

(*e*) AD HERIBOLDUM EPISCOPUM.

Excellentissimo præsuli Heriboldos Lupus.

Quidam vestrum monachus, cui Joannis nomen est, nobiscum in monasterio nostro versatur, propter quamdam necessitatem a quodam fratre nostro vecatus, a me autem postea retentus, quod et nobis prodest, et in cœnobio ejus, ut audivimus, indigentia laboratur. Quo congregari undique fratres vos præcepisse comperiens, celsitudini vestræ hos direxi apices, postulans ut et hunc mihi aliquandiu concedatis, et quantum audeo suppliciter implorans ut secundum ingenitam vobis benignitatem et impositam officii diligentiam loco illi consulatis; ne forte fratrum penuria non solum bona vestra obscuret, verum etiam Dei nostri, ad cujus quotidie judicium properamus, provocet offensam, et irrevocabilem acceleret vindictam. Res enim ecclesiasticæ et animarum cura quanta cautela tractandæ sint nec admonita vestra videt prudentia. Proinde et vobis et illis fratribus consulite, ut et de vestra indulgentia et de illorum sublevatione glorificetur Deus, qui singulis cito retribuet quod merentur. Valeas, Domine charissime, meique præcipue in sacris orationibus meminisse digneris.

39 EPISTOLA XX.

AD (*f*) ALTUINUM.

Charissimo fratri Altuino Lupus plurimam salutem.

Litteræ sanctitatis tuæ III Kal. Maii mihi redditæ sunt: quarum sententia pronum in me tuum declaravit affectum, haudquaquam sane aliter quam perceperam animo ac firmissime retinebam. Namque cum tam concorditer, tamque jucunde, ac forsan tam proficue, aliquandiu peregre viximus, qui poterat amor tam longo usu concretus labefactari? Infirmitatem vero quam contigisse mihi audisti cognoscas exuberante circa me, ut semper et in omnibus, divina gratia detrimenti nihil, at emolumenti pluri-

(*a*) *Sancti Amandi.* Elnonensis, in diœcesi Tornacensi.

(*b*) *Curam vestri.* Assentior Donato Candido, qui ex hoc loco collegit curam monachorum sancti Amandi Lupo quandoque fuisse commissam. Et patet Lupum tum fuisse abbatem alius cujuspiam monasterii, nempe Ferrariensis, cum monasterium sancti Amandi ipsi commissum est. Nam per eas tempestates facile principes plura monasteria tribuebant uni Abbati. Verum quia et Lupus duplici onere gravabatur, D et monachi illi ægre ferebant eum sibi dari abbatem qui raro præsentiam suam exhibiturus ipsis esset, monasterium illud alii cuipiam commissum est a principe, facile lubenterque assentiente Lupo donum sibi datum in alium transferri. Quippe intelligebat satis sibi occupationum domi esse, et eum vix sibi sufficere posse qui vel unius monasterii curam susceperit, multo minus duorum.

(*c*) *Bonogilo.* Vico agri Parisiensis, quem Bonoilum vocant Capitula Caroli Calvi, et Hincmarus in præfatione posterioris refutationis Goteschalci. Existimat autem Sirmondus Hincmarum de eo ipso conventu apud Bonoilum loqui cujus Acta exstant in eisdem Caroli Calvi Capitulis, Lupum de alio quodam superiore. Fieri tamen potest ut indictus conventus fuerit ad Kalendas Julii, sed Augusto demum mense celebratus. Multa enim persæpe insidunt, præsertim in republica perturbatissima, quæ tractationem gravium negotiorum differri præcipiunt. Conventus porro ille apud Bonoilum habitus est, ut dixi, mense Augusto, anno vero 856, præsente Carolo Calvo rege.

(*d*) *Sacris regis obniti.* Id est, principis jussa spernere, quæ ipse scriptis litteris significaverit; id ætate sua periculosum esse existimabat Lupus, propter suspicionem secessionis et partium. Nam Gallia miserandum in modum scissa erat. Itaque suadet monachis Elnonensibus ut ad conventum Bonogilensem accedant, ne infortunium in se accersant. Timendum namque erat ne suspicacem Caroli Calvi animum percelleret illud facinus, si adesse negligerent.

(*e*) *Ad Heriboldum.* Antissiodorensem, quod præferebat titulus epistolæ in editione Massoni. Nos sedis nomen omissum voluimus in hac nostra, ob studium antiquitatis, et quia deerat in manuscripto. Vir fuit magni nominis per illas tempestates, upote sacri palatii archicapellanus. Vide quæ adnotamus ad epistolam 37.

(*f*) *Altuinum.* Vide notas ad epistolam 34.

mum addidisse. Quippe nihil incommodi præter for- A midinem solam tulit. Orta enim (*a*) in dextro inguine pustula impendentem solum minata est mortem. Tantam autem orationum peperit copiam, quacunque meum fama casum dissipaverat, ut opinari audeam eum divino mihi beneficio procuratum. Regressus a Transrhenanis partibus, ubi statum loci nostri deprehendi, morem gerere statui quibus debebam ; et, favente Dei clementia, firmissima fruor quiete, otiumque meum est mihi pergratum conducibili lectionis negotio. Vides igitur nullos me itus moliri ac reditus. Quocirca si tibi necessarium ducis meum colloquium, adultam æstatem propter pabuli penuriam præstoleris oportet, quando non impediente cura equorum facere nobiscum dies aliquot valeas. Interim quæ ex me quæsisti, **40** ea duntaxat quorum videor mihi attigisse notitiam, quam possum breviter absolvo. Communem syllabam ex muta et liquida fieri in eis solis quæ per naturam brevia sunt nequaquam dubitaverim. Primo, quod natura pene semper arti præjudicat. Deinde, quod ut sentiam hujusmodi suadent pronuntiationes. *Peccator* creat ex se feminum *peccatrix*; *amator, amatrix; venator venatrix*, multaque similia, in quibus penultima syllaba nullus unquam dubitavit ponendum accentum. Nam si positionem sequeremur, femininum genus acuta antepenultima proferremus. Quod quam sit absurdum, imo barbarum, quis non intelligat? Postremo quæcunque natura produxi nullius poetæ testimonio usquam correpta reperio, quanquam diu sit quod id vigilanter quæsierim. Videtur ergo mihi et quibusdam doctis eisdemque studiosissimis viris, qui mecum talia pensitarunt, *salubris*, *aratrum*, et similia, accentu penultimo indubitanter moderanda. *Bibliothecam* quemadmodum enuntiare debeamus Martialis versu ostenditur,

> Quem mea non totum bibliotheca capit.

In versibus moralibus quos Alcuinus dicitur edidisse, *statera* sic posita est :

> Non tibi sit modius duplex, nec statera duplex.

Blasphemus Græcum esse non dubitabit nisi qui id per *p* et *h* scribi parum attendit. Itaque Græcus quidam Græcos *blasphemus* dicere correpta penultima mihi constanter asseruit, et id ipsum Eginhardus noster astruxit. Tamen Aurelius Prudentius, qui apud plerosque vehementissime celebratur, id nomen sic posuit :

> . . . Divisior blaspheme Dei (*b*).

Hinc igitur longe lateque manavit ut **41** *blasphemus* et *blasphemo* accentum in penultima syllaba sortirentur. (*c*) ***Nundinas*** in Teodulfi carmine legi producta penultima. Quod utrum ejus, an præceptorum auctoritate, penes illum fides habeatur. (*d*) ***Loquelam*** et *querelam* per unum *l*, Capri orthographiam sequentes proferimus. ***Medelam*** vero, sicut ***suadelam***, absque retractatione diceremus, ni conjugationis similitudinem confunderet diversitas generis, et omnium pene exemplarium non contemnenda repugnaret concordia. Quamobrem in medio relinquamus, nec temere nostrum permutemus usum, quoad si non sufficiunt quæ dixi, vel a nobis vel ab obnitentibus aliquid robustius inveniatur. ***Sistrum*** musicum est instru- B mentum, quod Isis, ut scripsisti, manu gestare fingebatur, accessus et recessus Nili fluminis eo significans. Unde Cleopatram Virgilius, ut commentitiam ejus potestatem sibi arrogasse solita subtilitate aperire (*Æneid*. VIII) :

> . . . Patrio, inquit, vocat agmina sistro.

Fialas correpta penultima ea causa dicimus quod fialæ dicuntur, quia fiunt ex vitro, quod Græci ***hialin*** appellant. Hialin autem habes in Virgilio (lib. IV *Georg.*):

> Carpebant hialin saturo fucata colore.

Item apud Martialem :

> Quid tibi cum fiala ligulam committere posses.

De cometis qui visi sunt timendum potius quam disserendum videtur. Et quia de his nil usquam C divina loquitur auctoritas, id opinari, imo metuere possumus quod gentiles illis apparentibus usu deprehenderunt. Hi portendere cometas pestilentiam, vel famen, vel bella tradiderunt. Hinc Mantuanus vates, morte Cæsaris ac bellis civilibus imminentibus, inter alia quæ ponit monstra (***Georg***. I):

> . . . Nec diri (*inquit*) toties arsere cometæ.

42 Josephus quoque prodit, priusquam everteretur Hierusalem, fuisse stellam in morem gladii per totum annum super eamdem urbem. Sed ut in spem aliquam adducamur clementiora experiendi, refert Pompeius Trogus Mithridatis regis futuram excellentiam cometa præmonstratam his verbis (***Justinus***, lib. XXXVII, c. 2): « Nam et eo quo genitus est anno, et eo quo regnare primum cœpit, stella cometes per utrumque D tempus septuaginta diebus ita luxit ut cœlum omne flagrare videretur. Nam et magnitudine sui quartam cœli partem occupaverat, et fulguris sui radiis

(*a*) ***In dextro inguine***. Istum morbum Lupo adhuc juveni evenisse in monasterio S. Trudonis eo tempore quo Francofurtum proficiscebatur cum Odone abbate suo testatur Hildegarius, episcopus Meldensis in Vita sancti Faronis, cujus verba descripta sunt inter Elogia Lupi.

(*b*) Prudent., initio Hamartig,

(*c*) ***Nundinas in Teodulfi***, episcopi Aurelianensis, cujus opera exstant, edita a clarissimo viro Jacobo Sirmondo. Versus autem Theodulfi, in quo producit penultimam syllabam vocis ***nundinis***, legitur in libro II, carm. 357 :

> Fruge, ope, nundinis, pulchris et rebus abundans.

Ex hoc porro Lupi testimonio recte collegit Sirmondus falli virum doctum, qui carmen hoc a Theodulfo compositum negavit, ea videlicet de causa quod illius mentio exstet apud Alcuinum de divinis Officiis, cap. 14, et Alcuinum certum sit ad Ludovici Pii imperatoris tempora non pervenisse. Verum, ut illic etiam observat Sirmondus, librum illum de divinis Officiis Alcuini non esse jam alii observarunt.

(*d*) *Loquelam per unum l*. Hinc patet fuisse olim qui scriberent *loquella*. Sane ego in multis codicibus mss. antiquis sæpe legi ***loquella, querella, medella***.

nitorem solis vicerat; et cum oriretur occumberetque, quatuor horarum spatium consumebat.» Vidi ego præterea (*a*) hoc Aprili, post mediam ferme noctem, stellam quamdam subobscuram, quæ sub Leone posita, radium ad spicam Virginis usque porrexerit. Quam rem aliquot dies scrupulose observans, stellam eamdem contemplatus sum; sed radium deinceps non vidi; deinde ipsa quoque stella sublata est. Librum quem petisti multi, quibus non erat commodandus, meum post reditum flagitarunt. Quare ablegandum illum aliquo, ne perire contingeret, pene statui. Hunc a me, cum veneris, forsitan impetrabis. Nam huic clerico etsi, quia tibi fidus est, hunc committi posse videbam, tamen non satis tuto, quod pedes erat, te non advertisse miratus sum. Cæterum ut me super episcopo nostro plene certum non reddideris, tuli moleste, quoniam nullius me causæ quantum illius fatigant. Jam vero pene stomachor

A quoniam non scripsisti quid (*b*) Probus noster exerceat, scilicet utrum in saltu Germaniæ disciplinas liberales, ut serio dicere solitus erat, ordine currat, an **43** certe inchoatam satyram, quod magis existimo, struens (*c*) Ciceronem et Virgilium cæterosque opinione ejus probatissimos viros in electorum collegium admittat, ne frustra Dominus sanguinem fuderit et in inferno otium triverit, si verum sit illud propheticum: *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne* (*Oseæ* XIII). Vale, charissime, et in amore nostro benigne persevera. Ex parvitate mea digneris salutare præpositum et congregationem vestram, et precari ut pro me et patre meo atque matre Dominum exorare dignentur.

B

EPISTOLA XXI.

(*d*) AD JONAM.

Moleste vos tulisse mearum litterarum sententiam

(*a*) *Hoc Aprili.* Haud dubie loquitur Lupus de cometa qui anno 838, « mediante festivitate Paschali,» ut ait auctor Vitæ Ludovici Pii, « in signo Virginis apparuit; » qui, ut idem auctor scribit, « Leonis ac Cancri, necnon Geminorum transiens signa, in capite Tauri tandem sub Aurigæ pedes igneum globum jubarumque prolixitatem deposuit, quas usquequaque porrexerat antea.» Nam Pascha hoc anno incidit in Kalendas Aprilis. Consuluit super ea re Ludovicus peritos siderum quid super eo portento censerent. Cumque eorum unus interrogationem principis eludere conaretur: « Unum est, inquit Ludovicus, quod adhuc silentio premis. Mutationem enim regni mortemque principis hoc portento monstrari dicunt. » Exemplum vulgaris istius persuasionis exstat apud Tacitum in XIV Annalium libro: « Inter quæ et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est tanquam mutationem regis portendat. » Aliud exemplum exhibet auctor Vitæ sancti Leodegarii Augustodunensis, a Duchesnio editæ, cap. 7: « Adeo enim tunc iram Dei manifeste cognovimus evenisse ut etiam stella appareret in cœlo quam astrologi vocant cometem; in cujus ortu asserunt fame terram turbari, mutatione regum vel commotione gentium percussionis gladium imminere.» Item aliud Rigordus in libro de Vita Philippi Augusti, Francorum regis: « Eo tempore quo Philippus rex Francorum magnanimus cœpit infirmari, cometes horribilis apparuit in occidente, portendens signum mortis ejusdem et debilitatem regni Francorum.» Sic cometa qui anno 1264 apparuit, portendere visus est mutationem regni Siciliæ, et Urbani papæ IV mortem, ut est apud Gulielmum de Podio-Laurentii, cap. 49, et in Chronico incerti auctoris quod a Catello editum est. Hinc illud Lucani in libro primo de bello civili:

Terris mutantem regna cometem.

(*b*) *Probus.* Presbyter Moguntinus, de quo hæc habent Annales Fuldenses ad annum 859: « Probus presbyter religiosus, cujus casta conversatio et doctrinæ sanctæ studium Moguntinam illustravit Ecclesiam, VII Kal. Julii diem obiit. » Quæ verba repetit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi; nisi quod addit eum fuisse monachum in monasterio S. Albani. Hunc ego Probum auctorem esse puto Vitæ sancti Patricii, quæ exstat inter opera Bedæ, tomo III. Neque assentior Possevino, qui Probum, Vitæ illius auctorem, Hibernum patria fuisse scribit. Ejusdem Probi exstat etiam mentio in epistola 34 Lupi.

(*c*) *Ciceronem et Virgilium.* Fuere, etiam apud veteres, qui existimarent animas paganorum, qui modo sanctam vitam duxissent, in cœlo esse locatas; iniquum videlicet arbitrati, si sanguis Christi dicatur frustra propter paganos illos effusus, quibus nihil defuit præter agnitionem fidei. Hujus sententiæ erat Probus Serione, an joco, incertum. Dicas et Erasmum ipsum in eam sententiam fuisse pronum; adeo ut in colloquio quodam sub alterius persona dicat vix sibi se posse temperare quin bene ominetur sanctæ animæ Maronis et Flacci, et quin interdum exclamet: *Sancte Socrates, ora pro nobis.* Zuinglius sane ad Franciscum I Francorum regem scribens ait eum, si rerum summam sibi a Deo creditam moderetur instar Davidis, Ezechiæ et Josiæ, visurum primum numen ipsum in sua substantia, deinde sanctorum cœtum, et in his, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, cæteros. Ego, ne eorum opinionibus accedam, C Ecclesiæ permoveor auctoritate, quæ negat ei ullam esse spem salutis qui sit extra Ecclesiam; valdeque laudo vocem illam Augustini, omnium ore vulgatam, qui de hujusmodi viris dixit eos laudari ubi non sunt, cruciari vero ubi sunt. Necessarium tamen visum est hæc adnotare ad illustrandum hunc Lupi locum. Vide porro Collium in libro de Animabus paganorum.

(*d*) *Ad Jonam.* Episcopum Aurelianensem, quod etiam præferebat titulus in editione Papirii Massoni. Sed his carebat vetus codex. Fuit ille magnus vir per eas tempestates, exstantque illustria ingenii ejus monumenta. Editi enim jamdiu sunt libri ejus pro defensione sacrarum imaginum adversus Claudium episcopum Taurinensem. Prima, ut opinor, editio librorum ejus adversus Claudium prodiit Coloniæ anno 1554, sed absque ulla præfatione editoris. Eadem recusa est a Christophoro Plantino anno 1565, ab innumeris, ut in prima pagina legitur, quibus D scatebat mendis repurgata. Anno demum 1687 incidit in manus meas vetustissimum et elegantissimum illius operis exemplar, illud ipsum nimirum, ut opinor, quod Carolo Calvo oblatum est a Jona. Initio positum est apologeticum sive rescriptum Claudii episcopi Taurinensis adversus Theodemirum abbatem, idem omnino quod editum est post librum Dungali, et incipit: *Epistolam tuam.* Animadverti autem editionem Plantinianam esse admodum mendosam et mutilam. Liber quoque Dungali, ut hoc quoque obiter moneam, est admodum imperfectus et mendosus. Cæterum vir optimus et eruditissimus Lucas Dacherius, monachus Benedictinus, ejusdem Jonæ libros tres de Institutione laicali, itemque opusculum de Institutione regia, publicis usibus consecravit, cum diu antea latuissent in angulis bibliothecarum.

non mediocriter mirari soleo; cum si ea paulo diligentius consideretur, non modo dignitati vestræ nihil derogaverit, verum etiam detulerit plurimum, quando id quod nos magna cogebat facere necessitas, ut vestra pace posset fieri exoravit. Tantum enim abest me vestram cogitasse injuriam ut sincera charitate optem gradum vestrum prædicationemque vos integritate vitæ semper æquare, nihilque in ea prorsus apparere quod sanctitatis vestræ opinionem fuscare prævaleat. Hinc fuit quod propinqui vestri (*a*) Agii vobis exposui, quæ a multis culparetur, immodicam rapacitatem; ut quia vestra id fecisse jactabatur voluntate, cum a vobis deinceps compesceretur, extra illam ea omnia gessisse inspicere volentibus emineret. Et quanquam frustra **44** prioris jacturæ querelam omiserim, et de illa quam postmodum intulit, impellentibus his qui maximo affecti fuerant damno questus fuerim domino nostro, atque ille ut ea in re lex conservaretur se velle responderit, persequi negotium reverentiæ vestræ consideratione destiti, hortantibus id clarissimo viro Eriboldo et venerabili Fulcone, qui mallent me maximarum rerum quam amicitiæ vestræ dispendia sustinere. Ut autem vere vobis confitear quod cupio vos episcopaliter accipere, in urbe vestra et in villulis quas extrinsecus habebamus nec tantum quidem nobis relictum est unde familia viveret agrique fenus acciperent. Fuit autem nobis ibi non contemnenda vini et annonæ copia, salis quoque aliquantulum: quæ vendita et vestimentorum nobis præbitura erant solatia, et in expeditionibus quæ hoc reipublicæ turbulento tempore exiguntur quantulamcunque facultatem argenti: quarum rerum tantam nunc patior anxietatem ut illud mihi solum occurrat dicendum: *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me* (*Psal.* XXXI). Hinc enim me fratrum vexat inopia, hinc impendenda itineribus vehementer affligit pecunia, et pene omnibus rebus nostris undique aut sublatis aut devastatis, nusquam nisi in Dei amicorumque suffragio auxilium valeo reperire. Cæterum de (*b*) abbate quondam nostro falsa nescio quæ vobis relata esse audio; et ne apud vos ea ulterius prævaleant, quæ super ea gesta sunt quam verissime

A sanctitati vestræ significo. (*c*) Dominus noster (*d*) ne in monasterio nostro esse permitteretur jussit, præfatus de eo talia quæ melius reticentur. Id reversus ad monasterium **45** quam mollissime eidem abbati edixi; atque illi hominibus qui eum deducerent deputatis, equis et vestimentis et argento ad viaticum concessis, cum jussu domini regis secundo Kalendas Decembris promoverem, constitui ut intra III Non, memorati mensis monasterio decederet, quod eo die ante dominum regem me venturum sperarem. Quod cum juxta meam opinionem fecissem, post solemnem exceptionem quæsivit quidnam de præfato abbate fecissem. Ego qui crederem sic eumdem abbatem gessisse ut nobis convenerat, præceptum ejus me super eo complevisse respondi. Accepta igitur licen-

B tia, cum pridie Idus Decembres monasterio propinquassem, comperi sæpedictum abbatem ibi adhuc morari. Hinc vehementer anxius, quod aliter domino nostro dixeram, aliter inveniebam, præmisi nocte qui ei honeste diceret ut primo diluculo egrederetur: non esse honestum ut aut ego meum differrem ingressum, aut illum ibi contra domini nostri præceptum invenirem. Cumque ille mandasset se in crastinum exire disposuisse, ne aliquam inimicis calumniandi ansam relinquerem, remandavi me non ante ingressurum quam ipse egrederetur. Ita ille cœnobium egressus est, permissis sibi omnibus quæ illi ante largitus fueram, et nonnullis insuper attributis. Quam rem aulicis familiaribus meis continuo significavi, et opportune egomet domino nostro exposui, et mendacia quæ inde sererentur declaravi. Non aliter me

C facere debuisse eis concorditer visum est. Viderint qui alia inde sparserunt, an perperam fecerint. Ego certe simplicem in hac parte oculum habens, lucidum fore corpus **46** meum divina auctoritate confido. Opto vos valere feliciter et bonis omnibus abundare.

EPISTOLA XXII.

(*e*) AD LUDOVICUM.

Quantum congaudeam successibus vestris prosperioribus, etiamsi non scriberem, facile possetis ex

(*a*) *Agii*. Qui dein Aurelianensis episcopus fuit post Jonam. Recte autem ex canone 10 concilii habiti in Verno palatio collegit Sirmondus non satis initio probatam Carolo Calvo fuisse ordinationem Agii, ratam tamen postea synodi rogatu eam habuisse quod Agii episcopi deinceps crebra passim sit mentio. Vide quæ nos infra annotamus ad canonem illum Vernensem.

(*b*) *Abbate quondam nostro*. Odone nimirum, abbate Ferrariensi ante Lupum. Reliquit autem regimen monasterii jussu Caroli Calvi; in quo facinore elucet etiam auctoritas regia in dispositione monasteriorum. Tum Carolus abbatem illic instituit Lupum. Vide notas ad epistolam primam.

(*c*) *Dominus noster*. Id est Carolus Calvus rex.

(*d*) *Ne in monasterio*. Hæc est sententia hujus loci. Odo, abbas monasterii Ferrariensis, atrocium facinorum reus, iram Caroli regis adversum se excitaverat. Et haud dubie quæstio erat de violata fide quæ principi sub cujus imperio vivitur, debetur. Nam Odo pronior erat in Lotharium, ut ex epistola 26 colligi potest. Ob eam causam, ac fortasse alias,

D Carolus eum removit a regimine monasterii Ferrariensis. Per illas quippe tempestates sic existimabant abbatem qui negligens foret circa res principis deponendum esse propter eam negligentiam. Sic enim, aiunt episcopi in synodo Vermeriensi, congregati anno 846, in qua privilegia monasterii Corbeiensis confirmarunt: « Quod si aliquando contigerit ut rector aliquis in eodem loco non digne Deo vivat, aut forte minus officiosus circa principem sit, hoc statuimus, ut si ille propter suam negligentiam depositus fuerit, electio illis intemerata permaneat. » Vide Capitula Caroli Calvi, tit. II, cap. 3, et concilium apud Saponarias, cap. 11.

(*e*) *Ad Ludovicum*. Sic vulgo codex manuscriptus, aut *Hludoguicum*, quo etiam modo scriptum est frequenter istud nomen in Chronico Centulensi. Hludoguicus porro ille fuit propinquus Caroli Calvi, et abbas monasterii sancti Dionysii in agro Parisiensi,

antiquo nostro amore colligere. Illud forsitan juste A flagitaverim, ut vestra celsitudo parvitatem meam non aspernetur, sed olim concessam notitiam condescensionemque retinere dignetur. Me vero noverit in sui obsequium fideliter præparatum. Cæterum vestram opinatissimam flagito liberalitatem ut duos nostros famulos a vestris fabris, quos peritissimos vos habere longe lateque fama vulgavit, auri et argenti operibus erudiri jubeatis, vestro beneficio nobis et vicinis nostris plurimum profuturos. Unde ne nostra vota nimium differrentur, si quod petimus obtinere meruimus, unum eorum quos dirigere cupimus ea jam imbuendum arte procuravimus. Aurum præterea quod hic frater noster apud vos deposuit eidem jubete restitui; ut opere inspecto, quid nobis agendum sit æstimare valeamus. Opto vos valere B feliciter et virtutum in dies capere incrementum.

47 EPISTOLA XXIII.

ITEM AD EUMDEM EX ODONIS PARTE.

Clarissimis honoribus merito decorato Ludoguico ultimus abbatum, (*a*) Odo et universa Ferrariensis cœnobii unanimitas plurimam salutem.

Quoties aliqua perturbationis vel necessitatis procella quatimur, ad benevolentiæ vestræ portum securi confugimus : quæ omnibus ad benefaciendum exposita, neminem repellit qui sese opem petendo ingesserit. Verum ne vos in longum ducamus, meministis nobis (*b*) Zachariam abbatem hoc anno com- C missum, quando et vestra prudentia in tantum nobis favit ut pene non nobis, sed aliis commendaretur. Nunc idem abbas dominum regem adit, quid ei potissimum agendum sit ab eo quæsiturus. Habeat igitur vestra insignis industria tenuitatis nostræ considerationem, et dignetur elaborare ut vel ad locum unde ad nos venit vel ad alium quemlibet jam dirigatur; quia, ut rem vobis uti est simpliciter fateamur, non mediocriter nos gravant expensæ quæ illius hominibus tribuuntur. Unde per vos sublevari deposcimus, ut sit unde aliis ad nos confluentibus hospitalis gratiam impendere valeamus.

48 EPISTOLA XXIV.

ITEM AD QUEM SUPRA.

Summis honoribus dignissimo Ludogvico Odo, abbatum ultimus, plurimam in Domino salutem.

Affectum vestræ benevolentiæ pronum in parvitatem meam luce clarius pervidens, ago multiplices gratias Deumque fore pietati vestræ retributorem exopto. Ipse autem paratus sum, si quid jubere vestra dignetur excellentia, fideliter obtemperare. Cæterum impellit me necessitas iterum vestri adjutorii patrocinium suppliciter implorare. Namque postquam vobis auxiliantibus impetrata licentia ab expeditione Aquitanica gravatus infirmitate redii, eadem pene semper attritus, necdum revalui : quæ res ne cum aliis ad condictum occurrerem placitum prohibuit. Misi tamen homines nostros una cum comite pagi, qui expeditionis officia more solito exsequerentur. Vestram igitur supplicamus pietatem ut nos offensæ metu levare dignemini. Siquidem quanquam ab obsequendum cum aliis paratissimam haberem voluntatem, imbecillitati tamen obviare non potui.

EPISTOLA XXV.

ITEM AD QUEM SUPRA.

Omni reverentiæ apice suspiciendo viro clarissimo Ludovico (*c*) O., omnium abbatum ultimus et universa Ferrariensis cœnobii **49** societas in Domino salutem.

Non sumus nescii multarum maximarumque causarum undique confluentium vos molibus opprimi, eisque componendis vix tempora ipsa sufficere. Sed vestræ pietati eo usque confidimus ut apud vos nostris rebus locum semper patere credamus. Explicari autem vix potest quam simus parati vestræ voluntati, si quid jubere dignemini, obtemperare et condignis excellentiam vestram obsequiis prosequi. Interim, quod valemus, devotissimas preces Domino Deo nostro pro vestra salute atque prosperitate, quam et nostram ducimus, indesinenter dependimus. Vos autem accipite iterum petitionem nostram,

ut docet ipse Carolus in præcepto quodam pro monasterio sancti Dionysii : « Vir venerabilis ac pro- D pinquus noster Ludovicus, abbas monasterii Apostolorum principis, excellentissimorumque Christi martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii. » Propinquum item suum eum vocat idem Carolus in præcepto pro monasterio Centulensi, quod exstat apud Hariulfum lib. III Chron. Centul., cap. 7. Illius enim monasterii abbas etiam fuit iste Ludovicus. Fuisse præterea ejusdem Caroli regis cancellarium collegit Sirmondus ex epistola 27 Lupi nostri; in qua de Ludovico isto loquens, ait : *epistolare in palatio gerens officium*. Nominatur inter præsides concilii Vernensis. Exstant autem quamplures Lupi ad eum epistolæ, quæ summam ejus dignitatem et auctoritatem declarant.

(*a*) *Odo*. Abbas Ferrariensis, ut diximus ad epistolam 21. Ejus etiam sunt tres epistolæ sequentes. Ut mirum valde sit id non animadversum a viris oculatissimis Sammarthanis, qui nomen illius prætermiserunt in catalogo abbatum Ferrariensium.

(*b*) *Zach. abb. commissum*. Solemne id vocabulum, quoties dicere volebant datum alicui monasterium a principe, ut illic abbas esset, ceu dicemus infra. Sed hoc loco non accipitur ea significatione. Agitur enim de abbate quodam exsule ac peregrino, cui cum omnia deficerent, etiam quæ victui necessaria, a Carolo rege missus est Ferrarias; præceptumque est Odoni abbati et monachis illius monasterii ut eum sociosque ejus alerent. Itaque quoniam monasterium Ferrariense ei oneri ferendo par non erat, eos alio mitti orant.

(*c*) *O*. Id est Odo, idem qui in duabus epistolis superioribus. In editione tamen Massoni Odonis nomen omissum est hoc loco; pro eoque scriptum Lupi nomen hoc modo : *Ludovico Lupus, omnium abbatum*, etc.

et ut effectum obtineat quæsumus dignanter instate. Homines nostri toto hoc fere biennio aut nobiscum aut soli generalis expeditionis difficultatibus fatigati, censu rei familiaris in hujusmodi servitio effuso, onere paupertatis gravantur. Subveniat itaque illis vestra insignis clementia, et si possit fieri, licentiam domum revertendi obtineat, ut possint paudulum respirare atque futuri servitii rursus impendia præparare. Cæterum fama versatur inter nos clericos palatii diversorum cœnobiorum sibi dominium optare atque poscere, quibus nulla sit alia cura nisi ut suæ avaritiæ oppressione servorum Dei satisfaciant. Unde in hac parte supplicamus vestram nobis vigilare prudentiam, ut tenuitas nostra per vos esse valeat tuta. Namque quia haud procul a nobis educati estis, apud nos quoque fuistis, qualitas monasterii nostri vos minime latet : ubi præter studium religionis, quo sibi nomen inter alia cœnobia vindicavit, non est quod expetendum sit ei qui se magni facit. Nisi **50** forte tam sacrilegus quis inveniatur qui (*a*) stipendia Deo servientium in suos audeat usus convertere, et eorum inopiam, suam luxuriam facere. Ergo vestra industria hinc quoque nobis prospiciat ; ut per vos accepta securitate, liberius pro vobis Domino supplicemus.

EPISTOLA XXVI.

MARCWARDO ET SICHARDO.

Reverentissimis atque clarissimis Patribus Marcwardo et (*b*) Sichardo (*c*) O. sempiternam salutem.

Hominibus vestris, qui ad vos proficiscebantur, C opportunitatem scribendi nobis ultro ingerentibus, officium nequaquam neglegimus litterarum ; A vestramque sanctitatem precamur ut vicissim quam potestis celerius nobis litteras dirigatis vestræ sospitatis qualitatem modumque prosperitatis continentes. Nos autem in quodam meditullio positi fluctuamus incerti, dum deprehendere non valemus quinam potissimum (*d*) regionem nostram sibi debeat vindicare. Namque, sicut relatio vestrorum hominum declaravit, varia hinc fertur opinio. Tamen suppliciter vestram poscimus paternitatem ut si consensus omnium in Lotharium pronior fuerit, et apud eum, sicut optamus et credimus, divina vobis locum ad servorum Dei utilitatem concesserit clementia, memores nostri esse non dedignemini ; et perversorum improbitatem ne pigeat vos, quantum potestis, a nostra parvitate, opitulante Dei gratia, propulsare. B Optamus vos bene valere et lætioribus in dies augeri successibus.

51 EPISTOLA XXVII.

(*e*) AD JONAM EPISCOPUM.

Reverentissimo præsuli Jonæ (*f*). Lupus et VV. in Domino salutem.

(*g*) Librum vestrum, sicut rogastis, excurrimus, sed, ut parcissime dicamus, in eo mutare nihil voluimus, ut operis vestri sitis ipsi correctores cujus estis auctores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis et tenuitatis nostræ ratio, et ætatis ac ordinis vestri habenda consideratio. Nec facilitatem ac (*h*) delectationem quamdam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari.

(*a*) *Stipendia Deo serv.* Id est bona monachorum, qui vulgari epitheto dicebantur *servi Dei* per has tempestates. Præceptum Caroli Calvi pro monasterio sancti Petri Bisuldunensis in diœcesi Gerundensi : « Et quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem ecclesiæ concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. » Clarius monachus in Chronico sancti Petri Vivi Senonensis : « Anno 865 Uvenilo archiepiscopus obiit. Huic successit in episcopatu domnus Eigil monachus omni bonitate conspicuus, qui diligens cœnobium B. Petri tradidit ad stipendia monachorum ibidem Deo servientium villam Alsonis. » D Et alibi sexcenties.

(*b*) *Sichardo.* Ad quem scriptam puto epistolam sextam Frotarii episcopi Tullensis.

(*c*) *O.* Id est Odo. Et hæc quoque nomine Lupi inscripta fuit in editione Pap. Massoni. Nos secuti sumus auctoritatem codicis manuscripti. Itaque editio Massoni sic habebat : *Marcwado et Sichardo Lupus semp.*, etc.

(*d*) *Regionem nostram.* Id est diœcesim Senonensem et circumpositam regionem. Et pronior erat Odo in Lotharium ; cui tamen ea pars regni non cessit, sed Carolo Calvo.

(*e*) *Ad Jonam episcopum.* Aurelianensem, ceu diximus ad epistolam 21.

(*f*) *L. et Vv.* Ita diserte codex manuscriptus, pro quo Massonus ediderat, *Lupus æternam.* Cætera sunt similia.

(*g*) *Librum vestrum.* Id est, librum quemdam recenter editum a Jona Aurelianensi episcopo, ab eoque missum ad Lupum et VV., ut eorum studio emendaretur. Existimat autem Baronius hic agi de libris Jonæ adversus Claudium Taurinensem, qui soli ex Jonæ lucubrationibus editi fuerant ævo Baronii. Fortassis aliter sensisset, si durasset in nostra tempora.

(*h*) *Delectationem reprehendendi.* Notat eos qui, ceu momi, semper aliquid reprehendunt in lucubrationibus eorum qui studia sua in usum publicum convertunt. Horum stultitiam fugiendam esse. Quod si vir sapiens cavere debet ne cujuspiam lucubrationes obtrectet, quanto magis id cavendum in libris viri et senis, et episcopi. Itaque Lupus et Vv. ob eam causam abstinent a censura libri quem ad ipsos Jonas miserat, additis etiam precibus ut severe secum agerent in ferendo judicio de isthoc opere. Hodie nullus tam exiguus est magistellus, qui non sibi plus licere putet. Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas. Ac plerumque fit ut ii liberius et impotentius obtrectent doctorum hominum lucubrationes, qui nihil edunt in lucem, securi videlicet adversus legem talionis. Ea de causa Arnulphus Lexoviensis ægre adducebatur ad editionem suarum epistolarum. Scribens enim in epistola prima ad Egidium, Rothomagensem archidiaconum (sic enim emendo, pro eo quod editiones habent *archiepiscopum*), hæc ait : « Mallem siquidem eas tenebris damnare perennibus, quam ridendi materiam invidiæ præstitisse, quæ eo securius aliena subsannat, quia sua simili periculo non exponit. » Audaciam illam carpendorum docto-

EPISTOLA XXVIII.

ITEM AD EUMDEM.

Reverentissimo Jonæ episcopo O. (*a*) perpetuam salutem.

Pridie, hoc est IV Idus Augustas, post horam nonam, homines nostri ab expeditione Aquitanica reversi cuncta prospera retulerunt. Namque Aquitaniæ tutela tripartito divisa est secundum opportunitatem locorum militarium virorum multitudine ditributa. Quarum uni parti, quæ apud (*b*) Clarummontem agit, præest (*c*) Modoinus, Augustodunensium episcopus, et Autbertus (*d*) Avallensium Comes, cum aliis quibusdam. Alteri, quæ (*e*) Lemovicis versatur, præsidet (*f*) Gerardus princeps quondam et charus Pipini regis cum sociis ad idem **52** negotium idoneis. A Tertiæ vero prælatus est (*g*) Rainoldus comes (*h*), Ecolesinæ (*i*) constitutæ. Dominum autem regem eodem die, hoc est IV Iduum Augustarum (*j*), ad sanctum Martinum venire nuntiaverunt, inde vero ejus transitum per urbem Aurelianensium; quod putaverim verisimile, quoniam magnæ indolis (*k*) Ludoguicus epistolare in palatio gerens officium mandare mihi studuit ut aut ad urbem Turonum aut certe Aurelianorum domino regi occurrerem; sic temperans hortamentum, *si tamen per urbem Aurelianensium iter habuerit*. Cæterum Gunboldus et Ugo redeunt supplices ad regem, et proprios honores recuperaturi creduntur. Ipse vero rex IX Kal. Septembris ad (*l*) Carisiacum vita comite venire disposuit.

rum hominum ex inscitia sciolorum procedere putat Joannes Saresberiensis, cujus hæc sunt verba in lib. VII de nugis Curialium cap. 9: « Ille tamen contradicit citius, et pertinacius reluctatur, qui in paucitate rerum addiscenda consumpsit ætatem, et tanta verborum angustia premitur, ut si verbum unum aut duo subduxeris, elinguis fiat et quavis statua taciturnior. »

(*a*) *O.* Id esi, Odo, ut jam multoties monuimus. Fœde corruptus erat antea hic locus, cum pro *Odo* legatur apud Massonum *opto*: qui tamen error indicat legitimam esse emendationem quam proferimus. Mirum esi autem non id esse animadversum a Duchesnio.

(*b*) *Clarum Montem.* Arvernorum tum caput in Aquitania prima.

(*c*) *Modoinus.* Hujus episcopi Augustodunensis mentio exstat apud Theodulfum Aurelianensem, ubi Sirmondus adnotat eum ab Ebbone, Rhemensi Archiepiscopo, electum fuisse judicem anno 835, ad hunc porro exstare Flori Lugdunensis epistolam typis olim Morelianis excusam. Tum exstare et alias duas ejusdem Flori epistolas in codice Petaviano 791, unam prolixiorem pro Ecclesia Lugdunensi *Egregio Modoino viro*, etc., alteram vero breviorem, in qua, quia *dunum* vetere lingua Gallorum montem significat, Modoinum Augusti montis episcopum vocat. Sic enim illum affatur:

> Salve, sancte parens, Christi venerande sacerdos,
> Augusti montis pastor in arce potens.
> Quem sacer illustrat meritis splendentibus ordo,
> Doctrinæ et studium tollit ad astra piæ.

(*d*) *Avallensium comes.* Id est comes pagi Avalensis in finibus Burgundiæ, ut patet ex libro primo Historiæ Vezeliacensis. Nam Vezeliacum fuit in pago Avalensi, Avalonis autem, sive Avallonis, mentio etiam exstat in Itinerario Antonini et in Tabula Peutingerorum, ubi adnotatum est Aballonem a Sedeloco distare sexdecim leucis, ab Antissiodoro vero viginti duabus Avalonis meminit et Frodoardus in Chronico ad annum 931: « Gislebertus filius Manassæ a rege Rodulfo descivit propter Avalonem nostrum, quod ab eo Emma regina abstulerat. » Et pagi Avalensis Carolus Magnus in charta divisionis imperii Francorum: *Pagum Avalensem atque Alcensem.* Item Capitula Caroli Calvi, tit. XII: *Hugo, Gozzo, Nivilungus, Missi in Niverniso, Alciodriso, Avaliso.* Vulgo *Avalon* hodie.

(*e*) *Lemovicis.* Id est in civitate Lemovicum, cujus antiquum nomen *Ratiastum* apud Cl. Ptolemæum. Frustra sunt enim qui Ratiastum alibi quærunt, decepti affinitate nominis.

(*f*) *Gerardus.* Gener Pippini, regis Aquitaniæ, ut constat ex Vita Ludovici Pii et ex Ademaro Cabanensi. Itaque uxor ejus Bertha vocabatur, ut Beslyus scribit in Historia Comitum Pictavensium, et Justellus in Historia Vicecomitum Turennensium; quorum sen- B tentia lubentur accederem, si vetusti cujuspiam scriptoris auctoritate fulciretur. Cæsus est in prælio Fontanetico anno 841, ut ex Ademaro colligitur. Unde patet eum non esse confundendum cum Gerardo de Rossilione qui anno demum 867 obiit, ut docet auctor Chronici Vezeliacensis. Certe in tomo IV Spicilegii domni Lucæ Dacherii exstant litteræ istius Gerardi ad Nicolaum papam. Porro hic noster Gerardus non fuit comes Lemovicensis, ut placuit Duchesnio et Justello, sed Arvernensis, ut colligitur ex Ademaro. Quare mirum est cur non potius apud Clarum montem positus sit quam apud urbem Lemovicum, præsertim tantæ dignationis vir. Mirum itidem est cur non eum inter veteres Arvernensium comites retulerit idem Justellus. Filium habuit Gerardus comes Ramnulfum, qui, vivente adhuc patre, comes Pictaviensis constitutus est a Ludovico Pio imperatore, ut docet Ademarus.

(*g*) *Reinoldus.* In editione Massoni itemque in Duchesnia legitur *Reinhardus*, male. Itaque vetusti codi- C cis auctoritate confirmatur conjectura eruditissimi viri Joannis Beslyi, qui hic apud Lupum pro *Reindardus* censuit legendum esse *Rainaldus* pro *Reginardus.* Nam codex manuscriptus diserte scriptum habet *Reinoldus*, quo etiam modo legitur in Chronico Vindocinensi. In Annalibus autem regum Francorum editis a Justo Reubero, et in Chronico sancti Wandregisili, vocatur *Reginoldus*, quod eodem recidit. Fuit autem comes Arbatilicensis, ac dein Nannetensis. Jureque Fauchetum reprehendit idem Beslyus quod ex hoc Lupi loco collegerit illum fuisse comitem Engolismensem. Cæcus est apud Metiacum in minori Britannia XIII Kal. Septembr. anno 843, cum fortiter pugnaret adversus Britones.

(*h*) *Ecolesinæ.* Id est Engolismæ, ut habet editio Massoni. Sic enim scribebant per illas tempestates. Ecolisenam enim, prætær alios, vocat etiam Eginhardus. Apud Hincmarum vero scribitur *Æquolesina.* Vide porro notas nostras ad concilium Narbonense, D habitum sub Carolo Magno.

(*i*) *Constitutæ.* Ita codex ms., cum editiones haberent *constitutus.* Præferenda autem ex lectio veteris codicis citra omnem controversiam. Ut sensus sit: Alia cohors constituta est apud Eugolismam; eique cohorti quæ apud Engolismam constituta est prælatus est comes Reinoldus. Nam vox illa referri non potest ad Reinoldum, quem mox dixit ei militum parti prælatum esse quæ apud Engolismam constituta fuit.

(*j*) *Ad S. Martinum.* In suburbio civitatis Turonicæ.

(*k*) *Ludogvicus.* Cancellarius Caroli Calvi regis, ut diximus ad epistolam 22.

(*l*) *Carisiacum.* Celebris per ea tempora locus, palatio regum nostroram nobilitatus; quem Sirmondus eum locum esse existimat, quem hodie Cressiacum ad Isaram vocant, ut ab aliis ejusdem nominis distinguatur; quod conficere se omnino putat auctoritate Fredegarii. At Phil. Labbeus corrigendos esse hoc

EPISTOLA XXIX.

(*a*) AD GUENILONEM EPISCOPUM.

Dum abundante iniquitate charitas jam refrixit multorum, et plures lætari videmus cum male fecerint et in rebus pessimis exultare, quando peccatis nostris republica dissipata impune perversorum grassatur insania, leguntur metus aboletur, maximo debemus affici gaudio, si saltem aliquis inveniatur qui, memor futurorum, (*b*) sæculi fugientis contemptum pia mente concipiat, et operante Dei gratia perfectionis apicem apprehendat. Quod mihi quia moliri visi sunt duo presbyteri nostri, quorum alter Ardegarius, alter Baldricus vocatur, unum eorum A (nam alterum inevitabilis necessitas retinebat), **53** vestræ reverentiæ direxi, adjuncto militari viro qui eum in itinere tueretur, ut a presbytero utriusque desiderium agnosceretis, et nuntii nostri relatione testatior eorum vita prior et præsens devotio appareret. Vestra vero prudentia relinquendi (*c*) suos eis titulos copiam negavit facturam ut liberius et districtius institutionem beati Benedicti sequantur, nisi forte nostra parvitas auctoritatem vobis depromat absque vitio posse fieri. Id tametsi nunquam in controversiam vocatur vel audierim unquam vel magistra lectione compererim, tamen simpliciter quod sentio vestræ auctoritati aperiam.

loco putat veteres Francorum Annales, qui Carisiacum ad Isaram locant; admonetque legensum esse *ad Saram*, ut sit Cressiacum ad Saram, *Cressi sur Serre*, B in diœcesi Laudunensi. Sane apud Guibertum de Nogento in libro tertio de Vita sua, cap. 5, exstat mentio cujusdam magnatis Laudunensis, cui Girardo Carisiacensi nomen fuit, eo quod dominus esset castri Carisiacensis : quod indicat Carisiacum fuisse situm in pago Laudunensi. Vide librum quartum eruditissimi Mabillonii de Re diplomatica, pag. 258.

(*a*) *Ad Guenil episcopum.* Senonensem, qui vulgo Wenilo vocatur in synodis Gallicanis per ea tempora celebratis. Fuerat vero antea clericus capellæ regiæ Caroli Calvi, a quo donum episcopatus Senonensis accepit post obitum Aldrici archiepiscopi, anno 841, ut ipse Carolus testatur in proclamatione adversus eumdem Wenilonem in synodo universali apud Saponarias anno 859 : « Mihi a Domino et genitore meo piæ memoriæ Ludovico Augusto, » inquit Carolus, « pars regni inter fratres meos reges divina dispositione est tradita. In qua parte regni vacabat tunc pastore metropolis Senonum : quam, juxta consuetudi- C nem prædecessorum meorum regum, Weniloni, tunc clerico meo in capella mea mihi servienti, qui more liberi clerci se mei commendaverat, et fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum episcoporum ipsius metropolis ad gubernandum commisi, et apud episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent obtinui. » Postea cum rex Germaniæ Ludovicus, Caroli frater et hostis, quorumdam persuasione, regnum Caroli invaderet, Wenilo, solus Gallicanorum episcoporum, in partes Ludovici transgressus est, pessimo exemplo. Hinc mota Caroli ira; adeo ut in concilio apud Saponarias gravem adversus illum querimoniam porrexerit episcopis; qui *sententias a majoribus institutas*, hoc est, pœnam depositionis, intentarunt Weniloni, ni objecta expurgaret. Quod autem nuspiam invenimus eum fuisse depositum, non id quidem datum ejus innocentiæ, sed clementiæ principis imputandum, ut docet auctor Annalium S. Bertini ad annum 859 : « Guanilo D episcopus Senonum absque audientia episcoporum Carolo regi reconciliatur. » Ea tamen labes æternum mansit. Insignes enim proditores, ex nomine Wenilonis seu Guenilonis paululum inflexo vocati dein sunt *Ganelones.* Matthæus Parisius ad annum 1216 loquens de comite Nivernensi, ait eum fuisse *de Guenelonis genere proditoris.* Sic in Marca Hispanica Beræ comitis Barcinonensis nomen inclaruit, ob fidem violatam, quæ Ludovico Pio imperatori debebatur. Unde in Usaticis Barcinonensibus, jam a sexcentis aut circiter annis proditor qui fidem datam violat, *Bara* dicitur; ut in libro III Marcæ Hispanicæ adnotat illustrissimus archiepiscopus Pasisiensis.

(*b*) *Sæculi fug. contemptum.* Sic Faustus Reiensis in epistola 6 laudat Ruricium, qui Lemovicensis dein episcopus fuit, quod « post vitæ hujus jactationes ad portum religionis, proram salutis. Excelsi manu gubernante, convertit, quod post umbras seducentium vanitatum et inlusiones transvolantium somniorum, mansura et solida concupivit, et despecto tandem seculo infelici, artem ejus magnam rapuit, felicitatem et lucrum sui de mundo pereunte acquisivit, » etc. Ac dicere videtur Faustus Ruricium monachi institutum arripuisse, usum consilio ipsius Fausti, qui ita consuluerat in epistola 5.

(*c*) *Suos titulos.* Id est ecclesias ad quas ordinati erant. Nam quia priscis illis temporibus neminem licebat sine titulo ordinare, ea nimirum ordinatione quæ absoluta dicebatur, sic clericos episcopi alligabant titulis ad quos eos ordinabant ut illinc recedere non liceret absque gravi causa, neque id extra permissum proprii episcopi. Itaque Ardegarius et Baldricus, presbyteri Senonenses, cum B. Benedicti regulam profiteri in monasterio Ferrariensi destinassent animis, Guenilonem metropolitanum adierunt, orantes ut sibi propter eam causam liceret relinquere suos titulos. Negavit Wenilo se id facturum donec Luppus abbas manifestis et authenticis testimoniis approbasset id fieri posse *sine vitio*, id est secundum canones. Sciebat enim haud dubie prudentissimus pontifex clericatus ordinem ab Innocentio papa ad Victricium episcopum Rothomagensem scibente dici *meliorem gradum* comparatione professionis monasticæ. Reverso ad Lupum eo qui Venilonem adierat, intellectum est nolle Wenilonem tribuere presbyteris licentiam recedendi a sacro ministerio ob eam quam diximus causam. Tum Lupus istam ad Wenilonem epistolam scripsit, in qua multis argumentis evincere conatur licere presbyteris renuntiare suis titulis curamque pastoralem deserere ut monachi fiant. Nullam tamen auctoritatem, quod diserte nihilominus petierat Wenilo affert, sive ex canonibus conciliorum, sive ex decretis pontificum Romanorum, qua id licere ostendat. Sed, ut fuit illi viro amœnum et fecundum ingenium, mirabiliter agit rem suam, hoc est, modis omnibus persuadere conatur Weniloni ut presbyteros illos sinat accedere ad monasterium, B. Benedicti regulam professuros. An vero Lupi consiliis acquieverit Wenilo non liquet. Idem autem postea accidit Arnulpho, episcopo Lexoviensi, quod acciderat Weniloni. « Duo sacerdotes episcopatus nostri, Arn. videlicet et Ric. (inquit) Arnulphus in epist. 62, ad abbatem Cisterciensem) sæculo renuntiare disponentes, admonitione frequenti et studio fratris nostri Will. nunc abbatis de Pinu ad venerabilem et religioοum virum Ric. abbatem de Valascia, refutatis prius in manu nostra quas possederant ecclesiis, se et sua devotione promptissima contulerunt. Quorum nos devotionem favore debito prosequentes... eos in prædicto monasterio Deo perpetuo servituros cum facultatibus suis in manum abbatis liberos et absolutos consignavimus. » Hodie si quis presbyter vellet fieri monachus, id proculdubio faceret extra conscientiam proprii sacerdotis, propter privilegia. Tum vero temporis id non licebat.

Dominus Jesus diviti legalium præceptorum sibi observantiam arroganti et audacius quid sibi deesset percontanti : *Vade*, inquit, *et vende omnia quæ habes*, et cætera (*Matth.* XIX), ubi aperuit voluntariam paupertatem fore fructuosam, si illud impleatur quod alibi docet : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*, et reliqua (*Matth.* XI), quod nusquam fieri aut tutius aut melius potest quam in monasterio ; ubi sic libertas voluntatis propriæ pro Dei amore, quod est laboriosissimum, resecatur ut ex arbitrio prioris subjectorum actio cuncta formetur. Quanquam quidam nostrorum, exuberante Dei gratia, ingenti vigore animi consortia humana vitaverint, et præfata Dominica sententia jam impleta, solitudines penetraverint, et constanter in Dei opere pene totam ætatem consumpserint. Ab ea igitur perfectione, quam Deus etiam laicis proposuit, absit ut submoveat sacerdotes. Sed dicat aliquis : Quid plebes faciant, quarum ab eis fuerat canonice [a] cura suscepta? Nimirum qui hos ad implen-

[a] *Cura suscepta.* Hinc discimus sic tum solitos addici presbyteros ecclesiis, suis ut quoniam susceperant curam animarum a Domino nostro Jesu Christo, non possent illas relinquere citra ingentem necessitatem ; adeoque inter ordinationem promittebant stabilitatem in loco ad quem ordinabantur. Libro V Capitular. cap. 108 : « Ut presbyteri qui in titulis consecrantur, secundum canones antequam ordinentur promissionem stabilitatis loci illius faciant. » Quippe tum, ut ex Lupo intelligimus, curam pastoralem cujuslibet presbyteri comparabant conjugio carnali. Ex qua comparatione sequebatur non posse presbyterum citra nefas relinquere ecclesiam suam, quemadmodum marito non licet dimittere uxorem nisi causa fornicationis. Quo factum est ut Chrodogangus, episcopus Metensis, qui sub Pippino rege floruit, sic edixerit in capite 63 regulæ Canonicorum : « Presbyter non amplius quam unam ecclesiam habeat, sicut et vir unam uxorem. » Quod sancitum quoque est in canone 7 synodi Nannetensis his verbis : « Sicut enim episcopus non plus potest habere quam unam civitatem, et vir unam uxorem, ita presbyter unam tantum ecclesiam. » Et in capitulis Herardi, archiepiscopi Turonensis, cap. 49 : « Ut presbyter non amplius quam unam ecclesiam habeat, sicut et vir unam uxorem. » Item lib. VI Capitular., cap. 73 : « Placuit omni synodali conventui ut nullus presbyterorum amplius quam unam ecclesiam sibi vindicare præsumat. Quia sicut quisque sæcularis non amplius quam unam habere debet uxorem, ita unusquisque presbyter non amplius quam unam habere debet ecclesiam. » Et quemadmodum maritus tenetur adhærere uxori suæ eamque custodire ob fragilitatem sexus, ut alicubi scriptum est, sic presbyteri ab ecclesiis suis abesse non debent absque gravi causa, neque ad quamlibet occasionem : « Ne forte propter eorum absentiam et animarum pericula et ecclesiarum in quibus constituti sunt negligantur officia, » ut in capite 76 ejusdem regulæ scribit Chrodogangus. Et si presbyter, vitio humani ingenii, ecclesiam in qua intitulatus est reliquerit extra conscientiam proprii episcopi, ad eam retrahendus est, et contumax deponendus ; ut patet ex lib. VI Capitular., cap. 59 et 85. Ecclesia porro in qua quilibet presbyter intitulatus est vacare non potest nisi ob mortem, crimen, aut eam corporis infirmitatem quæ presbyterum non sinat officii sui partes implere. Sane ex capite 17 Capitulorum ab Hincmaro Rhemensi datorum presbyteris anno 852 manifeste constat presbyteros in ecclesiis suis tum commorari solitos usque ad mortem. Quod jus cum propter antiquitatem, ut assolet, valde remissum esset, Urbanus II illud revocavit in concilio Nemausensi, in quo hæc lex sancita est can. 11 : « Sacerdotes, quando regendis præficiuntur ecclesiis, de manu episcopi curam animarum suscipiant ; ubi et in tota vita sua Deo deserviant, nisi canonico degradentur judicio. » Unde colligitur, præter alia quæ suppetunt argumenta, presbyterum non posse relinquere ecclesiam suam nisi ob gravem causam et cum permissu proprii episcopi. Quæ causa fuit ut Gerohaldus presbyter Senonensis, qui ob gravem oculorum morbum quo laborabat, officium suum exsequi non poterat, successorum sibi dari petierit a Wenilone archiepiscopo Senonensi, ut ad epistolam 73 adnotabimus. Nefas enim est presbyterum deserere curam pastoralem quandiu saluti ovium consuli potest, ut in hac epistola 29 docet Lupus. Itaque sic censebant veteres, presbyteros, quos nos hodie Curatos vocamus, a Deo constitutos esse et animarum ipsis commissarum rationam reddituros summo pastori Christo, ut ait Leo IV in homilia ad presbyteros. Quo magis mirum est esse nonnullos qui contendunt neminem presbyterum ecclesiæ suæ sic alligatum fuisse ante hos annos quadringentos ut non liceret episcopo illum hinc removere pro arbitrio ; adeoque persuasionem suam adjuvari putant ex consuetudine quæ apud quasdam diœceses invaluit, ubi presbyteri ad regendas parochias mittuntur ab episcopis, ea lege, ut illinc removeantur quando lubitum fuerit episcopo loci. Hos autem presbyteros vocant *vicarios amobiles.* Eant ergo qui presbyterorum dignitatem contra canones et veterum instituta in tantum deprimunt, quos manifestum est in veteri Ecclesia distinctos non fuisse ab episcopis. Et episcopis quidem sua auctoritas conservanda est, ut animarum curam ab illis suscipiant presbyteri, et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur. Cæterum servandus est honor debitus ecclesiarum parochalium rectoribus, quos hodie curatos vocamus.

Dixi presbyteros sic alligatos fuisse olim ecclesiis suis ut illinc recedere non possent absque permissu proprii episcopi quod dictum est occasione duorum presbyterorum Senonensium, qui ecclesias suas deserere cogitabant ut monachi fierent. Et Wenilo quidem, Senonensis episcopus, assensum suum præstare noluit donec comperisset an id liceret. Lege enim communi constabat neminem presbyterorum posse relinquere ecclesiam suam, quemadmodum marito non licet relinquere uxorem. Januam postea monasteriorum aperuit Urbanus II, ut docet Stephanus Tornacensis, epist. 1 : « Parochiales presbyteri, inquit, obedientiam quam promittunt debent episcopis suis ; et sacramentaliter alligati sunt Ecclesiis quas regunt, tanquam uxoribus propriis. Lege autem communi canonum sine licentia episcoporum suorum, quibus obedientes esse debent, nec ipsi recedere nec alii recipere eos debent. Lege autem privata, quæ instinctu Spiritus sancti in corde scribitur, si ad monasterium vel canonicam regularem transierint, tales etiam contradicentibus Episcopis recipi possunt. Ait enim Urbanus papa : « Si quis in ecclesia sua sub episcopo populum retinet, si afflatus spiritu sancto in aliquo monasterio vel regulari canonica salvare se voluerit, etiam episcopo suo contradicente eat liber auctoritate nostra. Justo enim non est lex posita. Sed *ubi spiritus Domini, ibi libertate.* Et *si spiritu ducimini non estis sub lege.* » Ecce quoniam nec obedientia episcopo promissa, neque ecclesia commissa presbytero, ad frugem melioris vitæ transire volentem potuerunt impedire. »

Ibidem adnotavi per transennam presbyteros in veteri Ecclesia, id est apostolorum temporibus proxima, distinctos non fuisse ab episcopis. Id vero non

dum illud vocat quod in psalmo canimus : *Vacate*
54 *et videte quia ego sum Deus* (*Psal.* XLV), procurabit alios quos animabus gubernandis præficiat. At, inquit, quemadmodum carnalem copulam non licet resolvere nisi [a] causa fornicationis, ita susceptam semel pastoralem curam nefas est deponere quandiu [b] ovium saluti consuli potest. Concedimus; nisi forte conjugium qui constituit ipse dissolvat, et qui regimen imposuit ipse, ut sibi liberius vacetur, id relinquere occulta inspiratione præcipiat. Namque qui jussit ut quod Deus conjunxit homo non separet, idem, quia Deus est, quoties libuit conjugia separavit; adeo ut etiam probabiles utriusque sexus personas optime noverimus, rescisso carnali commercio, in sacris locis separatim Domino militasse. Jam vero de presbyteris qui dicam, cum nullum fere monachorum reperiatur monasteriam quo non aliqui eorum, sæculi tumultus declinantes concesserint? Quos si perperam fecisse conemur asserere, obruemure, eorudem auctoritate qui nos et sanctitate superant et sapientia forte præcedunt. Neque enim frustra scriptum est : *Timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo, intelligentia* (*Job.* XXVIII). Si quidem, ut de conjugiis taceam quæ ob Dei amorem separata sunt, quorum magna nobis suppetit copia, certe Ferrariensis monasterii, cui indignus deservio, quondam nobilis abbas et presbyter [c] Sigulfus, qui usque ad senium [d] canonico habitu laudabiliter vixerat, spon-

ex mea sententia dixi, sed ex sententia Hieronymi et aliorum quorumdam, a qua nec Augustinus abhorrebat. Quamquam non me latet magnum semper discrimen fuisse inter auctoritatem episcoporem et presbyterorum, tametsi constet nomen olim fuisse commune. Episcopi enim successerunt apostolis, presbyteri vero discipulis. Theodoretus in cap. III epistolæ ad Timotheum primæ : « Eosdem olim, inquit, vocabant presbyteros et episcopos; eos autem qui nunc vocantur episcopi, apostolos nominabant. Procedente autem tempore apostolatus nomen reliquerunt iis qui vere erant apostoli. Episcopatus autem appellationem imposuerunt iis qui olim appellabantur apostoli. » At Hieronymus, ut erat fervidi vir ingenii, et qui gradum suum a contemptu vindicare curabat, ultra progressus est; et dum diaconorum illius ætatis superbiam exagitat in gratiam presbyterorum, etiam usque ad episcoporum contumeliam, ac si calidus juventa, excurrit. « Idem est ergo, » inquit ille in Epistolam ad Titum, « presbyter qui episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et disceretur in populis : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, et schimatum semina tollerentur. » Mollienda prorsus sunt hæc Hieronymi verba et eo sensu accipienda ut dicere voluerit Hieronymus episcoporum et presbyterorum vocabula promiscue olim usurpata, tametsi utrorumque dignitas et auctoritas diversa esset. Nam et ipse Hieronymus in epistola ad Fabiolam de XLII mansionibus episcopos successisse ait apostolis, presbyteros vero septuaginta discipulis. Neque existimandum est viro sanctissimo placuisse Aerii dementiam, qui presbyteros episcopis prorsus similes esse docuerat. Hieronymus enim semper et ubique nonnulla tribuit episcopis quæ negata ait presbyteris. Sed vehemens esse potuit in propria causa, præsertim cum intelligeret tantam ac tam sublimem esse presbyterorum dignitatem ut appropinquet episcopatui : quod sensisse Augustinum refert Possidius in Vitæ ejus cap. 4.

a *Causa fornicationis*. Ait ergo Lupus licere resolvere carnalem copulam causa fornicationis. Observat autem Sirmondus, ad epistolam 40 Aviti persuasum adhuc Avitinis temporibus in Gallia fuisse propter fornicationem separari virum ab uxore et aliam ducere Christi permissu licuisse, citatque canonem secundum concilii Venetici. Vide epistolam Magingozi episcopi Heroipolensis, ad Lullum archiepiscopum Moguntinum, quæ est octogesima septima inter Bonifacianas. Vide etiam Ivonem Carnotensem epist. 18 et Decretum Gratiani 32, q. 7.

b *Saluti ovium*. Ita codex vetus prorsus bene. Nam furiosa erat lectio quæ in editione Massoni habetur, ubi editum est *saluti omnium*. Idem error accidit etiam in Apologetico Orosii presbyterii, ubi, sub ipsum statim initium, sic vulgo legitur in editis : *deprehensos in grege omnium lupos ostendare ad digitum cogor*. Melius codex ms. optimæ notæ celeberrimi per Europam collegii Sorbonici, qui fuit eminentissimi cardinalis Armandi Joannis Richelii, quemque mecum pro sua singulari humanitate communicavit vir clarissimus Nicolaus Petitpied, doctor et socius Sorbonicus. In eo enim codice sic scriptum est, *deprehensos in grege ovium lupos ost. ad dig. cogor*. Sic in epistola 121 Richardi de Pophis scriptum est : *Quanto gravius in omni offensione Domini dolerem, etc.*, cum legendum sit : *Quanto gravius in ovium Domini offensione doler., etc.* Ut vel hinc agnoscat lector pronos in hunc errorem fuisse librarios veteres.

c *Sigulfus*. Abbas Canonicorum monasterii Ferrariensis. Fugit ergo hic abbas diligentiam Sammathanorum. Nullam enim viri istius mentionem fecerunt in catalogo abbatum Ferrariensium. Successit autem Alcuino, cujus fuerat discipulus, ut in Vita sancti Aldrici Senonensis archiepiscopi scripturum est, itemque in Vita Alcuini. Et arbitror tum factum abbatem Ferrariensem cum Alcuinus et senio et ægro corpore fatigatus monasteria sibi commissa divisit inter suos discipulos et apud sanctum Martinum Turonensem secessit; quod ante annum 804 contigit. Dein et ipse Sigulfus, senio fatigatus, regimini Ferrariensis monasterii renuntiavit, eamque curam transtulit in Adalbertum discipulum suum, ut est in Vita sancti Aldrici. Id vero contigit sub Ludovico Pio, quando Sigulfus canonicalem habitum mutavi in monachicum, ac *suo passus est subjici discipulo*, ut ait Lupus, id est Adalberto. Hunc autem Sigulfum fuisse ex nobili familia ortum tradidit antiquus scriptor Vitæ Alcuini. Ut manifeste appareat optimam esse lectionem codicis ms., qui pro *nobis*, quod habet editio Massoni, exhibuit hoc loco *nobilis*. Fuisse vero natione Anglicum scriptum est in Vita S. Aldrici. Virum fuisse elegantis ingenii tradi auctor Vitæ Alcuini, et *sacræ lectionis studiosissimum* ipse Alcuinus, qui ob eam causam ei dicavit interrogationes et responsiones in librum Geneseos : cujus operis meminit Hincmarus in cap. 27 posterioris dissertationis adversus Gotteschalem et in cap. 4 Epilogi.

d *Canonico habitu*. Hujus loci sententia hæc est : Sigulfus, qui per omnem vitam canonicus fuerat, sponte hoc institutum abjecit ut monachus fieret ordinis sancti Benedicti, cumque eo omnes Canonici Ferrarienses facti sunt monachi. Hinc ergo colligimus Ferrariense monasterium fuisse tum temporis habitum a Canonicis, non autem monachis. Nam

te se potestate exuit, et nostram, hoc est monachicam, religionem assumpsit atque donec diem obiret, (*a*) suo passus est subjici discipulo.

A quem ipsius voluntate ac fratrum consensu imperator Ludoguicus memorato loco (*b*) abbatem præ-
55 fecerat. Quin etiam decessor vester beatæ memo-

per eas tempestates monasteriorum appellatio complectebatur monasteria Canonicorum et monachorum. Et monachi quidem omnes intra Gallias addicti erant in plurimum Regulæ sancti Benedicti. Canonici vero nulla certa lege tenebantur donec Ludovicus Pius imperator regulam conscribi jussit secundum quam Canonici viverent, quæ anno 816 lecta et probata est in synodo Aquisgranensi. Hanc observationem debemus Ademaro Cabanensi, cujus ea sunt verba : « Aquisgrani ad hiemandum profectus est imperator Ludovicus Pius, ubi habito concilio, id est, indictione decima, anno imperii sui tertio, ab incarnatione 816, jussit fieri Regulam Canonicis, excerptam de diversis Patrum scripturis, decrevitque eam observandam a Canonicis ; ut sicut monachi respiciunt ab librum Regulæ sancti Benedicti, sit perlegant Canonici inter se librum Vitæ clericorum. Quem librum Amalarius diaconus, ab imperatore jussus, collegit ex diversis doctorum sententiis. Dedit ei imperator copiam librorum de palatio suo, ut ex ipsis ea quæ viderentur congrua excerperet. Et ita cum decretis episcoporum qui ibi fuerunt, vita clericorum roborata est. » Nam Ludovicus, ut docet auctor Vitæ ejus, eum « librum per omnes civitates et monasteria canonici ordinis sui imperii misit per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi facerent. » Horum missorum unus fuit Notho, quem ob eam causam Ludovicus Pius misit ad Arnonem, archiepiscopum Saltzburgensem, ut patet ex litteris ejusdem imperatoris ad Arnonem, quæ exstant apud Goldastum, tomo I Constitut, Imperial., pag. 150, ubi liber iste vocatur *Formula institutionis canonicæ*. Parum tamen profuit illa Ludovici cura. Quo factum est ut cum, prævalentibus vitiis, a regula discederent Canonici, plurima Canonicorum monasteria se verterent ad monachos, eorumque institutum arripuerint. Incessit ergo Sigulfum abbatem et Canonicos monasterii Ferrariensis cupido relinquendæ vitæ canonicalis, ut monachicum habitum induerent; eoque processit sancta ambitio, ut etiam Sigulfus regimen ac gubernationem monasterii abdicaret. Tum temporis summa in hoc erat principum auctoritas. Sine his enim non solum mutari non poterat status locorum sacrorum ; sed præterea ipsi propria auctoritate canonicos interdum pellebant a monasteriis, ut monachos substituerent ; hos vero, si res ita ferret, dein exturbabant, ut canonicos reducerent. Quod multis exemplis probari potest. Neque vero valebat tantum jus illud in regno Francorum sed apud Anglos quoque. Sic enim constituit eorum rex Edgarus, qui anno 966 vivebat : « Timens igitur ne æternam incurrerem miseriam, si adepta potestate non facerem quod ipse, qui operatur omnia quæ in cœlo vult et in terra, suis exemplis justus examinator innotuit, vitiosorum cuneos Canonicorum e diversis nostri regiminis cœnobiis Christi vicarius eliminavi ; quod nullis mihi intercessionibus prodesse poterant, sed potius, ut beatus ait Gregorius, justi vindictam judicis provocarent, qui variis vitiorum nævis contaminati, non agentes quæ Deus jubendo volebat omnia quæ nolebat rebelles faciebant, avidus inquisitor advertens, gratos Domino monachorum cuneos, qui pro nobis incunctanter intercederent, nostri juris monasteriis devotus hilariter collocavi. » Apud Seldenum in notis ad Eadmerum pag. CLV. Ergo Sigulfus ad Ludovicum Pium imperatorem accessit, ut voti sui compos fieret. Is vero mutationem vestis ac regulæ concedens, monachos fecit ex Canonicis ; abbatemque super Sigulfum et cæteros constituit, sed qui tamen canonicus antea fuerat in monasterio Ferrasiensi, Adalbertum videlicet, Sigulfi quondam discipulum, ut dicemus infra. Et ad hanc fortassis mutationem respicit auctor Vitæ Ludovici, cum ait monasterium Ferrasiense ab ipso fuisse restauratum. Octavo demum anno post Ludovici mortem, eadem mutatio paracta est in monasterio S. Martialis Lemovicensis. Rem gestam sic narrat idem Ademarus : « Post mortem vero Domini Ludovici imperatoris anno octavo, ab incarnatione Domini octingentesimo quadragesimo octavo, Ainardus princeps de basilica S. Martialis, cum aliis omnibus Canonicis, Deo inspirante, projiciunt arma sæcularia, et de canonicali habitu in monachorum habitum seipsos putant in eodem monasterio. Carolus enim Calvus conventum suum generalem habuit tunc Lemovicæ, tempore Quadragesima, cum episcopis Aquitaniæ et primoribus ejus. Porro residente Carolo Calvo in throno regali, Ainardus et omnes Canonici S. Martialis prostraverunt se subito ad pedes ejus, postulantes dare sibi licentiam se fieri monachos in eodem loco. Rex vero Deo gratias agens, cum magno gaudio petitionem eorum adimplevit, et omnes episcopos et primores eorum voluntati inclinavit. Sed Stodilus, episcopus Lemovicensis, cum hoc graviter ferret, et inflexibilis solus maneret, tandem rege cogente consensit, victus muneribus. Et Canonici ex se ipsis abbatem noluerunt ad præsens habere, sed præposuerunt sibi Odonem sancti Savani abbatem. » Atque hanc mutationem auctoritate regia factam disseruit diu post hæc tempora in synodo Lemovicensi Odolricus abbas sancti Martialis : qui tamen in eo fallitur quod eam factam ait a Pippino et Carolo, filiis Ludovici Pii. Sic ævo Ludovici Pii, Canonici sancti Dionysii, quorum unus erat Hincmarus, converterunt se ad regularem vitam et habitum ; id est, deposito canonicali habitu, monachi facti sunt. Ejus rei luculentus testis est Hincmarus in epistola 26, ad Nicolaum papam : « In monasterio, inquit, ubi ab ipsis rudimentis infantiæ sub canonico habitu educatas, indeque eductus, in palatio domini Ludovici imperatoris non modico tempore mansi. Conversis autem ad regularem vitam et habitum fratribus de monasterio sancti Dionysii, ubi nutritus fueram, in illud, secundum fugiens, sine spe vel appetitu Episcopatus, aut alicujus prælationis, diutius degni. » Sic, ne singula commemorem, monasterium sancti Albini Andegavensis Canonicos habuit antequam monachi sancti Benedicti illic instituerentur. Peractum id anno 966 a Gaufrido Grisagonela, comite Andeganensi, (jubente nimirum Lothario rege, ut docet auctor Chronici S. Albini a Labbeo editus) ut ipse fidem facit in tomo VI. Spicilegii domini Lucæ Dacherii 6, pag. 422 : « In prædicto cœnobio sancti Albini, inquit, monachilis ordinis perfectionem, eliminata quæ in eodem loco non dominicis hactenus sed suis sæcularibus vacaverat lucris, canonicali congregatione. » Tum vero Nefingus Andegavensis episcopus, a Gaufredo comite et Alberto abbate rogatus, privilegia monachis concessit, in quorum antea pocessione fuerant Canonici ; ut fidem

« *Suo discipulo*. Adalberto. Is enim, vivente Alcuino, Sigulfi discipulus fuerat, eique deinceps adhæserat. Et haud dubie tum factus est monachus cum eum Ludovicus Pius præfecit abbatem monasterio Ferrasiensi. Adalberto demum moriente, Aldricus (qui cum eo Sigulfi quoque discipulus fuerat, ut patet ex Vita Alcuini) factus est abbas Ferrasiensis, cum antea illic canonicus et monachus fuisset.

(*b*) *Abbatem præfecerat*. Jure communi omnia mona-

ri... (a) Aldricus, qui præfati Cæsaris jussu et mirabili bonorum annisu nobis, cum esset abbas, ablatus, A et Ecclesiæ Senonicæ pontifex factus est, ad nos immutabiliter proposuerat regredi, episcopali cura

dem facit Nefingus ipse in diplomate sequenti, quod nunc primun prodit ex chartulario S. Albini.

« In Dei nomine. Ego Nefingus, Andecavensis ecclesiæ indignus sacerdos, cunctis orthodoxis fidelibus etc. Sciant igitur successores nostri, ecclesiam B. Albini, quæ a sancto Germano Parisiorum episcopo voluntate et imperio Childeberti regis ante portam Andecavensis urbis versus orientem fundata est, quædam privilegia ex antiquitate præ cæteris Andecavensibus ecclesiis, ut pote regalem abbatiam, obtinuisse. Est namque una ex regalibus abbatiis. Adierunt ergo humilitatis nostræ præsentiam domnus Gausfredus fortissimus comes, et Albertus abbas ejusdem ecclesiæ, satis suppliciter postulantes, ut privilegia quæ ex antiquo a Canonicis ejusdem ecclesiæ fuerant obtenta, fratribus quoque nunc Deo ibidem regulariter servientibus, nostra auctoritate cederemus atque firmaremus. Quod nos ordinem B sanctum attollere volentes, libentissime fecimus. Sunt autem ipsa privilegia, Epistola scilicet et Evangelium in ordinibus nostris, si ex eadem ecclesia fratres adfuerint ordinandi. Evangelium in Ramis palmarum. Absolutio in Parasceve, et Statio nostra secunda feria Paschæ, immunitas ne pro aliqua re vei infractura... » cætera desunt.

steria tum temporis erant in potestate regum. De monasteriis Septimaniæ testatur Ludovicus Pius in præcepto pro monasterio sanctæ Gratæ in diœcesi Urgellensi, quod authenticum vidimus ex archivo Urgellensis ecclesiæ delatum : « Suggerens prædictus Possedonius episcopus per eumdem Matfredum fidelem nostrum ut monasterium quod idem episcopus reædificaverat, quod dicitur SANCTA GRATA, quod est situm super fluvium Bosegia, dicatum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis... sub nostra potestate imo tuitione atque dominatione re- C ciperemus, et ita monachi vel res ibidem pertinentes nostri proprii essent sicut cætera monasteria infra Septimaniam nostra esse constant. » Eidem juri subjacuisse monasteria Germaniæ docet Richerius lib. I, cap. 16 Chronici Senonensis. De universis autem regni monasteriis satis amplam fidem facit caput 8 libri secundi Capitularium, itemque caput 181 libri quinti, et Aquisgranensis secunda synodus habita anno 836, cujus ea sunt verba in cap. 9 ad eumdem Ludovicum Pium : « Similiter poscimus ut in abbatissis constituendis et rectoribus monasteriorum vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpe est dictum et per divinam auctoritatem sæpius manifestatum. » Item episcopi provinciarum Rhemensis et Rothomagensis in epistola scripta anno 858 ad Ludovicum regem Germaniæ in Attiniaco palatio consistentem : « Rectores etiam monasteriorum, quibus monasteria committitis, firmiter et obnixe præcipite, etc. » Itaque quoties monasterii cujuspiam abbas D excesserat e vivis, aut ab administratione recedebat, rex alium in loco ejus propria auctoritate constituebat, nemine reclamante. Exstant hujus juris innumera propemodum exempla, testimoniis synodorum episcoporumque firmata, si quis etiam hoc requirat. Sed tamen prætermittendum non est testimonium Caroli Magni, quod sic habet : « De monasteriis et xenodochiis quæ per diversos comites esse videntur, ut regalia sunt ; et quicunque ea habere voluerit, per beneficium dono regis habeat. » Scriptum porro hic est *comites* pro *comitatus*. Comitatus autem hoc loco idem est quod pagus. Unde *compagi* apud Lupum in epistola 24. Itaque edicit Carolus ut monasteria quæ per diversos regni Francici comitatus sita erant regalia sint, ita ut nemo abbas illic esse possit nisi is cui Rex dederit abbatiam. Verum reges nostri paulatim jus illud transtulerunt in monachos ; ea tamen lege, ut eis non liceret alium eligere abbatem quam qui mores suos diu approbasset in professione monastica. Nam soli principi competebat auctoritas committendi monasteria sæcularibus. Donum autem illud electionis his vulgo verbis conceptum erat. « Et quandocunque divina pietas dictum abbatem ab hac luce subtraxerit, quandiu ipsi monachi inter se tales eligere potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per nostrum consensum ac jussionem licentiam habeant ex semetipsis eligendi abbates. » Vides, lector, eam monachis impositam legem ut prorsus ex monachis ejusdem monasterii eligendus esset abbas, et is quidem qui ei oneri par esset. Nemo autem non videt eam esse conditionem privilegii ut ad auctorem reverti debeat, si cautioni appositæ locus esse non possit. Verum ea fuit sequentium sæculorum felicitas ut semper protulerit viros insignes et aptos ad hoc ministerium exsequendum. Quo factum est ut necesse non fuerit reges nostros rursum in se trahere dispositionem monasteriorum. Tandem quia reservationes curiæ Romanæ videbantur intolerabiles, reges nostri rursum, felicibus Francisci primi auspiciis, curam monasteriorum in se susceperunt. Neque enim jus illud, quo reges nostri utuntur in nominatione abbatum, referendum est ad privilegium a pontifice Romano concessum, tametsi in speciem hinc peti debere videatur. Revocata tantum est vetus auctoritas principum, quam ipsi sponte dimiserant in gratiam monachorum. Sed iniquitas temporum exegit ut privilegio ascriberetur quod ex veteri jure proficiscebatur. Sed tamen prætermittendum non est testimonium Ludovici Pii, cujus hæc sunt verba in libro primo Capitularium cap. 86 : « Monachorum siquidem causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, et quomodo ex se ipsis sibi eligendi abbates licentiam dederimus, et qualiter Deo opitulante quieti vivere propositumque indefessi custodire valerent ordinaverimus, et in alia schedula diligenter adnotare fecimus, et ut apud successores nostros ratum foret et inviolabiliter conservaretur confirmavimus. » Cum autem ait providisse se quieti monachorum, intelligit libertatem a se concessam monasteriis, ut libera videlicet essent a potestate episcoporum. Nam per eas tempestates, ut supra diximus, libertas monasteriorum pendebat ex arbitro principum. Rarius tum implorabatur apostolicæ sedis auctoritas. Tamen haud ita multo post frequentes esse cœperunt exemptiones monasteriis concessæ a summis pontificibus, qui regum vestigia sequentes, tuitionem ac defensionem suam impenderunt monasteriis, ut ea liberarent a potestate episcoporum, ut in nota ad epist. 13 dictum est. Quod intelligendum est de observatione regulæ et de administratione bonorum monasterii. Nam quoad ea quæ violationem canonum respiciebant, episcopali audientiæ reservati erant, ut diximus supra. Præterea, monachi non poterant abscedere a monasterio neque proficisci in regionem longinquam absque permisss episcopi, ut ad epistolam 102 dictum est.

(a) *Aldricus.* Hic, cum abbas esset Ferrariensis, Ludovici Pii imperatoris jusso factus est archiepiscopus Senonensis, ut scribit Lupus. Factum id anno 829, quo obiit Jeremias Senonensis archiepiscopus. Chronicon sancti Petri Vivi Senonensis : « Obeunte vero Hieremia archiepiscopo VII Idus Decembris, et sepulto in basilica sanctæ Columbæ, nutu divino sanctus Aldricus pontificalem sedem suscepit, abbas sancti Petri Ferrariensis, vivente adhuc Pio Ludovico. » Exstat autem inter epistolas Frotarii, episcopi Tullensis, Aldrici istius, ni fallor, epistola ad Frotarium, qua suam sortem deplorat, quod cum olim monachi institutum arripuisset, ut sibi viveret, abbas tamen postea, cogentibus monachis, factus sit nunc vero, licet tanto oneri impar, ac nihil minus cogitans, episcopus. Itaque Frotarium orat ut precibus suis se juvet apud Deum, ab eoque impetret vir-

omissa, quando hanc vitam, ut credimus, feliciore mutavit. Quis hos viros canones ignorasse dicat, nisi prius ipse desipiat? Profecto primordia fidei Christianæ recolebant; quæ beatus Lucas commendans ostendit tunc illis omnia fuisse communia, quando postquam singuli agrorum et quarumlibet possessionum pretia apostolis, prout cuique opus erat, dividenda permiserant, ipsi Deo soli vacabant, et erat eis cor unum et anima una in Domino. Nec ab hac sancta societate sacerdotes exclusos invenio, cum præfatus evangelista hinc etiam nos instruendos prospiciens, (*a*) *Multa*, inquit, *turba sacerdotum obediebat fidei* (*Act.* VI). Siquidem tametsi quam longissime absumus a tam sanctorum virorum perfeetione, tamen vestigia et quædam, ut ita dixerim, lineamenta formæ apostolicæ retinemus, dum nemo nostrum aliquid sibi vindicat, nec in sæculares curas dissipare animum permittitur, et orationum et abstinentiæ legitimam constitutionem persolvere regulari rigore, cui nos sponte submisimus, coarctamur.

A Nec mirandum, sed episcopaliter compatiendum vobis est, si (*b*) multos monachorum experti sitis a sua professione detestabiliter deviare; cum et natura humana prona sit ad malum, et hostis noster bono semini superseminare semper gestiat zizania. Cæterum, ut mea et multorum fert opinio, nullus intra sanctam Ecclesiam ordo est ubi certius promereri **56** Deum fidelis anima possit quam si monasticæ disciplinæ studeat propositum integre observare. Verum ne nos magnifacere videamur, beatus Gregorius, cujus tanta in Ecclesia resplendet auctoritas, Patrem nostrum Benedictum his verbis commendat (S. Greg., lib. III *Dialog.*, cap. 36) : ***Scripsit monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam.*** Sanctus autem Benedictus sacerdotes suscipi in mo- B nasterium et posse et debere ostendit, cum quanquam non facilem, tamen eis permittat ingressum, et retinendi officium ex abbatis jussione præbet auctoritatem, quod nullo modo faceret, si soli (*c*) admittendi essent criminosi. Nam et eos quidem interdum, sed

tutes episcopo dignas. Notanda interim sunt verba Clarii monachi, auctoris Chronici S. Petri Vivi : qui quod Lupus factum ait jussu Cæsaris, ad nutum divinum refert, dum ait Aldricum *nutu divino* suscepisse pontificalem sedem. Ut intelligeremus eam auctoritatem in cujus possessione tum priucipes erant, a cœlo esse. Unde et in canone 3 synodi ad Theodonis-villam habitæ anno 844 scriptum est *episcopos a Deo datos* esse, et a principibus tum imperitantibus, Ludovici scilicet Pii filiis, *regulariter designatos, et gratia sancti Spiritus consecratos.* Vide notas ad epistolam 98. Sed ut ad Aldricum redeamus, obiit is diem suum anno 841, VI Idus Octobris; successoremque habuit Wenilonem. Destinaverat autem (ut Lupus scribit, itemque antiquus Vitæ Aldrici scriptor) redire ad monasterium, omissa episcopali cura, si diutius fuisset in vita. Recurrebat enim memoria præteriti temporis, et in viro monasticæ quietis amantissimo erumpebant haud dubie interdum questus et lacrymæ, quod cum vix sibi sufficere posset, animum tamen distrahere cogebatur in plures curas. Eos nimirum felices ac beatos existimabat qui procul dignitate episcopali, et procul a sæculi periculis, tranquillam et insontem vitam agebant in monasteriis, de nullius salute solliciti nisi generali charitatis lege, de nullius anima rationem reddituri Deo quam de sua. Ea de causa pastoralem curam, si per canones licuisset, deserere deliberabat, ut liberius Deo serviret, ac salutem suam operaretur. Sed quia id canones vetabant ob periculum animarum, ipse huic incommodo prospicere volens, successorem sibi quæsivit, qui ei oneri par esset, locoque suo ordinari posset. Inter hæc vir sanctus inevitabili necessitate raptus est. Si quisquam interit qui sic exstinguitur?

(*a*) ***Multa turba sacerd.*** Hic Lupus rhetoricatur ut ostendat sanctum esse propositum Ardegarii et Baldrici, cum huc trahit testimonium Lucæ in cap. VI Actorum, ubi scriptum est plerosque sacerdotes fidem Christi amplexos esse. ***Multa***, inquit, ***turba sacerdotum obediebat fidei.*** Laudandi sane illi sacerdotes qui, spretis religionibus suis, fidei se Christi applicabant. Et hæc est summa pietas. Laudandi itaque fuissent Ardegarius et Baldricus, si antea sacerdotes fuissent falsorum numinum, tum vero Christi corpori, quod est Ecclesia, inseri ambiissent. Exstat apud Hieronymum in epistola ad Heliodorum insignis locus, in quo magnus ille vir docet per calcatum etiam patrem pergendum esse ei qui Christum sequi velit : « Licet parvulus, inquit, ex colla pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat; per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. » Quo loco sic apposite prorsus ad rem nostram loquitur Erasmus Roterodamus : « Mihi videtur et hoc nonnihil ad suum negotium retorquere Hieronymus. Nam id quidem locum habet, ubi parentes ethnici vetant quo minus fias Christianus; non ut desertis parentibus, quibus opus est fortassis tuo subsidio, in eremum aut in monasterium temet abdas, cum possis apud Chri- C stianos parentes Christianam agere vitam, si modo purgaris animum mundanis affectibus. Verum hujusmodi detortio probatur in exhortando, aut deterrendo. Sed alii passim, et serio, quidquid de mundo, hoc est de mundana vita, dictum est, id detorquent ad communem Christianorum vitam; quod de sequendo Christum, id trahunt ad monachorum vitam. » Itaque Lupus, rhetorica licentia usus, hunc Lucæ locum, ubi loquitur de sacerdotibus nondum Christianis, flexit ad presbyteros Christianos, ut pia fraude consensum extorqueret a Wenilone. Quod non ideo dictum velim, ut quis existimet me eos vituperare qui monachi fiunt, sed ut ostendam, quantum sibi licere crediderint interdum nonnulli veterum, quoties incideret occasio retrahendi homines ab erroribus sæculi. Nam et ego existimo plurimos fieri et sapientiores et sanctiores in monasteriis : adeoque neminem ab eo proposito revocare velim; præsertim si quis B. Benedicti institutum arripiat, D ut Ardegarius et Baldricus facere cogitabant. Benedictus enim monachorum Pater est, a quo cætera monachorum in Occidente instituta acceperunt formam vivendi, ut satis notum esse arbitror.

(*b*) ***Multos monachor.*** Jam tum ergo nonnulli monachorum infamabant vitam monasticam, moribusque suis id prorsus effecerant ut ex iis nonnulli pii viri conjicerent vitam monasticam nihilo sanctiorem, imo deteriorem esse vita reliquorum Christianorum. Recte autem admonet Lupus ex improborum illorum monachorum vita metiendos non esse cæteros. Nam et diabolus semper gestit seminare zizania.

(*c*) *Admittendi criminosi.* Loquitur proprie de presbyteris criminosis, quos ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudendos esse sancitum fuerat in pluribus synodis. Quanquam nihil vetat quin et alios quoque facinorosos homines in monasteriis susceptos fuisse dicamus. Nam monasteria erant portus pœ-

difficillime, et vehementer compunctos recipimus. *Venit enim filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Matth.* XVIII). Cum autem beatus Gregorius Regulam Patris nostri Benedicti approbat, eadem autem Regula sacerdotes cum officio suspiciendos censet, nisi qui contentioso spiritu laborat, et susceptos jam inde ab initio nostri ordinis et esse integræ vitæ sacerdotes in monasterium minime dubitat. Quapropter vestra paternitas dignetur hæc studiosius pertractare, et presbyteris (*a*) ad melius de bono tendentibus non cunctetur licentiæ aditum reserare; ne forte, quod nullatenus optamus, videamini ordini nostro provisa cœlitus incrementa derogare, quem summi et optimi pontifices non solum non infamaverunt, verum etiam, ut par fuit, suis et laudibus ornaverunt et exhortationibus cumularunt. Neque enim sacrorum canonum suscipienda censura, quantum dispicere valuimus, usquam nostram infirmat sententiam, quam et auctoritate divina et præclaris exemplis roborandam **57** curavimus. Illud potissimum a vestra eximietate obtinuerimus, ne nostram admonitionem gravemini: quam non venditandæ scientiæ studio, sed implendæ charitatis officio assumptam, et rerum pondere et styli lenitate satis, ut opinor, apparet.

EPISTOLA XXX.

(*b*) AD GOTTESCHALCUM MONACHUM.

Ni veritus fuissem ut me ab observatione charitatis aversum nullius flecti posse precibus putando, eamdem charitatem offenderes, etiam nunc silentii latebram fovens, nihil ad ea quæ consuluisti respondissem, duabus videlicet ex causis. Altera, ne otio tuo materiam exercendi ingenii vel imminuerem vel detraharem. Altera, ut habita consideratione illorum quos super eadem quæstione te sollicitasse olim cognovi, mediocritatem meam non præjudicare

A quorumdam excellentiæ æstimatione propria comprobarem. Verum autem illorum colloquio et rescripto potitus, quid ego hinc sentiam desideras experiri: quoniam de eisdem quæstionibus diversa sentire, quousque contra fidem non est, aut nulla aut parva culpa est. Quid mihi sentire visus sit beatissimus ac doctissimus Augustinus in eo loco quem enodandum pooposuisti non gravabor exponere. Et illa quidem prior quæstio, quam, quia nullis divinarum Scripturarum exemplis aut testimoniis aut ægre aut nequaquam definiri poterat, in medio reliquit, penitus omittatur; scilicet an in illo cunctis exoptabili fidelibus **58** culmine resurrectionis oculi carnis aliquid sint mentis simile habituri: siquidem futuras earum rerum imagines aliqua nos mentis
B acrimonia posse apprehendere quæ illius tanti auctoris ingenium sint transgressæ si vel opinari possemus, esset id extremæ dementiæ. Nec tamen felicitati nostræ in illa resurrectione aliquid derogabitur, si divinitatis excellentia carnalibus oculis conspicua non fuerit; quando nullum hoc tempore dispendium intelligentiæ nos pati sentimus, si rationem quam mentis acumine contuemur, manu perpetua, quod est incorporea, palpare non possumus. Nec indignum aliquid nostra patietur natura, si spiritus longe sublimiori donetur excellentia: qui jam inde ab initio nostræ nativitatis tantum excelluit ut et in eo, etsi aliquandiu decolor propter peccatum, semper tamen (*c*) Dei perseveraverit imago, et ab eo in unam eamdemque personam redacta gubernata sit caro. Alteram vero quæstionem quibus verbis idem
C præcellentissimus auctor moderatus sit vigilanter considerantes, eorum mentem dispiciamus. « Aut quod est, inquit, ad intelligendum facilius, ita nobis erit Deus notus atque conspicuus ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero

nitentiæ. Confirmatur istud auctoritate Zachariæ papæ, cujus hæc sunt verba in epistola ad Bonifacium archiepiscopum Moguntinum: « Hos itaque ministros Satanæ, et non Christi, ubicunque repereris, charissime nobis, aggregato provinciali et sacerdotali collegio, omnimodo devita; et a sacerdotali honore privatos, sub regula monachica et pœnitentia submissos, vitam finire ordinabis. » Apud Essenos, vetustum in Judæa monachorum genus, rei cujuspiam culpæ, quantumvis levis, non admittebantur, ut fidem facit Solinus cap. 38, his verbis: « Nam qui reus est vel levis culpæ, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, divinitus submovetur. »

(*a*) *Ad melius de bono.* Id est, a clericatu ad monachismum. Atqui supra vidimus clericatum ab Innocentio primo dici *meliorem gradum* comparatione vitæ monasticæ. Quam ob causam veteres illi « ex eis qui in monasterio permanent non nisi probatiores atque meliores in clerum assumere » solebant, ut docet Augustinus in epistola 76, ad Aurelium. Et sapientissimus ille monachus Hieronymus scribens ad Heliodorum ait: « Alia causa est monachorum, alia clericorum. Clerici pascunt oves. Ego pascor. » Atque id etiam Urbano II papæ valde placuit, qui lege lata prohibuit « ne quis canonicus regulariter professus, nisi, quod absit, publice lapsus fuerit, monachus efficiatur, » ac pœnam statuit adversus rebelles. Exstat decretum istud apud Gratianum 19, q. 3, itemque apud Stephanum Tornacensem in epistola prima, et in Collectione Canonum Anselmi Lucensis, cujus exemplar ex veteri codice Vaticano descriptum mihi nuper ostendit domnus Lucas Dacherius, monachus Benedictinus. Hactenus enim non prodiit in lucem. Canonicos autem eosdem esse qui et clerici vocantur patet ex capite 73 libri primi Capitularium. Denique clericatum fuisse existimatum meliorem gradum ex hoc colligimus quod in synodo Cabilonensi presbyteri facinorosi demittuntur ad agendam pœnitentiam in monasteriis. Vide epistolam 36 Ivonis Carnot. et Franciscum Florentem lib. II Dissert. juris canonici, pag. 198.

(*b*) *Ad Gottheschalcum.* Celebris fuit hic homo ætate
D Lupi et Hincmari, adeoque materiam tum præbuit sermonibus hominum. Renovata est autem maxime ejus memoria his viginti annis ob doctrinam Jansenii, episcopi Iprensis. Historiam Gotteschalci ingenti volumine conclusit R. P. Cellotius e soc. Jesu; qui plurimum operæ in ea posuit et novas observationes quamplurimas protulit, non indignas eruditorum hominum curiositate.

In hac epistola tractat Lupus de visione beatifica, quonam modo illa fiat. Hoc idem argumentum fuse tractavit Hincmarus Rhemensis in epistola 3, cap. 8, ubi etiam adducit locum Augustini ex libro XXII de Civitate Dei, cap. 29. Vide Alcuinum in Confessione fidei, lib. III, si tamen Alcuini.

(*c*) *Dei imago.* Hic Lupus Dei imaginem, quæ in homine esse dicitur, constituit in anima. Vide quæ infra adnotamus ad librum de Tribus Quæstionibus.

in altero, videatur in scipso, videatur in cœlo novo A et terra nova atque in omni quæ tunc fuerit creatura [*de Civit. Dei*, lib. XXII, cap. 29). » Hactenus qui hæc verba obscuritatis pariant non video. Quippe clarissimus auctor, quia divinæ ructoritatis observantissimus, quemadmodum sit futurus Deus omnia in omnibus copiosius explicat ; scilicet quod electis divina gratia ad angelicam provectis æqualitatem, remoto pristinæ ignorantiæ nubilo, **59** semetipsum plene manifestet, ac sua ineffabili visione in perpetuum beatificet, tantaque suæ præsentiæ lætificet evidentia ut uniuscujusque spiritus dubitare non possit quin nobis et reliquis sanctis omnibus insit Deus atque cuilibet alicui creaturæ ; ita ut rationabilem tantummodo sui notitia glorificet, irrationabilem vero, hoc est, terram et cœlum, præsens ubique totus gubernando contineat. B Ac per hoc rationabili aderit per notitiam et præsentiam, irrationabili per solam præsentiam : quæ tamen longe præstantius quam nunc ad electorum notionem deducta, ut augmentum scientiæ, ita etiam incrementum felicitatis factura est. Nam et nunc præsentia sua regit cœlum et terram, cujus veridica vox est : *Cœlum et terram ego impleo (Jer.* XXIII). Sed ad comprehendeudum quemadmoqum totus in cœlo, totus in terra sit, acies mentis nostræ caligat, quandiu *corpus quod corrumpitur aggravat animam* (*Sap.* IX), ne naturæ suæ vim licere queat exercere. Quod cum totius corruptionis non molestia modo, verum etiam suspicione fuerit liberatum, glorificata duntaxat, non mutata natura (neque enim hinc nos errare permisit qui ait : *Palpate, et videte quia* C *spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* [*Luc.* XXIV]), tantamque cum spiritu, cui nunc repugnat, habuerit concordiam et cum eo deinceps nec velit peccare nec possit, idem spiritus Deo suo tunc vere inhærendo, unum cum eo effectus, intueri merebitur habitatorem sui similiumque creaturarum, cæterarum vero rectorem. Hæc est visio, in qua scilicet constabit et secura fecilitas et felix securitas, cui videndæ oculos non corporis, sed cordis, hoc est mentis, **60** mundari veritas præcipit : *Beati*, inquit, *mundo corde*, *quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Hujusmodi vero mundationem fides hic inchoat, illic charitas consummat. Nam quousque affectus noster dicere Deo possit : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* D (*Psal.* LXXI).) hoc est, quandiu in cœlestis alicujus creaturæ potentia vel excellentiæ mundanæ illecebra, et non in Deo, a quo sumus conditi, spem nostræ beatitudinis reponimus, grassum glaucoma nostris obductum oculis patimur. At cum salubriter ea sordere cœperint quæ prius animum nostrum perniciose aut eludebant opinionum falsitate aut oblectabant fallaci suavitate paulatim Dei clementia fatiscente caligine, noster visus recuperatur, ac divinorum præceptorum in dies exacuitur collyrio, donec deposita mortalitatis sarcina, ad videndum eum, in quem tota fuerat translata intentio, perducatur. Præmonstratis verbis super quorum sententia non ut voluimus, sed ut valuimus (res enim quam significant incomprehensibilis est), diutule locuti sumus, idem mirabilis auctor subjecit (August. *ibid.*) : « Et per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi. » Hic vel parum sæculari litteratura imbutus nemo dubitat a communi subaudiendum, et ut videatur spiritu per corpora in omni corpore. Opinionem enim illam, ut videri possit Deus carnalibus oculis, nisi aliquid mentis obtinuerint, ipse manifestissime removet. Quid vero in eo voluerit intelligi quod ait, *per corpora in omni corpore*, scrupulosius quæri posset, nisi eamdem rem, adhibita quadam similitudine, præstruxisset. Denique præmisit (Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, cap. 29) : « Vitam quidem suam » (haud **61** dubium quin spiritus) « qua nunc vivit in eorpore, et hæc terrena membra vegetat, facitque viventia, interiore seusu quisque non per corporeos oculos novit. Aliorum vero vitas, cum sint invisibiles, per corpus videt. Nam unde viventia discernimus a non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus ? » Siquidem hac ejus tam luculenta sententia eolligitur quod *per corpora*, hoc est, per corporis oculos, *in omni corpore*, quod idem conspexerint oculi, videndus sit Deus, non in sua substantia, quod privilegium spiritui reservatur, sed in evidentissima gubernationis præsentia. Sic enim cum per sensus corporeos vitas aliorum in corpore intuemur, non vitas invisibiles aspicimus ; sed eas tamen inesse vivificationis potentia dubitare non possumus, Nec sustinebunt quidquam contumeliæ oculi, si spiritu Deum ubique præsentem comprehendente, illi eum tantummodo in corporibun, quo direxerint aciem, quemadmodum superius ostendi, poterunt intueri ; sicut neque nunc patiuntur aliquid ignominiæ, cum sensu aurium dulcissimum quemlibet sonum capiente, ipsi intra metas proprii muneris cohibentur. Hic a me monstratus intellectus capituli omnibus te quas proposuisti quæstionum angustiis liberabit ; inter quæ etiam oeulis nihil simile mentis habentibus in quovis corpore, nec proprie, nec figurate, Deum fore conspicuum declarabit. Namque proprietatem ejus cognitione spiritus sibi dignitas vindicabit. Quod autem tam evidenter creaturas suas divina reget majestas ut ne oculos quidem corporeos latere possit, nihil præterquam quod geritur significare **62** omnis qui sobrie sapit facile advertit. Ad hunc enim exitum circumstantia, sine superstitionis pervicacia considerata, cautum instructumque lectorem perducunt. Quod adeo mihi constat ut etiam beatissimum Augustinum, si revivisceret, aliter quemquam sensisse credam non mediocriter miratum. Proinde semper solveudo et nunquam persolvendo charitatis debito, te, suspiciende frater, exhortor ut nequaquam ultra in talibus tuum ingenium conteras : ne his ultra quam oportet occupatus, ad utiliora vestiganda sive

docenda minus sufficias. Quid enim tantopere quæramus quod nobis nosse necdum forsitan expedit? Certe divinitus illustrata mens Deo loquitur: *Oculus non videt, Deus, absque te quæ præparasti exspectantibus te* (*Isa.* LXIV). Et nos illius ineffabilis visionis plenissimam rationem complecti animo, concretis vitiorum sordibus adhuc gravato, desideramus? In amplissimo Scripturarum sanctarum campo interim spatiemur, earumque meditationi nos penitns totosque dedamus, faciemque Domini humiliter, pie ac semper quæramus, *qnoniam inquirentes Dominum non deficient omni bono* (*Psal.* XXXIII). Ejus erit clementiæ, ut dum considerata nostra conditione altiora nobis non quærimus, nec fortiora scrutamur, nos ad sublimiora et robustiora sustollere, purgatisque nostræ mentis obtutibus, quibus videri se posse revelavit, semetipsum dignetur ostendere. Cæterum daturus necne sit oculis post resurrectionem aliquid simile mentis, ejus arbitrio relinquamus, cujus judicio et hæc st alia innumera impune, quoad mortaliter vivitur, ignoramus. Quaternionem quem reperisti nescio quis mihi **63** sublegerat. Verborum vero, quorum flagitasti rationem, quia nec plenaria statim omnium occurrit, et eam indagare maximæ causarum moles, quibus assidue obruor, inhibuerunt, in aliud tempus distuli: quanquam non sim nescius Græcorum sermonum proprietates a Græcis potius exspectandas. Sane si quando scribendum parvitati meæ decreveris, obsecro superfluis aut falsis laudibus non oneres; sed magis Domino supplices ut me semper suæ laudis avidum faciat, meæ vero laudis fructum in illud tempus differat qno laus erit unicuique ab eo.

EPISTOLA XXXI.

AD GUENILONEM EPISCOPUM.

Summa veneratione colendo insigni præsuli Gueniloni Lupus plurimam salutem.

Cum ad regem proficiscerer, et præmisissem sciscitari quid me facere vellet, ipse vero præcepisset ut festivitate beati Martini ad monasterium ejusdem præclari confessoris ei occurrerem, eum vero uti- A litas publica alio traxisset, missis iterum nuntiis per amicos obtinui cum gratia licentiam revertendi. Cur autem, sicut constituerat dominus noster rex, ad sanctum Martinum non accesserit, hæc, ut nuntii nostri retulerunt, causa fuit quod Britanni, sibi præter solitum dissidentes, regem nostrum in Britanniam versus evocaverunt, ut pars quæ contra (*a*) Nomenoium sentiebat ad eum tuto deficeret. De pino, unde vestrn quæsivit paternitas, nihil certi in palatio dicebatur. Leviter tantum fama jactabat **64** eos qui nuper ab eo descivissent in concordiam redituros. Quidam vero de Aquitania venientes Nortmannos inter Burdegalam et Santones eruptionem his diebus fecisse retulerunt, et nostros, id est Christianos, pedestri cum eis prælio congressos et miserabiliter, nisi quos fuga eripere potuit, peremptos. B In quo bello comprehensum ducem Vasconum (*b*) Siguinum et peremptum etiam jurando testati sunt. Quæ res quam vera sit, Dominica sententia: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur* (*Luc.* XI), indicat et discordiam amplectentibus qui fructus maneat manifestat. Bene vos valere cupimus.

EPISTOLA XXXII.

AD LUDOVICUM.

Desiderantissimo suo Ludovico, abbatnm summo, Lupus præsentem et futuram salutem.

Dici non potest quanto nuper dolore affectus sim cum in hac reipublicæ calamitate feliciier fallax fama disperserit vos quoque inter alios cecidisse. Hunc mœrorem nullus unquam dies, ut vere fatear, nisi cum ultimo mihi spiritu abstulisset. At veritate C comperta, ut par fuit inexplicabili gaudio exsultavi quod is viveret cum quo, si possem, et esset necesse, juxta illud Horatianum.

Meos (*c*) dividerem libenter annos.

Immensas itaque gratias omnipotenti Deo, omnium charissime, refero quod te mihi servavit; quo servato, ipse quoque servatus sum. Præterea domini nostri (*d*) regis adversitati condolens, et ereptioni supra modum congaudens, **65** instar illius evangelicæ viduæ quæ duo minuta in gazophylacium misit,

(*a*) *Nomenoium.* Ducem Britonum: qui cum post Ludovici Pii mortem Carolo Calvo adhæsisset, postea tamen rebellans, regnum affectare in Britannia ausus est, suadente Lamberto, comite Nannetensi. Ægre id tulit Carolus, æmulum in regno suo non ferens. Itaque captata dissidiorum occasione quæ inter Britannos exarserant, dum pars una Nomenoio favet, altera vero adversus illum insurgit, ipse in Britanniam profectus est, ut se inimicorum Nomenoii partibus conjungeret. Factum id anno 846 colligitur ex Chronico Ademari: « Carolus, inquit, iterum Britanntam pergens, cum Nomenoio duce dimicavit et victor exstitit. Sed Nomenoius fuga lapsus est. »

(*b*) *Siguinum.* Et hinc quoque discimus hanc epistolam scriptam esse anno 846. Nam eo anno Siguinum comitem Burdegalensem, sive ducem Vasconum, ut vocat Lupus, a Nortmanis occisum esse fidem facit idem Ademarus his verbis: « Alio anno sequenti, Siguinus, comes Burdegalensis et Santonicensis, a Nortmannis captus et occisus est. » De Siguino duce Vasconum mentio exstat in Annalibus Eginhardi ad an. 816.

(*c*) *Dividerem annos.* Utitur Lupus hac Horatiana loquendi forma, ut sui in Ludovicum amoris abundantiam illi ostendat. Adnotavit autem Muretus, clarissimum patriæ meæ sidus, in lib. IV Var. Lect., cap. 1, inter omnia loquendi genera quibus veteres mirificam quamdam vim amoris in aliquem sui ex- D primebant illud excellere videri quo significabant cupere se, si quo modo id fieri posset, annos sibi ad vivendum constitutos conferre ac contribuere cum eo quem diligerent, ita ut quod ipsis superesset vitæ, ejus pars aliqua ad illius vitam adderetur.

(*d*) *Regis adversitati.* In hac epistola, itemque in sequenti, agit Lupus de clade quæ acciderat Carolo Calvo. Tanta autem illa fuit, ut cæsum in acie Carolum nuntiatum sit, cumque eo abbatem Ludovicum, ad quem scripta est isthæc epistola. Itaque manifestum est hic agi de victoria a Britonibus parta adversus Carolum Calvum anno 845, de qua hæc habentur in Annalibus Fuldensibus: « Karlus cum Brittonibus conflixit; et cum grandi damno exercitus sui, ipse cum paucis vix evasit. »

(*a*) quidquid muneris consequi potui per vos offerendum direxi: quod gratum ei, sicut mihi expedire videtis, quæso dignamini facere. Ideo autem dixi illi me totum quod invenire valuissem fideliter misisse quod propter ejus frequens servitium, quod prius a præcessoribus meis non exigebatur, et propter cellæ nostræ subtractionem, et frumenti ante inauditam penuriam, omnia jam exhausta sunt, ita ut emptitio frumento fratres jam mense integro sustententur, eodem tanta prolixitate usque ad novas fruges victuri ; nec suffecerunt quæ ad communes usus parata fuerant ; sed urgente inevitabili necessitate, paucissima vasa et cætera ornamenta ecclesiæ nostræ, dolentibus omnibus, distrahuntur Quæ res quo redundet, et quantum publicam prosperitatem impedire possit, nec admonita vestra videt prudentia. Proinde vestram supplex imploro pietatem ut regi meas et fratrum necessitates, imo jam veras miserias aperiatis, suggerentes ut quod suo maximo periculo in beatum Petrum et nos fecit, voti memor quod se (*b*) hoc anno obligavit, tandem aliquando immutare dignetur, ut et principem apostolorum in suis rebus dubiis adjutorem, et nos omnes ex corde possit habere intercessores. Neque enim contemnere debet orationes servorum Domini, cum de uno quolibet justo dicitur : *Multum valet deprecatio justi assidua* (*Jac.* v); et de pluribus Domini cultoribus sacer insonet psalmus : *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal.* CXLIV). Nec de nostri instauratione cœnobii tantum, verum etiam de totius Ecclesiæ **66** statu sollicite vobis admonendum est, ne forte, quod absit, quam integram accepit, scissam nobis flentibus, hostibus autem ejus tam occultis quam manifestis irridentibus, relinquere compellatur. Utinam ei non contingat quod Deus suis contemptoribus comminatur : *Sola vexatio intellectum dabit auditui* (*Isa.* XXVIII.) Nec experiatur quod ait Apostolus : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* x). In expeditione Aquitanica olim, ut nostis, omnia perdidi. (*c*) Superiore anno missus in Burgundiam, decem quos amisi. Nunc nos quam significavi premit inopia. Cupio etiam, si Deo placet, quod didici et semper disco docere. Quas res (præter ultimam, ea enim velut Reip. inutilis judicaretur, quæ meo judicio cæterarum est gravissima), si me evocare voluerit ad comitatum, regi, quæso, suggerite, quoniam nisi spoliem aliquod altare, aut fratres importabili affligam inedia, non habeo unde octo dies in ejus possim versari servitio donec novæ fruges optatam referant facultatem. Nisi autem absque periculo possitis, militarium hominum nostrorum nolo vos otium deprecari, quanquam et illis quam sit necessarium ultro cognoscitis. (*d*) Congratulationis chartulam, si utilem futuram ex morum ejus qualitate deprehenderitis, hoc est, ut ea ad bene agendum aliquo modo incitetur, ex parvitatis meæ nomine tradendam curate. Sin autem, quid animo contineam vos nosse suffecerit. De annuis donis, quæ adhuc penes me habeo, quid mihi agendum sit per meum nuntium remandate. Munusculi similitudinem, quam nimia verecundia, quod aliud non habui, celsitudini vestræ direxi,

(*a*) *Quidquid muneris.* In regno Francorum nonnulla per eas tempestates erant monasteria quæ regi debebant dona et militiam, ut patet ex veteri Notitia a Sirmondo edita in tomo III Conciliorum Galliæ, quæ dein recusa est a Duchesnio. Idipsum docet etiam auctor ineditus Annalium Anianensium, his verbis : Erant etiam quædam monasteria ex eis, munera militiamque exercentes. » In his fuit Ferrariense, ut discimus ex eadem Notitia, itemque ex epistolis Lupi. Quo fiebat, opinor, ut singulis quibusque annis incumberet illis monasteriis necessitas offerendi munera principi, itemque in occasionibus ingentium sumptuum. Afflictæ ergo Caroli res consueta munera exegerunt a Lupo. Præter illa porro monasteria quæ regi dona militiamque debebant, erant insuper alia quæ tenebantur ad dona tantum sine militia. Demum nonnulla erant quæ « nec dona, nec militiam, sed solas orationes pro salute imperatoris vel filiorum ejus ac stabilitate imperii debebant. » In his, præter ea quæ commemorantur in Notitia paulo superius laudata, fuit etiam Tutelense in Lemovicibus, ut fidem facit in testamento suo Ademarus, vicecomes Scalarum et abbas laicus monasterii Tutelensis. « Sunt autem monachi, inquit, in munburdo regis ad locum salvum faciendum, non ad aliquid persolvendum, nisi solas orationes. » De Sarlatensi in Petrocoriis fidem facit his verbis Bernardus, comes Petrocoriorum, qui sub Ludovico Transmarino floruit, postquam præfatus est se restaurare velle monasterium illud : « Igitur trado præfatum locum domno Odoni et domno Adacio abbatibus et monachis quos ibi vel adduxerint vel congregaverint, ut videlicet ipsi et successores eorum tam cœnobium quam omnem abbatiam sine ulla contradictione teneant, ut post illorum discessum qualem voluerint secundum Regulam S. Benedicti abbatem eligant et sibi constituant. Sint autem et ipsi monachi in subjectione regis ad locum salvum faciendum et non ad aliquid persolvendum, nisi solas orationes. » Odo et Adacius abbates, ut hoc obiter moneam, intelligendi sunt de Odone et Adacio, qui simul Tutelense monasterium rexerunt, ut monuimus in Additione ad librum VIII De Concordia Sacerdotii et Imperii, cap. 25. Unde colligitur Sarlatense monasterium tum fuisse subjectum monasterio Tutelensi et coloniam esse Tutelensis monasterii. Distinguit autem Bernardus comes inter cœnobium et abbatiam, ea videlicet de causa quod veteris abbatiæ bona penes ipsum essent, cœnobium vero tum recenter ædificaretur ad recipiendos monachos. Sic Ademarus vicecomes Scalarum monasterium Tutelense distinxit in veterem abbatiam et monasterium. In Anglia quoque nonnulla erant monasteria, *soluta et quieta ab omnibus sæcularibus servitiis*, ut docet Ingulphus abbas Croylandensis, cujus monasterium illa libertate fruebatur.

(*b*) *Hoc anno.* Id est, anno 845, ut diximus. Itaque hinc discimus votum quod, suadente Hincmaro, Carolus Calvus concepit apud sanctum Dionysium, ut in epistola 42 Lupus testatur, emissum esse anno 845.

(*c*) *Superiore anno.* Hoc est, anno 844. Itaque tum Lupus legatione in Burgundia functus est jussu Caroli regis.

(*d*) *Congratulationis chartulam.* Id est, Exhortationem ad regem Carolum, post acceptam cladem. Itaque Ludovici judicio permittit an ea Exhortatio regi reddenda sit. Ea autem exstat in epistola sequenti.

memores primæ amicitiæ nostræ **67** quæso ne dignemini aspernari. Exiguitatis meæ benigne memores bene vos valere cupio, et ad bonorum emolumentum prosperis semper augeri successibus.

EPISTOLA XXXIII

EXHORTATIO AD DOMNUM REGEM.

Præcellentissime domine, et, si dicere audeam, amantissime, audita nuper status vestri adversitate, ineffabili dolore distabui. Namque mecum reputabam vestræ nobilitatis indolem, quam cupio ætatis maturitate ac sapientiæ gravitate consummari, nimis immature nobis ablatam. Id quia irrecuperabile videbatur, quoniam id constanter fallax fama jactaret, totum me cum fratribus qui me cum Deo servire satagunt, ad impetrandam salutem animæ vestræ contuleram, cui vehementer timebam quorumdam non satis Deum timentium persuasiones obesse. Verum quoniam sospitate vestra donati sumus, incredibili gaudio repleti, sincera fide majestatem vestræ celsitudinis admonemus ut omnipotenti Deo nobiscum maximas gratias habeatis et referatis, qui nobis quantum se amare debeatis ostendit, cum, ut pace cunctorum dixerim, humano cessante auxilio, ipse vos potenter et pie servavit, et quantum de eo præsumere debeatis manifestare dignatus est. Nolite igitur casu contrario nimium contristari, sed potius credite veridicis verbis ejus : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Et : *Non est volentis, neque currentis*, **68** *sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Et : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo et in terra* (*Psal.* CXIII). Et : *Omnis voluntas mea fiet* (*Isa.* LVI). Et : *Non salvatur rex per multam virtutem.* (*Psal.* XXXII). Et : *Non est Domino salvare difficile in multitudine vel in paucis* (*I Reg.* XIV). Et : *Qui glorificat me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II). Et spreto carnalium consilio, de quibus dicitur : *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum ; consilium autem Domini in æternum manet* (*Psal.* XLIV), acquiescite consilio quod per Prophetam ipse dignatur dare mortalibus: *Jacta cogitatum tuum in Deum, et ipse te nutriet* (*Psal.* LIV). Et : *Sperantes in Domino misericordia circumdabit* (*Psal.* XXXI). Et: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es* (*I Reg.* XV). Et : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me* (*Psal.* XLIX). Præterea mementote quod Salomon ad regendum populum Israel, cui diu in maxima pace præsedit, sapientiam potissimum postulavit. Nec spernatis etiam eorum hortamenta qui, Deum ignorantes, utilia non tam sibi quam nobis viderunt; in quibus invenitur quod ante quam aliquid incipiamus, prudenter quid agendum sit debeamus inquirere, et cum invenerimus, matura festinatione perficere, et quod diu apparandum sit bellum ut celeriter vincatur (Sallust. *in Catilina*). Hæc breviter celsitudini vestræ suggessi, ut divina et humana auctoritate quid vobis agendum sit indubitanter possetis cognoscere. Det autem ipse Deus ut spiritaliter et corporaliter quantum cupio valeatis.

69 EPISTOLA XXXIV.

(*a*) AD ALTWINUM MONACHUM.

Venerabili fratri Altwino Lupus perpetuam salutem

Si tanta facilitate discuti possent a quoquam quanta moventur quæstiones, olim ad consummatam studiosi quique sapientiam evasissent. Nunc litterarum studiis pene obsoletis, quotus quisque inveniri possit qui de magistrorum imperitia, librorum penuria, otii denique inopia merito non queratur ? Quo minus indignari mihi debes, si perexiguum otii, quod mihi vix obtingit, indagandis quæ nesciam, quam ventilandis quæ jam consecutus sum, judicem expendendum. Nec, ut opinor, erro, si quibus divino favore viam intelligentiæ vel aperui vel planiorem feci, quam præcesserim sequendi necessitatem indicam ; hoc est, lectione magistra vel utens, vel usus, si auditoribus meis aut præsentibus id ipsum sermone, aut absentibus obstinato imponam silentio. Obtinuit tamen tua instantia ut quædam ex iis quæ studiose quæsiisti enuclearem. *Locuples* penultimam genitivi producere sic apud Priscianum probatur in libro V, cum de nominibus in *es* productam desinentibus disputaret. « Appellativa vero, inquit, si sint ad homines pertinentia, quæ apud Græcos communia vel mobilia, apud nos communia sunt ut *hæres, locuples.* » Idem in septimo, penultima tertiæ declinationis quando produci debeat vel corripi mira diligentia ostendens, « Producitur, inquit, in his quorum nominativus **70** in longam desinit seu natura seu positione, ut *sol, solis, infans, infantis.* Excipiuntur in *on* desinentia Græca, et in *o* tam Latina quam notha, quæ aliquando corripiunt, aliquando producunt penultimam genitivi. Præterea in *ms*, vel *bs*, vel *ps*, vel *x* desinentia, quæ penultimam genitivi semper corripiunt. Item *par, lar, vas, pes, Ceres, compos, bos*; *sus, grus :* quæ producentia nominativos, corripiunt penultimam genitivi. » Cum igitur producta nominativo vel natura vel positione, penultimas genitivorum consequenter producant (his sex exceptis nominibus, quæ longa observantia deprehensa notavit, quoniam, ipso teste, *locuples* in *es* productam finitur), eodem auctore genitivo longa penultima proferetur. Quod possem etiam poetico testimonio confirmare, nisi apud contentiosos quosque tanti viri tantum posset auctoritas. *Locupleto* autem, quod penultima producta nequaquam dubito proferendum (sicut quoniam *robur, roboris* corripi-

(*a*) *Ad Altwinum.* Monachum fuisse indicat titulus epistolæ; cujusnam vero monasterii, non docet. Papirii Massoni editio habet, *Ad Altuinum Senonensem monachum.* Verum ex epistola 20 patet eum, saltem cum epistola illa scripta est, commoratum fuisse in Germania, adeoque monachum fuisse Fuldensem. Vide Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti tom. VI, pag. 60.

tur, *roboro* eadem penultima correpta pronuntiatur), activum esse in Cicerone possumus confirmare, (Cic. in lib. *de Orat*, et libr. I *Off.*); qua significatione etiam in Psalmo positum canimus: *Multiplicasti locupletare eam* (*Psal.* LXIV). Apud memoratum auctorem Priscianum in jam dicto libro VII, quid sentire de pronuntiatione *mulieris* debeamus deprehendi potest. In eo enim in *er* correpta masculina, feminina, neutra, et communia inveniri dicit, in *er* autem producta Græca masculina, et unum Latinum, et magis nothum, atque in sequentibus: « Corripientia, inquit, nominativum in quibusdam corripiunt penultinam genitivi in quibusbam producunt. Producunt in *al* et *in el* neutra, et in *ar* neutra derivativa. In *or* quoque desinentia alia producunt **71** penultimam genitivi, ut *cursor*, *cursoris*; alia corripiunt, ut *Hector*, *Hectoris;* alia vero omnia, quæ nominativi terminationem corripiunt, similiter penultimam genitivi corripiunt. Excipitur *inquies*, quod simplicis declinationem servavit in composito, quamvis corripiat extremitatem nominativi. » Ergo si *mulier* desinit in *er* correptam, unde nulla dubitatio est, nec inter excepta ab eo est positum, secundum eum correpta penultima genitivus ejus efferetur. Ad hanc rem roborandam nullum adhuc poeticum habeo testimonium. Et quoniam, ut ipse ait (Priscian. in præfat. lib. I), « nihil ex omni parte perfectum in humanis est inventionibus, » ab eo forsitan est non ignorantia sed oblivione prætermissum. Quare in usu mutando auctoritatis meæ periculum nolo facere, donec aut mea aut amicorum diligentia aliquid hinc, si non solidius, at evidentius valeat inveniri. *Ulciscor et vindico* cur dixerit idem auctor insignis in utraque significatione accipiendum, ipse explanat, subinferens tam pro læso quam contra lædentem accipiendum: unde et *vindicta* non solum pœna, sed etiam liberatio accipiatur. Quamvis et ex Virgilianis versibus sensus ejus in promptu sit recte considerantibus. In eo enim quo posuit

Ulta virum pœnas inimico a fratre recepi,

Ulta pro *læso* facit. Læsus enim Sicharbas, sive, ut poetica licentia ponit Virgilius, Sichæus, a Pygmalione fratre Didonis erat, a quo fuerat morte mulctatus. Maritum autem postea Dido ulta est; non ei, utpote qui erat exstinctus, pœnam aliquam inferendo; sed Pygmalionem, propter quam scelus commiserat, pecunia privando. Itaque supplicium de eo qui læserat pro eo qui læsus erat **72** sumpsit. Ita pro læso idem verbum accipitur, quo sensu acciperetur etiam, si, metro permittente, dicere potuisset, *vindicavi virum*. Sequens exemplum quod est:

Nunquam omnes hodie moriemur inulti,

A contra lædentem accipitur. Cum enim Æneas socios ad repugnandum Græcis, qui in suam potestatem urbem redegerant, animaret, usus est eo verbo, ut fingit Virgilius, quo significavit vindictam et ultionem suorum gentilium, qui jam occidissent, et sui ante quam occidissent, viriliter a lædentibus exigendam. Illud quod sequitur tangere nolui, donec in Livio vigilantius indagarem. *Propitius* et per sibilum pronuntiari etiam a non parum doctis semper audivi, et in antiquissimis exemplaribus nunquam nisi per *t* scriptum inveni. *Stupeo* an convertat in præterito *u* præsentis in *i*, apud Prisciamum non discernitur. In veteribus tamen codicibus indifferenter expressum invenies. Patronum nostrum episcopum incolumen esse vehementer exsulto. [a] Probum B autem non tam aliquid edidisse admiror quam non omnibus jam scribendi materiam abstulisse. Bene vale; et pro me, patreque meo, et matre et per te et per cæteros amicos Dominum exorare, si me amas, quæso ne cesses.

EPISTOLA XXXV.

AD EBRARDUM MONACHUM, PROPINQUUM SUUM.

Assiduis urges, mi charissime, petitionibus ut antiquitatem nostræ propinquitatis et amicitiæ singularis litteris prosequens scribam **73** aliquod quod esse tibi possit, si non usui, saltem delectationi. Hoc forsitan digne fecissem, si, cum, opus postulas, materiam præbuisses. Verum quia gratum tibi fore dum scribam, quidquid illud sit, polliceris, in exquirenda materia nolui me operosa torquere diligentia, multo minus in elegantia solerti verborum. C Quod igitur mihi nihil tale molienti occurrit extemporaliter explicabo. Reviviscentem in his nostris regionibus sapientiam quosdam studiosissime colere pergratum habeo; sed hinc haudquaquam mediocriter moveor quod quidam nostram partem illius appetentes, insolenter partem repudiant. Omnium autem consensu nihil in ea est quod jure excipi aut possit aut debeat. Quare apparet nos ipsos nobis esse contrarios, dum insipienter sapientiam consequi cogitamus. Etenim plerique ex ea [b] cultum sermonis quærimus; et paucos admodum reperias qui ex ea morum probitatem, quod longe conducibilius est, proponant addiscere. Sic linguæ vitia reformidamus et purgare contendimus; vitæ vero delicta parvipendimus et augemus. Sed cum omnis sapien- D tia a Domino Deo sit, ut litteræ divinæ demonstrant, ordine congruo eam appetamus, et procul dubio consequemur. Id autem nobis ex divina auctoritate depromitur. *Fili*, inquit, *concupisti sapientiam-serva mandata, et Dominus præbebit eam tibi* (*Eccli.* I). Ubi etiam quid sit sapientia summe ac pulcherrime

[a] *Probum.* Presbyterum Moguntinum, ut ad epistolam 20 adnotatum est.

[b] *Cultum sermonis.* Idem diu ante sæculum Caroli Calvi deplorabat Salvianus presbyter Massiliensis, cujus ea sunt verba in præfatione librorum de Gubernatione Dei. « Omnes enim, inquit, in scriptis suis causas tantum egerunt suas; et propriis magis laudibus quam aliorum utilitatibus consulentes, non id facere adnisi sunt ut salubres ac salutiferi, sed ut scholastici ac diserti haberentur. » Dio, lib. XXXVIII: « Cicero acerbissimos sibi inimicos paraverat, dum semper præstantissimo cuique se præferre studeret, libertateque dicendi in omnes immo, dica ad satietatem usque uteretur. Quippe qui magis facundi, ac præ reliquis diserti, quam boni viri nomen venabatur. »

definitur. *Timor Domini*, inquit, *est sapientia, et recedere a malo intelligentia* (*Job.* XXVIII). Cæterum de his qui perperam vivunt, et integre loqui concupiscunt, et corruptos sermones quam mores aspernantur, sic instruimur : *Omnis labor homini in ore ejus*, **74** *et anima illius non replebitur* (*Eccli.* VI). Quia dignum profecto est ut qui primas partes eruditioni tribuit, non sanctitati, a refectione sapientiæ exitiali jejunio excludatur. Quocirca si vigilanter poliendo incumbimus eloquio, multo maxime consequendæ honestati atque justitiæ operam impendamus oportet. Sed cum variæ sint sectæ philosophorum, suo unaquæque genere perfectæ, quarum nulla alii præjudicat quo minus cultores suos in philosophiæ sacrarium introducat, et discordi concordia omnes quodammodo uniantur, palam est propositorum diversitatem, qua pacatissimus Dei populus inseparabiliter, ut ita dixerim, separatur, non officere ad bene vivendum, et vario itinere pie venientibus matris Ecclesiæ templum esse apertum, quando unicuique ordini sua constet perfectio. Quanquam id postremum hoc sit certius quo divina præstant humanis. Itaque hortor indolem tuæ nobilitatis uti quicunque religionis Christianæ gradus præ cæteris tibi animo sederit, servata cæterorum reverentia, in eo cooperante Deo in dies proficias, et integrum te in eo exhibeas. Quod si potes ex bono ad meliorem, atque ab imo ad summum evadere, id te niti summa intentione persuadere velim, ut laboriosius auctori militans, ab eo gloriosius coroneris. *Jacta cogitatum tuum in Domino* (*Psal.* LIV), ut ab eo [a] nitorimenta perpetuo felicia et feliciter perpetua consequaris. Illudque ante omnia semper in oculis habeas quod ipse te fecerit, quod perditum reformarit, quod tam crebris, tam copiosis, tandemque proficuis auxerit beneficiis; ut hinc illum laudandi concepta materia, dum ei gratias de acceptis et habes et refers muneribus, fias ad accipienda majora **75** dignior, et fretus humilitate, perseverantiam in bonis actibus (quod est donum inamissibile) sortiaris. Sane dum his studiis occuparis, honestas artes et ingenio dignas nolim negligenter prætereas; verum postules earum scientiam ab eo qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et juxta mensuram fidei tuæ tibi haud dubie tribuentur. Valeas, charissime et desiderantissime; et longa florens ætate, salutiferis quotidie crescas virtutibus, meique semper benigne memineris.

EPISTOLA XXXVI.

AD ALWINUM.

Si subitaneam nobis tuam attulisses præsentiam, infertilis profecto laboris retulisses dispendium. Namque ita me variis et inevitabilibus involutum offendisses negotiis, ut vix intra multos dies una hora vacuas tibi aures præbere potuissem. Quin etiam abbatis absentia intentioni tuæ plurimum derogasset. Itaque quod et ego, quemadmodum supra expressi, sum occupatus, et abbas vix autumno reversurus creditur, si tibi ad nos veniendum existimas, opportunitatis vides exspectandum commercium. Cæterum germanum tuum, ut supplicasti, orationibus, quod potero, juvare contendam.

76 EPISTOLA XXXVII.

[b] AD HERIBOLDUM EPISCOPUM

Suspectæ mihi amplitudinis vestræ nuper missæ fuerunt litteræ. Idcirco temperandum responsione putavi quod rei veritatem rescirem. Nunc quoniam [c] communis frater et earumdem litterarum fidem et vestri status patefecit veritatem, bonæ valetudinis vobis recuperationem quam celerrimam exoptans, breviter litteris respondeo. Si naturæ memores, quæ nos arctissimo necessitudinis vinculo nexuit, pristinique amoris unice singulariterque devinxit (quorum [d] unum est eventus, alterum judicii) sinceram mihi benevolentiam exhibendam decrevistis, imo quia decrevistis, locorum insterstitia, quæ mihi questi estis, detrimento esse non poterunt. Si quidem et frequenter invicem videre nobis facultas est; et si quis casus impedierit, litterale nobis haudquaquam deest commercium, quo vicissim intentioneo nostras (si vestra eo usque se summittit sublimitas) familiariter possumus revelare. Cæterum codicem annotationem beati Hieronymi in prophetas, necdum a me lectum, vobis morem gerens, dirigo : quem vestra diligentia cito aut exscribendum aut legendum procuret, nobisque restitui jubeat. Unde vos monendum judicavi; ne forte vobis in multis assiduisque occupatis negotiis nihil vobis collatura nobis earumdem rerum obesset dilatio. Atque utinam altissimum divinumque vestrum ingenium, quantum posset fieri, a [e] communibus

[a] *Nitorimenta.* Ita deserte codex manuscriptus, cum editionem haberent, *inter incerta*. Novum haud dubie vocabulum, sed quo Lupus significari velit nitorem mentis, id est animæ, perpetuo duraturum. Nam alioqui voces illæ, *inter incerta*, nihil hic faciunt.

[b] *Ad Heriboldum episcopum.* Antissiodorensem, ut diximus, ad epistolam 19. Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus (ut Flodoardus docet lib. III, cap. 21), epistolam scripsit « Abboni Antissiodorensi pro Heriboldo præsule defuncto, qui cuidam fratri apparens admonuit de eleemosyna et orationibus atque oblationibus pro se offerendis. » Abbo enim, Heriboldi frater, ei anno 854 in cathedra Antissiodorensi successerat ex præcepto Caroli Calvi regis

[c] *Communis frater.* An Heriboldus Lupi frater? Certe paulo infra ait naturam eos arctissimo necessitudinis vinculo nexuisse. Atqui neutrum necessitudinis vinculum arctius est quam fraternitas.

[d] *Unum est eventus.* Sic Galba imp. apud Tacitum, in libro primo Historiarum, Pisonem, quem adoptabat, his verbis alloquitur :« Nam generari et nasci a principibus, fortuitum, nec ultra æstimatur; adoptandi, judicium integrum. »

[e] *Communibus negotiis.* Ob hoc nimirum quia archicapellanus erat « Pro jure enim sui muneris, » ut Marca scribit in libro VIII de Concordia sacerdotii et imperii, « ecclesiasticas causas in palatio distringebat archicapellanus, » eas nimirum quæ communes erant, ut ait Lupus, id est graves, « Præter eam auctoritatem, quæ propria erat archicapellani, omnibus consultationibus quæ de re publica aut privata in palatio a consiliariis (qui partim clerici

77 aversum negotiis ad indaganda humanæ vel divinæ sapientiæ transferretur secreta. Profecto vestra nobilitas (*a*) officiique clarissimus gradus, dignum sua amplitudine cepisset emolumentum. Quod nolim eo dictum a me accipiatis ut me in hac parte perfectum jactanter existimem, aut vobis in aliquo prorsus conferendum, nedum præferendum, opiner. Sed sicut vos convenientibus cumulatos congratulor honoribus, ita etiam ingeniis, maxime quæ excellent artibus, ornatos nosse desidero. Caius Julius Cæsar historiographus Romanorum nullus est. Commentarii belli Gallici, quorum ad vos manavit opinio, tantum exstant; nec quantum ad historiam, quod compertum habeam, quidquam aliud. Nam cæterarum ejus rerum gestarum, postquam idem Julius totius pene orbis causarum molibus est oppressus, Hirtius ejus notarius in Commentarios seriem referendam suscepit. Ejusdem itaque Julii Commentarios ut primum habere potuero, vobis dirigendos curabo. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XXXVIII.

AD REGEM CAROLUM.

Excellentissimo domino, judicioque sapientium multis et maximis regnis dignissimo, summa veneratione nominando, inclyto regi Carolo devotissimus per omnia Lupus.

Licet inevitabilis necessitas me ad tempus vestris aspectibus subtrahat, sic tamen animus meus vobis agglutinatus est, ut vos et vestra **78** semper in oculis habeam, et, ut absque adulationis fuco verum vobis confitear, vix comprehensibili amore complectar. Nam cur ab omnibus bonis debeatis amari facile in vobis eminet. Unde quantum capio, quantum sufficio, quantum intelligo, vobis fidelis sum. Cæterum præsentes meas necessitates per venerabilem A Ludovicum, qui vobis non minus quam decet fidus est, majestati vestræ notas facere studui; quibus peto secundum datam vobis divinitus prudentiam, cui omnes congratulamur, pie consulatis ut Dei vestrique servitii talia nunc valeam in primordio ponere fundamenta quæ futuri obsequii devotis molitionibus, opitulante ejusdem Dei gratia, et vestro favore, respondeant. Me autem noveritis, quotiescunque possum, Dei clementiam intentis precibus implorare ut concedat vobis prolixam sospitatem, incruentam victoriam, perpetuam pacem, vitiorum odium, possessionem virtutum, sicque vos faciat regnare in terris ut regnum non amittatis in cœlis.

EPISTOLA XXXIX.

(*b*) AD EBROINUM EPISCOPUM.

B Clarissimo Ebroino Lupus perpetuam salutem.

Causas meas Ludovico nostro significavi; quas his litteris repetere superfluum duxi, cum eas quæ illi redditæ sunt, vos lecturos et velim et sciam. Tantum postulo ut in omnibus ita mihi adesse dignemini sicut me confidere illis etiam litteris cognoscetis. Misi vobis eburneum pectinem, quem, quæso, ut in vestro retineatis **79** usu, quo inter pectendum arctior vobis mei memoria imprimatur. Bene vos valere cupio.

EPISTOLA XL.

(*c*) AD RABANUM, PRÆCEPTOREM SUUM.

Reverentissimo Patri eximioque præceptori Rabano Lupus salutem.

Rebus non potui hactenus gratias vobis agere. Tamen quantas affectu habuerim occultorum cognitor semper inspexit. Deinceps autem, si idem Deus C vitam vestram produxerit, optatamque pacem reformaverit, non erit impossibile quid animo geram factis ostendere. Namque (*d*) consensu fratrum nostrorum (*e*) x Kal. Decemb. cœnobium Ferrariense

erant, et partim laici) haberentur capellanus semper intererat, » ut in libro IV ejusdem operis Marca docuit. Quare mirum videri non debet quod Heriboldum Lupus in multis assiduisque communibus negotiis occupatum esse ait.

(*a*) *Officiique cl. gradus.* Id est dignitas archiepiscopalis.

(*b*) *Ad Ebroinum episcopum.* Pictaviensem, qui et ipse sacri palatii archicapellanus fuit sub Carolo Calvo, ut ipse Carolus testatur in præcepto quod Glannensi monasterio concessit de villa Bidisciaco: « Venerabilis vir Ebroinus episcopus, inquit sacrique palatii nostri archicapellanus, adiens culminis nostri serenitatem, deprecatus est, » etc. Præsedit in concilio Vernensi, anno 845, super Wenilonem archiepiscopum Senonensem; ob eam nimirum causam, ut ad Capitula Caroli Calvi observat Sirmondus, quod archicapellanus esset, id est, apex et caput omnium dignitatum palatinarum.

(*c*) *Ad Rabanum.* Abbatem tum Fuldensem, deinde vero Moguntinensem archiepiscopum. Data autem est isthæc epistola post obitum Ludovicii Pii, et quo tempore discordia vigebat inter illius filios. Unde sequitur falli Baronium, qui putat Lupum fuisse factum abbatem Ferrariensem anno 838, mense Decembri. Sed de tempore promotionis Lupi statim docebimus manifestis, ut reor, argumentis.

(*d*) *Consensu fratrum.* Itaque monachi nullum per eas tempestates jus habebant in electione abbatum præter consensum. Cætera regis erant. Attamen Lupus ait in epistola 42 electum se fuisse a monachis Ferrariensibus. Et in epistola 45, ad regem Carolum scripta, ait ipsum sibi commisisse monasterium Ferrariense ad monachorum votum electionemque. Quod ita intelligendum est. Vacanti monasterio princeps præficiebat abbatem, cum præcepto ut eum monachi susciperent. Tum, si nihil canonicum obstabat, monachi eum eligebant, eaque ratione consensum suum addebant præceptioni regiæ. Interdum tamen monachi convenientes pro facienda electione ejus quem abbatem esse cupiebant, postea principem adeuntes, eum sibi dari abbatem D petebant: quod eodem redit. Nihil enim refert si princeps abbatiam donet ante vel post electionem monachorum, modo jure regio id agat. Ad Lupum quod attinet, ad alium referri non potest beneficium in eum collatum quam ad principem. Ipse enim in epistola 6 disertis verbis scribit eam esse multorum sententiam, futurum ut, quando ipse reginæ studiis attollebatur, quamprimum gradus dignitatis sibi conferatur: quam dignitatem ab alio exspectare non potuit monachus palatinus quam a principe. Præterea jus eligendi abbates suos nondum fuerat tributum monachis Ferrariensibus. Tributum enim dein est a Carolo Calvo ad preces Lupi.

(*e*) x *Kal. Dec.* Ita diserte codex vetus. Nam editio Massoni habebat, *in Kal. Dec.* Itaque Carolus Calvus monasterium Ferrariense Lupo commisit *secundo Kal. Decembris*, ut colligitur ex epistola 21 ipsius

mihi commissum est; dominusque noster Carolus mira me dignatione fovens, gratia sua donavit. Vestra igitur benevolentia me unaque congregationem mihi creditam sacris orationibus, quæso, commendare dignetur, ut sicut studia mea plurimum eruditione adjuvistis, sic officii difficultatem assiduis precibus temperetis. Cæterum audivi sarcinam administrationis vestræ vos (a) deposuisse, et rebus divinis solummodo nunc esse intentos, Hattoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse. Cujus rei ordinem, simulque alia quæcunque videbuntur, beatitudinis vestræ litteris exspectabo cognoscere. Opto vos bene valere meique perpetuo dignanter meminisse.

80 EPISTOLA XLI.

(b) AD IMMONEM.

Sanctitatis merito sincere suspiciendo venerabili Immoni Lupus æternam salutem.

Epistolam vestram me quam molliter mulcentem amicitiæque memoriam suaviter refricantem, ut par fuit, summa delectatione perlegi, eique sensa menti penitus illapsa diligenti memoriæ commendavi. Nam si vere, ut scripsistis, me inter charissimos numeratis, erit forsitan veniabile quod peregrinationis molestia, præsertim tot quot inveniri facile potuerant neglectis opportunitatibus, epistolari solatio me levare sprevistis. Quanquam tanti contemptus dolorem vehementer exulceret non actum quod sæpe inter nos constitit, ut quotiescunque nancisci possetis occasionem, quæ cognoscenda mihi essent, vos potissimum panderetis. Verum hæc alias. Cæterum propitio Domino Deo nostro sospes regressus sum; præterque domini ac nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunii (c) obitum et quorumdam aliorum amicorum, non est quod mihi extrinsecus accidisse admodum triste crediderim. Cur autem vobis significari petieritis quos libros in Germania vel scripserim vel legerim, demiratus sum, nec satis causam comprehendere potui; nisi forte mei experimentum argute capere voluistis, propositis duabus rebus; quarum altera, si cessissem, videri poterat ostentationis, altera imprudentiæ pueriis. Itaque simpliciter vobis aperio principem **81** operam me illic destinasse lectioni, et ad oblivionis remedium et eruditionis augmentum libros pauculos paravisse, nec Germanicæ linguæ captum amore, ut ineptissime quidam jactaverunt, sarcinam subiisse tanti tamque diuturni laboris. Quod autem studio humilitatis me invigilare divinis auctoritatibus monuistis, pergratum habeo; et velim credatis me hactenus id agere ut quod Deus me fecit, quodque suis beneficiis donavit, totum ejus gratiæ assignem, et ut ea in me conservans amplificet submissis precibus flagitem. Siquidem ad ea quæ proposuistis, illud etiam evangelicum adjicio: *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX): et quod secretorum cœlestium conscius docet Paulus: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV.) Ne illud me fugit, quamquam omnino me magnum non sentiam: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III). Atque tam multa, tam fortia tandemque salubria hinc teneo documenta, ut ne somniare quidem possim divinorum beneficiorum mihi aliquid arrogandum. Sed plane qui aliqua (d) divina eminet gratia, non potest

Lupi; eum antea, jussu haud dubie Caroli, eum monachi Ferrarienses elegissent x Kal. Decembris. Quo magis mirum est Odonem abbatem, quem hinc Carolus removerat, tandiu illic substitisse, cum, ut ait alicubi Phædrus, nemo libenter recolat qui læsit locum. Itaque abbas constitutus Lupus edixit ut Odo abscederet *intra* III *Nonas memorati mensis.* Is tamen non abscessit ante Idus. Tandem eo recedente, novus abbas Lupus monasterium Ferrariense ingressus est. Dein ad comitatum regressus, quæ gesta in isto negotio fuerant narravit. Factum id anno 842, ut patet ex iis quæ paulo post adnotabuntur de successu Rabani. Unde colligere possumus Lupum fuisse factum abbatem Ferrariensem a Carolo Calvo, anno 842.

(a) *Deposuisse.* Ex hoc loco pridem collegerunt viri docti Rabanum monasterii Fuldensis regimen ante abdicasse quam fieret episcopus. Quonam vero tempore id contigerit nondum quisquam aperuit, nisi quod illustriss. card. Baronius id factum ait anno 838. Itaque res altius investiganda est. Rodolphus presbyter et monachus, Rabani discipulus, tradit in ejus Vita illum deposuisse pondus curæ pastoralis vicesimo anno postquam illud susceperat. Susceperat autem anno 822, ut tradit auctor Annalium Fuldensium. Tum vero secessit in ecclesiam S. Petri a se ædificatam, quæ duodecim fere stadiis distabat a monasterio Fuldensi. « Cum igitur vir ille venerabilis, inquit Rodolphus, monasterium sibi commissum per annos viginti nobiliter rexisset, deposito curæ pastoralis pondere, ad ecclesiam quam ad orientem monasterii sancti Petri in monte constructam supra dixi, se contulit; ibique manens, ac Deo serviens, cœlesti philosophiæ vocabat. » Hinc patet Rabanum deseruisse curam monasterii Fuldensis anno 842, postquam ei præfuerat per annos viginti. Chronicon Hildeshemense: « Anno Dominicæ incarnationis 842, Rabanus abba Fuldensis cœnobii expulsus de monasterio. » Demum in libris Antiquitatum Fuldensium, editis a Pistorio, exstant quamplurima acta illius ævi ex quibus constat Rabanum adhuc abbatem fuisse Fuldensem anno secundo imperii Lotharii, Hattonem vero jam abbatem fuisse anno tertio imperii Ludovici regis orientalium Francorum, id est, Ludovici regis Germaniæ. De Hattone porro, in quem curam pastoralem transfudit, agemus pluribus in notis ad epistolam 86.

(b) *Ad Immonem.* Episcopum haud dubie Noviomensem, qui consilio Belvacensi interfuit anno 845, mense Aprili, et anno 859, in civitatis Noviomagensis excidio periit, a Normannis cæsus, ut Jacobus Meyerus tradit.

(c) *Obitum.* Obiit Aldricus anno 841, VI Idus Octobris, ut ad epistolam 29 dictum est. Igitur haud ita multo post scripta fuit isthæc epistola.

(d) *Divina eminet gratia.* Recte admonet Lupus eos in primis invidiæ morsibus patere, quos Deus eminentes esse fecit in re quapiam. Nam *nunquam eminentia invidia carent,* ut Velleius Paterculus ait in libro secundo. Et apud T. Livium in libro VIII legimus, *invidiam, tanquam ignem, summa petere.* Plutarchus quoque in Vita Publicolæ adnotat eum vitare non potuisse invidiam, cui semper obnoxii sunt magni viri. Itaque non injuria socerum suum ex eo laudat Tacitus, quod ita vitam suam instituisset, ut et extra invidiam, nec extra gloriam esset. Graviterque mo-

effugere varias diversorum opiniones; quandoquidem de Salvatore nostro, in quem nulla prorsus reprehensionis cadit suspicio, alii dicebant : *Quia bonus est; alii autem, Non, sed seducit turbas* (*Joan.* VII). Quare sapienti firmissum erit illic ac singulare suffugium : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI; *Luc.* II.) Benigne mei memores cupio vos bene valere.

82 EPISTOLA XLII.

(*a*) AD HINCMARUM EPISCOPUM.

Non sum nescius, cum tantis divinæ gratiæ muneribus abundetis, ultro vos cogitare (*b*) apud principem juvandi bonos facultatem divinitus accepisse; ut quod in se non habent, in vobis possideant, et remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant. B Proinde familiaritatis fiducia moneo ut dum tempus habetis, usuram talenti multiplicare curetis; ut instar solis, benevolentiæ vestræ splendor cunctos irradiet, nec quemquam excipiat, nisi qui superba cæcitate lucem justitiæ aspernatur. Nobilitatem vestræ generositatis ornat eruditio salutaris, altitudinem officii commendat religio professionis. Hæc vestræ celsitudini non arrogantiæ vitio, sed amicitiæ studio scripsi, ut quoniam in vobis et nobilitas et sapientia convenerunt, quantum hæc societas valeat, etiam nolentibus emineat, qui ipsa quoque lumina Ecclesiæ obscurare contendunt. Loci nostri jactura vobis nota est; ut scilicet rex (*c*) cellam nobis nulla mea culpa subtraxerit, quam pater ejus etiam edicto contulerat, quod comperisset monachicam religionem apud nos durare non posse, nisi facultatum C fulciretur augmento. Itaque ad tantam inopiam devoluti sumus, ut hoc anno vix duorum mensium frumenti sustentaculum habeamus; famuli, quorum servitio carere non possumus, pene nudi sunt; nec quid his faciamus habemus. Plerique fratrum nudi- A tatem attritis atque scissis vestimentis vitare coguntur, **83** hospitalitatem paupertate compellimur imminuere; et hoc turbulento Reip. tempore, his expensis quæ majores nostri congregaverunt, a rege clementiam, a communi Domino patientiam flagitamus. Itaque tædio necessitatum afflictus vacationem officii, ad quod a fratribus electus sum, subinde cogito. Verum ab ea et sæcularium perniciosa voracitate et impatientiæ crimine, si in tanta perturbatione eosdem fratres relinquam, deducor. Cum enim pro viribus, imo ultra vires, regi servierim, et pro eo semper intente orem, non solum ut aliquid mediocritati nostri cœnobii conferret non merui, verum etiam hanc notam incurri ut partem ejus optimam, (*d*) sæculari homini traderet, non regendam, sed evertendam. Fecerit hoc mea vilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo serviunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet esse inter nos aliquos de quibus merito Scriptura testetur : *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal.* CXLIV); et : *Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II.) Quid ei sæcularis illius excellentia contulit? Nunquid illi postea gentem aliquam barbaram subjugavit, aut hoc sibi dissidens regnum composuit? At si votum quo, vobis credo suggerentibus, (*e*) in ecclesia beati Dionysii se obligavit, ex integro absque respectu ullius personæ Deo persolvisset, imo primo consiliis quæ (*f*) in Verno quæsita et inventa sunt acquievisset, jam eum in pace regnare fecisset ille de quo sacræ continent litteræ : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI). Canones eosdem, sive, ut vos vocatis, (*g*) capitula **84** (*h*) meo stylo tunc comprehensa vobis direxi : de quorum æquitate credo ætas posterior judicabit, et devotionis meæ non erit immemor cordium renumque scrutator. Vos autem interim mihi quæso et qui-

net Sallustius, ei qui præclaris facinoribus hactenus enituerit, maxime providendum esse, ne opportunum se præbeat fortunæ casibus : quippe *post gloriam, invidiam sequi*. Fortius urget exemplum Christi, a Lupo allatum : qui, tametsi sanctissimus esset ac sapientissimus, malignitatis tamen dentes vitare non potuit. Vide Freinshemium ad Curtium, lib. VIII, cap. 5.

(*a*) *Ad Hincmarum episcopum.* Rhemensem. Notior est quam ut quidquam de eo hic nobis dicendum incumbat. Illud tamen non existimaverim transmittendum, fuisse illum primo canonicum in monasterio S. Dyonysii; postea vero cum omnes canonici illius monasterii fierent monachi, Hincmarum quoque factum fuisse monachum.

(*b*) *Apud principem.* Carolum Calvum, apud quem præcipua gratia viguit Hincmarus.

(*c*) *Cellam.* Sancti Judoci, de qua frequens mentio est in his Lupi epistolis.

(*d*) *Sæculari homini.* Intelligit Odulfum comitem, cui Carolus dederat cellam sancti Judoci, unde plurima commoda redundabant in monasterium Ferrariense.

(*e*) *In ecclesia B. Dionysii.* Anno nimirum 845, ut ad epistolam 32 dictum est. Itaque Carolus, urgentibus rem Gallicam fatis, cum omnia sursum deorsum ferri ac misceri videret, quod unicum erat afflictis rebus remedium, ad Dei opem confugit; votumque, suadente Hincmaro Rhemensi archiepiscopo, fecit in monasterio S. Dionysii. Cujusmodi vero fuerit votum illud Lupus non explicat. Innuere tamen videtur pollicitum tum fuisse Carolum se, si prospere sibi res succederent, ecclesiis ac monasteriis restituturum bona quæ eis ablata fuerant. Itaque infortunium quod Carolo acciderat Lupus imputat voto violato, quod monasterio Ferrariensi restituta non fuisset cella S. Judoci.

(*f*) *In Verno.* Additum est istud ex veteri codice. D Nam his carebat editio Massoni. Intelligit autem Lupus concilium habitum in Verno palatio anno 845, mense Decembri. Palatium illud ait Labbeus fuisse in loco cui hodie Vernoni nomen est ad Sequanam fluvium, in diœcesi Ebroicensi.

(*g*) *Capitula.* Tunc enim regulæ in Synodis editæ non *canones*, ut antiquitus assolet, sed capitula vocabantur. Nihil vulgatius.

(*h*) *Meo stylo.* Hinc colligitur canones synodi habitæ in Verno scriptos et compositos fuisse a Lupo. Quæ causa fuit ut concilium illud ederemus cum operibus Lupi. Certe multa sunt in his canonibus quæ stylum Lupi redolent, ut illic adnotabimus. Honorificum autem in primis fuit quod licet Hincmarus in synodo adesset, Lupo tamen imposita est cura condendorum canonum.

buscunque similia patientibus Mardochæi constantiam, Esther pietatem impendite; ut hostes famulorum Dei vestra diligentia, imo divina virtute, non ut tempore cujus mentionem facio, ad suam perniciem, sed ad perpetuam salutem vincantur et opprimantur. Bene vos valere optamus.

EPISTOLA XLIII.

AD LUDOVICUM ABBATEM.

Præcellentissimo abbati Ludovico Lupus æternam salutem.

Debita dona quæ per vos rex jussit direxi, quæ ut ei grata fiant vestra benevolentia non aspernabitur procurare. Quia vero (*a*) Odulphum cum (*b*) regina ad regem venturum audivi, supplico ut memores nostri esse dignemini, scilicet ut cellam nostram, in qua præter solum (*c*) nihil pene aliud jam relictum est, tandem aliquando (*d*) recipiam; quia eam nulla culpa mea perdidi, nec eas facultates noster habet locus ut sine præfata cella in eo durare possit religio. Namque inde cera ecclesiæ, fratribus et famulis vestimenta, pisces, caseus, et legumina ministrabantur; quibus omnibus, utinam non ad (*e*) duplum detrimentum domini nostri, gementes caremus. Admonete igitur eum sui periculi, ut et sibi et nobis aliisque similiter a se afflictis consulat; nec timeat Deum nostra **85** consolatione placare, quem non timuit acerba oppressione offendere. Siquidem generalis religiosorum assertio est, præter vindictam ultimam quæ impendeat, nunquam eum felicitatis optatæ prosperitatem adepturum donec redintegret Ecclesiam quam divisit, et gravibus ac maturis bonorum, hoc est Deum timentium, consiliis acquiescat. Bene vos valere cupio.

EPISTOLA XLIV.

AD HINCMARUM.

Summa veneratione suspiciendo Hincmaro antistiti Lupus omnimodam salutem.

Effectum petitionis meæ nuper a rege vestra digressio impedivit; quam urgente necessitate his litteris refrico, ut mea saltem importunitate, quæ ipsum quoque ingenuum pudorem excludit, vos ad subveniendum mihi et aliis eadem patientibus impellam. Neque enim congregandi auri argentique, ac aliarum pretiosarum specierum subblatam nobis dolemus materiam, sed unde vitam mediocriter sustentabamus, hoc est, unde vestimenta et alimentorum consequebamur omni tempore adjumenta. Cogimur itaque attrita et resarta ferre vestimenta et famen pene semper solis oleribus et emptitiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi. Apud nos consueta requirunt, nec inveniunt, hospites. Præsentia tempora infamantur, et Deus ad vindictam sine dubio provocatur. Verum quia, sicut priori epistola non adulatorie, sed serio comprehendi, totius Ecclesiæ causa vos dignitate ornatos et familiaritate **86** principis donatos credimus, idque rebus cupimus approbari, dum adesse Odulphus dicitur elaborare dignamini ut se rex tanto peccato exuat, et nos tam ingenti penuria liberet; ne non tam eum nostra oratio sublevet quam afflictio importabilis deprimat. Siquidem vestra suggestione institutus magnam potest habere opportunitatem ut quod perperam fecit, immutet, scilicet si sæcularibus, quibus res ecclesiasticas impertitus est, enumeret quæ se ipsum et illos post consecuta sint incommoda, et iratum Deum non, nisi sua ei restituant, esse placandum, nec aliter eos virtutem et consilium recepturos, nisi ex corde ad ipsum Deum reversi, rapinis abstineant, et suæ imbecillitatis conscii, ejus omnipotentiæ se submittant. Quod nisi facere dominus noster rex acceleraverit, et trepidaverit ubi non est timor, ultra quam dici potest formido ne citissime suis inimicis gaudium pariat exoptatum, nobis autem unice se amantibus opprobrium derelinquat. Bene vos valere cupio et in dies ad meliora proficere. Imitatus veteres eruditionis artificio, etiam nunc nostra recuperare molitus

(*a*) *Odulphum.* Ita diserte vetus codex, pro eo quod editio Massoni habebat *Edilulphum*, prorsus male. Odulphus is est, ut supra diximus, cui Carolus Calvus dederat cellam sancti Judoci: is ipse, opinor, qui Haudulphus comes vocatur in epistola 6 Frotarii Tullensis.

(*b*) *Regina.* Irmintrude, Caroli uxore, cujus studiis haud dubie attollebatur Odulphus.

(*c*) *Nihil pene.* Intelligit cladem qua vastatum est monasterium sancti Judoci: quam cladem contigisse anno 844 docet auctor Chronici Fontanellensis. Verum eam contigisse anno 852 tradit his verbis auctor Annalium sancti Bertini: « Ea tempestate Normannorum classis in emporio quod Quentovicus dicitur, repentino sub lucem adventu deprædationibus, captivitate et nece sexus utriusque hominum, adeo debacchati sunt, ut nihil in eo præter ædificia pretio redempta relinquerent. » Sed verior est epocha in Fontanellensi Chronico adnotata. Nam in ista epistola mentio exstat reginæ, id est Irmintrudis, uxoris Caroli Calvi. Ea autem nondum nupserat Carolo, adeoque nondum regina erat. Carolus enim illam duxit exeunte tantum anno quadragesimo secundo illius sæculi, ut etiam tradit auctor Annalium Bertinianorum. Et Nithardus extremo libro quarto docet nuptias Hirmentrudis et Caroli fuisse celebratas eodem anno, XIX Kal. Januarii. Præterea ista clades contigit cum Lupus jam esset abbas Ferrariensis; ad quam dignitatem is anno tantum 842 exeunte pervenit, ut dictum est ad epistolam 40. Unde manifeste colligitur cladem illam contigisse post annum 842.

(*d*) *Recipiam.* Ego arbitror tum aliquatenus satisfactum Lupo. Nam paulo post concilium Vernense, VI videlicet Kalendas Januarii, Carolus Calvus præceptum Lupo concessit, quo statuit ut cum ipse aliud beneficium dederit Odulpho comiti, aut cum isdem Odulphus obierit, cella sancti Judoci revertatur ad Ferrarienses.

(*e*) *Duplum detrimentum.* Id est, ad detrimentum animæ et corporis. Ad detrimentum animæ, quod ei pœna æterna immineat qui res ecclesiis dicatas aut donatas aufert. Ad detrimentum autem corporis, quoniam, quod multoties repetit Lupus, timendum est ne propter ablatam cellam Deus irascatur Carolo, victoriamque tribuat ejus hostibus: atque id etiam quorumdam visionibus astruit paulo infra, itemque in epistola 23. Sic Patres concilii Meldensis profitentur immissos ab ultore Deo Normannos in Galliam ob non servatos canones concilii Vernensis et aliarum synodorum per eas tempestates habitarum.

essem, nisi hoc frustra tentans experimento proprio comperissem, etiamsi Virgilium revivisceret, et totas (*a*) tripertiti operis vires movendis quorumdam cordibus expenderet, ne lectionem quidem præsentium adepturum.

87 EPISTOLA XLV.

AD DOMNUM REGEM CAROLUM.

Omnipotentis Dei, quæso, recordamini, qui gratis dedit vobis vitam, nobilitatem, (*b*) pulchritudinem, potentiam, laudabilemque prudentiam, et, quod his majus est omnibus, sui cognitionem. Et honorate eum in (*c*) servis ejus; quia ipsi, utpote habenti omnia, conferre nihil potestis. Polliceri dignatur ille: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). Estote nobis nimium indigentibus misericordes, ut pro nobis beatitudinem misericordium ipse vobis restituat. Plus minusve quadriennium est ex quo septuaginta duo monachi, quos ad eorum votum electionemque mihi commisistis, quique indesinenter, nobis in diversa occupatis, pro salute ac prosperitate vestra excubant, propter abstractas facultates patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum ac (*d*) piscium indigentiam; et publica hospitalitas, peregrinis juxta constitutionem priorum regum exhibenda, intermissa est: famuli monasterii squalore torquentur et frigore. Nec possum subvenire miseris, quoniam ab aliis multitudo collecta mihi relicta est, et copia unde sustentabantur ablata. Siquidem intercedente gloriosa (*e*) matre vestra serenissimus pater vester Ludovicus Augustus ad remedium animæ suæ ac salutem posteritatis supplementum hoc cœnobio nostro contulerat. Nec tamen, cum id haberemus, noxia diffluebamus abundantia, ut in delicias intemperanter **88** solveremur, quia quæ Regula concedit integris facultatibus monasterii vix poterant procurari. Nunc autem longe pauciora consecuti, abstinemus inviti, algemus coacti: pueros, senes, atque infirmos propter inopiam non fovemus. In tanta calamitate patri et matri vestræ quotidianas preces et annuum officium persolvimus, quasi quod illi contulerunt possideamus. Fecerunt enim illi totum quod potuerunt, et donum suum robustissime firmaverunt. Tangat itaque vos affectus eorum per quos esse cœpistis. Instaurate illorum eleemosynam ingenti periculo hactenus intermissam. Nec obliviscamini vestri. Etenim vos jam eleemosyna indigetis. Tempus est

A ut Dei timor atque amor vestram compungat mentem, quia jam pervenit corpus ad virilem ætatem. Ne differatis, quæso, ulterius bonum quod vos velle dicitis: quoniam cum nesciatis quid superventura pariat dies, tamen quia nobiscum quotidie ad ejus judicium tenditis, cui verissime dicitur: *Tu reddes unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI), dubitare nequaquam potestis. *Horribile est autem incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* x). Nec vero dicere dignemini vos non posse. Siquidem, ut ait Apostolus *Deus non irridetur* (*Gal.* VI). Scit ille quantum potestatis contulit, qui nonnisi quod justum est exigit. Ne trepidetis timore ubi non est timor. Audete potius benefacere, si in hac vita prospere et in futura feliciter desideratis regnare. Cur enim B non constanter audeatis immutare quod nullus justum esse possit ostendere? Consensu bonorum omnium justum est quod poscimus, possibile regali potentiæ, necessarium nobis, utile non tam nobis quam vobis. Nos enim **89** ex hoc beneficio temporalem consequemur usum, vos autem, accedentibus aliis bonis, præmium sempiternum. Flectant igitur pietatem vestram justissimæ supplicationes, humillimæ preces, quas maxima extorquet egestas. Et vel nunc perficere dignamini quod tunc firmissime concessistis, cum vobis Davidicum illud (*f*) servandum proposui: ***Fixum est quod locutus sum*** (*II Reg.* XIX). Namque nec aliter decet vestram nobilitatem atque probitatem, quæ omnibus imitabilis esse debet; nec vero aliter convenit vestræ saluti atque Reipublicæ paci. Nos autem nec in debito faC mulatu reddendo inveniemur segnes, et in placanda vobis, quantum poterimus, divinitate curabimus esse ferventes.

EPISTOLA XLVI.

CUIDAM NECESSARIO.

Justa copiosaque suppetente materia, ne dubitetis tu, et quos fideles judicasti, perfidi commenta subvertere, qui impudentia singulari et beneficiis meis, ut in monasterio nostro subsistens, utitur, et lacerare non desinit a quo fovetur; atque opertus ignominia, et refertus invidia, unde se non valet expedire me conatur propellere. Et quia fugit eum optata victoria, mirabili amentia serere infamiam delectatur; illi similis qui quod se nequaquam recuperaturum cognoscit, amoliri ab aliis non quiescit. Cur autem D eum non constantissime invictis et insolubilibus argumentis opprimatis, quem juxta fidem divini ora-

(*a*) *Tripertiti operis.* Intellige Bucolica, Georgica et Æneidem. Hæc enim opera reliquit Virgilius.

(*b*) *Pulchritudinem.* Etiam pulchritudo pertinet ad majestatem. Unde et aliquæ gentes suos reges non ex nobilitate sumebant; sed eum eligebant qui specie oris et habitu corporis emineret, id est pulcherrimum. Vide virum eruditissimum Freinshemium in notis ad Q. Curtium, lib. VI, cap. 5.

(*c*) *Servis ejus.* Id est monachis. Hos enim servos Dei per eas tempestates dictos esse vulgari epitheto adnotavimus ad epistolam 25.

(*d*) *Piscium.* Probabile est monachos Ferrarienses tum abstinuisse ab esu carnium. Nunquam enim Lupus conqueritur sibi deesse carnem, sed legumina, pisces, caseum, aliaque similia. Sic, ex instituto sancti Bonifacii, et secundum B. Benedicti Regulam, monachi Fuldenses abstinebant ab esu carnium, ut ipse Bonifacius auctor est in epistola 142, quæ data est ad Zachariam pontificem Romanum. Hodie monachi congregationis sancti Mauri, qui B. Benedicti Regulam severius profitentur, prorsus abstinent ab esu carnium, nisi ob invaletudinem.

(*e*) *Matre vestra.* Judith, postrema Ludovici Pii imperatoris uxore.

(*f*) *Servandum proposui.* Nimirum in exhortatione quam Lupus fecit ad Carolum Calvum, cujus etiam meminit in epistola 53. Ea autem exhortatio nunc non exstat.

[illegible] anima Dei detestetur, quod humana **90** divinaque jura permiscens, seminet inter eos discordias quos vel natura protulit vel religio fratres fecit? Tu vero nullis omnino maleficiis a loco nostro avellaris, quod ope divina nec illud continget quod formidas, et eveniet cito quod optas; consequenterque securi studebimus : ita mihi jam explorata sunt omnia. Demosthenes noster ipso interdum caule indiget, et cibario nonnunquam pane altus fert modice. Desperatione quoque vini ad hoc perductus est ut venali cervisia delectetur; et vel in hoc Tullium superat, cum quod ille dormiens, id iste vigilans patitur. Ita nec lateribus robur comparatur, nec vocis conservandæ cura laborat. Rhetoricæ magis actionis immemor, retinendæ vitæ facultate contentus est. Verum enimvero auctor bonorum omnium nostram et vestram inopiam larga, ut credimus, opulentia abolebit.

EPISTODA XLVII.

EIDEM.

Non est quidquam quod metuas. Nam et domestici et extrarii hostes, tametsi plurimum sibi, nihil mihi oberunt, quod protegere meam parvitatem dignabitur qui me sibi jussit et dedit confidere. Proinde irridenda omnis illorum molitio est qui vel implicabili crucientur invidia, vel in inexhausta cupiditate torquentur.

91 EPISTOLA XLVIII.

SAR.

Contentionis obstinatione posita, et superandi pervicacia, æquus æstimator necessitatum, vide ut affluens annonæ copia, quam tibi commisi, prosit utilitatibus nostris. Namque sationi et animalium pabulo et, cujus ingentem te habere curam desidero, justæ hospitalitati adhibita diligentia, non dubito superfuturum quod præstare non mediocre commodum possit.

EPISTOLA XLIX.

AD HINCMARUM EPISCOPUM.

Suspiciendo H. antististi Lupus omnidam salutem.

Angustiam nostram, quam temporis cum prolixitas, tum etiam asperitas peperit, nuntius a me directus vobis exposuit, nec aliud in paternitate vestra quam quod de ea præsumebam invenit. Sane priores certavimus officio; nec tantum poposcimus quantum præstitimus, scilicet implendæ materiam charitatis. Itaque nobis omnium quorum indiget usus penuria jamdiu laborantibus magna properantia subvenite, ut promissionum benevolentiam optatus largitatis consequatur effectus. Hospitamur autem in villa quæ antiphrasticos Viniacus vocatur, et ab (*a*) Attiniaco in Africum plus minusve uno milliario distat. Hoc ideo ut etiam de vectura cogitet vestra insignis prudentia, quod hujus **92** quoque rei nulla nobis facultas est. Quo, et quanto, et quando nos visitaturi sitis, litteris per hunc latorem vicissim redditis pandere dignamini; ut interim et spe refici, et quid nobis agendum sit, valeamus prospicere.

EPISTOLA L.

CUIDAM FIDO.

Non ignoras prolixi temporis laborem quem recuperandæ cellæ studio assumpsi; quo adhuc flagrans, jussu regis, vita comite, ad colloquium proficiscar quod reges (*b*) ad Trajectum habituri sunt. Pecunia nobis jam nulla est quæ tanto spatio vix potuit sufficere. Proinde quia non videbatur consilium imperfectos conatus relinquere, donec evidenter appareat qui eos consequatur effectus, non usquequaque inhonestum credidi opem ab amicis petere, quorum fides mihi non fluxa in similibus inventa est. Itaque maxima spe ad (*c*) dominam Rh. direxi; cui cum nostro nuntio, aut, si commodius judicaveris, separatim, hujus meæ necessitatis volo causam aperias, eamque quam mollissimis precibus flectas, ut sicut semper, nunc mihi subveniat, et continuo per hunc meum nuntium argento quod in hoc utar itinere juvet me liberaliter; ut et in cœnobii nostri, pro quo satagimus, instauratione particeps existat, et me sibi devotiorem, si id fieri possit, efficiat. Si quid etiam ab aliquo tibi datum habes, mihi mittere ingenti necessitate (*d*) arctato ne graveris, quoniam nihil tam pretiosum aut parvum dirigere poteris quod non patiamur pro victu expendere.

93 EPISTOLA LI.

FRATRIBUS FERRARIENSIBUS.

Dilectis fratribus. Quod gaudium capiam de R. si forte vestrum aliquis ambigit, repetat illud memoria quod auctoritas divina neque rapaces regnum Dei

(*a*) *Attiniaco.* Sic restituimus hunc locum ex veteri codice, editio enim Massoni habebat, *Hiniaco.* Palatium regium fuit in diœcesi Remensi, ad Axonam fluvium. Illic *duodecim Ecclesiastici ordinis viros, qui diu noctuque divina horis competentibus frequentent officia,* constituit Carolus Simplex Francorum rex.

(*b*) *Ad Trajectum.* Id est, *secus municipium Trejectum, in loco qui dicitur Marsna,* ut est in Capitulis Caroli Calvi. Congressus ille Lotharii imperatoris, Ludovici regis Germaniæ et Caroli Calvi contigit anno 847, mense Februario. Nam de hoc ipso conventu hic agi manifestum est. Ait enim Lupus in epistola 59: « Non ignoratis, credo, reges nostros apud Trajectum hebdomade secunda Quadragesimæ celebraturos colloquium, » quod eodem spectat. Nam, ut adnotat Sirmondus, anno 847, Quadragesimæ initium fuit die 16 Februarii. Synodi porro istius mentionem facit, ut opinor, Hincmarus ad Annulum Lugdunensem scribens, apud Flodoardum, lib. II, cap. 21.

(*c*) *Dominam Rh.* Pessime in editione Massoni, *Dominum Rhodingum.* Constat enim hic agi de pia qua[illegible]: *eamque quam mollissimis precibus flectas.* Sic enim legitur etiam in editione Massoni. Vetus codex diserte scriptum habuit *Dominam Rh.* quod an interpretandum sit de femina quadam cui Rhodingæ nomen fuerit, ut vestigia Massonianæ editionis sequamur, an vero de Rhotilde, aut alia quapiam femina, eruditorum judicio permitto discutiendum.

(*d*) *Arctato.* Ita codex manuscriptus, prorsus bene. Furiosa est lectio quam exhibet editio Massoni, quæ pro *arctato* habet *Arentalo.*

possessuros affirmat (*I Cor.* VI), et ultra dubius esse non poterit. Præceptor vero ejus, ne se insolubile argumentum reperisse glorietur, accipiat omnium villarum nostrarum meum, meum, inquam, esse regimen et laborem, usum vero fructuum ipsum etiam secundum meam dispositionem fratrum esse communem. Ita nec sæcularem religio minuit potestatem, nec potestas confundit religionem. Interim prospicite nostris equis, ne a magistro aut a discipulo subtrahantur; et absque dubio in hac parte meo respectu, quidquid secundum leges valetis, contra violentiam pervasoris agere contendite, industriam vestram hoc mihi gratiorem scientes futuram quo major et illustrior enituerit. Mihi potiora molienti quod opportunitas hinc, imo Deus permiserit, curæ erit perficere. Ego, quoniam cum rege (*a*) ad Trajectum, Deo volente, iturus sum, quo ei ad colloquium fratres occurrent, et (*b*) recipiendæ cellæ bona mihi spes est, nec possum adesse vobis, ut unusquisque vestrum agat mecum quod solet et debet, sicut superiore anno convenit nobis, qui potest agere studeat, quousque rediens, si aliquid sit immutandum, cognoscam. Satio studiosissime procuretur; et quod nostri boves post solemne debitum non suffecerint, **94** frequentes impleant corrogationes. Bene vos valere cupio et diligentissime orare pro nobis.

EPISTOLA LII.

PRÆPOSITO.

(*c*) E. noster probabilia fecit quæcunque abs te gererentur, quod mihi cordi fuit, moneoque te ut sicut cœpisti, in officio sincera fide permaneas. Furiosum illum, super quo scripsisti, quia etiam pœnitens suspectus mihi est, et germana sanctitate usque ad fastidium satiamur, vehementer me recusaturum cognosce: ac si se ingesserit, ne tridui moras excedat cæteris persuade; quia quod toleremus non opus est nobis extrinsecus quærere.

EPISTOLA LIII.

AD DOMNUM REGEM CAROLUM.

Præcellentissime rex. Licet tacendo, loquendo ac scribendo, nihil hactenus profecerim, tamen quia Dei causa est quam ago, quiescere non audeo. Pro vestra salute ac prosperitate vos admoneo et sup-

A plex flagito ut vosmetipsos liberetis periculo, meque devotissimum vobis famulum secundum frequentes vestras promissiones asperrimo sublevetis labore. Quæ beatæ memoriæ pater vester, intercedente gloriosa matre, peregrinis et Dei servis **95** largiti sunt ob redemptionem animarum suarum, hæc afflicti variis necessitatibus, quatuor annorum spatio, quia omnes adesse non possunt, per me reposcunt a vobis. Ut ipsa etiam eorum verba sciatis, dicunt injustum esse ut a vobis fame torqueantur et frigore, cum assidue pro vestra temporali et perpetua salute cogantur orare, nec vos omnino consecuturos felicitatem quam desideretis donec cum parvulo nostro (*d*) sancto Petro in gratiam amicitiæ redeatis. Ac ne putetis eos jocari, serio confirmant senes nostri ex-
B perimento se proprio comperisse, idque sibi pueris a senibus esse traditum, quod quicunque monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi cito resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis, et vitæ pertulerit dispendium. Ne igitur tali re aut similibus vestram impediatis prosperitatem, nec servorum Dei penuriam contemnatis, nec salutem vestram dubiam faciatis. Reddite potius Deo vota vestra, dum potestis; ad cujus judicium nimis tremendum quotidie properatis nobiscum, in quo absque respectu dignitatum aut personarum unusquisque recipiet quod meretur. Vita hæc brevis et incerta est, et juniores vobis quotidie moriuntur. Ipse vero Deus promittit et minatur: *Qui glorificat me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II). Ad virilem ætatem perducti estis.
C Ne timeatis justitiam facere, ut per eam thronus vester firmetur. Domine mi rex, considera quod sicut nuper (*e*) in exhortatione prudenter dictum est, jam pater es, et in magnis adhuc versaris laboribus; et talem te omnibus exhibe ut boni te cupiant et optent videre fortunatum **96** atque felicem avum, et post hujus vitæ transitum, cœlestis patriæ possessorem.

EPISTOLA LIV.

NECESSARIO.

Non ignorabam haud aliter te quam volebam quamque oportebat facturum, et maleficia illius perditissimi maxima ingenti auctoritate præventurum.

(*a*) *Ad Trajectum.* Vide quæ ad superiorem epistolam adnotata sunt.

(*b*) *Recipiendæ cellæ.* Nondum ergo cellam sancti Judoci receperat Lupus anno 847, tametsi præceptum Caroli Calvi diu ante datum esset ob eam causam. Ergo nondum Odulphus erat mortuus, neque beneficium aliud a principe acceperat.

(*c*) *E. noster.* Hic reddidimus bona fide codicem ms. Nam editio Massoni ita habebat: *Frater noster prob.* Sincerior videtur lectio vetusti codicis, ideoque eam retineri debere visum est.

(*d*) *Sancto Petro.* Quia monasterium Ferrariense dicatum est sancto Petro. Timendum autem Lupo non erat, ne ita familiariter habitus Petrus, ut parvulus vocetur, *cum parvulo nostro sancto Petro*; timendum, inquam, non erat ne hinc Petrus Lupo subirasceretur. Divo tamen Tiberio displicuisse potuit similis familiaritas in Cotta Messalino qui, ut refert Tacitus in sexto Annalium libro, querens de potentia Manii Lepidi ac L. Arruntii, addidit: *Illos quidem Senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.*
D Matthæus Parisius ad annum 801 refert quemdam theologum, cum disseruisset publice de mysterio Trinitatis, videret autem auditores sibi applaudentes, in hæc verba temere erupisse: *O Jesule, Jesule, quantum in hac quæstione confirmavi legem tuam et exaltavi!* Apud Bohuslaum Balbinum in Historia S. Mariæ Montis Sancti legimus *Jesulum* pro puero Jesu. Ripamontius vero parte secunda Historiarum Ecclesiæ Mediolanensis, pag. 57, scribit dæmonem in corpore muliebri habitantem, cum post eam frustra deductam ad sancti Syri reliquias, ad sanctum Bernardum abbatem Clarevallensem, qui tum in ea regione erat, adducta fuisset, urgeretur autem dæmon ut inde exiret, ita proclamasse: *Nec me pellere potuit antea Syrolus, nec hodie Bernardolus pellet.*

(*e*) *In exhortatione.* Vide supra in notis ad epistolam 45.

A Unde et tibi gratulor, et omnipotenti Deo si non dignas, certe quantas possum et ago et habeo gratias, qui sic me necessariis aliqua in parte destituit ut tamen hoc dispendium fidissimi devotione suppleret. Nec vero ille impudenter inimicus solum cavendus et eludendus est, verum et hi quos nuper dubitando præfeci, tua semper industria confirmandi, ut dicto audientes existere contendant, nec sibi ullatenus reniti tutum arbitrentur. Vultus noster, cum redierit, forsitan tibi metum detrahet. Interim sine pavere ingratos.

EPISTOLA LV.

(*a*) AD MARCWARDUM ABBATEM.

Desiderabili maximaque veneratione suspiciendo Marcwardo abbati clarissimo Lupus præsentem et futuram salutem.

(*b*) Nithardi adventus ad (*c*) Silvacum, quo me monasterii necessitas traxerat, vehementer me lætificavit (cujus præsentia factum est ut hæ litteræ vestræ paternitati redderentur), cum vos esse **97** sospites et communem filium (*d*) Eigilem ex validissima infirmitate, opitulante favore divino, revaluisse ostendit. Tantam siquidem expertus sum vestram benevolentiam et liberalitatem ut nemini quam vobis me majorem debere sentiam devotionem. Verum quanquam temporis malitia obstiterit ne possem hactenus obsequiis pandere quod merito concupisco, bonitate vestra præfisus audeo supplicare ne ad regem nostrum venire gravemini: quia et res vestras forsitan recuperare poteritis, et nobis in recipienda cella sancti Judoci prodesse plurimum; super qua et vobis jam et mihi sæpissime et (*e*) Ludovico nuperrime tam serio promisit ut, si adesse dignemini, dilationis nullum possit invenire perfugium. Ita et rei discrimine terrebitur, quod et peregrinis nobisque monachis a suo patre et matre B relicta stipendia sustulit; et promissionum suarum serie constringetur, ut saltem tunc faciat quod olim se facturum spopondit. Pridie Kalendarum Decembrium ad comitatum accessi; et ingentibus dispendiis atque laboribus cum rege versor assidue spes

(*a*) *Ad Marcwardum.* Abbatem Prumiensem, ut diximus ad epistolam quintam.

(*b*) *Nithardi.* Dubitare videtur V. C. Paulus Petavius in Syntagmate de Nithardo, Caroli Magni nepote, an de eo intelligendus sit hic locus Lupinus. Monasterii quippe Centulensis in diœcesi Ambianensi monachum fuisse hoc suadebat, quod Angilbertus, Nithardi pater, monasterium illud amplificaverat, illicque abbas fuerat, ibidemque sepultus. Præterea, Nithardus ipse abbas fuit Centulensis. Et tamen videbat Petavius, ex hac Lupi epistola colligi posse, Nithardum eumdem monachum Prumiensem potius fuisse quam Centulensem. Ego crediderim Nithardum B. Benedicti institutum arripuisse in monasterio Centulensi, ob memoriam patris; postea vero, ob magnam Marcwardi famam, secessisse in monasterium Prumiense, non ut monachus illic esset, sed ut hospitem. Dein, reversus ad suos, abbas Centulensis factus est; obiitque anno 855, ut existimat idem Petavius. Scripsit libros quatuor de dissensionibus filiorum Ludovici Pii, ad Carolum Calvum Francorum regem. Nam ab istius partibus stetit adversus Lotharium et Ludovicum, honoribus etiam ab eo auctus.

(*c*) *Silvacum.* Villam regiam in pago Laudunensi, ut ex Hincmari Laudunensis epistola ad Rhemensem collegit Sirmondus. Quare recte hinc concludit idem vir eruditissimus allucinari eos qui Silvacum, sive Silvaticum (utroque enim nomine appellata reperitur hæc villa) confundunt cum Silvanecto. Silvaci rursum meminit Lupus in epistola 57. Vide Mabillonium, lib. IV de Re diplom., pag. 324.

(*d*) *Eigilem.* Qui Prumiensis dein abbas fuit post Marcwardum anno 853, ut Regino tradit. Anno dein 855, Lotharius imperator, Ludovici Pii filius, monachum se fecit in Prumiensi monasterio, cui tum præerat hic noster Egil. Regino: « Anno Dominicæ incarnationis 855, Lotharius, convocatis primoribus regni, imperium filiis suis divisit. Ludovico Italiam tradidit, eumque imperatorem appellari fecit. Æquivoco vero, id est Lothario, regnum quod ex suo nomine vocatur concessit. Carolo autem, qui junior natu erat, Provinciæ regnum largitus est. Dispositis itaque atque ordinatis regni negotiis, valedicens suis, mundum reliquit; atque in Prumiam monasterium veniens, comam capitis deposuit; habituque sanctæ conversationis suscepto, in religionis professione diem clausit extremum III Kal. Octobris. » Sed hic accipe veterem fabellam monachi Engolismensis: « Lotharius imperator ægrotans, factus est monachus in Prumia monasterio pro eo quod patrem de imperio ejecerat et carceratum tenuerat. Quo mortuo, de anima ejus altercatio visa est a fratribus inter angelos malignos et benignos. Sancti angeli dixerunt: Nos non misit Dominus ad imperatorem, sed ad monachum. Vos accipite imperatorem, nos nobiscum ducemus monachum. Angeli sancti secum duxerunt animam. Dæmones acceperunt corpus et violenter a domo extrahere cunctis videntibus cœperunt; sed orationibus fratrum fugati, evanuerunt. » Aliquot post annis Eigil abbas renuntiavit regimini monasterii Prumiensis, ut fidem facit Regino his verbis: « Anno Dominicæ C incarnationis 860, Egil abbatiam Prumiensem sua sponte dimisit. » Reversus dein in Franciam, factus est archiepiscopus Senonensis post Venilonem. Odorannus in Chronico: « Anno 865 obiit Wenilo archiepiscopus Senonum, qui Ludovicum, fratrem Caroli, unxit in regem in Burgundia. Huic successit Egil abba. Anno 870 obiit domnus Egil archiepiscopus, qui privilegium sancto Petro fecit de altare Alsonis villæ. Hic Lothario juniore concedente, et Trejectensium [lege, Treverensium] Episcopo jubente, ex ipsius diœcesi et monasterio quod dicitur Promia assumptus, a Carolo rege in monasterio Flaviniensi abba est constitutus. Postea Senonum archiepiscopus ob sui merita factus, quiescit in monasterio sancti Petri. » Vide etiam chartam Eigilis de fundatione monasterii Corbiniacensis in tomo IV Galliæ Christianæ. Chronicon sancti Petri Vivi Senonensis: « Anno 865, Wenilo archiepiscopus obiit, sepultusque est apud Vallilias, quinto D Nonas Maii, in crypta sanctæ Anastasiæ virginis. Huic successit in episcopatu domnus Egil monachus, omni bonitate conspicuus. » Ad eum adhuc monachum exstant Lupi epistolæ 105 et 109.

(*e*) *Ludovico.* In manuscripto pro *Ludovico* legitur *ad, hal.*, in epistola vero 88, *Adalh.* Id, quia divinare ultra non potui quonam modo explicandum sit, adnotandum esse existimavi. Nam alioqui Ludovici nomen non est inutile hoc loco; quippe quem et amicum valde Lupo fuisse constat, et ab eo frequenter sollicitatum ut se monachosque gratia, qua apud Karolum Calvum flagrabat, juvaret ad recuperationem cellæ. Propter hanc causam nihil mutare voluimus. Quis porro fuerit hic Ludovicus vide supra in Notis ad epistolam 22. Hujus tamen Adalh. opera præcipue recuperatam cellam sancti Judoci hic et in alia epistola profitetur Lupus.

meas differente propter absentiam, ut fateur, Odulfi. A Is languere dicitur, nec tam periculose ut vel admonitus corrigatur, quod optaremus, nec tam graviter ut moriatur, quod propter ejus (*a*) certissimam damnationem doleremus. Properate itaque ut, quoniam propiores aliquantulum facti sumus, post tanta spatia desideratis refovear alloquiis, et vestro annisu, auctore divina gratia, liberer angoribus vix ferendis. Tales, quæso, nostris estote pueris quales non modo nostris, verum etiam vulgo fuistis omnibus paternitatem vestram pie quærentibus. **98** Exiguitatis meæ nomine charissimum Eigilem et reliquos omnes fratres dignamini salutare. Laboriosissimum difficillimo tempore negotium, præsertim nihil meritus, vobis imponere haudquaquam præsumpsissem, nisi quod rex noster vos ad colloquium B invitaret comperissem ; adeo ut mihi quoque hoc tempore præceperit ut si forte ad monasterium nostrum accederetis, ad se vos deducendos curarem ; utque licentiam impetraturi, inter alia commode imperatori suggerere possetis a me fratribusque nostris, qui pro eo semper oremus, vos precibus fatigari ; ut quoniam (*b*) de loco nostro sitis, a quo vos corpore duntaxat ecclesiastica utilitas abduxerit, isque diminutione facultatum vehementer attenuetur, atque religioni paupertas impedimento sit, intercessionis opem instaurationi ejus impensissimo studio conferatis. Vale, domine Paterque charissime, Lupique tui semper benigne memineris.

EPISTOLA LVI.

(*c*) RATBERTO ABBATI.

Bonis omnibus amplectendo Ratberto Lupus in Domino salutem.

Habita diligenter opportunitatis ratione, suggessi domino regi, annitente Vulfegiso nostro, super Ivone id vos postulare ut quoniam nec ad monasterium remeasset, et verisimile esset eum quæ fuerit solitus iterare, si quando reverti tentaret, ne in sui aliorumque perniciem potestatis ejus præsidio muniret. Siquidem esset indignum ejus majestate, nisi resipiscentibus, perversis aperire accessum, **99** nedum impunitatis indulgere securitatem. Ille, quo solet vultu cum gratiosus apparet, post quædam alia, jure se ipsi monacho deinceps negaturum auctoritatis aditum respondit, quo hactenus uti contempserit, atque hoc sibi satius videri ne pereat ut constringatur convenienti custodia priusquam societatis communionem recuperet. Nos vero, tametsi offerret quæ sperare vix omnino possemus, idque, ut par erat, amplecteremur, vos nec citra decretum Regulæ subsistere nec ultra velle progredi constanter astruximus. De liberalitate vestra quid sentiam nolui præcipiti declarare præconio, donec experirer an copia piscium, quæ ventura erat cum maxima, tum etiam, ut opinabar, optima, mei supergrederetur ingenioli facultatem.

EPISTOLA LVII.

EIDEM.

Dilectissimo abbati Ratberto Lupus omnimodam salutem.

Quod flagitastis exsequi absque dilatione contendi ; evolutisque ratiocinationibus multis, ad hanc virum compuli conditionem ut non modo noceat nihil, verum etiam prosit plurimum, si erga ejus propinquum, qui tempore tumultus discessit, et instaurata pace reverteretur, benigni exstiteritis. Id vos et libenter facturos et in omnibus quæ jubere dignaretur obsecuturos, dum ejus gratia frueremini, fiducialiter spopondi ; atque eo usque institi donec firmissime promitteret nihil se vobis offecturum, nisi prius mecum causam conferret. **100** Itaque modum petitionis meæ hoc fine terminavi, ut si quando rebelles ejus favore suas querelas fulciri deposcerent, non vulgo acquiesceret, verum res duntaxat dignas vestræ conscientiæ reservaret. Quæ-C dam alia comperi tam caute revelanda ut ea litteris comprehendere tutum non putaverim, tamque necessaria cognitu, ut quam potestis celerius, prætérita qualibet alia utilitate, mihi ad colloquium occurrere debeatis. Cæterum, nisi jam molestum sit, profecturo mihi cum rege, si Deus vult, ad Silvacum nuntium dirigite ; ut cum gratias agere cœpero, uberius dicendi copia frustra conantem plurima non destituat. Ut vero epistolam serio claudam, obsecro ne sim vobis oneri quod nimiæ familiaritatis fiducia multa postulo : quia si vitam et prosperitatem Deus mihi concesserit, non sum nunc ad accipiendum paratior quam quondam ad largiendum esse curabo.

(*a*) *Certissimam damnationem.* Ex hujusmodi persuasionibus natum est somnium de damnatione Caroli Martelli. Existimabant enim tum nonnulli actum prorsus de salute ejus qui vel ungue summo, ut ita dixerim, perstringere auderet bona monasteriorum. Apud Cæsarium sane Heisterbachiensem, qui ante quadringentos annos vivebat, legere est multos magnates æterna morte damnatos ob eam causam. Et id quidem valet in deterrendo aut exhortando. Sic Bonifacius Moguntinus cum aliquot episcopis ex synodo quapiam scribens ad Ethilbaldum regem Merciorum ut eum retrahat a pervasione ecclesiarum et monasteriorum, proponit exemplum Ceolredi Merciorum regis, et Osredi regis Deirorum et Berniciorum, qui « ob fracturam monasteriorum justo judicio Dei damnati, de culmine regali hujus vitæ abjecti, et immatura et terribili morte præventi, a luce D perpetua extranei, in profundum inferni et tartarum abyssi demersi sunt. » Apud Bonifacium in epistola 19.

(*b*) *De loco nostro sitis.* Itaque Marcwardus fuit primo monachus in monasterio Ferrariensi, dein abbas Prumiensis.

(*c*) *Ratberto abbati.* Veteris Corbeiæ, in diœcesi Ambianensi, qui sub Carolo Calvo floruit, et integro nomine vocatur Paschasius Ratbertus. Exstat autem in veteri codice meo ms. Vita sancti Richarii, abbatis Centulensis, in cujus fine hæc scripta sunt : *Explicit Vita sanctissimi confessoris Christi Richarii, a venerabilibus viris Ratberto, necnon Alcuino Albino, veraci stylo descripta. Supplicatio dicti Albini.*

Dic, quicunque legis præclari gesta patroni :
Pauperis Albani, Christe, memento tui.

EPISTOLA LVIII.

EIDEM.

Quod petiistis, necdum regi suggessi, quod opportunitas defuit. Maturabo tamen vobis, cooperante Deo, morem gerere, communi honestate servata. Bene valete.

101 EPISTOLA LIX.

AD MARCWARDUM ABBATEM.

Non ignoratis, credo, reges nostros (*a*) apud Trajectum hebdo[illegible] celebraturos colloquium; quo me trahit ecclesiastica necessitas. Qua urgente, ut vobis jam aliis expressi litteris, cum rege quartum ago mensem, ita ut ne die quidem a comitatu abfuerim. Præbeat igitur se mihi saltem illic desiderabilis vestra paternitas, ut nostra familiariter viva tamen voce valeamus cognoscere. Si quid præterea, ut passim soletis omnibus, nobis quoque facultas fuerit impendere, libenter nos accepturos cognoscite. *Debent enim parentes thesaurizare filiis* (*II Cor.* XII), ut fallere nescia divini Spiritus confirmat auctoritas. Benigne mei memores cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA LX.

AD EUMDEM.

Charissimo Patri (*b*) Marcwardo Lupus.

Officiosa humanitas vestra vicit petitionem meam, quæ leviter tetigit quod temporis poscebat necessitas. Proinde fuit ea gratior quam æstimare valeant ærumnarum expertes. Molestissime autem fero quod vobis non visis discedo. Quanquam consolatur meam mœstitiam quod post (*c*) Pascha nostram vos visitaturos pollicemini parvitatem. Commode autem et me præsente **102** id vos facturos puto, si secunda hebdomade mensis Maii iter ad nos arripiatis. Nam quinto decimo die post Pascha (*d*) synodus magna, ut aiunt, apud (*e*) Attiniacum celebrabitur; cui me abesse (*f*) nequaquam, ut credo, nostri præsules patientur. (*g*) De cella nostra nihil aliud paternitati vestræ possum exprimere nisi quod promissionum ubertas spes nobis varias pene quotidie pariat, et quod, sicut omnium, præter malorum, illius quoque rei effectus incertus sit. Abbas monasterii quod Germanice (*h*) Saligstat appellatur, cui nomen est (*i*) Ratlegio, partem quamdam cujusdam libri faciet mihi describi, eamque vestro, mihi reddendam, nuntio se traditurum promittit; atque obsecrat ut tabulas quas Hilpericus

(*a*) *Apud Traject.* Vide notas ad epistolam 15.

(*b*) *Marcwardo*, abbati Prumiensi, ut jam dictum est. Illi ergo gratias agit Lupus pro missis donis quæ ab eo petierat per epistolam superiorem. Interim de sorte sua conqueritur, quod, Marcwardo inviso, a Trajecto, unde scribitur isthæc epistola, ad monasterium suum rediturus sit. Verumtamen hunc dolorem levari ait promissione Marcwardi, qui rescripserat iturum se brevi ad Ferrarienses. Admonet autem illum Lupus, ne ad se accedat ante secundam hebdomadam Maii; quod quinto decimo die post Pascha habenda sit magna synodus apud Attiniacum, cui putat fieri non posse quin ipse adesse cogatur.

(*c*) *Pascha.* Quod hoc anno incidit in diem IV Id. Aprilis.

(*d*) *Synodus magna.* In conventu apud Marsnam, habito anno 847, convenerat inter reges Lotharium, Ludovicum, et Carolum, ut ad firmanda ea quæ in conventu isto acta fuerant, *commune placitum* sive generalis conventus in civitate Parisiorum ageretur in sequenti festo sancti Joannis. Ergo Carolus, ut res civiles et ecclesiasticas regni sui disponeret ante conventum, ut in commune dein cum fratribus suis consuleret, synodum magnam apud Attiniacum medio temporis congregare deliberabat, habendam videlicet decima quinta die post Pascha, id est VIII Kal. Maias. Non arbitror tamen eam synodum fuisse habitam, ut neque Parisiensem. Nam tametsi reges pacem veluti firmassent apud Marsnam, discordia tamen dein fuit inter Lotharium et Carolum, ut docent Annales Fuldenses ad annum 847. «Hic annus a bellis quievit, quem Hlotharius et Hludovicus mutua familiaritate transegerunt. Nam uterque eorum ad domum alterius invitatus, conviviis et muneribus regiis honoratus est. Hludovicus tamen Hlotharium et Karlum, ita ut voluit, pacificare non potuit, renuente Hlothario propter injuriam sibi a Gisalberto vassallo Karli in raptu filiæ suæ factam.» Tandem rediit iterum concordia apud Marsnam anno 851.

(*e*) *Attiniacum*, palatium regium, in diœcesi Rhemensi situm, ut dictum est ad epistolam 29.

(*f*) *Nequaquam patientur.* Itaque sanctissimi Ecclesiæ Gallicanæ antistites adeo magni faciebant Lupum nostrum, ut eum spectarent veluti conditorem canonum, atque adeo ejus præsentiam in synodis necessariam quodam modo existimarent. Jam enim experimentum sacræ eruditionis fecerat in canonibus concilii Vernensis, ut ad epistolam 42 dictum est.

(*g*) *De cella nostra.* Id est, sancti Judoci, nondum ergo ea Lupo reddita fuerat, tametsi illi bona spes affulsisset recuperatum iri in conventu Trajectensi, ut patet ex epistola 51.

(*h*) *Saligstat.* Hodie *Seligenstatt*, Monasterium est in diœcesi Moguntina, ad Mœnum amnem situm, quod oppido nomen fecit. Conditum autem fuit ab Eginhardo, Caroli Magni notario, qui primus illic abbas fuit.

(*i*) *Ratlegio.* Hujus abbatis Seligenstadiensis nomen omissum est in editione Massoni. Exstat autem in codice manuscripto. Successit Eginhardo, qui eum vocat Ratleicum in actis translationis sanctorum martyrum Marcellini et Petri. Assentior enim erudito vero et diligenti Christophoro Browero, qui Ratlaicum abbatem Seligenstadiensem eumdem prorsus esse censet quem Eginhardus in Actis illis vocat suum notarium, lib. I, cap. 11. Ratlaici epitaphium composuit Rabanus, archiepiscopus Moguntinus, quod sic habet :

En servus Christi, Ratlaicus nomine dictus,
Corpore hic pausat, spiritus alta petit.
Presbyter hic fuerat, sophiæ et studiosus amator.
Officium abbatis et bene gessit opus.
Solers, ac strenuus, divinæ dogmata legis
Scrutando didicit, atque alios docuit.
Is ex Colonia adveniens, regi en Ludovico
Conjunctus valde, utilis huicque fuit.
Plures nam docuit verbis, et scribere fecit
Quæ fuerant apta plurima ad officia.
Nam juvenis vitam hanc linquens, migravit ad æthra,
Atque ibi cum Christo gaudia vera tenet.

Vides hic, lector, Ratlaicum commendari ob studium Scripturæ, quod videlicet diligenter describi curaverit optimorum auctorum lucubrationes. Quæ observatio multum illustrat locum istum Lupi, qui ait Ratlegium eam in se curam suscepisse ut partem quamdam cujusdam libri Lupo faceret describi. Tum ex epitaphio discimus eum immatura morte ereptum.

pictor (*a*) beatis vovit martyribus, hebdomada secunda post Pascha ipsi dirigere dignemini. Quod etiam causa petitionis meæ vos maturare cupio; ut cum ad nos veneritis, præfatam partem ipsius libri nobis afferendam curetis. In pueris multum nobis præstiteritis, si quod cœpistis paterna pietate non gravemini consummare. Capitis autem dolorem nepoti meo parcitas potus forsitan detrahet, si ejus appetentior fuerit deprehensus. Alioqui nostro curandus reservabitur medico, qui omnes, quarum nullam non ignorat, depellere se posse confidit infirmitates. Integerrime vos amans felicissime valere desidero, et ut me semper apud Deum præcipue juvare dignemini supplex efflagito.

103 EPISTOLA LXI.

(*b*) AD GUIGMUNDUM EBORACENSEM EPISCOPUM.

Reverentissimo magnaque veneratione suscipiendo Guigmundo, Eboracensis Ecclesiæ antistiti, cunctisque sub eo Domino (*c*) Deo famulatibus Lupus abbas et universa cœnobii Ferrariensis congregatio in Domino salutem.

Ingens fluxit spatium temporis quod, pertubationibus variis crebrescentibus, societas quæ a præcessoribus nostris, auctore Domino, inita est, nulla præter orationes protulit indicia charitatis. Nunc autem aperiente se gratia pacis, et recepta cella sancti Judoci, unde et hæc scribimus, curavimus, ut par fuit, priores certare officio, vosque sive ad repetendam sive ad declarandam amicitiam provocare. Ac primum illud ante omnia suppliciter poscimus, ut et in privatis et in publicis precibus nostri memores esse dignemini. Deinde volumus ut vicissim nobis præstare studeamus quidquid gratiosam fore litteris utrinque directis constiterit et facultas permiserit. Maturate igitur vestram nobis pandere voluntatem, ut et ad morigerendum vobis continuo præparemur, et fructu dilectionis Dominus Deus noster glorificetur ac delectetur. Cupio vos valere feliciter, amantissimi Patres.

104 EPISTOLA LXII.

(*d*) AD ALTSIG. ABBATEM.

Venerabili Altsig. abbati Lupus monasterii Bethlehemitici sive Ferrariensis in Domino salutem.

Ingenti clementia Dei nostri discordiæ peste mitigata, quæ totas Gallias Germaniamque hactenus vexavit atrociter, inter ipsa pacis exordia fœdus quod inter nostram vestramque olim fuit Ecclesiam directis ad reverentissimum Guigmundum episcopum litteris studui renovare. Quia vero vos amore sapientiæ, cujus et ego sum avidus, flagrare comperi, vel secundum illud Tullii, *pares cum paribus facile congregantur*, vel juxta receptæ Scripturæ assertionem, *Omne animal diligit sibi simile, sic omnis homo*, hac epistola meam offero et vestram expeto amicitiam, ut nobis vicissim cum in sacris orationibus, tum etiam in quibuslibet aliis utilitatibus prodesse curemus. Atque ut quod polliceor vos exsequamini priores, obnixe flagito ut quæstiones beati Hieronymi, quas, teste Cassiodoro, in Vetus et Novum testamentum elaboravit, (*e*) Bedæ quoque vestri similiter quæstiones in utrumque Testamentum, itemque memorati Hieronymi libros explanationum in Jeremiam, præter sex primos, qui apud nos reperiuntur, cæteros qui sequuntur; præterea Quintiliani Institutionum oratoriarum libros XII, per certissimos nuntios mihi ad cellam sancti Judoci, quæ tandem aliquando nobis (*f*) reddita est, dirigatis tradendos Lantramno, qui bene vobis notus **105** est, ibique exscribendos vobisque quam poterit fieri celerius remittendos. Quod si omnes non potueritis, at aliquos ne gravemini destinare, recepturi a Deo præmium impletæ charitatis, a nobis autem quamcun-

(*a*) *Beatus martyribus*. Id est, sanctis Marcellino et Petro, quorum sacræ reliquiæ exstant in basilica monasterii Seligenstadiensis, illuc delatæ cura Eginhardi anno 827, ut tradit auctor Annalium Fuldensium his verbis: « Corpora beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri mense Novembri in Franciam allata sunt. » Eam basilicam incepit Eginhardus; Ratlaicus perfecit. Hilpericus vero pictor, ut docet Lupus, tabulas voverat ad ornandam basilicam. Rabanus, hymno 24, de sanctis Marcellino et Petro:

Hos Christi testes Romana ascivit ab urbe
Vir probus Amhardus, constituitque locum.
Cujus successor perfecta presbyter aula
Ratlaicus, sanctis condidit hunc titulum.

(*b*) *Ad Guigmundum*. Eboracensem episcopum in Anglia. Nulla illius mentio exstat apud Willelmum Malmesburiensem, præter nudum nomen. Vocatur autem illic Wimundus. Obiit anno 854, ut tradit Matthæus Westmonasteriensis. Franciscus Godwinus, episcopus Herefordensis scribit eum in cathedra Eboracensi successisse Vulsio, illicque sedisse annis septemdecim. In veteri catalogo archiepiscoporum Eboracensium, qui in lucem prodiit opera ab beneficio R. P. Labbei, hæc leguntur: « Post Eanbaldum Vulsius rexit archiepiscopatum, Eanredo regnante. Moriens autem Vulsius, Wimundum habuit successorem, præfato rege regnante. Cui decimo sexto episcopatus sui anno, morienti Wlfhere, successit in archiepiscopatum. »

(*c*) *Deo famulantibus*. Id est, monachis Ecclesiæ Eboracensis. Nam tum monachorum plena erant omnia apud Anglos, ex instituto B. Augustini. Erat autem magna societas inter monachos Eboracenses et Ferrarienses: quam, quod interrupta esset, redintegrari postulat Lupus. Itaque abbas ille, ad quem scripta est sequens epistola, erat abbas monachorum Ecclesiæ Eboracensis.

(*d*) *Ad Altsig*. In editione Massoni legitur, *Ad Altisigum abbatem*. Ego vero nolui recedere a scriptura veteris codicis. Erat autem ille abbas monachorum Ecclesiæ Eboracensis, ut dixi.

(*e*) *Bedæ vestri*. Id est, ex Anglia vestra oriundi, illicque nati. Fuit autem vir magni nominis, ut lippis etiam tonsoribusque notum esse arbitror. Obiit anno 735, hoc est, centum plus minus annis ante quam Lupina isthæc epistola scriberetur. Vide Labbeum in Dissertatione historica de scriptoribus ecclesiasticis et notas nostras ad epistolam 76 Lupi.

(*f*) *Reddita est*. Hinc colligitur eam epistolam non esse scriptam ante annum 847. Nam ex epistola 51 constat nondum Lupo redditam cellam S. Judoci, quo tempore reges ad Trajectum conventuri erant. Id vero colloquium habitum est initio anni 847, ut adnotatum est ad epistolam quinquagesimam.

que possibilem duntaxat cesseritis vicem tanti laboris. Valete, nosque mox ut se opportunitas obtulerit exoptabili responso lætificate.

EPISTOLA LXIII.

(*a*) AD PRUDENTIUM EPISCOPUM.

Charissimo suo Prudentio Lupus in Domino salutem.

Septimo Idus April., (*b*) Heriboldus episcopus paulo ante regressus a rege, mandavit mihi ex præcepto ejusdem regis ut quoniam se ipse (*c*) legationis functione absolvisset, eamdem nos strenue ac celeriter (*d*) exsequeremur, ut in conventu generali memoratus rex de singulis locis posset certior fieri. Itaque quia et tempus appropinquat, nec sine difficultate, maxime propter equorum pabulum, colloqui possumus, nec vero ante copiam herbæ quod jubetur inchoare, et valetudinem vestram, et quid super hac re vobis placeat continuo directis litteris declarate. Ut autem hinc meam sententiam vobis aperiam, supervacuum judicio loca quorum statum jam perspeximus, iterum adire, quando nulla sit correctior subsecuta, et in Aurelianensi ac Senonico, et vestro ac nostro pago, restent quædam cœnobia in quibus tempus interim terere possimus, ut sicut in aliis locis, ita et in his etiam emendanda per nos rex cognoscat. Et ne in legatis ejus ipsius **106** jussio contemnatur, si voluerit, sanciat. Quanti enim simus habiti, imo ipse qui nos miserat, nobis impensus honor patefecit et monasteriorum instaurata religio. Proinde antequam legationem adoriamur, regi per me de his quæ videbuntur suggere statui et (*e*) tractorias accipere, et tunc favente Dei gratia proficisci. Vicissim ergo sensum vestrum litteris exprimite, ut optimum factu ex utriusque ingenio colligatur. Illud autem non vos fugiat, quantumcunque in hac legatione laboraverimus, nec nobis nec hominibus nostris aliquid remittendum quin agamus quod cæteri, si motus his qui hactenus vexarunt exstiterint similes.

EPISTOLA LXIV.

EXHORTATIO AD REGEM CAROLUM.

Ut pacifice feliciterque regnetis observanda vobis fideli devotione collegi. Creatori vestro Deo et judici furuo gratias habete semper et agite, quo vos hactenus malis pluribus liberavit, et bonis multiplicibus exornavit; utque vobis initium, profectum atque perseverantiam in bonis actibus largiatur quotidianis precibus flagitate. Cum essetis parvuli, loquebamini ut parvuli, sapiebatis ut parvuli. Nunc autem ad virilem perducti ætatem, secundum eumdem Apostolum (*I Cor.* XIII), in quo evidenter Dei Spiritus loquebatur, evacuate quæ fuerunt parvuli. Scilicet stulta quæque atque inania declinantes, rationabilia, præsenti et futuræ saluti profutura, sectamini. **107** Quæ agenda sunt prospicite diligenter et retracte subtiliter, communicato consilio cum Dei vestrisque perfecte fidelibus, quia, ut divinum nos instruit eloquium, *qui sibi nequam est, cui bonus erit* (*Eccli.* XIV.) Nec vos cuilibet ita subjiciatis ut ad ejus arbitrium omnia faciatis. Cur enim regium nomen prætenditis, si regnare nescitis? ut pace cunctorum dixerim, non expedit vobis et populo ut aliquem vobis æquetis, nedum præponatis: quoniam Deus, qui scit quid sit in homine, præmonet ne des potestatem filiis tuis in vita (*Eccli.* XXXIII), quia melius est ut illi te deprecentur quam tu illos. Si filiis hoc non est concedendum, quanto minus aliis? Vicem vos gerere Dei quis ignorat? At ipse dicit: *Gloriam meam alteri non dabo* (*Isa.* XLII). Non admittantur ergo a vobis monitores, quos (*f*) bajulos

(*a*) *Ad Prudentium episcopum.* Trecassinum, ut habebat titulus in editione Massoni, et aliunde satis notum est.

(*b*) *Heriboldus episcopus.* Antissiodorensis, ad quem sunt plures ipsius Lupi epistolæ.

(*c*) *Legationis functione.* Ea legatio Lupi et Prudentii contigit anno 844, ut dictum est in Vita ipsius Lupi. Quod confirmatur ex epistola 32, « Superiore anno, inquit, missus in Burgundiam, decem equos amisi. » Epistola autem illa scripta est anno 845, ut illic adnotavimus.

(*d*) *Exsequeremur.* Id est: Quoniam Heriboldus episcopus se excusavit ab obeunda legatione quam illi Carolus commiserat, jussit princeps ut ego tuque, Prudenti, eam curam susciperemus, quam Heriboldus detrectavit. Legatio autem illa hujusmodi erat, ut legati illi vice regia visitarent monasteria in regno Caroli constituta, et si quid animadversione dignum existimarent, ad principem referrent, ut diximus ad epistolam 12.

(*e*) *Tractorias.* Missis omnibus, ut ad Capitula Caroli Calvi adnotat Sirmondus, ad legationes suas profecturis tractoria dabatur, id est, epistola cujus beneficio suscipiebantur et conjectum accipiebant, id est, pensitationem et tributum, quod ab iis haud dubie exigebatur quorum causa legati mittebantur. In tractoriis porro adnotari solebat quantum cuique misso pro ejus conditione suppeditari oporteret. Ideoque *tractoriam* stipendialem vocat Agobardus. Vide lib. IV Capitul., cap. 73, et Marculfum, lib. I, cap. 11, cum notis eruditissimi Hieronymi Bignonii, itemque notas Justelli ad codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ, pag. 93.

(*f*) *Bajulos.* Id est monitores, ut interpretatur Lupus, verbo Sallustii utens, sive rectores imperatoriæ juventæ, ut verbo Taciti utar. Gesta Dagoberti I, Francorum regis, qui Clotarii II filius fuit: « Huic fuit filius nomine Dagobertus, quem ex Bertedrude regina susceperat, qui patri succederet et industria dignus et viribus. Hic denique in annis puerilibus positus traditus est a genitore venerabili ac sanctissimo Arnulfo Metensium urbis episcopo, ut eum secundum suam sapientiam enutriret, eique tramitem Christianæ religionis ostenderet, atque ei custos et bajulus esset. » Annales Bertiniani ad annum 861: « Karolus dimisso filio suo Ludoico sub Adalardi, Irmintrudis reginæ avunculi, bajulatione, » etc. Item ad annum 879: « Filium et æquivocum suum Ludovicum bajulationi Bernardi, comitis Avernici specialiter committens. » Inde tutela vocatur *ballium* in actis ævo D. Ludovici regis Francorum confectis. Sic Ludovico Pio adhuc in cunis vagienti Carolus Magnus præposuit *bajulum Arnoldum*, ut scribit auctor Vitæ Ludovici. Vide epistolam 11 Hincmari ad Carolum III imp., cap. 2, 6, 7.

Hanc epistolam Baronius sentire videtur scriptam esse anno 850.

vulgus appellat, ne gloriam vestram inter se ipsi partiantur, et meliorem amorem alienent a vobis. Imitatione Dvi nolite (*a*) personaliter judicare; sed in eadem causa dives, mediocris et pauper, eumdem vos sentiant; ut sit quod potentes terreat, et quod mulceat non resistentes. Bene semel gesta nunquam nisi in melius immutaveritis, ut fidem vestram atque constantiam cuncti mirentur. Fugite levitatem, morum maturitatem apprehendite, ut vestra probitas cunctis possit prodesse subjectis. Vitate malorum societatem, quoniam, ut scriptum recolitis, *corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* xv). Amplectimini bonorum collegium, quoniam *cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* xvii). Et apud eumdem regem et prophetam pulcherrime dicitur: *Ambulans in via immaculata,* **108** *hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum* (*Psal.* c). Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis, et quos cum vultis extenuare potestis. *Ne confidatis in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus* (*Psal.* cxlv); sed transferte spem vestram ad Deum, *qui fecit cœlum et terram, qui custodit veritatem in sæculum.* Concipite honestam veritatem, ut quod vos non decet præstare, nemo scientur a vobis (*b*) audeat postulare. Cogitate multa, nec dicatis omnia, quia vel juxta divinam Scripturam *qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam* (*Prov.* xxi), vel juxta (*c*) sæcularem litteraturam: *Quod occultum velis, nemini dixeris. Quomodo namque poteris ab alio exigere silentium quod tibi ipse non præstas.* Et: *Non potest vox missa reverti* (*Horat. de Arte,* v. 390, quoad sensum). Communem utilitatem et opportunitatem omnium charissimam vobis omnes intelligant, ut certatim omnes sibi vos præferre contendant. Divinas et humanas leges, justas duntaxat, nemo sinatur contemnere, quia malorum impunitas vitiorum semper peperit incrementum. Humilitas cuncta opera vestra venustet, quia scriptum est: *Quid superbit terra et cinis?* (*Eccli.* x.) Et: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* iii), et ipse Redemptor noster admonet: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* xi). Eleemosynis assidus Deum vobis placate secundum illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* xxx), quia, ut sacræ continent Litteræ, *eleemosyna a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras* (*Tob* iv). Salvator quoque hanc ita **109** commendat: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* xi.) Glorificate Deum in omnibus, quia ipsa testatur: *Qui glorificat me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* ii). Rex etiam et propheta eximius sic sibi Deum præponit: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* cxiii). Hæc studiose custodientes, Deo et bonis quibusque placebitis; rebelles, Deo, ut credimus pro vobis pugnante, comprimetis atque vincetis, et post regnum temporale atque laboriosum consequemini sempiternum et vere quietum.

EPISTOLA LXV

FRATRIBUS QUIBUS PRÆERAT.

Dilectis fratribus suis Lupus abbas in Domino salutem.

Flagrante cupiditate hostes nostri malta quidem conati sunt, sed protegente nos Domino meritisque sanctorum spe sua dejecti sunt, eodemque opitulante, nunquam optatum sibi consequenter effectum. Quod vobis declarare studui, ut Deo et sanctis ejus dignæ gratiæ referantur, et recepta securitate mentes vestræ quietis gratia perfruantur.

EPISTOLA LXVI.

(*d*) AD REGINFRIDUM EPISCOPUM.

Reverentissimo præsuli Reginfrido Lupus in Domino salutem.

Profecturus Romam, transitum nobis fore haud

(*a*) *Personaliter judicare.* Hoc est, in judiciis ferendis imitamini Deum, apud quem non est acceptio personarum. Juxta illum dives et pauper æque tuti sunt. Sic porro locutus est etiam Cassiodorus, cujus ea sunt verba in epistola 8 libri ii: « Quis melius ad æquitatis jura diligitur quam qui sacerdotio decoratur? qui amore justitiæ, personaliter nesciat judicare, et diligens cunctos in commune, locum non relinquat invidiæ.

(*b*) *Audeat postulare.* Lupus in exhortatione ad Carolum Calvum in cap. 12 synodi Vernensis: « Nec a te quisquam petere audeat quod majestatem tuam præstare non deceat. »

(*c*) *Sæcul. litter.* Illud est constantissimum, persuasum fuisse Lupo librum illum de moribus, qui Senecæ tribuitur, Senecæ esse. Quippe testimonium sequens laudat ex sæculari litteratura, id est, ex auctore non Christiano. Deinceps ergo superest investigandum an re vera sit Senecæ, an vero Martini Dumiensis, ut placuit quibusdam. Ego crediderim prius ab Seneca scriptum, postea vero a Martino descriptum et abbreviatum; qua arte librum Senecæ suum fecit. Certe sequentes sententiæ, quæ haud dubie laudantur isthic ex illo libro, aliis verbis, et quidem elegantioribus, proferuntur a Lupo quam habeantur apud Martinum Dumiensem, apud quem sic scriptum est: *Quod tacitum esse velis, nemin dixeris. Si tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium speras?* Itaque fragmentum Senecæ habemus in hac Lupi epistola.

(*d*) ***Regiufridum episcopum.*** Cujusnam sedis episcopus fuerit non liquet. Neque enim mihi placet quod adnotant Sammarthani, eum nimirum esse qui Meldensis episcopus fuit, synodoque Pontigonensi interfuit anno 876. Nam multis ante annis obierat Lupus, quam Ragenfridus fieret episcopus Meldensis. Et fortassis iste Reginfridus fuerat antea notarius Caroli Calvi regis. Nam in præceptis illius temporis reperio Raginfridum notarium subcripsisse ad vicem Ludovici. De Pontigone porro, quoniam occasio tulit, afferam verba Caroli Simplicis, quæ litem de situ illius loci dirimunt. Sic autem loquitur in præcepto quo doctem constituit conjungi suæ Friderinæ: ***Pontigonem, quem etiam in pago Pertensi super fluvios Saltum et Brustionem.*** Nominatur autem ***Pons Hugonis*** in Annalibus Anianensibus, vitio haud dubie librariorum. Vide lib. iv de Re diplom., pag. 317.

longe ab **110** urbe vestra didicimus; ubi vestram humanitatem, quam animo præcipimus, re ipsa cupimus experiri, mavimeque, cujus penitus copia deest, Italicæ monetæ argento, quod solum usui futurum est nobis, permutandi; id interrogati concorditer quique confirmant. Conspectum quoque vestrum, favente Deo, nobis exhibetis, ut officii beneficium hac, ut decet, gratia cumuletis. Sane adventus nostri certum tempus præfigere non valeo. Tamen hunc futurum aut præcipiti æstate aut prima suspicor parte autumni. Bene vos valere cupio.

EPISTOLA LXVII.

AD W.

Venerabili V. Lupus.

Nec opinanti mihi, optanti, tamen, videndi vos occasio eese obtulit, quod ab urbe quæ in vestra cura et patrocinio requiescit Roman proficiscentibus, quo ipse tendo, iter patere cognovi. Facite itaque ut, positis aliis occupationibus, sinceræ charitatis fruamur alloquiis, et de præsenti utilitate et futura salute tractemus. Otiosum autem existimo præmonere ut me juvare his quæ usus poposcerit studeatis, cum nihil derogare debeam vestræ prudentiæ et liberalitati confidere plurimum. Peritiam ergo regionis in qua versamini, affectumque patriæ in qua orti sumus, prætare nobis contendite. Transibo vero, si Deus vult, per vos, ut opinor, aut extremo æstate aut certe primo autumno. Cupio vos valere feliciter.

111 EPISTOLA LXVIII.

AD DOMILUM MARCWARDUM ABBATEM.

Charissimo ac desiderantissimo Patri Marcwardo Lupus plurimam salutem.

A Orationis gratia et quarumdam ecclesiasticarum studio causarum, quas, Deo volente, reversus cum vos videro, paternitati vestræ aperiam, Romam proficiscor. Et quoniam in conficiendis rebus (*a*) apostolici notitia indigebo, ea vero sine (*b*) munerum intercessione iniri commode non potest, velut ad paternum, imo ad maternum gremium ad vos confugio, supplicans ut sicut nunquam mihi in ulla necessitate defuistis, ita in hac adesse dignemini mihique, si ullo modo potestis. per præsentes nuntios duo saga veneti coloris et totidem lintea, quæ Germanice (*c*) glizza vocantur, dirigatis, quæ illi comperi esse charissima atque gratissima. Horum si fuerit vobis integritas ardua, nequidquam videbitur nobis ipsa medietas contemnenda. Namque ita

B sæculari eruditione docti sumus ut sperantes minora, majora poscamus. Ac ne ingenio nostro latiorem defuisse materiam suspicemini, si equo tollutario, vel quolibet alio fortissimo, nostrum iter sublevaveritis, plurimum nobis collatum esse ducemus. Sane nihil me obtinuisse moleste non feram, si communicatis his litteris cum communi filio Eigile, (*d*) risum uterque vestrum tenuerit. Cupio vos valere feliciter, meique benigne memoriam gerere.

112 EPISTOLA LXIX.

(*e*) AD ANSBALDUM.

Dilecto suo Ansbaldo Lupus salutem.

Moleste tuli quod tanta opportunitate comperta, ut parcissime dicam, nihil mihi vel mandare vel scribere voluisti. Tamen, quanquam curam nostri tam

C facile deposueris, quod in te reprehendo, ipse nequaquam imitabor, sed me aspernatem pio complectar colloquio. Tullianas epistolas, quas misisti,

(*a*) *Apostolici.* Id est, Romani pontificis.

(*b*) *Munerum intercessione.* Jam tum videlicet persuasum erat orbi nostro curiam Romanam esse munerum avidissimam, nihilque apud eam obtineri posse gratis, adeoque omnia Romæ esse venalia. Itaque profectus Roman Lupus, viatico se instruere cogitabat, ne repulsam ab apostolico pateretur. Corrogare ergo studuit munera quibus illum permulceret. Hunc Lupi locum laudat reverendus Pater Cellotius in Historia Gotteschalci, ut eorum refellat opinionem qui scribunt Gotteschalcum Roman profectum ad papam penetrasse Id vero negat Cellotius, eam videlicet ob causam quod probabile non sit aures Romani pontificis patuisse pauperculo monacho nihil munerum offerenti cum eadem tempestate vir præcipuæ dignationis apud Carolum Calvum regem, Lupus, inquam, abbas Ferrariensis, non existimaverit propitium sibi fore episcopum Romanum, nisi munerum oblatione permulceretur. Ex qua Cellotii observatione discimus vanam et futilem esse illustrissimi cardinalis Baronii interpretationem qui munera illa Lupi interpretatur de muneribus quæ amicitiæ ergo dabantur pontificibus Romanis, adeoque *symbolum charitatis exprimerent in dante, et in accipiente non arguerent avaritiam*, ut ad annum 865 scribit Baronius. Nam si ea de causa Lupus munera corrogare studuit, quod existimaret propitium sibi non futurum apostolicum, nisi muneribus in antecessum placaretur, ut observat Cellotius, manifestum est Lupi munera ex necessitate magis quam ex charitate profecta esse, adeoque in accipiente arguere avaritiam. Fateamur tamen pontificem Romanæ tum ecclesiæ præsidentem avaritiæ vitio laborasse. Nihilominus sancta est Ecclesia Romana. Aliud enim sunt jura sedium, aliud vitia præsidentium, ut ait sanctus Leo.

(*c*) *Glizza.* Unde *camisia glizzina* apud monachum Sangallensem in Vita Caroli Mahni. Sic enim legit Franciscus Pithœus, non autem *cilicina*, ut perperam habet editio Duchesnii lib. I, cap. 39. Et patet telam glizzinam fuisse magni pretii.

(*d*) *Risum tenuerit.* Respicit ad sales superiores quibus perstrinxit curiam Romanam. Ac sibi gratulatur quasi rem palmariam ac triumpho dignam fecerit. Sic semper melioribus ingeniis placuit industriam suam in talibus jocis exercere, etiam cum periculo offensionis. De se testatur Cicero non posse se effu-

D gere hanc offensionem. Sic enim scribit in epistola 16 libri IX epistolarum ad familiares: « Effugere autem si velim nonnullorum acute aut facete dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abjicienda; quod si id possem, non recusarem. » Manifesta autem hic erat offensio, si Marcwardus hanc epistolam misisset Romam. Sed nimirum existimabat Lupus multa joca esse in epistolis, quæ prolata si sint, inepta esse videantur, multa seria, neque tamen ullo modo divulganda, ut in secunda Antonianarum scribit Tullius. Id quod Marcwardum quoque virum prudentem et amicum suum non latere putabat. Itaque libere se ad eum scribere posse credidit.

(*e*) *Ad Ansbaldum.* Monachum Prumiensem atque adeo Eigilis socium, cujus intra mentio est. Ad eum tum abbatem Prumiensem scripta est epistola 117,

cum nostris conferri faciam, ut ex utrisque, si possit A fieri, veritas exculpatur. Tu autem huic nostro cursori Tullium in Arabo trade, ut ex eo quem me impetraturum credo quæ deesse illi Egili noster aperuit suppleantur. Bene vale, et tuis me semper orationibus protege.

EPISTOLA LXX.

AD MARCWARDUM.

Desiderantissimo et integritate vitæ merito suspiciendo Marcwardo abbati Lupus perpetuam salutem.

Dignas vobis rependere gratias non valemus, sed non idcirco vel verbis id tentare non debemus. Siquidem inter alia quæ nobis jam plurima præstitistis, linguæ vestræ pueros nostros fecistis participes, cujus usum hoc tempore pernecessarium nemo nisi B nimis tardus ignorat. Itaque non istis gratam rem solum, verum etiam utilissimam nobis omnibus **113** contulistis. Dilectissimum fratrem Eigilem et cæteros IV Non. Septembris lætus excepi. Sed ut congrum curationi tempus impenderent, justo celerius dimisimus, ea conditione obstrictos ut per nos, dum redierint, proficiscantur. Sumus enim de eorum sanitate et ipsorum et vestri causa vehementer solliciti. Cæterum hunc novitium cursorem nostrum vestræ sanctitati commendamus, omni genere conversationis professioni suæ respondentem, nisi quod adhuc, credo propter timores noctunos, solum cubare non potest. Opto vos valere feliciter, meique semper paterno affectu meminisse.

EPISTOLA LXXI. C

AD REGEM CAROLUM, ANTE RECUPERATIONEM CELLÆ.

Præcellentissime domine mi rex, humiliter supplico ut suggestionem tui devotissimi famuli digneris prudenter cognoscere et clementer tractare. Regiosissimus imperator Ludovicus, vestræ nobilitatis auctor, ad petitionem gloriosissimæ memoriæ Judith Augustæ matris vestræ cellam sancti Judoci monasterio Ferrariensi contulit, et suum donum (*a*) præcepto firmavit; ut et monachi absque inopia in monasterio Deo servirent, et in præfata cella hospitalitatem juxta Dei timorem peregrinis impenderent, atque pro utriusque salute et prosperitate Dominus (*b*) delectabiliter exorarent. Eorum eleemosynam primo benigne concessistis **114** novo etiam præcepto firmastis; sed postea ad persuasionem eorum D qui cum Dei offensione non timent ditescere, evacuata duplici eleemosyna, votum sæcularium de memorata cella implere coacti estis. Quam ob causam nunc Dei servi, qui pro vobis assidue orant, hoc triennio consueta vestimenta non accipiunt, et quæ ferre compelluntur, attrita et plerasque resarta sunt, leguminibus empitiis sustentantur, piscium et casei consolationem rarissime consequuntur, famuli debita indumenta non accipiunt: quæ omnia nobis ex prædicta cella ministrabantur, in qua intermissam transmarinorum curam aliorumque pauperum et neglectam sui culturam utinam vobis Deus non imputet. Me, præter communem necessitatem et singularem laborem, gravissimus pudor onerat, quia id quod alii abbates ad stabilitatem religionis munificentia imperiali consecuti sunt, ego quasi omnium vilissimus et inutilissimus amisi. Tamen spem gerens recuperandi meo servitio quod nulla in vos culpa, ut Deus testis est, perdidi, maxime cum vestram promissionem inde teneam, quam fallere nefas est: imploro quod juste reposcimus, ne ulterius differatis, sed continuo vobis nobisque dignemini consulere, ut et Deum faciatis vobis propitium, et nos ultimos famulos vestros reddatis ad intercedendum pro vobis omni tempore promptiores.

115 EPISTOLA LXXII.

(c) AD DIDONEM.

Ex persona Marcwardi.

Reverentissimo et plurimorum præconiis celebrando Didoni abbati Marcwardus plurimam salutem.

Artis vestræ singularis peritia multorum oratione pervulgata fratris Nithardi potissimum relatione nobis innotuit: quo etiam referente comperimus passim vos accesum indigentibus (*d*) aperire, et sempiternam usuram temporali ægrotantium remedio procurare. Unde tametsi vobis adhuc sumus ignoti, non dubitavimus propter (*e*) ejusdem religionis unitatem, cujus etiam vos observantissimos gratulamur, materiam præstandi nobis beneficii ultro proponere, parati vestræ opinatissimæ liberalitati modis quibuscunque possumus respondere. Namque et filii nostri, quos et vestros optamus, molestia corporis laborabant; quam aliquot adhibiti apud nos medici propulsare nequiverunt. Hos, Domino et vestræ charitati fidentes, curandos vobis offerimus; et per vos optatæ sanitatis solatia temperantes, auctori ejusdem nobiscum gratias referant et vestro labori. Illi quidem devotionem, quam solam possunt, utpote monachi,

(*a*) *Præcepto*. Id est, diplomate regio. Sic enim tum vocabant diploma principis. Nos hodie vocamus litteras patentes.

(*b*) *Delectabiliter exorarent*. His enim solemnibus verbis finiebant præcepta regia monasteriis concessa: *Quatenus ipsos monachos pro nobis, conjuge proleque nostra, vel pro stabilitate totius regni nostri, jugiter Domini misericordiam exorare delectet*. Sic ergo scriptum fuit in præcepto Ludovici Pii de cella S. Judoci.

(*c*) *Ad Didonem*. Abbatem monasterii sancti Petri Vivi Senonensis. Chronico S. Petri Vivi: « Defuncto autem Anastasio, sancti Petri abbate, successit ei Dido, » anno nimirum 847. Obiit autem anno 869 successoremque habuit Aquilam, Eigilis archiepiscopi Senonensis discipulum, ut in eodem Chronico scriptum est.

(*d*) *Aperire*. Post vocem istam deerat unum folium in veteri codice; quod nisi defuisset, usui esse poterat ad sarciendas ruinas sequentium epistolarum.

(*e*) *Ejusdem religionis*. Id est D. Benedicti. Nam Prumiense monasterium, itemque Senonense, sancti hujus Regulam profitebantur, quemadmodum cætera Galliarum et Germaniarum monasteria, jam inde a temporibus Ludovici Pii.

repensent; nos autem dignum omnino servitium persolvamus. Petitionem nostra diu verbis extendere noluimus, ne forte (*a*) de vestræ charitatis perfectione dubitare videremur, quæ non solum ignotis, verum etiam inimicis prodesse contendit. Et ideo, ut optime **116** nostis, oraculi mandatum attestatione prophetica confirmatur. Optamus vos valere feliciter.

EPISTOLA LXXIII.

AD GUENILONEM.

Reverentissimo antistiti Gueniloni . . . cujus lectione vestra victus amore pene . . . per communem propinquum nostrum ab ra . . . dirigite. Quem quantopere diligantur . . . quod eum præter vos nulli unquam passus sim . . . autem ecclesiæ nostræ quod fanum appr . . . æquissimum jam decrevistis et . . . quærere ipsi optime intelligetis. Quanquam in proximo conventu vobis gratias retulerim, putans penitus litem esse sopitam, noveritis nihil esse definitum, sed ad votum eorum qui etiam injuste non erubescunt, imo appetunt esse victores, occasiones dilationis presbytero vestro præparatum quod quæsivit emolumentum ac nostro, quam fastidit, jam spem inanem relictam. Proinde vestra insignis prudentia, quæ didicit ex Evangelio non personaliter judicare, instructa est etiam illo veteri præcepto : *Juste judica proximo tuo* (*Levit.* xix), judicii veritatem, ut cœpit, constanter et cito perficiat, ne, quod absit, abutantur vestra nobilitate qui cupiditatis patrocinium suscepere. Nam et ipsa illis ad subversionem ecclesiæ nostræ oratorium novum commenta est, et ne veritati acquiescant unanimitatemque charitatis dissolvant, adhuc inde sese hortatur. Peto etiam ut ad supplicationem Gerohaldi **117** presbyteri (*b*) Lau. Diaconum ejus propinquum in ipsius titulo dignemini ordinare, quoniam difficultate visus frequenter non sufficit sacerdotale munus implere. Cæte . . . perfectione quæso me fieri e vestigio certiorem . . . digno tamen qualicunque parvitatis meæ discedatis . . . valere feliciter . . .

EPISTOLA LXXIV.

AD EUMDEM.

Reverentissimo præsuli Gueniloni Lupus in Domino salutem.

T. Livium per hunc . . . agite, quia illo non mediocriter indigemus. Bene . . . tamen postulavimus dignamini implere . . . sanctos ordines largiemini participem cum . . . insenum infirmitas illius promotione . . . meum quod elaboravi delibero ac . . . veritate pretii quo redempti sumus (*c*) ipse vobis elegi ostendere quam per quemlibet dirigere, ut otio nobis divinitus collato, tantarum rerum subtilitatem facilius mecum positis advertere.

EPISTOLA LXXV.

AD BERTOLDUM.

Dilecto suo Bertholdo Lupus salutem.

In hoc quem nuper habuimus conventu, quanquam voluissem, idque episcopos vestro dixissem, demiror contigisse ne nos invicem videremus. Præter alia vero quæ inter nos familiariter **118** conferrentur, statueram vos precari, quod nunc efflagito, ut in saltu apud Matriniacum vestrum largiamini nobis viginti arbores, earumque peritos commodetis aliquot cæsores, ut juncti nostris naviculam nobis componant meliorem quam invenire possimus venalem. Per hunc ergo nuntium quod vobis concedere placuerit remandate.

EPISTOLA LXXVI.

AD HINCMARUM.

Clarissimo præsuli Hincmaro Lupus perpetuam salutem.

(*d*) Collectaneum Bedæ in Apostolum ex operibus

(*a*) *De vestræ char.* Ita emendavimus ex ingenio, cum antea legeretur, *et vestræ char.*, etc. Necessaria visa est emendatio.

(*b*) *Lau. diaconum.* Hic destituti sumus auctoritate codicis manuscripti. Itaque, quod conjectura offerebat, arripuimus. Ex his enim duabus vocibus unicum nomen effecerat Massonus, *Laudiaconum.* Nos arbitrati sumus hæc distingui debere. Petit autem ut Wenilo, Senonensis archiepiscopus, diaconum illum ordinet presbyterum in titulo Gerohaldi presbyteri, qui tanto oculorum morbo gravabatur ut sacerdotale munus implere non posset, ideoque successorem sibi dari postulabat a proprio episcopo, nempe Lau. diaconum propinquum suum. Unde colligimus jam tum introductas fuisse successiones in beneficiis ecclesiasticis, sed tamen eas perpendisse ex arbitrio proprii episcopi, neque implorari solitam Romani pontificis auctoritatem. Perduravit jus illud usque ad tempora Hildeberti, episcopi Cenomanensis, qui in epist. 36 meminit cujusdam canonici Andegavensis, qui se *excanonicari* petebat ab episcopo suo, præbendamque suam dari suo nepoti, fratris nimirum aut sororis filio; quod facere recusavit episcopus Andegavensis. Si tum explicata in hoc fuisset auctoritas episcopi Romani, remedio esse poterat adversus repulsam. Sed de hoc ne verbum quidem. Tum illud etiam addiscimus ex hac Lupi epistola necessariam prorsus fuisse eam corporis infirmitatem quæ presbyterum non sineret officii sui partes implere. Alioqui repulsæ obnoxius erat. Nefas enim tum putabant presbyterum deponere pastoralem curam quamdiu saluti ovium consuli potest, ut in epistola 29 docet hic noster Lupus Tandem hinc etiam discimus Gerohaldum petiisse successorem, prorsus canonice. Alias enim non poterat Wenilo ei dare successorem nolenti. Vide quæ circa episcopos infirmos adnotamus ad epistolam 130. Notanda autem sunt hæc verba, *ad supplicationem Gerohaldi.* Nam hodie etiam *supplicationem* vel *supplicam* vocamus eam diplomatis pontificii partem in qua beneficium vacans petitur a summo pontifice. Ea autem supllicatio his verbis concepta est : *Beatissime Pater, Cum hodie devotus S. V. orator ex certis causis animum suum moventibus,* [illegible], etc., *in manibus S. V. resignaverit*, etc. SUPPLICAT *humiliter Sanctitati Vestræ devotus illius orator*, etc, Non arbitror tamen Gerohaldi supplicationem scripto comprehensam fuisse. Tum enim simplicius agebant.

(*c*) *Ipse vobis elegi.* Ab his verbis incipit folium quod sequebatur post illud quod deficri diximus in veteri codice.

(*d*) *Collectaneum Bedæ.* Demiror hunc locum non fuisse animadversum ab illustrissimis cardinalibus Baronio et Bellarmino, neque etiam a R.P. Labbeo. Dirimit enim litem de Commentario Bedæ in Epistolas Pauli, quem Bedæ abjudicat Baronius, asserit vero

Augustini veritus sum dirigere, propterea quod tantus est liber ut nec sinu celari nec pera posset satis commode contineri. Quanquam si alterutrum fieret, formidanda esset obvia improborum rapacitas, quam profecto pulchritudo ipsius codicis accendisset; et ita forsitan et mihi et vobis periisset. Proinde tuto vobis memoratum volumen ipse commodaturus sum, cum primo, si Deus vult, aliquo nos contigerit sospites convenire. Pineas autem nuces, quot cursor ferre potuit, hoc est decem, mittendas curavi. Rescriptum vestrum, quo notarii, ut scripsistis, me privavit impedimentum, cursor idem noster ad hoc directus, ut a vobis propositum est, accipiat, ut lectione illius vel erudiar vel delecter. Benigne vos mei memores opto valere feliciter.

119 EPISTOLA LXXVII.

(a) AD PARDULUM.

Charissimo suo Pardulo Lupus plurimam salutem.

Secundum quod statuistis, direxi nuntium qui super meis recentibus litteris quid vobis visum fuerit et quæcunque cognitu necessaria judicaveritis comprehensa vestris apicibus reportaret. Peto itaque ne illum vacuum aut tardius remittatis. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA LXXVIII.

EIDEM.

Unice singulariterque dilecto Pardulo episcopo Lupus in Domino salutem.

Sacris domini regis non sum evocatus. Propterea (b) ad conventum non veni. Litterarum ipsarum exemplar dirigendum curavi, ut si forte mentio de me inciderit, juste me remansisse possitis ostendere. Cæterum quia me intra conseptum familiaritatis admisistis, quæso ut et nunc, et quotiescunque possibilitatem Deus largitus fuerit, tutum vestra intercessione reddere curetis. Ego, ut nostis, hostem ferire ac vitare non didici, nec vero cætera pedestris ac equestris militiæ officia exsequi, nec rex noster solis bellatoribus indiget. Admonitu vestro et, si opus fuerit, Hincmari, si expeditio ingruerit, obsecro doceatur ut, quoniam (c) studia mea non magni facit,

Bellarminus. Hunc etiam librum Bedæ tribuit Hincmarus in posteriori opere adversus Gotteschalcum, cap. 1: « Si quis tamen, inquit, eosdem libros non habet, videat in collectione venerabilis Bedæ presbyteri de opusculis sancti Augustini super Apostolum; et ibi discere poterit quod antea ignoravit. » Itaque deinceps dubitandum non erit quin opus illud sit venerabilis Bedæ. Trithemius tamen in libro II de viris illustribus ordinis S. Benedicti, cap. 44, librum illum tribuit Floro cuidam monacho, ut ipse scribit sancti Trudonis in diœcesi Leodiensi, quem librorum sancti Augustini amatorem præcipuum fuisse asserit. Viderat ergo haud dubie Trithemius veterem codicem in quo istud opus Floro tribuebatur. Hujusmodi codicem, in duo volumina divisum, ex monasterio Corbeiensi allatum servat bibliotheca sancti Germani de Pratis apud Lutetiam, in cujus prima statim pagina hæc scripta sunt: *Continentur in hoc volumine expositiones Epistolarum beati Pauli apostoli ex libris sancti Augustini doctoris eximii a quodam Floro collectæ.* Tum summa cura effectum est ne Flori nomen periret. Nam in fine cujuslibet Epistolæ adnotatum est sequentis epistolæ expositionem a Floro collectam fuisse. Unicum exemplum sufficiet. Cætera enim sunt similia. *Explicit expositio super Epistolam primam Pauli ad Corinthios. Incipit expositio super Epistolam secundam ad Corinthios collecta a Floro ex libris sancti Augustini.* Sic in veteri codice ms. celeberrimi per Europam Collegii Sorbonici scriptum est: *Incipit prima pars libri Flori in expositione II Epistolæ ad Corinthios.* Quo loco intelligitur haud dubie Florus magister, qui sub Ludovico Pio floruit. Nam is quoque Collectanea scripsit in Epistolas Pauli ex diversis antiquorum Patrum scriptis, ut testatur vir eruditus Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato et in præfatione ad Excerpta Fulgentii de Incarnatione Christi: quod fraudi fuit iis qui Bedæ opus tribuerunt Floro. Ad calcem porro codicis Corbeiensis hæc scripta sunt manu antiqua: *Compositus est liber iste a Richero subpriore et Joanne suo scriptore et monoculo anno quo restituta est Ecclesia sancti Joannis Corbeiæ et Turonis est secunda sedes Romanæ urbis, anno* MCLXIV, *Ludovico rege Francorum, Theodorico episcopo Ambianensi, Joanne abbate Corbeiensi.* Insignis est hic locus et non leviter prætereundus. Respicit enim ad synodum Turonensem ab Alexandro III celebratam; ob eamque causam, quod nimirum illic tum sederet Alexander cum hic codex cœptus est scribi, ait Joannes scriptor civitatem illam esse secundam sedem Romanæ urbis. Tum librum hunc, quem tamen ipsis constabat a Floro editum, compositum fuisse ait Joannes a se et a Richero. Itaque vox *compositus* significat *scriptus*. Ut sensus sit: Liber iste a me Joanne scriptus est jussu curaque Richeri subprioris.

De Floro porro Lugdunensi testatur Sirmondus in notis ad Avitum eum expositionem in Epistolas S. Pauli ex decem omnino Patribus delibasse, Cypriano nimirum, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem diacono, Paulino, Leone papa, Fulgentio et Avito. Chiffletius vero in notis ad Ferrandum pag. 322, ex eo factum putat ut Collectaneum illud in Epistolas Pauli ex operibus Augustini tributum sit Floro quod in quibusdam codicibus mss. opus illud sic inscriptum foret: *Bedæ liber Florum ex libris beati Augustini, super Epistolas Pauli apostoli.* Enimvero Chiffletius opus illud abjudicat et Floro et Bedæ. « Nam quæ exstat inter opera Bedæ, inquit, Collectio in Epistolas Pauli ex Augustino, tam crassum opus est, ut vix ei ullus etiam perpetuus in easdem Epistolas commentarius mole exæquetur. »

(a) *Ad pardulum.* Eum nimirum qui Laudunensis dein episcopus fuit; neque enim puto tum fuisse episcopum, cum hæc epistola scripta est. Inscriptio tamen epistolæ sic habet in editione Massoni: *Ad Pardulum Laudunensem*, nimirum ex glossemate, ut opinor. Nam codex ms. hæc tantum habet: AD PARD.

(b) *Ad conventum non veni.* Ex epistola sequenti constat hic agi de conventu habito eodem anno quo Hilmeradus factus est episcopus Ambianensis. Satis autem constare puto Hilmeradi ordinationem peractam fuisse anno 849. Itaque intelligi debet hic locus de conventu quem mense Junio illius anni apud urbem Carnutum habuit rex Carolus, ut patet ex Annalibus Bertinianis.

(c) *Studia mea.* Sic erat compositus Carolus Calvus ut, cum ipse martios spiritus induisset, magisque bellatoribus indigeret ob bella domestica quam viris litteratis, Lupi studia ob eam causam non magni faceret, adeoque eum ad bellum proficisci juberet. Nam monasterium Ferrariense munera militiamque regi debebat, ut ad epistolam 32 dictum est. At Lupus animo erat ab armis alienissimo, ut plerumque solent ii qui litterarum studio dediti sunt; et haud dubie dulcia pacis otia præferebat immanibus et turbulentis bellorum tumultibus; quod his bonarum

vel dignetur considerare **120** propositum (*a*) et alia mihi injungere quæ ab illo penitus non abhorreant. Id, si me sincere amatis, sic potestis efficere ut non solum offensæ contraham nihil, verum etiam gratiæ consequar aliquid. Ita mihi comperta et probata est vestra prudentia. Itaque dum tempus et locum habetis, et mihi et quibuscunque valetis, quæso, succurrite, certi et Deum justum retributorem futurum, et nos sinceram beneficiorum memoriam habituros. Litteras quæ me lætificent remittite; et mei benigne semper memores, bene valete.

EPISTOLA LXXIX.

(*b*) AD ROTRANNUM MONACHUM.

Charissimo suo R. Lupus salutem.

Quoniam ad conventum non evocatus nolui me ultro ingerere, venerabili episcopo Hincmaro litteras dirigens, inter alia Hilmeradi nostri causam apud eum studui commendare. Ex eisdem litteris verba hic posui, ut eidem Hilmerado possitis ostendere quam velim rebus ejus favere. *Hilmeradus*, inquam, *quem rex Ambianensium esse episcopum jussit, quadam mihi necessitudine conjunctus est, cui supplico prosit quod apud vos plurimum valeo. Nam licet desit ei forsitan* (*c*) *aliquid eruditionis, tamen poterit esse*

artium studia compertum sit infeliciter jugulari, illis vero mirum in modum alantur ac floreant. Ea de causa Pardulum Laudunensem orat ut id apud regem efficiat, ne ipse cogatur ab bellum proficisci: neque enim regem indigere tantum bellatoribus; se suam operam principi navaturum in iis quæ suæ professionis fuerint.

(*a*) *Propositum.* Id est professionem monasticam, cui non congruit ars belligerandi. Olim tamen Valens imp. monachos ad militiam cogi jusserat, nolentes fustibus præceperat verberari, et quidem usque ad mortem, ut docent Hieronymus, Osorius et Gregorius Turonensis.

(*b*) *Ad Rotrannum monachum* Corbeiensem in diœcesi Ambianensi. Ideoque ad eum scribit ut in propinquo positus Hilmerado Ambianensi episcopo ostendat fragmentum epistolæ ad Hincmarum Rhemensem scriptæ. Is vulgo vocatur Ratramnus, vir magnæ famæ.

(*c*) ***Aliquid eruditionis.*** Mirum est Hilmeradum, virum indoctum et illitteratum, tam impense foveri a Lupo. Neque enim satisfacit quod innuit mores ejus esse inculpatos. Nam innocens episcopus, ut ait sanctus Hilarius, sibi tantum proficit, nisi doctus sit. Afferam autem ipsum Hilarii locum, qui est singularis in hac materia. In libro VIII de Trinitate: « Non statim boni atque utilis sacerdotis est, *inquit*, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare; cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit; et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. » Hilarium consecutus est Bonifacius, archiepiscopus Moguntinus, cujus verba eo lubentius referam quod a viro apostolico et sanctissimo scripta sint, prorsusque digna sit hæc Bonifacii epistola, ut Serarius, ait, « quæ ab animarum pastoribus omnibus, præsertim vero episcopis et archiepiscopis, creberrime legatur. » Sic ergo scribit Bonifacius in epistola 105, ad Cudberthum, Cantuariensem archiepiscopum, de episcopis loquens, quos doctores vocat: « Nam apostolus episcopum, propheta speculatorem, Salvator mundi pastorem Ecclesiæ, sacerdotem appellat; et omnes tacentem peccata populi doctorem sanguinis animarum perditarum sub silentio esse comprobant.» Assentior interim Serario, qui *suo silentio reum esse comprobant* hic legi debere putat. Pergit Bonifacius: « Propter hoc horribilis et maxima necessitas cogit ut juxta dictum Apostoli nos formam debeamus exhibere fidelibus; hoc est, nisi me fallat opinio, ita juste vivendum doctori, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet, et ne cum sibi de proprio caute vivat, tacens alieno damnetur peccato Quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus ut non solum bene vivendo alios exemplo instituat, sed etiam fiducialiter prædicando, singulis ante oculos peccata sua constituat, et quæ pœna habeat duros, et quæ gloria obedientes, ostendat. Quia, juxta verbum Domini ad Ezechielem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierint peribit. Et quid ei proderit non puniri suo qui puniendus est alieno peccato? Taciturnitatem quidem sacerdotis Dominus ad Ezechielem loquens terribiliter prohibet. Et speculatorem sacerdotem appellat; ut sicut speculatoris est de loco altiori plus omnibus contemplari, ita sacerdos debet esse meritorum sublimitate celsior et majoris scientiæ habere gratiam, qua possit cæteros instruere. » Qui locus ferme ad verbum descriptus est ex libro primo Juliani Pomerii de Vita contemplativa, cap. 20. Post illa tempora tertius e cœlo cecidit Cato, Arnulphus, inquam, episcopus Lexoviensis, qui in sermone habito in synodo Turonensi coram Alexandro III, necessariam esse dixit prædicatori scientiam. « Perfectio scientiæ quæritur, *inquit*, ut habeat prædicator unde possit de thesauro cordis sui proferre nova et vetera, et eruditum noverit exspectantibus explicare sermonem et secundum personarum qualitates temperare quod dixerit, ut sciat quibus debeat lac potum dare, non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Et vir illorum temporum, adeoque Arnulphi amicus, Petrus Blesensis ait in epistola 112, Dominum de manu muti, id est indocti, sacerdotis exquisiturum sanguinem pereuntis; hoc est, ut Bonifacii verbis utamur, episcopum indoctum sanguinis animarum perditarum suo silentio reum futurum, adeoque propter peccata populi periturum, etiamsi sibi de proprio caute vivat. Sic prælatos graviter admonet sanctus Gregorius in libro III de Cura pastorali, cap. 5, cavere eos debere « ne de subditorum erratibus judicentur, etiamsi se jam de se securos inveniunt.» Præclare in eam sententiam Atto, episcopus Vercellensis, in epistola 9, quæ data est ad sacerdotes eorumque ministros in Vercellensi diœcesi commorantes. « Væ enim nobis erit, *inquit*, qui hujus ministerii opus suscepimus, si veritatem prædicare neglexerimus. Væ nobis erit, si silentio oppresserimus quæ erogare nummulariis jubemur.» Istud autem miserabile infortunium aliter vitare non possunt episcopi quam si se litterarum studiis applicent, quæ usui esse possint ad erudiendos populos eorumque mores informandos. Itaque necessarium prorsus videtur ut episcopus sit doctus. Nam quomodo docebit alios quod ipse non didicit? Episcoporum autem est docere populos sibi subjectos, ut satis manifestum est, et sanctus Gregorius docet lib I de Cura pastorali, cap. 1. Inde illa sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi querela, quod « de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium raptus, coactus sit docere quod non didicerat.» Miserum enim est, » ut inquit Innocentius I, ad Aurelium, episcopum Carthaginiensem, scribens, « eum magistrum fieri qui nunquam fuit discipulus.» Gregorius VII, lib. IX, epist. 2. « De illa autem persona quæ in archiepiscopum fuerat eligenda dicimus licet satis prudens et liberalis videatur, tamen disciplinæ fundamento, videlicet litteralis scientiæ disciplina, indiget. Quæ virtus quam si non modo epis-

utilis, cum et vestræ doctrinæ parebit. Et si plene non potest docere instituta divina, poterit tamen facere unde et ipse et eum sequentes efficiantur salutis æternæ capaces. Hæc ad illum sic scripsi. Vos quæso ut in cœpta semper amicitia maneatis, certi me nunquam ab officio recessurum. Bene valete.

121 EPISTOLA LXXX.

AD USUARDUM ABBATEM (a).

Dilectio Usuardo abbati et archidiacono Lupus in Domino salutem.

Non estis obliti quemadmodum vobis, præsentibus majoribus ecclesiæ vestræ, constitutum synodi decretumque metropolitani (*b*) Aimuli ostenderim super A presbytero Godelgario, terruerimque vos, nisi præceptum domini nostri regis (*c*) confirmantis quod sancta synodus et metropolitanus jussisset impleretis, futurum ut jacturam gravis exsilii pateremini. Verum quia id hactenus distulistis, et memoratus (*d*) presbyter tam diuturnam calamitatem cupit effugere, synodali et metropolitani simulque auctoritate regia commoneo ut quod per me vobis injunctum est, sine dilatione perficiatis, ne forte pro triplici contemptu multiplicem vindictam sustinere cogamini. (*e*) Breves etiam quos de facultate monasterii vestri mittere debuistis, ut apud (*f*) Sedelocum mihi reddantur absque ulla excusatione procurate. Bene valete.

copis, verum etiam sacerdotibus necessaria, ipse satis intelligis, cum nullus sine ea aut alios docere aut sese possit defendere.» Denique Ferrandus, Carthaginiensis diaconus, docendi auctoritatem episcopis tributam aperte declarat in epistola ad Severum, scholasticum Constantinopolitanum: « Loquantur *inquit*, et prædicent quibus honor sacerdotii docendi auctoritatem tribuit. Nos discere parati sumus, docere alios nos præsumimus. » Dura porro, ut hoc quoque obiter moneam, dura profecto est sententia Agobardi, Lugdunensis archiepiscopi, qui in libro de modo Regiminis ecclesiastici ait eum qui prædicationis officium et locum regiminis suscepit et negligit, et quærit consolationem et avocationem in divitiis, in ornamentis metallicis, in venationibus, aucupationibus et piscationibus, et quod pejus est, comessationibus et ebrietatibus, et sonis musicis, hunc non Dei adjutorem, sed destructorem operis Dei, ac per hoc adjutorem Antichristi esse; ac licet in oculis hominum sacerdos esse videatur, in oculis tamen Dei non esse. Sed ut ad Hilmeradum reventamur, valde mirum est, ut dixi, eum tam ardenter commendari a Lupo, cui nota erat viri inscitia. Sed hic quoque animadvertere possumus, naturam usque recurrere, furca licet expellas. Dandum est aliquid affectibus humanis. Neque mihi admodum placet quod quidam aiunt verissimam fuisse Lupi vaticinationem, qui prædixerit Hilmeradum, licet indoctum, utilem tamen valde futurum Ecclesiæ. Id autem colligunt ex eo quod pluribus synodis per eas tempestates interfuisse reperitur. Mirum sane si vir cætera inutilis præsentiam suam non exhibuisset in synodis, a quibus abesse eum non licebat absque gravi causa. Proferant tandem illustre aliquod facimus ab Hilmerado editum in synodis, sive etiam extra synodos. Tum vero nos fatebimur vericissimam esse illorum observationem. Cæterum ob illam haud dubie ordinationem Hincmarus aperuit latus obtrectatoribus suis : a quibus, ut ipse docet in cap. 36 posterioris operis adversus Gotteschalcum, publice ei objectum est quod « indiscussi et inexaminati, scientiæque litterarum pene ignari, minusque apostolicæ præceptioni appropinquantes, per civitates episcopi ordinabantur, qua occasione maxime vigor ecclesiasticus deperiit. » Vide caput *Et hoc diximus* 16, 4, 7.

(*a*) *Usuardum Abbat.* Cujus monasterii abbas fuerit hic Usuardus mihi compertum non est. Illud ferme affirmare ausim abbatem eum fuisse in diœcesi Augustodunensi.

(*b*) *Amuli.* Episcopi Lugdunensis; cujus exstant epistolæ duæ, una ad Gotteschalcum, alia ad Theoboldum episcopum Lingonensem. Prior edita ad R. P. Sirmondo, posterior a viro clariss. Nicolao Camuzatio.

(*c*) *Confirmantis.* Ratum enim non erat quod synodus decreverat nisi principis confirmatio accessisset.

B (*d*) *Presbyter.* Hinc patet magnam fuisse per eas tempestates archidiaconorum auctoritatem. Nam quo pertinuit tot precibus fatigare hunc Usuardum, nisi manifestum fuisset Godelgarium presbyterum fuisse subjectum prorsus auctoritati ejus? Adeo autem archidiacono subjecti erant presbyteri ut et ipse quoque archipresbyter illi subjectus esset, ut patet ex Isidero in epistola ad Ludifredum *dist.* XXV, cap. *perlectis*, unde sumpsit Innocentius III, in cap. *Ad hæc nos*, extra. *De officio archidiaconi.* Et in concilio Toletano, can. 3, scriptum est debere archidiaconum *omnem querimoniam seu causam vel justitiam presbytericam vel diaconorum vel subdiaconorum deliberate ordinare.* Vide Hincmari capitula archidiaconibus presbyteris data, cap. 3, et Petrum Cellensem lib. VII, epist. 10.

(*e*) *Breves.* Id est inventaria, ut ad epistolam primam diximus.

(*f*) *Sedelocum.* Villam episcopi Augustodunensis, C cujus etiam meminit Carolus Calvus in præcepto dato apud Attiniacum anno 844, in gratiam Ecclesiæ Augustodunensis : *parochiam sancti Andochii in Sedeloco.* Ejusdem meminit et Amulo in epistola ad Theoboldum : « Nam et in Augustodunensi territorio quod Sedelocus vocatur, apud ecclesiam in qua sancti martyres Andochius, Tyrsus, et Felix conditi sunt, similia fieri vel potius simulari certa relatione comperimus.» Antiquissima autem loci istius memoria exstat apud Ammianum Marcellinum, vetustum Historiæ Augustæ scriptorem, qui in libro XVI refert Julianum Cæsarem designatum in Gallias missum a Constantio, VIII Kal. Julias Augustodunum pervenisse, ibique habita deliberatione quodnam iter eligeretur ut tutum, placuisse quibusdam per Sidoleucum iri debere. Sic enim hunc locum primus emendavit vir clarissimus Petrus Pithœus, lib. II. Adversariorum subsecivorum, cap. 1, cum antea apud Ammianum legeretur, *per sedes Leucorum.* D Hunc autem locum non gravabor referre ex editione viri eruditissimi Henrici Valesii. « VIII. Kal. Julias Augustodunum pervenit (Julianus), velut dux diuturnus, viribus eminens et consiliis, per diversa palantes barbaros, ubi dedisset fors copiam, aggressurus. Habita itaque deliberatione, assistentibus locorum peritis, quoddam iter eligeretur ut tutum, multa ultro citroque dicebantur, aliis per Arbor..... quibusdam per *Sedelaucum* et Coram iri debere firmantibus.» In notis porro ad hunc locum admonuit vir clarissimus eam emendationem debere codici ms. bibliothecæ regiæ; ab Augustoduno autem Autissiodorum petentibus per Sedelaucum iter esse, ut patet ex Itinerario Antonini et ex Tabula Pentingerorum: utrobique enim mentio est Sedeloci, seu Sidoloci. Manet vero hodie nomen. Nam ea villa dicitur vulgo *Saulieu*, quatuor horarum itinere ab Augustoduno.

EPISTOLA LXXXI.

AD AMULUM (a) EPISCOPUM.

Ex parte Guenilonis et Gher.

Reverentissimo et clarissimo præsuli Amulo (b) Guenilo episcopus et (c) Gherardus comes perpetuam salutem.

Multa et magna **122** jussu domini nostri regis ex ejus parte familiarissime vobis mandata revelassemus, si quod ipse optavit, quod etiam suis vobis litteris significavit, nos quoque plurimum voluimus, ad Augustidunensem urbem vacuum fuisset vobis exspectationi nostræ occurrere. Sed quod nuntii vestri certissimas impossibilitatis vestræ causas nobis prodiderunt, quæ copiose multipliciterque dicenda verbis nobis commisit, sensuum veritate servata, conati sumus vestræ sapientiæ compendiosis litteris aperire. Præcepit itaque ut ejus vobis sermo-
A nibus diceremus se fideliter tenere quod Rex regum, idemque Sacerdos sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere (d) quam redemit, postquam humanitatem suam in cœlum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eamdem gubernandam Ecclesiam, in sacerdotes divisit et reges; ut quod sancti docerent pontifices, et ipsi implerent ei impleri facerent devotissimi reges. Quamobrem se cupere debitam sanctitati vestræ impendere reverentiam, sicut ei quem sciat Divinitatis cultum integre velle servare, atque vicissim postulare ut cum eo tale fœdus concordiæ ineatis ut ubicunque ecclesiasticæ utilitati in portione divinitus sibi collata vestræ auctoritatis dispositione in re tanta cupit consulere, unanimitate vestri consensus continuo
B adjuvetur. Et ne vos longis ambagibus diutius fatigemus recens incommodum Augustudensis Ecclesiæ et prolixa perturbatio flexit ejus pietatem ut (e) sua

(a) *Ad amulum.* Qui aliis *Amulo* et *Amolo.* Fuit autem archiepiscopus Lugdunensis, adeoque metropolitanus episcoporum Augustodunensis et Cabillonensis. Hæc porro epistola scripta fuit anno saltem 844, cum eo anno datum sit præceptum Caroli Calvi in gratiam ecclesiæ Augustodunensis, in quo Altei episcopi, qui Berno successit, mentio diserta exstat.

(b) *Guenilo.* Senonensis archiepiscopus.

(c) *Gherardus.* Is nimirum qui Vezeliacense monasterium condidit in diœcesi Augustodunensi; eas enim regiones comitis honore regebat, ideoque ei delegatur a principe ministerium curandi ut quamprimum Bernus Ecclesiæ Augustodunensi ordinetur antistes. Ob eamdem causam Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, ad eum scripsit pro ordinatione Isaac, episcopi Lingonensis, ut Flodoardus docet lib.
C III, cap. 26.

(d) *Quam redemit.* Ad hunc Lupi locum respexisse videtur rex Lotharius, Ludovici Transmarini filius, in præcepto pro monasterio moniolium Pictaviensium: « Quanto magis ad debitam regalitatis providentiam, inquit, æquum dignumque pertinet, ut Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis, qui per adoptionem Filii existimus, regendam tuendamque commisit, piam sollicitamque in cunctis curam gerere studeamus. » Apud Besylum in Probationibus Historiæ Comitum Pictaviensium, pag. 251.

(e) *Sua largitate.* Id est, ex sua liberalitate, ut patet ex lib. II. Capitular., cap. 8, et ex præcepto Lotharii de restitutione Ebbonis. Donum enim episcopatus fiebat a rege; necessariumque deinceps erat ut eum metropolitanus ordinaret cui rex episcopatum dederat, si nihil canonicum obstabat. Itaque ait Lupus ordinandum esse episcopum Ecclesiæ Augustodunensi
D ex *largitate regia, et ex promotione* Amulonis metropolitani. Morem istum apertius explicavit Carolus Calvus in synodo Tullensi duodecim provinciarum anno 859: « Mihi a domino et genitore meo piæ memoriæ Ludovico Augusto, inquit, pars regni inter fratres meos reges divina dispositione est tradita. In qua parte regni vacabat et tunc pastore metropolis Senonum; quam, juxta consuetudinem prædecessorum meorum regnum, Weniloni tunc clerico meo, in capella mea mihi servienti, qui more liberi clerici se mihi commendaverat, et fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum episcoporum ipsius metropolis ad gubernandum commisi, et apud episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem archiepiscopum ordinarent obtinui. » Inter exempla regum Caroli prædecessorum referri potest Indiculus Dagoberti regis ad Sulpitium, Biturgium antistitem, de ordinatione Desiderii, episcopi Cadurcensis: « Decet regiam celsitudinem, inquit, ut quos cognoscit in Dei timore conversari, et fidem catholicam integre custodire, vel evangelica præcepta, omnimodis ad pontificale officium studeat promovere. Proinde dum vos archimetropolitani scimus tenere, præsentes apices cum debito salutationis officio almitati vestræ studuimus destinare, petentes ut ad eum benedicendum properare debeatis et litteras ad comprovinciales fratres vestros dirigatis, ut et illi adesse debeant; ut canonice et juxta apostolicam institutionem sub vestri præsentia in sancta Paschali solemnitate pontificale benedictione debeat esse consecratus. » Exempla alia si quis requirat, difficile non erit exhibere. Exstat apud Marculfum lib. I, cap. 5, *Præceptum de episcopatu;* ex quo apparet, ut illustrissimus vir Hieronymus Bignonius illic observavit, moris fuisse per eas tempestates, ut cum rex de obitu alicujus episcopi certior esset factus, litteras ad episcopum metropolitanum scriberet, quibus præcipiebat ut quem ipse episcopum in loco defuncti probaverat et elegerat, metropolitanus ordinaret ac benediceret. Atque hunc fuisse constantissimum in Gallia usum multis exemplis probavit idem Bignonius: cujus auctoritate eo lubentius utor quod præterquam quod apud omnes æque constat eum fuisse magnum virum, eique studia hæc quæ nunc tractamus multum debere, amicissimus præterea fuerit illustriss. viro Petro de Marce, archiepiscopo Parisiensi, Mæcenati quondam meo. A Gallia porro in Angliam trajiciendum est, vicinam videlicet regionem, et iisdem pene moribus viventem. Illic enim reges antiquitus concedebant episcopatus jure regio, ut constat ex iis quæ vir doctissimus Seldenus adnotavit ad Eadmerum, pag. 142 et 143, ac præcipue ex epistola Edwardi III regis ad Clementem VI, papam; in qua loquens de ecclesiis cathedralibus regni Angliæ, sic ait: « Quas quidem ecclesias dicti progenitores nostri in singulis vacationibus earumdem personis idoneis jure regio conferebant, et postmodum ad rogatum et inflantiam dictæ sedis (apostolicæ) sub certis modis et conditionibus concesserunt quod electiones fierent in dictis ecclesiis per capitula earumdem. » Sic reges nostri concesserunt ecclesiis electiones episcoporum, exemplo Caroli Crassi imp., qui liberalis in hoc fuit erga Genavensem et Cabillonensem ecclesias. Eodem porro jure utebatur princeps insularum quas Orcadas vocant. Quod in eo versabatur ut is ab archiepiscopo Eboracensi ordinandus esset antistes cui princeps episcopatum concessisset; huncque agendi modum canonicum esse censuit Thomas, archiepiscopus Eboracensis, ad Lanfrancum Cantuariensem scribens. « Venit ad nos quidam clericus, inquit,

largitate vestraque promotione talem ei præficiat qui ruinas illius et spiritualiter et sæculariter strenue sarcire sufficiat. Est autem quem benignitati vestræ **123** plurimum commendat propinquus ejus (*a*) Bernus, a beatæ memoriæ glorioso imperatore Ludovico tenere educatus, et claris ornatus honoribus; quem et ipse hoc suo tempore multis experimentis invenit idoneum, et opitulante gratia Dei, tanto negotio credit aptissimum. In hoc probatissimorum ejus

A (*b*) consiliariorum acquiescit consensu. Idque vestræ prudentiæ dominus noster jussit suggerere non esse novicium aut temerarium quod ex palatio honorabilioribus maxime Ecclesiis procurat antistites. Nam Pippinus, a quo per maximum Carolum et religiosissimum Ludovicum imperatores ducit rex noster originem, exposita necessitate hujus regni (*c*) Zachariæ Romano papæ, (*d*) in synodo cui (*e*) martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum ut acer-

quem misit Paulus comes cum litteris sigillatis de Orcadum partibus, significans in eis episcopatum suæ terræ eidem clerico se concessisse. At ille, antecessorum suorum ordine custodito, postulat a nobis episcopum se consecrari; cui quod juste petit, injuste denegare non possumus. Precamur ergo ut nobis duos episcopos dirigat paternitas vestra, quorum fulti orationibus et auxilio, tantæ rei sacramentum canonice compleamus. » Æquum id esse censuit Lanfrancus; ac postulatos episcopos ire jussit, Wlstanum nempe Wigorniensem, et Petrum Cestrensem, « ut Thomæ, sicut petebat, occurrerent, ad prædicti clerici consecrationem; » ut habetur in Vita Lanfranci, cap. 13. Vide Thomæ et Lanfranci epistolas, apud Seldenum, in notis ad Eadmerum, pag. 201, et inter opera Lanfranci, a domno Luca Dacherio edita.

(*a*) *Bernus.* Hunc more prædecessorum suorum Carolus præfecerat Ecclesiæ Augustodunensi. Tum vero, ex veteri intituto, metropolitanum Amulum orabat ut virum illum ordinaret. Ego vero existimo Amulum non contradixisse precibus principis, atque adeo Bernum ab eo fuisse ordinatum. Neque enim iis assentior qui repudiatum ejus nominationem aiunt ab Amulo, et Alteum il loco ejus consecratum. Hanc sententiam hauserunt ex sola conjectura, quod viderent Alteum eadem ferme tempestate ordinatum episcopum in cathedra Augustodunensi. Sed probabile est Bernum haud ita multo post ordinationem suam excessisse rebus humanis, tuncque in loco ejus ordinatum Alteum. Nam quomodo in animum inducent illi repulsam passum esse Carolum in persona propinqui sui Berni, viri alioqui perquam idonei, rationem vero habitam fuisse Godelsadi clerici palatini? Denique doceant legitimis testimoniis Bernum ab Amulo fuisse repudiatum. Cæterum non assentior Roverio, qui Bernum istum confundit cum Bernardo, abbate Reomensi.

(*b*) *Consiliarior, consensus.* Ex hoc loco collegit illustrissimus vir Petrus de Marca, archiepiscopus Parisiensis, in ea tum sententia fuisse reges nostros, ut existimarent palatinos clericos a solo principe ad episcopatum designari posse, cum consensu consiliariorum suorum. Ideo autem Amulum nomine Caroli regis prolixius exorandum fuisse scribit a Guenilone et Gerardo, quod is in regno Caroli constitutus non esset. Lugdunum enim erat in regno Lotharii. Vide librum VIII de Concordia sacerdotii et imperii, cap. 16, § 11. Hujus porro juris regii exemplum aliud suppeditant Annales Fuldenses, an annum 856, his verbis: « Mense Februario, IV die mensis defunctus est Rabanus archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ. Cui successit Carlus magis ex voluntate regis et consiliariorum ejus, quam ex consensu et electione cleri et populi. » Quem morem invaluisse ævo Ludovici Pii docet, licet indignans, Theganus, chorepiscopus Trevirensis, in capite 20 libri quem scripsit de Gestis ejusdem Ludovici Pii. Sic Drogo Metensibus datus est episcopus, ut ad annum 823, tradit auctor Vitæ Ludovici Pii. Vide notas ad Vitam S. Maximini, cap. 11.

(*c*) *Zachariæ* Hunc locum ita intelligendum putat M. Antonius de Dominis, ut Pippino tum fuerit concessum, « ut posset solus personas promovendas ad episcopatus eligere, et curare consecrandas, absque ullo ecclesiasticorum consensu, nisi pro sola consecratione, » ut ex ipsis Lupi verbis colligi posse ait, « in quo papa, derogans juris ecclesiastico, jus principum in eo regno auxerit. » Marca vero existimat eum locum esse intelligendum de ratihabitatione Zachariæ, qui recte atque ordine factum censuerat a
B Pippino et Carlomanno, quando ii jure proprio episcopos instituerant; nam diu ante Zachariæ tempora reges nostri episcopos jure suo præficiebant Ecclesiis vacantibus, ut multis exemplis ostendit Marca. Quare merito rejicienda est sententia illustrissimi cardinalis Baronii; qui ex hoc Lupi loco collegit jus illud quo per eas tempestates utebantur reges nostri in dandis episcopatibus, non ex ipsorum auctoritate fluxisse, sed ex concessione sedis apostolicæ: nullum enim penitus in rebus ecclesiaticis jus habere reges. Sane diffitendum non est quin ita cum Baronio sentiant Transalpinæ gentes. Nos vero Galli reges nostros non summovemus prorsus a rebus sacris, ab iis nimirum quæ disciplinam ecclesiasticam respiciunt et exsecutionem regularum ecclesiasticarum.

(*d*) *In Synodo.* « Respexit, inquit Marca, synodum Liptinensem, cui vice papæ Bonifacius interfuit: in qua Carlomannus suo et Pippini fratris nomine, qui dux erat quoque ac princeps Francorum, constituit
C episcopos. Hæc quippe synodus, teste Zacharia, Pippini et Carlomanni studio acta est. Præterea quod geri incœpit in Liptinensi concilio de constituendis episcopis perfecit Pippinus in Suessionensi. Quod acceptum quoque fuit summo pontifici: qui laudabili principum opera episcopos præfici Ecclesiis in commodum fidelium, non autem laicos illorum reditibus frui in religionis ipsius perniciem, ut antea, pers iciebat. » Sane manifestum est intelligi debere synodum Liptinensem, quæ anno 743, habita est a Carlomanno, præsente Bonifacio, papæ Romani legato. Alioqui enim nulli synodo cui præfuerit Zacharias interfuit Bonifacius. Synodo porro Liptinensi, ut hoc quoque obiter moneam, interfuere etiam cum Bonifacio Georgius episcopus Romanus (id est Portuensis, ut ego arbitror, in speciali provincia Romani pontificis), et Joannes sacellarius, ut patet ex capite 7, epistolæ episcoporum ad Ludovicum, regem Germaniæ, in Attiniaco palatio consistentem, scriptæ
D anno 858, et ex Hincmaro in epistola 57, ad Rodulfum et Frotarium archiepiscopos. Hæc sunt verba episcoporum ad Ludovicum regem: « Pippinus, inquiunt, synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum sancto Bonifacio legatus apostolicæ sedis Georgius nomine. » Hincmarus in dicta epistola cap. 5: « Et in synodo apud Liptinas habita, cui sub Carlomanno principe Georgius episcopus et Joannes sacellarius ac sanctus Bonifacius ex præcepto Zachariæ papæ præsederunt, legitur: « Ut si vir « mulieri desponsatæ, dotatæ, ac publicis nuptiis du- « ctæ secundum Apostolum debitum conjugale non potuerit

(*e*) *Martyr Bonifacius.* Archiepiscopus Moguntinus; qui martyr ob hoc dicitur quia cæsus fuit a paganis in Frisia, quibus Evangelium Christi annuntiabat, anno 754.

bitati temporis industria sibi probatissimorum decedentibus episcopis mederetur; ne forte simplicitate pontificum posset contingere quod in hac Heduorum urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit. Proinde se petere ut honorem a (*a*) papa Romano majoribus ejus et regibus et imperatoribus concessum, et a Lugdunensis Ecclesiæ metropolitanis, cui auctore Deo præsidetis, nunquam hactenus infirmitatum, a vobis nulla vestra injuria consequatur. Quod si in hac parte spretus non fuerit, (*b*) facturum se ut in regno ejus vestrum ministerium debitam semper venerationem obtineat et optatum exitum sortiatur. Cujus petitioni nostras nos supplices jungimus preces, ut quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat; ut in obsequendo vobis non solum non verum etiam illos faciatis, quod optamus, cupidissimos debitores. Idque impetratum a vestra fidissima **124** nobis familiaritate volumus ut quod vobis Deus inspiraverit nobis quam celerrime litteris ostendatis; ut per nos citius dominus noster rex, quod plurimum cupit, benevolam in se vestram cognoscens voluntatum, dignas Deo referat gratias, et antequam necessitate regni longius abducatur, damnosam præsulis dilationem recitat, vobisque fidissimum (*c*) adjutorem dirigat ordinandum. (*d*) Godelsadum etiam, quem ex palatio suo (*e*) more præ-

« potuerit reddere, et hoc aut amborum confessione « aut certa qualibet approbatione fuerit manifestum, « ut separentur; et mulier, si continere nequiverit, « alteri viro legaliter nubat. » Quo recpicit haud dubie caput 55, libri VI Capitularium. Itaque quæ in libro V, eorumdem Capitularium cap. 4, 5, 6, decernuntur: *De eo qui a presbytero non baptizato baptizatus est. De eo qui filiastrum aut filiastram ante episcopum tenuerit. De his qui propter faidam in alias patrias fugiunt*, pertinent ad hanc synodum Liptinensem, ubi edita sunt suadente Georgio episcopo et Joanne sacellario, legatis summi pontificis Zachariæ. *Georgius* enim legendum in hic capitibus non autem *Gregorius*, ut habent veteres editiones, patet ex pervetusto codice ms. monasterii Rivipullensis in Catalonia; itemque ex veteri codice meo manuscripto. Deum tria illa capitula descripta sunt in libris Capitularium statim post decretum synodi Liptinensis quod vulgo circumfertur. Præter illa porro alium canonem Liptinensem conservavit Hincmarus, ut supra vidimus.

(*a*) *Papa Romano*. Ea fuit veterum modestia ac simplicitas ut cum singulis episcopi papæ nomen tribuerent, quoties de Romano pontifice loquebantur, non papam simpliciter, ut nunc assolet, dicerent, sed papam Urbis, aut papam Romanum, ut hoc loco Lupus noster. Paulatim tamen ea appellatio sic recessit a cæteris episcopis ut soli Romano deinceps tributa sit. Unde factum ut Odorannus, monachus sancti Petri Vivi Senonensis, qui sub rege Roberto floruit, cum honorem habuerit Ansegiso Senonum archiepiscopo, ut, quia vicarius erat apostolicæ sedis, eum appellaret secundum papam. « Præterea domnus Ansegisus, inquit, postquam primatum totius Galliæ obtinuit, et superna moderatione secundus papa appellari meruit, etc. « Secutum dein est decretum Gregorii VII, qui in Romana synodo edixit ut papæ nomen unius esset in orbe Christiano. Hinc firmata est recepta jam tum consuetudo; eaque fuit Occidentalium populorum reverentia in episcopum Romanum ut papæ nomen huic soli deinceps tribuerint, ut dixi. Et consuetudinem illam juvarunt etiam Romani pontifices. Hoc enim honoris haud ita multo post habitum est Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, ut cum præcipuæ dignationis locum teneret apud Urbanum II papam Romanum, *papa alterius orbis* ab eo vocatus sit, teste Gervasio Dorobernensi. « Hic, inquit, in Cantuariensi civitate consecratus, ab Urbano papa pallium suscepit; et tantam ejus gratiam habuit ut eum *alterius orbis papam* vocaret, » nimirum haud dubie quod divisorum toto orbe Britannorum patriarcha esset, ut eum vocat Eadmerus. Et Goffridus, abbas Vindocinensis, eadem ferme ætate scribens ad Gerardum episcopum Engolismensem (qui, quod apostolicæ sedis legatus esset in Aquitania, multa contra fas contraque jus, ut Goffrido videbatur, usurpabat), ait inter alia lib. I, epist. 21: *Quasi alterum papam vos fecistis*. E diverso, in Orientali Ecclesia, paulo ante Gregorii VII pontificatum, adeo descenderat appellatio paparum, ut lectores etiam appellarentur papæ: ut patet ex constitutione Isaaci Comneni imp. C. P., edita circa annum 1058, quæ exstat apud Theodorum Balsamonem. Unde factum est ut dein apud Græcos beneficia juniorum clericorum, *papatus* dicerentur, non secus ac *Junioratus* in Ecclesia Latina; ut observavit vir illustrissimus et eruditissimus Franciscus Bosquetus, episcopus Monspeliensis, in notis ad epistolas Innocentii III, lib. III, epist. 60. Adhuc tamen sub Gregorio V, dignitas episcopi Mediolanensis vocabatur *papatus*, ut patet ex diplomate Ottonis III, imp., edito in Collectione Bipartita ab Holstenio, parte II, pag. 219. Vide porro Rigaltium in observationibus ad Cyprianum, et Seldenum in notis ad Eadmerum.

(*b*) *Facturum se*. Wenilo et Gerardus pollicentur Amuloni favorem Caroli regis, si is obsequatur desideriis principis. Intellexit autem Amulo quanti momenti esset hæc gratia. Itaque studuit eam ibi conciliare, ut discimus ex Chronico Hugonis Flaviniacensis, in quo sic scriptum est: « Amolo quoque Lugdunensem episcopatum suscepit; cujus auctoritas et amor Caroli erga eum multum valuit sancto papæ Leoni, ut ipse hoc testatur in epistola ad eum missa. » Ut vel hinc validum argumentum sumi possit ad confirmanda ea quæ supra dicta sunt de ordinatione Berni, episcopi Augustodunensis.

(*c*) *Adjutorem*. Cooperatorem ac suffraganeum. Suffraganei autem ideo dicuntur, ut hoc obiter moneam, quod jus suffragii cum metropolitano habeant in synodis provincialibus, eique concordes esse debeant. Carolus simplex in præcepto pro Ecclesia Narbonensi: « Venerabilis sanctæ Narbonensis Ecclesiæ archiepiscopus Arnutius nostram adiit serenitatem, innotescens auribus clementiæ nostræ quod in sua parochia, seu in cunctis episcopiis qui in suffragio ipsius positi sunt, gravissima quædam contra jura canonum atque instituta legum increverit consuetudo, etc. » Arnulphus Levoviensis in epistola ad S. Thomam, archiepiscopum Cantuariensem, in Gallia tum exsulantem: « Quod sane contemplati quorum ope niti, quorum muniri consilio, quorum fulciri suffragio debuistis, a vobis velut agmine facto discesserunt, quando maxime nominis sui rationem deberent agnoscere et se vobis suffraganeos non refraganeos exhibere. » Itaque Arnulphus ex eo dictos putabat suffraganeos quod metropolitanum suum suffragio suo fulcire debeant, quoties occasio ingruit, eique adjutores esse, ut Lupi verbo utar. Vide Fulbertum, epist. 30 et 51.

(*d*) *Godelsadum*. Itaque Godelsadus Ecclesiæ Cabillonensi præfectus est a Carolo Calvo anno saltem 844, quod eo anno scriptam esse oporteat hanc epistolam, ut jam monuimus. Hic postea interfuit synodo Vermeriensi anno 855.

(*e*) *More præcessorum*. Tum enim, ut in loco supra relato Marca adnotavit, reges nostri contendebant palatinos clericos a solo principe designari posse,

cessorum regum majorum suorum, ut ante monstratum est, (a) Cabillonensi (b) præfecit Ecclesiæ, flagitat idem rex ut hac Quadragesima non gravemini ordinare. Quod si per absentiam (c) Teotbaldi episcopi visum fuerit impossibile, quocunque tempore constitueritis congruum vobis curabimus ex (d) episcopis nostris facere supplementum, ut quod prosit populo Christiano, absque dilatione per vos Deus implere dignetur.

EPISTOLA LXXXII.

AD GUENILONEM.

Reverentissimo præsuli Guenfloni Lupus salutem.

Hic presbyter, cui nomen est (e) Erlegaudus, ex ecclesia sancti Petri et nostra queritur pati se calumniam et de suo gradu periclitari. Proinde vestram poscimus paternitatem ut ei juste ac rationabiliter adesse dignemini, ne quorumlibet insidiis opprimatur, qui forsitan divini timoris obliti, superare innoxium pervicaciter moliuntur. Prosit itaque huic et illis vestra prudentia, ut et hic, si est innoxius, liberetur, **125** et illi qui peccare in proximi læsione conantur, non inveniant facultatem. Quod donec inspirante Deo perficiatis et synodi tempus adveniat, si potest fieri, et vestræ sanctitati videtur, exsequendi officii quæsumus recipiat libertatem; ne secundum inimicorum votum, quorum se testimonio purgare possit invenire non valeat. Bene vos valere cupimus.

EPISTOLA LXXXIII.

AD LUDOVICUM.

Ante recuperationem cellæ.

Excellentissimo bonisque omnibus charissimo Ludovico abbati Lupus plurimam salutem.

A Jussu regis ad palatium dirigens nuntium, ad vos cum jussi accedere, ut quæ mihi agenda sunt, per vos veraciter atque celeriter possim cognoscere. Proinde vestra insignis benevolentia mihi necessaria cognitu litteris comprehendat; quibus certior factus, rebus gerendis occurram. Unum impense flagitaverim, ut si molitiones quæ occulte, ut fertur, cum Britannis exercentur effectum habituræ credantur, non aspernemini significare, quod frustra expertum infructuosum periculosumque laborem etiam strenuorum animi valde refugiunt, et compertum atque in litteras relatum est nequaquam invitos ad bellum esse cogendos. De recuperanda cella nostra si se locus obtulerit, quemadmodum in omnibus, nos juvare contendite; ut vestra industria et B rex maximo purgetur peccato, et nos **126** tandem aliquando necessitate nimia liberemur. Ita semper ut cupio valeatis.

EPISTOLA LXXXIV (f).

AD NOMENOIUM.

Landramnus, Turonum metropolitanus episcopus, Dodo Andegavorum, Aldricus, Cenomannorum episcopus, Guenilo, Senonum metropolitanus episcopus, Heriboldus, Antisiodori episcopus, Prudentius Trecassinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Parisiorum, Hucbertus Meldorum, Helias Carnutum, Herimannus Nevernorum, Hincmarus, Rhemorum metropolitanus episcopus, (g) Immo Noviomagi, Pardulus (h) Lugduni, Rhothadus Suessionum, Hilmera-C dus Ambianorum, Erpoinus Silvanecti, Ermenfridus Bellovacorum, Paulus, Rothomagi metropolitanus

secuti videlicet morem superiorum principum, ut diximus, qui clericos e palatio suo ut plurimum præficiebant sedibus episcopalibus, irrequisitis suffragiis episcoporum comprovincialium; ad quos tamen dimittebant clericos ita designatos, nimirum ob consecrationem tantum.

(a) *Cabillonensi.* Sic scribebat illa ætas, ut colligi potest ex synodo Vermeriensi, cujus paulo ante meminimus, itemque ex innumeris aliis locis. Itaque cum ea esset scriptura codicis manuscripti, eam retinere placuit. Nam editio Massoni habebat *Cabiloniensi.*

(b) *Præfecit Ecclesiæ.* Id est, Cabillonensem episcopum esse jussit, ut supra dixit Lupus de Hilmerado episcopo Ambianensi. Itaque magni momenti est ista emendatio. Neque enim flagitat rex Godelsadum præfici Ecclesiæ Cabillonensi, ut perperam habet editio Massoni. Sed petit ut eum, quem ipse huic Ecclesiæ præfecerat Amulus quamprimum ordinet. Manuscripto igitur codici debemus quod auctoritas regia in constituendis episcopis hic restituta est apud Lupum. Nam fœde eam sepelierat editio Massoni, in qua sic scriptum est: « Godelsadum etiam, quem ex palatio suo more prædecessorum regum majorum suorum, ut ante monstratum est, Cabiloniensi præfici Ecclesiæ flagitat idem rex, in hac Quadragesima non gravemini ordinare. »

(c) *Teotbaldi episcopi.* Lingonensis, suffraganei Ecclesiæ Lugdunensis, qui vulgo *Teutboldus* et *Teodboldus* nominatur; ad quem etiam exstat gravis ejusdem Amulonis epistola adversus impostores quosdam, qui sanctorum martyrum reliquias obtrudebant, nullis legitimis testimoniis comprobantes eas esse veras. Interfuit Teodboldus concilio Vermeriensi anno 853.

(d) *Episcopis nostris.* Id est, ex episcopis in regno Caroli Calvi constitutis.

(e) *Erlegaudus.* Erat ille presbyter in quadam cella monasterii Ferrariensis, vel fortean in ipso monasterio; ut colligitur ex hac epistola. Tum vero temporis accusatus apud Wenilonem, Senonensem metropolitanum, auctoritate ejus prohibitus est attingere functiones sui muneris. Agebatur de presbytero. Itaque Wenilonem orat Lupus, ut donec causa ejus in synodo quæ futura erat, judicari possit, Wenilo ei potestatem faciat exsequendi suum officium. Causæ ergo presbyterorum in synodis tractabantur. Interim tamen licebat episcopo pœnam remittere, aut intendere, pro arbitrio. Vide concilium Sardicense, D can. 17, et capitulare Compendiense Caroli Calvi, cap. 4, et librum v Capitular., cap. 218.

(f) Synodica est isthæc epistola, data anno 849. Celebratam autem fuisse haud synodum tempore autumnali colligi potest ex Chronico Fontanellensi.

(g) *Immo Noviomagi.* Ad quem fortassis scripta est epistola 41 Lupi, ut illic monuimus.

(h) *Lugduni.* Ita omnino codex manuscriptus. Nam editio Massoni habebat *Lauduni.* Itaque visum est retinendam esse lectionem veteris codicis. Vetus enim et verum ejus urbis nomen Lugdunum, ut observat Sirmondus ad Capitula Caroli Calvi, vel cum adjuncto Lugdunum Clavatum; quo modo in synodis sæpe subscribunt episcopi Laudunenses, ut hic Pardulus in synodis Suessionensi et Vermeriens anno 853.

episcopus,(a) Saxbodus Saiorum episcopum,(b) Freculfus Lexoviorum,Valfridus Baiocacensium,(c)Nomenoio priori gentis Britannicæ salutem quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Diu est quod Deus occulto, justo tamen judicio, permisit esse te rectorem gentis tuæ; in quo tamen regimine qualem te exhibueris testis est conscientia tua et amaræ querimoniæ diversarum Ecclesiarum, et afflictiones nobilium et ignobilium, divitum et pauperum, viduarum et orphanorum,quos damnabili cupiditate et horribili crudelitate vexasti. Sed quia Christianum nomen non penitus abjecisti, et nos ex (d) apostolica successione debitores sumus omnibus, ut bene **127** agentes ad perseverantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam (e) auctoritate divina provocemus, vehementissime

(a) *Saxbodus.* Sic prorsus scriptum est in veteri codice. In privilegio vero monasterii Corbeiensis vocatur Saxobodus. Saxbodus tamen nominatur in concilio Senonis habito anno 852, in quo confirmatum est privilegium monastri sancti Remigii, quod editum est in tomo I Spicilegii, pag. [illegible]. In quibus tamen subscriptionibus mendose scriptum est *Raginarius Ambianensis episcopus.* Adhuc enim vivebat Hilmeradus, qui anno sequenti interfuit synodo Vermeriensi,itemque alii synodo Vermeriensi circa annum 865. Retractanda porro hic est controversia de tempore quo synodus illa habita est, cum constet eam non fuisse habitam anno 852,uti monuimus, Sane ex subscriptionibus episcoporum apparet anno saltem 846 celebratam fuisse. Sed quid opus conjecturis in re manifesta? Constat enim ex Capitulis Caroli Calvi, tit. VI, Wenilonem archiepiscopum Senonensem capitula nonnulla edidisse in synodo provinciæ suæ,cui suffraganei ejus interfuere. Itaque corrigendum est quod diximus, mendose in subscriptionibus istius concilii scriptum esse nomen Reginarii,episcopi Ambianensis. Sedit enim usque ad annum [illegible] aut [illegible].

(b) *Freculfus.* Is nimirum qui Chronicon scripsit ab orbe condito usque ad annum circiter sexcentesimum.

(c) *Nomenoio.*Britonum duci jam inde a temporibus Ludovici Pii. Quo mortuo, Caroli Calvi partibus adhæsit adversus Lotharium et Ludovicum anno 841,ad eumque munera mittens, fidem etiam ei suam jurejurando obligavit; sed biennio post, eadem facilitate qua concesserat in partes Caroli, ab eo defecit,cupiditate regni adductus, ut monuimus ad epistolam 31. Tum vero, « consueta perfidia, » ut scriptum est in Annalibus S. Bertini, « Andegavis et vicina eis circumquaque loca pervaserat. »

(d) *Apostolica successione.* Episcopi enim sunt successores apostolorum, ut omnis retro antiquitas tradit. Quin et Hilarius in fragmentis vult unumquemque episcopum esse successorem Petri et Pauli, dum hæc per derisum ait de episcopis qui Athanasium damnaverant: *O veros Christi discipulos! O dignos successores Petri atque Pauli!* Verum id quidem.Sed tamen speciali quodam jure pontifex Romanus est successor eorumdem apostolorum; ob hoc quia in eorum cathedra sedet,ut ait Alexander III in epistola 19, edita in Appendice Petri Cellensis. Unde in epistola Ludovici Pii ad pontificem Romanum (quæ exstat inter Acta concilii Parisiensis habiti anno 824),et in epistola pontificis Romani data ad Michaelem atque Theophilum,imperatores Græcorum,itemque in Actis electionis Caroli Calvi imp. factæ anno 876 papa vocatur vicarius apostolorum Petri et Pauli. His enim duobus Dominus noster dedit Ecclesiæ principatum, ut ait Goffridus Vindocin.lib. I, epist. 7. De his ergo apostolis intelilgendus est Alcuinus, dum in epistola 62 Leonem III vocat vicarium apostolorum.Sic Clementem II Lambertus Schafnaburgensis vocat vicarium apostolorum.

(e) *Auctoritate divina.*Quippe episcopi auctoritatem suam habent a Christo, qui unus et solus habet potestatem præponendi episcopos in Ecclesiæ suæ gubernatione,ut ait Cyprianus in concilio Carthaginiensi.Quare merito notandus est Stephanus, episcopus Larissææ in Thessalia,qui ad Bonifacium II, episcopum Romanum,scribens,cujus opera indigebat ad retinendam sedem suam, auctoritatem omnium per orbem episcoporum repetit a pontifice Romano: « Quia,inquit,Domino dicente tertio,*Amas me? Pasce oves meas*,tradidit prius VOBIS mandatum ostendens,et PER vos deinde omnibus per universum mundum sanctis Ecclesiis condonavit.» Itaque revocanda est sententia hujus loci ad normam a sancto papa Leone traditam,cujus ea sunt verba ex sermone tertio in anniversario die assumptionis suæ: « Propter quod dicitur beatissimo Petro, *Tibi dabo claves*, etc. Transivit quidem etiam in alios apostolos vis potestatis istius,et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit. Sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimatur.» Censebat sanctissimus pontifex soli quidem Petro id dictum esse, sed tamen omnibus apostolis et episcopis in persona ejus.Honorificum tamen in primis fuit quod Christus Petri confessionem publice laudavit,et quod auctoritatem suam concedens Ecclesiæ, in persona Petri id factum voluit,quem ob hoc Augustinus ait gessisse totius Ecclesiæ figurata generalitate personam. Super hanc ergo confessionem (id est super Christum ipsum,quem Dei vivi Filium esse confessus fuerat Petrus) fundata est Ecclesia, adversus quam portæ inferi non prævalebunt.Nam licet hanc postremam verborum Christi partem nonnulli referant ad Petrum ejusque successores Romanos pontifices,Joannes tamen XXI ea ultima verba interpretatum est de Ecclesia in epistola scripta ad Jacobum regem Majoricarum, quam nunc primum edimus, quamque ego tuque, lector, debemus singulari humanitati clarissimi viri Antonii Vionis Herovallii.

« Joannes episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio regi Majoricarum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Qui æternæ legis imperio summa regit, etiam extrema non deserit: sed cum æqualiter sit illi cura de omnibus, cœlum terramque regens, subter omnes cœlos ipse considerat, et super terræ terminos lumen ejus. Suam autem Jerusalem, sacrosanctam videlicet et catholicam Ecclesiam, quæ [illegible] non saxorum molibus, sed miris virtutibus ædificatur ut civitas,in earum sublimitate conscendens singulariter et mirabiliter nec minus misericorditer de suo habitaculo præparato respexit.Hanc etiam PETRA CHRISTUS admirabili et ineffabili dispositione stabiliens,super se ipsum ædificavit eamdem,seque vivum constituit angularis lapidem firmamenti,ad evidentioris roboris firmitatem in sanctis Patribus,catholicæ doctrinæ verticibus,alia ei fundamenta substernens;ut in montibus fundata sanctissimis,etsi experiretur interdum concutientium impetus,nullius tamen vereretur ruinæ dispendium; sed adversus eam nec portæ inferi prævalerent; et virtutum elevata culminibus, nequaquam sub modio lateat; sed illarum evidentia cunctis pateat in salutis exemplum.In ea etiam idem pius et misericors Dominus eamdem Ecclesiam specialis respexit benignitatis intuitu, et direxit. Quanquam enim ipse ubique præsens, ut eadem ejus in omnibus cura regiminis æque cuncta regat, cuncta disponat, et ita impendatur in magnis quod non impediatur a parvis; nihilominus tamen, ex singularis amoris privilegio,eidem Ecclesiæ suum, cui claves exercendas tradidit, cui oves pascendas credidit,qui stans in specula,ei assidue directionis

tuis excessibus condolemus, et a tuo interitu paterna et episcopali sollicitudine te cupimus revocare.

Cupiditate tua vastata est terra Christianorum, templa Dei partim destructa, partim incensa, cum sanctorum ossibus cæterisque reliquiis, possessiones ecclesiarum, quæ fuerunt (a) vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum, illicite in tuos usus redacta, hæreditates nobilium ablatæ, et maxima multitudo hominum vel interfecta vel servitute oppressa, rapinæ crudelissimæ perpetratæ, adulteria et corruptiones virginum passim commissæ, episcopi legitimi (b) sedibus propriis expulsi, et, ut mitius loquamur, quia dicere noluimus (c) fures et latrones, mercenarii introducti, patroni nostri beati (d) Martini

præsentaneæ diligentiam exhiberet, vicarium deputavit, onus ex humano defectu importabile, divina tamen omnipotentia levigabile, portaturum. Hujus oneris molem immensam debilitati nostræ, fratrum nostrorum ministerio, his diebus imposuit superni consilii depositio, seu permissio, nobis nimirum terribilis et stupenda. Siquidem felicis recordationis Adriano papa prædecessore nostro, post promotionem suam ad summi apostolatus apicem, brevi dierum numero vitæ suæ tempora consummante, post exhibita eidem in solemnibus exsequiis debita humanitatis obsequia, nos et iidem fratres in episcopali palatio Viterbiensi convenimus, electioni substituendi pontificis juxta necessitatis instantiam et fervens nostrum desiderium vacaturi. Et licet diebus aliquibus per importunitatem Viterbiensium civium tractatui electionis instantis nec dare possemus initium, postquam tamen illi vacare potuimus, astitit, ut credulitas devota supponit, benignus sapientiæ spiritus, ex more a nobis et fratribus ipsis suppliciter invocatus; et prima die, de ipsorum fratrum concordi voto, parique concordia, processit de nobis tunc episcopo Tusculanensi impræmeditatis et insciis, ad Petri cathedram electio canonica communis et concors. In his itaque stupemus non immerito pariter et terremur. Nonne stupor, nonne terror, quod nos, qui tutioris semper putavimus esse consilii secure in domo Domini abjici quam periculose super aliorum curam et regimen elevari, sic subito in maris altitudinem venimus, et dum ab injuncti operis sarcinam insufficientes virtutum sumptus dispungimus, et vires impares comparamus, ab illius, nec indigne, timemus tempestate demergi. Hoc efficaciter suggerebant, ut in vocatione, qua nos vocaverat Dominus, maneremus, et debilitas onus refugeret, ac onus insufficientia nostra vitaret. Verum quia merces laboribus commensuratur et redditur (propter quod doctor et prædicator egregius, non de profectu glorians, sed veraciter suos labores attestans. *Non*, inquit, *plus omnibus profeci aut profui, sed plus omnibus laboravi*), licet deterreret onus et labor, ad subeundum tamen jugum apostolicæ servitutis, et in ea pro viribus laborandum, merces retributionis æternæ uniuscujusque nisi aliud misericordia retribuentis indulgeat, commensurando laboribus invitavit; et sub illius fiducia, qui lasso virtutem tribuit, cujus solius sufficientiæ plenitudo nostros sufficit supplere defectus, debiles humeros tanto subjecimus oneri, nec expavimus manus exponere immensitati laboris. Cæterum quia supra vires nostras esse conspicimus susceptum officium, illudque soli portare nequimus, præsertim cum advertamus aperte messem quidem multam esse, operarios vero paucos, et fidelium suffragia humiliter imploramus, et illos etiam qui sæcularis potestatis sollicitudinem in populo Domini susceperunt, ut in illo, prout ad eos pertinet, nobiscum fideliter et sollicite collaborent, decernimus exhortandos. Ideoque regalem celsitudinem rogamus, et instanter obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens quod datum est tibi divinitus in orbe pro non modica parte judicium, justitiam diligas, et eam omnibus tuæ ditioni subjectis, non omissa tamen clementia, diligenter observes. His enim columnis firmissimis stabiliuntur imperia, regna firmantur, muniuntur principes, et communiti lætantur statu pacifico principatus. Eamdem insuper Ecclesiam matrem tuam, et præsidentes eidem, ac personas ecclesiasticas, imo tuæ salutis actorem, per quem regnas et regeris, in illis ministris ipsius solerter honora. In his, fili charissime, laudabilis memoriæ prædecessores tuos non solum imitari, sed excedere studeas, quin etiam te ipsum virtutum successivis augmentis, velut de virtute in virtutem progrediens, superare; illam de nobis spem certam et fiduciam habiturus, quod tuam et regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, eam, quantum cum Deo poterimus, conservare studebimus, et, facultate succedente, favorabiliter promovere. Datum Viterbii, Nonis Octobris, pontificatus nostri anno primo. »

Vide Augustinum tractatu 118 et 124 in Joannem, itemque Hieronymum in initio libri tertii Commentariorum in Matthæum.

(a) *Vota fidelium.* Celebris locus, per eas tempestates valde laudatus in synodis et in capitularibus regum nostrorum. Citatur autem ex epistola Urbani I papæ. Sed revera sumptus est ex Juliano Pomerio, libro II de Vita activa, cap. 9. Nam illa Urbani epistola est supposititia.

(b) *Sedibus expulsi.* Hi fuerunt Subsannus Venetensis, Salaco Aletensis, Felix Corisopitensis, et Liberalis Oximensis, ut patet ex narratione de episcopatibus a Nomenoio institutis, quæ a Sirmondo edita est post Capitula Caroli Calvi. In his etiam fuit Actardus episcopus Nannetensis.

(c) *Fures et latrones.* Quo nomine Gislardum, qui in loco Actardi ejecti ordinatus fuerat, prosequitur Leo IV, ad Nomenoium scribens: « Non furem, nec latronem, qualem Gislardum esse sentimus in Nannetica sede, qui viventis quod non licuit, locum non timuit usurpare. » Exstat caput hoc apud Gratianum 7, q. I. Modestius ergo se gerunt episcopi Gallicani, qui pro furibus et latronibus hujuscemodi invasores tantum vocant mercenarios, ne videlicet principem, quem ab iis erroribus retrahere meditabantur, exasperarent, si verbis illis atrocibus uterentur adversus eos quos ipse episcopos constituerat. Erat enim in tali tempore tanta vis hominis magis lenienda quam exagitanda, ut verbis Sallustii utar.

(d) *Martini diœcesi.* Id est jus metropoliticum archiepiscopi Turonensis, qui beati Martini successor est. Nam ante Nomenoium Britannia provincia semper paruerat constitutis metropolitani Turonensis. Istis vero temporibus se ab ejus potestate subtraxerunt Britonum episcopi, deinceps subjecti archiepiscopo Dolensi usque ad Innocentii III tempora, invitis licet ac repugnantibus episcopis Romanis. Parum enim profuit decretum Urbani II papæ in concilio Claromontano; in quo, ut in veteri codice ms. Anianensi scriptum est: « Turonensi metropoli citerioris Britanniæ restitutio facta est. » Ejusdem decreti meminit etiam Hildebertus Cenomanensis in epistola edita ab eruditissimo viro Francisco Florente, ad tit. VIII *de Usu et auctoritate pallii*: « Unde diligentius intuenti, inquit Hildebertus, manifestum est totam Britanniam intra limites Turonensis Ecclesiæ contineri. Nec ego tamen super hac re quasi discutiendam suscito querelam, quam dudum in Romana decisam Ecclesia religiosæ noverunt et testantur personæ. Testatur idipsum venerabilis papæ Urbani privilegium Turonicæ metropoli collatum; in quo qui legit intelligit totam Britanniam ei tanquam suæ metropoli subjectam. » Parum id profuit, ut dixi. Nam ea provincia suum archiepiscopum per

quondam diœcesis, ex qua vos esse negare non potestis, violata, omnes postremo ecclesiastici ordines perturbati, quod nimis dolendo et compatiendo dicimus.

A Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant. Sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, et omnem læsisti Christianitatem, dum (*a*) vicarium beati Petri

multum ævi habuit post synodum Claromontanam. Et apud Beslyum in Probationibus Historiæ comitum Pictaviensium, pag. 414, exstant Acta quædam data recenter post concilium Claromontanum, anno nimirum 1096, indictione IV, VI Nonarum Martii, quibus subscribit Rollandus, Dolensis archiepiscopus. Quin et ipsius Gregorii VII conatus fuerat inutilis, qui statuerat « ut tam Dolensis quam cæteri Britanniæ episcopi perpetuam deinceps subjectionem et obedientiam exhiberent archiepiscopo Turonensi. » Tandem Innocentius III eam litem finivit; deincepsque Britannici episcopi archiepiscopo Turonensi fuerunt subjecti. — *Diœcesis*, Id est provincia. Nam tum vox *diœcesis* maxime in usu erat ad significandam integram provinciam. Diœcesis vero cujuslibet B episcopi *parochia* dicebatur, ut monemus ad canonem 3 consilii Vernensis.

« *Vicarium beati Petri*. Id est Leonem papam, hujus nominis quartum, ut mox dicet. Sic enim vulgo, honoris causa, vocatur episcopus Romanus in libris scriptorum veterum et ab ipsis etiam pontificibus Romanis, ob hoc nimirum, quod Petri vicem teneat. Sed, quod mirere, cæteri quoque episcopi passim vocantur vicarii beati Petri, ea videlicet de causa quod Petrus, cum ei Christus diceret: *Pasce oves meas,* quæ verba pertinent ad cæteros etiam apostolos, *totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam*, ut ait Augustinus. Insignis est locus ex libro Ambrosii de Dignitate sacerdotali cap. 2, ubi sic scriptum est de Petro: « Et cum tertio fuisset interrogatus, et trina responsione fuisset secutus, repetitum est a Domino tertio. *Pasce oves meas*. Quas oves, et quem gregem, non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed etiam nobiscum eas C suscepit, et cum illo nos suscepimus omnes. » Et in capite primo dixerat cunctos sacerdotes accepisse claves regni cœlorum in beato Petro apostolo. Unde non insulse Mapinius, episcopus Rhemensis, scribens ad Villicum ait: « Licet sancto Petro hoc a Domino dictum legamus. *Pasce oves meas*, sed ad cunctos qui sacerdotale funguntur officium pertinet præsens sententia. » Audacior fuit, et quidem post Gregori VII tempora, Petrus, abbas Cellensis. Ausus enim est scribere ad Hugonem, archiepiscopum Senonensem, eamdem ipsi sollicitudinem incumbere quæ Christo et Petro. Hæc sunt ejus verba ex epistola 8 libri primi: « Vineæ Christi devastatores uvas, sive ejus ovilis oves lupi rapaces toto die devorant, pede conculcant, manu dilaniant; et vestra, benignissime Pater, vigilantia obviare dissimulat. Quare non attenditis quid pro officio, quid pro sponsione, quid pro dilectione, summi pastoris ovibus magnus pastor debetis? Certe defensionem, certe instructionem, D certe sollicitudinem. Sed qualem vel quantam? Sine dubio quantam Christus, qualem Petrus. » Hanc porro auctoritatem arcessit ex verbis Christi ad Petrum, quod ea, ut Ambrosius et Mapinius, crederet omnibus apostolis dicta in persona Petri. Nam ait paulo post: « Vobis si quidem in Petro dictum est, *Pasce agnos meos,* sana scilicet doctrina. Vobis rursum dictum est, *Confirma fratres tuos*, bono utique exemplo. Nihilominus claves regni cœlorum tenetis, ut hœdos excludatis, et agnos admittatis. » Sic eodem sæculo sanctus Bernardus in epistola 41 aiebat ad Henricum, archiepiscopum item Senonensem: « Igitur ex quo regni cœlorum claves Deo auctore vobis traditas suscepistis. » etc. Quoniam ergo existimabant boni illi viri Christum universis episcopis esse locutum in persona beati Petri, quem ob hoc Petrus Cellensis lib. VII, epist. 1, ait esse *optimam formam omnium prælatorum*, ea de causa factum est ut non solum episcopum Romanum, sed et cæteros quoque episcopos vocarent Petri vicarios, Hæc sunt verba Caroli Magni in libro V Capitular., cap, 163: « Quod ex verbis Domini facile intelligi potest, quibus beato Petro, cujus vicem episcopi gerunt, ait: *Quodcunque ligaveris,* » etc. Jonas Aurelianensis in opusculo de Institutione regia cap. 2: « Qualis igitur sit potestas et auctoritas sacerdotalis ex verbis Domini facile animadvertitur, quibus beato Petro, cujus vicem indigne gerimus, ait: *Quodcunque ligaveris super terram,* » etc. Hincmarus Rhemensis in Capitulis quæ dedit archidiaconibus presbyteris anno 877: « Beatus Petrus apostolus, cujus vice in Ecclesia funguntur episcopi, » etc. Hinc illa Gallicanorum episcoporum verba in conventu Pistensi anno 869: « Secundum auctoritatem quam in beato Petro accepimus, dicente Domino. *Quodcunque ligaveris,* » etc. Et in actis coronationis Hermintrudis uxoris Caroli Calvi episcopi locum illum ex capite XII Actorum, ubi scriptum est orationem factam sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro Petro interpretantur *pro omni episcoporum choro.* Petrus Blesensis in epistola 22: « Episcopus illitteratus præco est mutus. Prælati est erudire subjectos, reddere populum acceptabilem Deo, aperiendo mysteria Scripturarum. Petro enim et successoribus ejus præcipitur ducere in altum rete, id est profundam sacræ Scripturæ intelligentiam in capturam hominum aperire. » Clarius mentem suam aperit in epistola 148, ad episcopum Bathoniensem: « Recolite, Pater, quia beati Petri vicarius estis. Vobis in eo quandoque dictum est: *Si diligis me, pasce oves meas.* » Et Petrus Cellensis gratulatoriam epistolam scribens ad Willelmum Senonensem archiepiscopum, eum miris laudibus effert quod in electione Joannis Saresberiensis, episcopi Carnotensis, abstinentem se et integrum præstiterit. « Certe hoc in Rationali et Superhumerali tuo, » inquit ille in epist. 8, libri VII, « Pater amantissime, stylo ferreo, ungue adamantino scribetur, quod in vicariis Petri eligendis nulla te movet humana gratia, nullus favor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ avaritia. » Demum Gildas Sapiens, qui sub imperatore Justiniano floruit, non obscure sentit quemlibet episcopum tenere sedem Petri. Sic enim scribit in epistola de excidio et conquestu Britanniæ: « Sacerdotes habet Britannia, sed insipientes;... sedem Petri apostoli immundis pedibus usurpantes, sed merito cupiditatis in Judæ traditoris pestilentem cathedram decidentes. » Et Petrus Blesensis in epistola 158 scribit unumquemque episcopum præesse naviculæ Petri. Itaque sic constituere possumus. Christus Dominus, verus et unus sanctæ Ecclesiæ sponsus, qui solus Ecclesiam regere potuit quam redemit, ut Lupi verbis utamur, eam suprema auctoritate moderatus est, quandiu inter homines habitavit. Is ergo suscepta semel Ecclesiæ gubernacula non reliquit; sed semper nobiscum est divinitate, ut ait idem Lupus, « et arbitrio, et nutu, ac præsentia sua, et præpositos ipsos, et Ecclesiam cum præpositis gubernat, » ut in epistola 69 scribit Cyprianus. Idipsum, diu post Cypriani sæculum, in concilio Turonensi sub Alexandro III pronuntiavit Arnulphus, episcopus Lexoviensis: « Præterea, inquit, habemus assistentem nobis etiam Christum. Neque enim Ecclesiam ea nobis conditione tradidit ut relinqueret. Semper assistit. » Et post Arnulphum illam ipsam sententiam magnificis verbis, et quæ sedis apostolicæ pontificem deceant, expressit Joannes XXI in epistola scripta ad regem Majoricarum, quæ nondum edita est, quamque ea de causa damus supra. Christus ergo suscepta semel

Leonem apostolicum, cui dedit Deus (a) primatum in omni orbe terrarum, sprevisti. Cum enim eum postulasses ut in libro suo te scriberet, et pro te Dei clementiam exoraret, et ille (b) directis litteris se id

Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Promisit enim Ecclesiæ futurum se nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quia tamen necessarium esse intelligebat ut post subvectionem suam in cœlum aliqui locum suum implerent in terris, qui veram fidem conservarent, et morum sanctitatem suaderent, alios quidem fecit apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores. Sed tamen cæteros subjici voluit apostolis, quibus summam dedit in Ecclesia potestatem, decernens ut id quod ipsi in commune statuissent cunctos Christianos teneret. Unde Cyprianus, in epistola 55 potestatem episcoporum, quam ad gubernandam Ecclesiam acceperunt, sublimem ac divinam potestatem vocat; super hos enim constitutam esse Ecclesiam, ut in epistola 27 idem Cyprianus scribit. Et apostolorum quidem omnium par fuit honor et par potestas. Petro tamen, ob manifestam Christi confessionem, concessa est prærogativa primatus; ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Unde factum est ut quia episcopi apostolis *ordinatione vicaria successerunt* (ut ad Cyprianum scribit Firmilianus, ac Cyprianus ipse in epistola 69 ad Florentium Pupianum) Petrusque apostolorum princeps sit, episcopi sequentibus sæculi dicti sint vicarii beati Petri et successores apostolorum Petri et Pauli. Quæ causa fuit ut Anglorum rex Edgarus, qui anno 966 vivebat, episcopos dixerit habere gladium Petri. *Ego Constantini*, inquit, *vos Petri gladium habetis*. Postea tamen, augescente Christianorum pietate et reverentia in Romanum pontificem, ejusque auctoritate feliciter in dies magis ac magis apparente, ista successionis Petrinæ dignitas huic soli reservata est; satisque factum videtur reliquis episcopis, si dignitas illorum derivetur a successione cæterorum apostolorum. Unde et gravem calumniam ætate sua sustinuit Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, quod, ut aliqui aiebant, dicere ausus esset non majoris dignitatis esse papam Romanum quam esset ipse. Itaque quoniam Hincmarus hac invidia gravabatur, calumniam hanc a se amoliri conatus est, legisque Remmiæ reum statuit accusatorem suum. Ut rem in pauca contraham, ita existimare debemus, Christum auctoritatem suam tribuisse apostolis, id est episcopis. *Quoniam apostolos, id est episcopos et præpositos, Dominus elegit*, ut in epistola 65 scribit Cyprianus. Apostolorum omnium par fuit honor et par potestas, ut idem Cyprianus scribit. Apostolis successserunt episcopi; sed ita tamen ut episcopus Romanus, qui Petri et Pauli sedem occupat, primam et maximam habeat pro veritate sententiam, ut ait Facundus Hermianensis. Igitur si quid magni momenti ingruat quod sacerdotum Domini congregationem requirat, tum habenda est synodus, in qua stabiliri possit vera fides. Verum hoc remedium nonnisi ob gravem causam adhibendum est. Augustinus enim scribens contra duas epistolas Pelagianorum, valde eorum superbiam exagitat lib. IV, cap. 12, quod hanc gloriam captarent ut propter illos Orientis et Occidentis synodum congregare postularent; id vero iniquum esse censet. In synodis autem episcopi omnes summam habent auctoritatem. Et in regendis Ecclesiis suis, quarum sunt magistri, ut Salviani et Agobardi verbo utar, nulli rationem reddere debent quam Christo, si causa communis non sit, ut docet canon 7 Antiochenus. Quod autem paulo supra dictum est tribus verbis ex sententia Cypriani apostolorum omnium parem fuisse honorem et potestatem, paulo uberius explicandum est propter scandalum infirmorum. Sed in ipso statim initio proponendus est ipse Cypriani locus juxta editionem Baronii : « Et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis peccata, remittuntur illi; si cui tenueritis, tenebuntur*; tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. » Ex quo Cypriani loco patet primatum Petro collatum fuisse a Christo etiam super cæteros apostolos. Unde et Gelasius papa dixit Romanam Ecclesiam, quæ a Petro fundata est, non synodicis constitutis prælatam esse cæteris Ecclesiis, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuisse. Intellexit Baronius quanti momenti esset hic Cypriani locus ad asserendum primatum summi pontificis, ideoque illum retulit integrum ad annum 34, § 199. Quem Baronii locum si vidisset ejus continuator Odoricus Raynaldus, abstinuisset a censura quam nimis imprudenter ac temere protulit adversus cardinales in Liburno oppido diæceseos Pisanæ consistentes. Hi enim scriptis quaquaversum encyclicis litteris, quibus dolorem suum testabantur de scissione Ecclesiæ, magnoque se desiderio perurgeri ut concordiam revocari procuraret, litteras illas ordiuntur a celeberrimo illo Cypriani loco, absque ulla tamen Cypriani mentione, ac si Cypriani non esset, sed ipsorum cardinalium. At Raynaldus, cui vulgatissimus hic locus nondum notus erat, ubi perventum est ad hæc verba, *Hoc erant utique*, etc., interrumpit sermonem cardinalium et exclamat : « Conficta fuit hæc hæresis, scilicet apostolos pari honore et potestate cum sancto Petro instructos, cum maxima animi indignatione permoti cardinales pontificem sibi vellent subjicere, neque adverterent D. Petrum fuisse reliquorum apostolorum principem a Christo constitutum, quanquam maximam ab eodem Christo auctoritatem accepissent, nec secum ipsi reputarent, cadente primatu apostolico, cardinalitiam dignitatem omnino corruere, neque cæteris parochis futuros cardinales digniores. » Vide locum tomo XVII Raynaldi ad annum 1408, § 21. Ex hoc interim loco discimus Raynaldum in ea esse sententia

(a) *Primatum in omni orbe*. Sic Arator subdiaconus papam Vigilium vocat primum omnium sacerdotum in toto orbe. Hæc est enim epistolæ Aratoris epigraphe in vetustissimo codice ms. Corbeiensis monasterii, qui nunc exstat in bibliotheca S. Germani Pratensis apud Lutetiam : *Domino sancto, beatissimo, atque apostolico, in toto orbe primo omnium sacerdotum, papæ Vigilio, Arator subdiaconus. Mœnibus undisonis*, etc. Sic Lucentius episcopus dixit in actione XVI concilii Chalcedonensis Leonem papam esse totius Ecclesiæ præcipuum episcopum. Quin et Justinianus imp. l. 7. Cod. de sum. Trin., ait beatitudinem papæ Veteris Romæ esse caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum. Sic Hincmarus in cap. 36 posterioris operis adversus Goteschalcum S. Gregorium papam vocat pontificem primæ sedis in toto terrarum orbe.

(b) *Directis litteris*. Epistolæ istius ad Nomenoium a Leone IV scriptæ meminit Nicolaus I ad Salomonem regem Britonum scribens : « Denique sanctissimus Leo papa, inquit, Nomenoio scribens, inter cætera, præcipuum virum Actardum appellat, et hunc sanum sapere, et sanum docere, vivere ac permanere denuntiat; Gislardum vero tanquam prædicti Actardi sedulum invasorem denotat. » Ejusdem Leoninæ epistolæ fragmentum exstat apud Gratianum 7, q. 1, cap. *Non furem*.

facturum promisisset, si se monentem obedienter A audires, non solum nihil eorum quæ mandaverat fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti; et quia nolebas a malo desinere, timuisti bene monentem audire. In eo **128** igitur læsisti apostolos, quorum est princeps Petrus. Læsisti episcopos, qui jam cum Deo regnant in cœlis et miraculis coruscant in terris. Læsisti et nos : qui etsi non habeamus eorum meritum, idem tamen divina gratia possidemus officium.

Nuper etiam excipiens (*a*) Lantbertum, quem Ecclesia materna pietate ex aliqua parte receperat, ea scilicet conditione ut se corrigeret et mala solita perfecte declinaret, fecisti te participem, imo auctorem perturbationis populi Christiani. Eum enim amator pacis dominus noster rex etiam (*b*) ad tuam B suasionem removerat a finibus tuis, et aliis honoribus decoraverat. Et nunc eum rebellare conantem velut in gremium recepisti, et ut in malo proficiat fovere non desinis. Jube afferri (*c*) libros tuos. In eis comminantem Dominum audies : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris* (*II Par.* XIX); et non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus dignos esse morte invenies.

Nec ignoras quod (*d*) certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerunt, quos ipsi vindicaverunt sibi, et certi quos petentibus concesserunt Britannis. Quomodo ergo despicis legem Dei, quæ præcepit *ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII)? et terram Francorum injuste tibi defendere conaris, nec formidas illud : *Maledictus qui transgressus fuerit terminos proximi sui* (*Deut.* XXVII)? O quid facturus es in die magni judicii, cum tibi reddenda erit ratio de tuis annis, mensibus, horis, momentis? et hoc erit celeriter. Verum est enim quod juvenis possit cito mori, sed senex diu non possit vivere? Ante te prolixum fuit **129** sæculum. Post te quoque Deo certum est quantum durabit. Pro hac vita brevissima noli tibi sempiternam miseriam comparare.

Nisi deponas pervasionem alienorum, oppressiones omnium, societates perditorum, et recipias admonitionem sedis apostolicæ nostræque unanimitatis, non tibi prodest fides, nec quæcunque putas bona opera : quia Salvator dicit : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII).

tentia ut cardinalium institutionem prorsus referat ad tempus illud quod primatus Petro datus est, et tamen eos esse parochos. Tum cardinalium illorum cæcitatem et amentiam deplorat, qui non animadverterent quantum sibi vulnus infligerent, si vera essent quæ de æqualitate apostolorum scripta erant. Ruituram enim illorum dignitatem, futurumque ut demittatur infra episcopalem. C

Dixi episcopos rationem administrationis suæ nulli reddituros esse nisi Christo, si causa communis non sit. Quod intelligendum est quoad administrationem uniuscujusque diœceseos, clericorum videlicet ordinationes, et cætera usurpari solita apud Ecclesias, ut docet canon 9 Antiochenus. Neque enim per causas communes hic intelligo causas majores, eas nimirum quas ex veteri jure referri oportet ad sedem apostolicam. Nam præterea si episcopus incidat in crimen, aut aliquid agat extra regulam, corrigi potest a metropolitano et synodo provinciali, ut nemini ignotum est. Et si quid in quapiam diœcesi incidat quod in episcoporum comprovincialium notitiam deferri mereatur, veluti si presbyter accusetur de crimine, aut alia quædam communis causa provinciæ emergat : tum episcopus eam causam reservare debet judicio suorum collegarum, ut omnes in commune consulant quid facto sit opus.

(*a*) *Lantbertum.* Comitem olim Mannetensem, qui D ita inflammatus adversus Carolum, quod in sui contumeliam, Reinoldum Nannetensibus præfecisset comitem, verterat se ad Britones, eosque et copiis militaribus et multa rei militaris peritia juvabat. Vide Chronicon Ademari Cabanensis, et Adrevaldum, lib. I de Mirac. sancti Benedicti, cap. 33, itemque chartam Angeliacensem a Beslyo editam. Rediit dein in gratiam cum Carolo anno 849, ab eoque dignitatem suam recepit, id est custodiam limitis Britannici, ut fidem facit auctor Chronici Fontanellensis : « Lamberto comiti reddita est marka. » At vir mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus, rursum se Nomenoii pastibus conjunxit anno sequenti, ut scriptum est in eodem Chronico ad annum 850 : « Lambertus comes et Warnarius frater ejus, tyrannidem meditantes, a fide defecerunt, et Nomenoio tyranno Britonum se conjunxerunt. Sed non multo post Warnerius a Gausberto comite captus est, regique præsentatus. » Obiit deinde Lambertus anno 852, ut habetur apud Ademarum et in fragmento Chronici Lemovicensis : « DCCCLII, Lambertus comes a Gauzberto Cenomanensium ante Kalendis Maii occiditur. » Chronicon Fontanellense : « Ipso tempore Lantbertus a Gausberto juvenculo interimitur, et fratres ejus Warnarius jussu regis capitalem excepit pœnam. »

(*b*) *Ad tuam suasionem.* Hinc colligitur Carolum id dedisse flagrantibus Nomenoii precibus, ut Lantbertum ad urbe Nannetensi removeret, Britonibus haud dubie invisum ob impigram bellandi industriam, qua eos frequenter exercebat; ut patet cum ex hoc loco, tum etiam ex Annalibus Fuldensibus ad annum 825. Et ut ferme fit in hujuscemodi rebus, virum multa belli fama clarum in suas partes postea secedentem non inviti receperunt, sperantes ejus ope incommodaturos se plurimum iis gentibus, quibuscum bella gerebant.

(*c*) *Libros tuos.* Id est divinos, ut recte monuit Baronius, hunc Lupi locum referens. Nomenoius enim Christianus erat. Et libri divini sunt libri Christianorum; quemadmodum libri in quibus leges continentur, *libri nostri* vocantur a jurisconsultis.

(*d*) *Certi fines.* Certum est continua ferme bella fuisse inter Francos et Britanniæ minoris regulos. Quandonam vero constituti limites Francorum et Britonum, non adeo exploratum habetur. Probabile tamen est id evenisse regnante Clodoveo I, cujus virtute domiti sunt Britanni, ut docet Gregorius Turonensis lib. IV, cap. 4 : « Nam semper, inquit, Britanni sub Francorum potestate post obitum regis Clodovei fuerunt; et comites, non reges, appellati sunt. » Et iis quidem Nannetes, Rhedones, ac Veneti, non fuere subjecti; sed tantum populi, ab istorum finibus ad Oceanum usque. Itaque omnia angustum videbatur tam arctis limitibus concludi, excedebant interdum limitem Britannicum, Nannetumque, Rhedonum ac Venetorum civitates aliquandiu sub imperio habuerunt. Sed eas rursum Britannis Franci eripuere. Tandem et illas quoque invasit Nomenoius: quas cum ipse ac filius Herispoius virtute retinerent, Carolus Calvus earum dominium transfudit in Herispoium, ut docet auctor Annalium S. Bertini..

Cogita quid mereatur qui scandalizaverit unum de pusillis ; et ita poteris colligere quam ingentem sis perlaturus, nisi resipueris, damnationem, qui partem maximam populi Christiani gravissime perturbasti.

Monemus te, obsecramus, obtestamur, tuæ salutis cupidi, pone finem malis tuis, convertere ad Dominum, cujus nemo nostrum potest effugere judicium. Fac fructus dignos pœnitentiæ. Hoc est. Quia granditer deliquisti, granditer bona exerce ; ut non solum non torquearis cum diabolo et reprobis in inferno, verum etiam gaudeas cum Deo et electis ejus in cœlo. Id quoque tibi pollicemur quia si te Deo restitueris, apud eum intercessores pro peccatis tuis esse cupimus ; et apud pium principem nostrum, ut tibi tuæque posteritati benigne consulat, conabimur obtinere.

Maximum reatum te contraxisse scimus quod epistolam sedis apostolicæ respuisti, existimans aliqua in ea (*a*) tibi noxia contineri. Sed quod exemplar ejus venerabilis papa nobis dignatus est dirigere, notum tibi facimus nihil in ea contineri quod ad tuam pertineat læsionem ; et **130** propterea parati sumus, si vis, secundo (*b*) legatum sedis memoratæ cum scriptis toti mundo venerandis dirigere. Quod si eum non receperis, nos, qui monuimus, excusabiles erimus. Si autem receperis et auscultaveris, et Dominum et beatum Petrum propitios, et nos habebis in fide conjunctos et intercessione proficuos. Si vero nos benigne monentes contempseris, certum tibi sit nunquam tibi futurum locum in cœlo, et cito non futurum in terra : quia tua culpa separatus ab apostolica et nostra societate, anathematis ultione locum habebis, quod avertat Deus in tartaro.

Hoc etiam per tuum ministerium denuntiamus Lantberti hominibus et quibuslibet gentis tuæ, quia si communicaverint ipsi et rebellioni ejus consenserint, anathemate condemnabuntur, et traditi Satanæ sine fine peribunt. Conversos autem recipimus.

A et in pace Christiana permanere optamus, atque pro eis parati sumus domini nostri regis clementiam, quantum possumus, flectere.

EPISTOLA LXXXV.

AD MARCWARDUM.

Reverentissimo et clarissimo Patri Marcwardo Lupus perpetuam salutem.

Nuper a magnificentissimis epulis reversus, hoc est a Britannica expeditione, vix resumpto spiritu per cursorem hunc prosperitatis vestræ veritatem discere cupio ; ut quia propriis angoribus æstuo, saltem vestris secundis successibus requiescam. Dominus meus rex, vester alumnus, cum **131** me deliciis quas gravabat, liberaret, suo vos nomine salutari præcepit : quod quam libenter faciam æsti- B mare potestis. Charissimum nostrum, hoc est, communem filium Eigilem, et post eum, Ansb. cæterosque fratres, parvitatis meæ nomine dignamini salutare. Cuppas viatico aptas, forma et qualitate pretiosissimas, ligneas duntaxat, mihi, cum opportunum vobis fuerit, curate dirigere : quia dum video pretiosiores quas aliis tribuistis, propemodum invidiæ morbum incurro. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA LXXXVI.

(c) AD HATTONEM.

Charissimo suo Hattoni Lupus in Domino salutem.

Quanquam occupationes inevitabiles colloquium nostrum, quod frequens esse debuit, impediant, tamen eis paulum perdilatis, nobismetipsis consula- C mus oportet, ne salutaria consilia, quibus invicem auctore Deo juvare possumus, ad nostrum detrimentum ulterius negligantur. Curate igitur hoc mense Octobri, die quo significaveritis, ad Arceias vestras mihi occurrere ; ut loco utrisque medio convenientes, opportune possimus de rebus necessariis consultare. Noveritis etiam (*d*) Odacrum abbatem et consanguineum nostrum libram auri, quam nostis, instante (*e*) Viviano repetere, cujus humanitas nulla in

(*a*) *Tibi noxia.* Rescripserat Leo IV ad Nomenoium epistolam quamdam, quam is suscipere recusavit, existimans, ut ait Lupus, quædam in ea contineri contraria dignitati suæ. Suetum in Gallis nostris, quoties rescripta Romanæ curiæ adversari creduntur regum nostrorum juribus aut libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Quoniam vero episcopi agnoscebant hanc Nomenoii exceptionem esse justissimam, fidejussores se præstant nihil in ea Leonis epistola contineri quod majestatis jura violet.

(*b*) *Legatum.* Miserat igitur Leo legatum cum epistola illa quam diximus. Hunc vero legatum Britanniam attingere vetuerat Nomenoius, quod tunc temporis existimarent principes non licere Romano pontifici mittere legatos in provincias absque consensu ac voluntate eorum penes quos Deus posuit regimen populorum.

(*c*) *Ad Hattonem.* Abbatem dein Fuldensem, cognomento Bonosum et Gloriosum, qui, vitio librariorum, ut adnotat Browerus, Valdo nominatur apud Lambertum Schafnaburgensem. Quare et magno errore, quæ de Waldone abbate et Udone ac Berengario fratribus ejus comitibus, Ratisbonæ gesta, Francorum Annalibus leguntur ad annum Christi 861, Waldoni abbati Fuldensi apud Lambertum ascripta sunt. Successit autem Rabano, qui dein archiepiscopus fuit Moguntinus. Quonam vero anno id factum sit, hactenus incertum fuit. Quidam enim eum Rabano successisse tradunt anno 847, cum is factus est archiepiscopus ; quorum opinionem rejiciendam esse Browerus arbitratur. Ex epistola porro 40 Lupi D apparet Rabanum renuntiasse regimini monasterii Fuldensis antequam ad episcopatum perveniret, curamque hanc transtulisse in Hattonem, quod anno 842 contigisse illic adnotavimus. Obiit anno 856, ut docet auctor Annalium Fuldensium : « Decessit Hatto abbas Fuldensis cœnobii pridie Idus Aprilis : in cujus locum, per electionem fratrum et auctoritatem regiam ordinatus est Thioto unus ex ipsis monachis. » Hattonis epitaphium exstat apud Christophorum Browerum in libro IV Antiquitatum Fuldensium.

(*d*) *Odacrum abbatem.* Monasterii Cormaricensis in diœcesi Turonensi, factum dein abbatem primum monasterii Villalupensis in eadem diœcesi. Vixit usque ad annum 868, excessitque e vita V Non. Maii.

(*e*) *Viviano.* Rectore sive abbate S. Martini Turo-

humanitate exasperanda est. Mature cursorem hunc remittite, ut tempore quo significaveritis valeam vobis ad memoratum locum occurrere. Cum jam emisissem cursorem, supervenit **132** Rath., et causas vestras nuda veritate patefecit : quibus cognitis, accelerandum colloquium multo mihi maxime visum est, ut rebus asperis demonstrante Deo per subtilem tractatum prudenter possimus occurrere. Interim quemadmodum idem (*a*) Rath. (qui nihil meritus impetum indignationis excepit) restituatur elaborate; quia vehemens indignitas est quod propter rem ad se nihil pertinentem tam diuturni laboris præmio vacuatur.

EPISTOLA LXXXVII.

(*b*) AD HUGONEM.

Fratres nostri, qui ad vos directi sunt, retulerunt nobis commotionem vestram, quæ occasione illius hominis accidit qui cum aliis malefactoribus rapinam sectando, sibi vitam auferri coegit ; cujus rei nos non fuisse conscios optime nostis. Unde cum id venerabilis filius vester nobisque familiaris Stephanus, non sicut res erat, sed sicut ei falso relatum fuerat, narrasset, misimus præpositum nostrum talium peritum et, ut ejus ætatem atque nobilitatem decet, anxie religiosum ; qui, secundum prudentiam quam in sæculo hauserat, causam cum vestro nuntio discerneret et finiret. Verum quia qui justitiam quærebat, ipse implere nolebat, exitum res non potuit invenire. Itaque has litteras celsitudini vestræ dirigendas curavimus ; quibus placare cupimus animi vestri motum, quem nequaquam ulla nostra negligentia aut pervicacia provocavimus. Potentia enim culminis vestri nequaquam **133** personis, sed justis causis favere debet, nec vilitatem nostram, sed divinam majestatem, cujus, quanquam indigni servi sumus, et beati Petri reverentiam attendere, nec nobis aliquid mali comminari aut inferre, qui sic justitiam repetimus sicut reddere parati sumus. Hoc etiam prudentiam vestri culminis commonemus ne propter defensionem perditorum hominum patrocinium beati Petri et nostram antiquam familiaritatem aspernemini. Sed cogitantes quod scriptum est : *Quia sperantes in Domino misericordia circumdabit* (*Psal.* XXXI) ; et : *Omnis qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII), ita exortam controversiam sopire dignemini ut nec nos gravari patiamini, nec vestros impune male agere permittatis ; ne forte, quod absit, Dei vindicta in vos propter iniquorum consensum redundet. Optamus vos bene valere et sicut nobilitatem et sapientiam vestram decet in omnibus agere.

EPISTOLA LXXXVIII.

AD HUGONEM ABBATEM.

Summa veneratione suspiciendo Hugoni abbatum summo Lupus præsentem et futuram salutem.

Postquam vos nosse cœpi, diu in vestram venire notitiam, fateor, concupivi. Quod tandem vestra dignatione consecutus, plurimum vobis confidere audeo, dum et (*c*) singularem in vobis nobilitatem et convenientem nobilitati sapientiam frequenter considero. Qua causa cum mihi quod nec timueram, nec, ut opinior, merueram, contigisset ut dominus rex **134** cellam cœnobii nostri, unde edictum et ipsius et patris ejus domini Ludovici serenissimi Augusti habemus, nobis ablatam Odulfo comiti daret, eamque, ut eum decebat, Deo inspirante, et amplissimo viro Adalh. (*d*) cooperante, nobis restituisset, vos potissimum hortante ipso Adalh. credidi expetendos, qui et ipsius Odulfi periculosam aviditatem prudenter compesceretis, et nobis benigne memoratam cellam restitueretis. Vestra igitur longe lateque bonitas pervulgata nobis vehementer indigentibus pro Dei amore secundum litteras regias quam celerrime fieri potest subveniat ; ut et calamitatis nostræ commiseratio præmium vobis pariat sempiternum, et a nobis et a posteris nostris beneficii vestri memoria fideliter celebretur.

EPISTOLA LXXXIX.

AD PARDULUM.

Ex parte reginæ.

In nomine Dei solius et omnipotentis. Irmindrudis (*e*) divina ordinante gratia, regina venerando Pardulo episcopo salutem.

nensis. Sic enim tunc solebant principes committere monasteria viris sæcularibus. Is est fortasse Vivianus princeps pagi Cenomanensis, cujus mentio exstat apud Hericum in libro de Miraculis S. Germani Autissiorensis cap. 48. *Principem* autem, opinor, dixit pro *duce*, seu *comite*. Nam de Viviano comite hæc habet auctor Chronici Fontanellensis ad annum 849 : « Isto anno, mense Martio, cepit Vivianus comes Carolum fratrem Pipini, qui ad auxilium fratri ferendum Aquitaniam destinabat, aliosque complices ejus. » Obiit anno 851, ut scriptum est in Chronicis Lemovicensi et Engolismensi : « Carolus quarta vice Britanniam repetens, cum Erispoio filio Nomenoii certamen iniit XI Kal. Septembris, partemque exercitus cum Viviano duce amisit. »

(*a*) *Rath.* Integrum hujus viri nomen debemus epistolæ 91, ubi vocatur Ratharius.

(*b*) *Ad Hugonem.* Abbatem sancti Martini Turonensis, regali prosapia ortum, ut in epistola 305 testatur Joannes VIII papa. Obiit anno 887, ut constat ex Chronico Andegavensi, et ex Abbone, libro II de obsidione urbis Parisiacæ. Vide Sirmondum ad Capitula Caroli Calvi, pag. 104. Ad eum item est sequens epistola.

(*c*) *Singularem nobilitatem.* Quia nimirum, ut ad superiorem epistolam diximus, ex regali prosapia ortus erat, ut in epistola 305 testatur his verbis Joannes VIII : *Hugoni strenuo, nobili, regali prosapia edito, atque excellentissimo abbati.* Ideo propinquum eum suum vocant Carolus Calvus et Ludovicus Balbus, ut Sirmondus admonet.

(*d*) *Adalh.* De nomine istius viri vide quæ adnotamus ad epistolas 55 et 92. Ex ista porro epistola dicimus non recessisse Odulphum a possessione cellæ S. Judoci, tametsi eam Carolus restitui jussisset monasterio Ferrariensi. Itaque Hugonem orat Lupus ut auctoritate sua se juvet ad reprimendam audaciam Odulphi.

(*e*) *Irmindrudis.* Sive Hirmintrudis, Caroli Calvi regis uxor. Eam enim, non aliam, reginam vocare potuit Lupus abbas Ferrariensis in regno Caroli constitutus. Quare falsus est Massonus cum abbre-

Res novas, super quibus vos nihil posse scribere A significatis nisi quod per Rhotbertum jam mandaveratis, prosperas exuberante Dei gratia provenire cupimus et audire. Diem vero vestræ ordinationis nostris et nostrorum precibus vobis utinam profuturis solemnem facere studebimus. Præterea quæ misistis munera grata nobis fuerunt; et stolæ cujus imposuistis laborem libenter experiri curabimus, et secundum vestram suggestionem **135** propitio Deo, qui nos fecit et tantis bonis cumulavit, noxium studebimus otium evitare. Vestris tamen semper efficacibus juvemur orationibus: quia nihil unquam nobis præstabitis quod non de vestra probabili fidelitate præsumpserimus. Hoc a vestra benignitate impetratum volumus; ut pro his qui in defensione patriæ suas posuerunt animas Dei clementiam sup- B pliciter flagitetis, et superstitibus eorum hominibus auxiliemini quantumcunque vobis possible fuerit.

EPISTOLA XC.

(*a*) AD ODACRUM ABBATEM.

Tertio Non. Julii Deo propitio ad monasterium nostrum reversus, primum ut potui vestræ prudentiæ has litteras dirigendas curavi, quibus totis affectibus vestræ benevolentiæ gratias refero quod fratres nostros et cæteros homines tantæ calamitatis angustias deprehensos aperto charitatis gremio excepistis et materna pietate fovistis; quorum relaxatio adeo me lætificavit, ut epistolaris angustia vix valeat indicium meæ in vos voluntatis aperire; cum et germanos meos singulari dilectione tractetis, et amplissima liberalitate nostris omnibus quantam vix unquam sperare poterant præbeatis. Proinde opto C ut divina gratia, cujus munere (*b*) tales estis, exiguitati meæ largiri dignetur ut quantulamcunque vicem rependere sufficiam, integra vero merces ab eo vobis restituatur qui summam præceptorum suorum in soliditate charitatis constituit.

136 EPISTOLA XCI.

AD MARCWARDUM ABBATEM.

(*c*) In Aquitanica congressione manifesta morte liberatus, post captivitatis molestias solutus utroque periculo, ingenti Dei gratia, cui maxime præfidebam et sanctorum ejus, beneficio præterea cujusdam Turpionis (*d*) ereptus, integra valetudine ad monasterium III Nonas Julii remeavi; ubi, quod ultro sciebam, et fratrum meorum Hattonis (*e*) et Ratharii relatu, et litterarum vestrarum lectione certior factus sum mea calamitate vos vehementer commoveri. Jamque mihi videre videor vos ingenti gaudio exsultare, cum me, quem dolebatis aut captivum aut mortuum, accipiatis incolumen in monasterio residere. Ego vicissim fratresque omnes de vestra tam fructuosa reversione maxima lætitia gratulamur; et Domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quod non solum vestram excellentiam nobis restituit, verum etiam vestro labore duplex patrocinium sanctorum providit. Pro vestra quidem incolumitate et regressione quotidie Deo supplicabamus; sanctorum autem perlationem voto continentes vestris amabilibus Deo studiis ut suspicaremur de vobis talia facile adducebamur. Nam Deum in commune laudamus, qui supra quam petere audeamus largitus est. Illud unum ad cumulum gaudiorum restat, ut præsentiam vestram nobis exhibeatis: quod vos haudquaquam posse litteræ vestræ professæ sunt, nos hoc eas promisisse tenebimus. Quod si feceritis, cum **137** parvitati nostræ plurimum, tum etiam vobis aliquid conferetis. Siquidem et nobis consolationem et virtutis incitamentum suggeretis, et fratrum, qui vestrum post discessum decedentium supplevere locum, notitiam et firmiorem, si possit fieri, lucrabimini charitatem. Quæso præterea ut (*f*) ad sanctum Bonifacium solertem aliquem monachum dirigatis, qui ex vestra parte (*g*) Hattonem abbatem

viationem illam *Irmind.* (quæ est in codice ms.) explicavit de Irmingarde, quod et ipsum fecit in epist. 95.

(*a*) *Odacrum abbatem.* Lupi consanguineum, ut docuit epistola 86.

(*b*) *Tales estis.* Imitatum puto ex Salviano in epistola ad Eucherium episcopum Lugdunensem: «Superest, inquit, ut Dominus Deus noster, cujus dono admirandissimi juvenes tales sunt, pares eos faciat libris tuis.»

(*c*) *In Aquitanica.* Id est anno 845, quo Pippinus D junior rex Aquitaniæ, aggressus Carolum Calvum, ejus exercitum fudit, multosque viros illustres partim peremit, partim cepit. «Pippinus,» inquit auctor Annalium Bertinianorum. «Pippini quondam regis filius, exercitu ex Francia ad Carolum Tolosam civitatem obsidione vallantem properanti in pago Ecolesimo occurrens, ita brevi et absque suorum casu profligavit, ut, primoribus interfectis, cæteros fugam etiam ante congressum ineuntes, vix paucis evadentibus, aut caperet, aut spoliatos sacramentoque astrictos ad propria redire permitteret.» Infra: «Capti vero Ebroinus Pictavorum episcopus; Ragenarius, Somarobricæ Ambionorum episcopus; et *Luppas abbas.*» Unde illustrari quoque potest epistola 32 ejusdem Lupi, in qua hæc scribit ad Ludovicum abbatem: «In expeditione Aquitanica olim, ut nostis, omnia perdidi.» Hæc admonere, alicujus, ni fallor, erat momenti.

(*d*) *Pr. cuj. Turpionis.* Tres istæ voces additæ sunt ex codice manuscripto. Nam lacuna hic erat in editione Massoni. Intelligit autem, opinor, Turpionem. comitem Engolismensem, cujus magna per eas tempestates fama erat. Illustrem vitam gloriosa morte finivit. De quo hæc habet Chronicon Lemovicense ad annum 863: «Turpin, Engolismensium comes, cum Normannis congreditur; et occidens eorum regem nomine Maurum, ab eo ipse occiditur.» Fratrem habuit Emmenonem, comitem olim Pictaviensem, postea vero Engolismensem, qui et ipse memorabili clade oppressus est. Chronicon Lemovicense ad annum 866: «Emeno, Turpionis frater, Engolismæ comes, cum Landrico Sanctonico comite confligit; et occiso Landrico, saucius in castro Ranconia reducitur, et die octavo moritur.» Vide Ademarum Cabanensem.

(*e*) *Hattonis et Rath.* Vide notas ad epistolam 86.

(*f*) *Ad sanctum Bonifacium.* Id est ad monasterium Guldense, in quo sanctus Bonifacius, archiepiscopus Moguntinus, sepultus est.

(*g*) *Hattonem abbatem.* Monasterii Fuldensis, uti diximus ad epistolam 86.

deposcat ut vobis Suetonium Tranquillum de Vita Cæsarum, qui apud eos in duos nec magnos codices divisus est, ad exscribendum dirigat; mihique eum aut ipsi, quod nimium opto, afferatis; aut si hæc felicitas nostris differetur peccatis, per certissimum nuntium mittendum curetis. Namque in hac regione nusquam invenitur; et credimus hoc quoqne nos beneficium vestra liberalitate consecuturos. Filium Guagonis nepotem meum, vestrumque propinquum, et cum eo duos alios pucrulos nobiles et quandoque, si Deus vult, nostro monaterio suo servitio profuturos, propter Germanicæ linguæ nanciscendam scientiam vestræ sanctitati mittere cupio, qui tres duobus tantummodo pædagogis contenti sunt. Quod utrum dignemini præstare, ut primum se facultas obtulerit, ne gravemini aperire. Sterilitatem vini superiore anno passi sumus. Aliis rebus pro tempore abundamus, et largiente Dei gratia aliquantula pace fruimur; nisi quod sæculares quidam, qui vellent nostrum invadere monasterium, nobis moliuntur insidias. Unde vobis est studiose propter charitatis debitum persolvendum Deus orandus ut quod nobis maxime conducit in corde principum operetur.

138 EPISTOLA XCII.

AD LUDOVICUM.

Præcellentissimo atque clarissimo abbatum summo Lupus plurimam salutem.

Occupationum vestrarum considerationes habens, paucis vobis aperio magnum (*a*) Adalh., cum adhuc proficisceretur, mihi serio promisisse quod nunc opportunitate se ultro ingereate cellam sancti Judoci nobis recuperaturus esset, et ne quis apud regem nobis aliquid nocere posset in omnibus provisurus. Cum autem ab Aquitania, Dei bonitate et clementia servatus, reversus essem, et a tantis calamitatibus, quas pro regis fidelitate passus fueram, vellem aliquantulum requiescere, fama dipersit datum nostrum monasterium Egilberto. Itaque de utroque, memores amicitiæ nostræ, solito more me adjuvare contendite; præsertim cum et meam fidem in regem et servitium cognoscatis, et fieri magnam indignitatem facile comprehendatis me cum prædicto Egilberto conferri, nedum mihi eum præferri. Quo proponere in tali negotio debeatis breviter complexus essem, nisi naturali prudentia et eruditionis copia vobis ultra suggerentur. Cupio vos bene valere et parvitatis meæ memores lætioribus in dies augeri successibus.

139 EPISTOLA XCIII

AD DOMNUM REGEM CAROLUM.

Explicari facile non potest quam cupiam, domine mi rex gloriose Carole, ego ultimus vester famulus in omnibus vestram prosperitatem et spiritalem et A sæcularem. Propterea aliquoties et verbis et scriptis ultro me ingessi, ut mea devotio, opitulante Dei gratia, vestræ prodesset felicitati. Nunc etiam quod utilissimum vobis et vestro regno multa meditanti occurrit, paucis aperio. Observantia justitiæ non solum apud Deum meritum vobis comparat, verum etiam terrenam potestatem confirmat. Bonorum societas profectum vobis et laudem parit ad exemplum beati David, qui se imitandum proponens ait : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* (*Psal.* c). Segregatio etiam perversorum æque laudabilis est, ut idem ipse David instituit : *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, nec direxit in conspectu oculorum meorum* (*Ibid.*) Quod autem fidissimus quisque debeat esse B familiarissimus illa sententia instruimur : *Quæ pestis ad nocendum efficacior esse potest quam familiaris inimicus* (*b*)? Quorum consilio Respublica, Domino faciente, de quo dicitur : *Fiat pax in virtute tua* (*Psal.* CXXI), possit esse tuta et quieta sanctæ litteræ his verbis insinuant : *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap.* VI). Hi enim intelligunt quod *non est sapientia, non prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI); et in Davidis consiliis ab æquitatis tramite non recedunt. **140** Unde et eadem consilia ab ipso Domino ad utiles diriguntur effectus. Alibi etiam satis hinc aperte docemur, ubi legimus : *Consilium semper a sapiente perquire* (*Tob.* IV). Sapientem hic intelligimus quem aut experientia docuit, aut lectio erudivit, aut inspiratio divina cæteris prætulit. Magnum aliquid C facturi, quæso, recolite memoria illud quod prudentissime dictum est : *Antequam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est* (*c*). Sic enim et præcipitatio vitabitur et nocitura dilatio. Romani orbis terrarum domini, quibus consiliariis usi sint hac una et brevi sententia ad vestram nostramque utilitatem considerare dignamini : *Fidum erat et altum Reipublicæ pectus, Curia, silentiique salubritate munitum et vallatum undique : cujus limen intrantes, abjecta privata charitate, publicam induebant* (*d*). Tales quæso, tales quærite qui publicam dilectionem, hæc est, totius populi, præferant privatis commodis, et miserante Deo motus isti molestissimi conquiescent. Imperatorum gesta brevissime comprehensa vestræ majestati offerenda curavi, ut facile in eis inspicia- D tis quæ vobis vel imitanda sint vel cavenda. Maxime autem Trajanum et Theodosium suggero contemplandos, qui ex eorum actibus multa utilissime poteritis ad imitandum assumere. Ita diutissime regnetis ut semper Deus regnet in vobis.

141 EPISTOLA XCIV.

AD MARCWARDUM.

Religiosissimo Patri Marcwardo Lupus salutem.

(*a*) *Adalh.* Vide quæ de hoc viro notamus ad epistolas 55 et 88. Virum fuisse magnæ dignationis patet ex verbis Lupi, qui eum vocat magnum et amplissimum virum. Fortassis est Adalardus, qui comes palatii fuit sub Carolo Calvo.

(*b*) Boet., lib. III de Consolatione philosophiæ.

(*c*) Sallust. in Catilin.

(*d*) Valer. Maxim., II, 2.

Si prudenter cogitemus quod originalis peccati merito justissima Dei vindicta exsules facti sumus, cum adversa nobis contingunt, non mirabitur. Repulsi enim a lætitiæ patria, in vallem lacrymarum sumus dejecti. Dei potius ineffabilis clementia suspicienda pieque laudanda est, quæ nos nec in ipsa ira deserit, et tristia blandis plerumque temperat, ne mœrore victi, in desperationis barathrum corruamus. Unde culpanda quorumdam temeritas est, qui gratiæ divinæ continuis assuefacti beneficiis, dum aliquibus tanguntur incommodis, peccata querelis augent, quorum debita nec admoniti recognoscere debuerunt. Credibile tamen est in numero fidelium aliquos esse sanctitate, quam divinitus acceperunt, egregios, quorum non tam delicta curentur adversis quam merita augeantur. Neque enim soli beato Job Deus munus hoc contulit, quem ad imitandum servis suis in arce patientiæ collocavit. Qui vicit in illo, vincit in multis, cum quibus se futurum usque in finem sæculi pollicetur. Si cujus felicitatem nulla unquam pertubatio iuterpellet, quam tardus est, nisi metum hinc concipiat ne cum purpurato divite quondam audiat: *Recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI) Et quomodo non eum illa veridicat terreat sententia : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (*Job* XXI). Ille vero qui vigili memoria repetat, **142** *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII), si morbo gravetur, excessu necessitudinem tentetur, substantiæ imminutione vel amissione pulsetur, quomodo non ad affectum gratias agendi pio parenti excitetur, cujus cura se dignum correptionis privilegio, ipso instituente, præsumit? Futuræ vitæ dulcedo segnius appeteretur, nisi sæpius præsentis amaritudo sentiretur. Multi has, qualis est, delectantur. Nimirum plures delectarentur, si assidua prosperitas vota omnium sequeretur. Proinde quis non videat incomprehensibili Dei pietate per molestam hujus vitæ mutabilitatem impelli nos quodam motu ad capessendam alterius vitæ immutabilitatem, impelli nos pietate per molestam hujus vitæ mutabilitatem? Dominus Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto beatitudo nostra erit, eos qui ejus magisterio adhærebant ad toleranda adversa suo exemplo sic informat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan,* XX) ; ne se diligi desperarent ab eo, cum variis quaterentur incommodis, quando dilectissimum Patri Filium per eadem transisse recolerent. Nec quid eis immineret occultans, *In mundo*, inquit, *pressuram habetis* ; *sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI) ; scilicet ut superandi vires in illo se habere cognoscerent qui omnipotens esset. Sanctus Apostolus, in quo evidenter Dei Spiritus loquebatur, sua tempora videns, nostra prævidens : *Qui volunt*, ait, *vivere in Christo, persecutionem patientur* (*II Tim.* III). Persecutionem autem hanc religiosis intelligimus inferri vel ab immundis spiritibus, vel a pravis hominibus. Verum, sive Deus tentet, sive tentari permittat, ne muliebriter pavidi succumbamus, alibi nos his verbis confirmat : **143** *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* ; *sed faciet cum tentatione exitum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* X), Nihil itaque importabile nobis evenisse causemur, quoniam qui certamen proponit, si postuletur fideliter, vincendi copiam subministrat. Benedicamus ergo eum in omni tempore, qui et prosperis nos invitat, et adversis castigat ; et sit semper laus ejus in ore nostro, ut quod ipso largiente in sæcula sæculorum facturi sumus beati, jam nunc meditemur devoti. Hæc ad consolationem strictim, vitandi fastidii gratia, comprehensa sanctitati vestræ dirigere studui : quæ, vobis, ut credo, erunt proficua, quia et ex charitatis fonte petita sunt, et ex eodem fonte manarunt. Mei benigne memores cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XCV.

AD HERIBOLDUM

Ex parte reginæ.

In nomine Domini solius et omnipotentis. Irmindrudis, ipsius gratia ordinante, regina (*a*) Heriboldo venerabili episcopo salutem. Quoniam diuturna infirmitas gratum nobis vestræ sanctitatis denegat colloquium, absenti scribimus quod præsenti libentius diceremus. Germanus vester destitutus honoribus, propter homines qui ei famulati sunt maxime anxius, nostræ pietatis opem expetiit, confidens, post Deum, nostra opera se calamitatis molestiam evasurum ; quem, solita mansuetudine miserantes, opportunitatem Deo præbente cupimus adjuvare. Verum ut in palatio **144** voluntatis nostræ præstolari possit effectum, suademus ne gravemini ejus indigentiam collatis necessariis temperare. Cum enim soleat vestra largitas ministrare postulata externis, etiam germano indigenti non sine spe divinæ retributionis idem valet præstare : quod facile sacris monstraremus eloquiis, nisi ultro ea vobis occurrere credemus, et nostræ vestræque personæ haberemus considerationem. Impendite igitur debitum religioni et necessitudini affectum, et in orationibus nostri assidue memores bene valete.

EPISTOLA XCVI.

AD CAROLUM REGEM.

Glorioso Domino præcellentissimo regi Carolo integre fidelis Lupus salutem.

Cum a vestra majestate digrederer, præcepistis ut, impendente Quadragesima, quiddam vobis dirigerem unde caperitis fructum aliquem ædificationis. Sermonem itaque beati Augustini, in quo (*b*) jurandi consuetudinem dissuadet, quamque sit fe-

(*a*) ***Heriboldo.*** Antissidorensi episcopo, cujus toties supra facta mentio est.

(*b*) ***Jurandi consuetud.*** Intelligit haud dubie sermonem 28, de verbis Apostoli. Quanquam Augustinus multis in locis disputat adversus eos qui ad quamlibet occasionem jurant, itemque adversus eos qui pejerant. Vide Jonam Aurelian., lib. II de Institutione laicali cap. 25.

rale perjurium ostendit, vestræ prudentiæ destinavi, profuturum vobis plurimum credens, si vobis admonentibus quidam assidue jurare desistant, et quod recte juraverint non contemnant. Non adulandi vitio in gratiam vestram dico, sed desiderio salutis eorum qui nobiscum Patrem in cœlis invocant. Quicunque fidem vobis jurejurando firmaverunt, si ab ea saltem latenter deficiunt, jam sibi (*a*) mortem animæ intulerunt, nec possunt esse filii Dei, qui nolunt esse pacifici. Admoneantur ergo vestra **145** industria sui periculi, et saluberrima institutione tanti doctoris ad correctionis remedium invitentur. Misi præterea celsitudini vestræ gemmas quas dudum opifex noster exsculpendas et poliendas acceperat: quarum formam atque nitorem si approbaveritis, memorato artifici gratulabor. Opto et oro ut bene semper agatis, et propitio Deo felici successu diutissime gaudeatis.

EPISTOLA XCVII.

AD HILDUINUM.

Præcellentissimo abbati (*b*) Hilduino Lupus temporalem et perpetuam salutem.

Recordans nostri convictus in vestra adolescentia et initio meæ juventutis consuetudinem, et cogitans quod vestra nobilitas morumque probitas blandimentis fortunæ nullatenus valeat immutari, quemadmodum tunc familiariter loquebamur, ita nunc vobis simpliciter scribo. Omnibus, ut pluribus videtur vestri propositi, in largiendis opibus omnipotens vos Deus prætulit; et sine dubio cui tantum contulit, plurimum ab eo reposcet. Ipse enim dicit: *Qui glorificavit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II). Itaque non sit vobis oneri quod illaturus sum. Honorate illum timore ipsius et amore qui vos tam sublimiter honoravit; et dum vobis bona suppetunt in hoc sæculo, curate illi qui hæc dedit indesinenter placere; nec vos decipiat transitoria felicitas mundi, cui perpetua promittitur beatitudo cœli. Exercete **146** ubicumque potestis justitiam, et quibuscumque sufficitis impendite misericordiam: quia qui vobis bene agendi facultatem largitus est, quandiu id permissurus sit ignoratis. Ipsius vox est: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam* (*Matt.* XXV). Nos etiam, qui vos unice diligimus, et per vos solatium aliquod habituros confidimus, aliquantulam (*c*) diuturnitatem dignitatis vos possessuros credimus si vos largitori bonorum omnium devote submiseritis. Donec vos videre merear, absque fastidio hæc frequenter legite aut recolite; ut sicut de vestra excellentia gloriamur, ita de probitate certius exsultemus. Peto etiam ut propinquum meum abbatem cellæ vestræ quæ dicitur Cor., qui et Deo, ut credimus, et bonis omnibus, ut palam est, pro sua probitate placet, honorifice suscipiatis, benigne tractetis, et, quod sufficere credo (sicut vestram decet nobilitatem, et honestam eruditionem, ac bonæ famæ augmentum), sic dignemini consulere illi semper in omnibus tantum semper quantum cupiunt qui bene sciunt. In sæculo et in Domino valeas.

EPISTOLA XCVIII.

AD GUENILONEM EJUSQUE SUFFRAGANEOS.

Religiosissimis Patribus et fratribus Gueniloni, metropolitano Senonicæ sedis antistiti, et universo clero ejus, et cæterarum Ecclesiarum præsulibus quæ diœcesi (*d*) memoratæ sedis censentur, cunctisque in eis Deo famulantibus, clerus (*e*) matris ecclesiæ Parisiorum **147** et fratres cœnobili sancti Dionysii et sancti Germani et beatæ Genovefæ ac Fossatensis, diversorumque monasterium unanimitas, præsentem et futuram salutem.

Venerabilem pastorem nostrum (*f*) Ercanradum nuper decessisse cum longe lateque vulgatum sit, tum sanctitatem vestram latere non potuit; nosque affici mœstitia de vocatione Patris defuncti, ac sollicitudine permoveri de electione successuri, prudentia vestra

(*a*) *Mortem animæ.* Loquitur de his qui fidem suam jurejurando obligaverant regi Carolo Calvo, postea vero eam mutaverant. Propter hoc crimen ait Lupus eos mortem animæ incurrisse, hoc est æterna morte damnatos, nisi resipiscant: tanti est violare fidem principi obligatam! Auctori nostro prorsus consentit Atto Vercellensis episcopus, qui circa annum 940 floruit. Sic enim habet in epistola 10 quæ scripta est ad episcopos Vercellensi diœcesi finitimos: « Fidelitatem quoque nostrorum dominorum et regum pleniter in omnibus judico observandam. Nullo modo enim ante oculos divinæ majestatis puri inveniri possumus, si eis infideles ullatenus existamus. » Hanc porro Attonis epistolam, ut et plerasque alias ejusdem scriptoris, mecum pro amicitia nostra communicavit vir clarissimus Lucas Dacherius, monachus Benedictinus, qui brevi eas editurus est. De pœna autem episcoporum qui fidem principi obligatam violant, diximus ad Agobardum. (*Vide Patrol. tom.* CIV.)

(*b*) *Hilduino.* Abbati sancti Dionysii in agro Pariensi, et sacri palatii archicapellano.

(*c*) *Diuturnitatem.* Hinc colligere possumus munus archicapellani sic tribui solitum a principe ut ei cui datum erat adimi posset pro arbitrio principis. Ea de causa Hilduinum monet Lupus ut quia scire non potest quam diuturna futura sit hæc administratio, tempore bene utatur justumque se in judiciis reddendis exhibeat, ac tamen eis se misericordem præbeat qui gratiam hanc meruerint. Nam ipso munere suo ecclesiastica et sacra omnia negotia vel expediebat ipse, vel cum rege tractabat, ut Sirmondi verbis utar. Vide porro quæ de munere archicapellani diximus ad epistolam 37.

(*d*) *Diœcesi.* Id est provincia, ut diximus ad epistolam 84, et satis notum est. Ex innumeris testimoniis quæ proferri in hoc possunt unum tantum afferam ex præcepto Caroli Calvi pro monasterio Cuxanensi in diœcesi Helenensi, quod authenticum illic vidimus, Helenensis civitas, ut nemini ignotum esse arbitror, fuit ab omni ævo suffragenea Ecclesiæ Narbonensis. Sic ergo ait Carolus Calvus: « Locus supradictus est situs in confinio Ceridaniæ marchiæ nostræ, sub diocesi Fredaldi Narbonensis archiepiscopi, et parochia Audesindi Elnensis episcopi. »

(*e*) *Matris ecclesiæ.* Id est, cathedralis ecclesiæ Parisiensis, quæ est mater omnium ecclesiarum Parisiensium. Sic in veteribus actis ecclesia Helenensis dicitur *Mater omnium Ecclesiarum Rossilionensium, Confluentium, seu Valle-Aspirensium,* ob hoc quia comitatus Ruscinonensis, Confluentinus et Vallaspiriensis sunt in diœcesi Helenensi.

(*f*) *Ercanradum.* Parisiensem episcopum, qui obiit anno 853.

intelligit. Cum enim principaliter se futurum Dominus Jesus polliceatur cum his qui (a) principes religionis existunt, non patimur diu carere antistite, (b) cujus doctrina ad salutem nostram instituamur, (c) exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Ejus, utpote bonorum omnium auctoris, nequaquam nos cura destitutos firmissime credimus, dum ipse curas nostras sua clementia sustulit, et vota ultronea benignitate prævenit. Namque ipse in cujus manu cor regis est, gloriosi domini nostri Caroli, quemadmodum plene confidimus, menti infudit ut ejus nos regimini (d) committeret, quem in divinis et humanis rebus sui fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes misericordiam, et regis nostri piam suspicientes providentiam, (e) Æneam, cujus præconia præmisimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem, Æneam pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta prudentia ac probitate præcellentissimus rex noster polleat, ut solum ejus judicium de viro memorato posset sufficere, tamen conditionis humanæ non nescii, futurorumque curiosi, aulicorum nos ipsi propositum ac mores longe prius inspeximus; et inter **148** graves probabilesque personas et sanctitate ferventes hunc quem antistitem habere cupimus, quotquot eum nosse potuimus, ut nunc palam est, absque errore annumeravimus. Proinde, sancti Patres, annitimini ne dilatione divini et (f) regii beneficii torqueamur; sed nobis suspensis, nobis desiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna super cadelabrum ; ut lumen veritatis populus Dei videat, et æmula devotione, præsulis vestigia tenens, sempiternæ beatitudini præparetur. Professionem vero nostri consensus in Æneam Deo annuente per vestrum ministerium nobis futurum antistitem subscriptionibus nostris certatim roboravimus; ut nostra unanimitate comperta, votum summa properantia compleatis.

EPISTOLA XCIX.

RESCRIPTUM EPISCOPORUM AD IPSOS.

Guenilo, sanctæ Senonicæ sedis metropolitanus episcopus; (g) Heriboldus Antisiodori episcopus; Agius Aurelianorum, Prudentius Tricassinorum, Herimannus Nivernensium, Frotbaldus Carnutum, Hildegarius Meldorum, clero matris ecclesiæ Parisiorum et cunctis in diversis cœnobiis sub ea Deo militantibus salutem.

De excessu reverentissimi coepiscopi nostri Ercanradi non mediocriter anxii, vestrique mœroris participes, tandem justissimæ dispositionis Dei memores, consolationem recipimus, dum vos sub (h) pastore bono agentes, qui summe bonus **149** est, (i) vicarium ejus scilicet visibilem, ministeriique nostri consortem, absque dilatione expetere vestris litteris tenentibus lineas rationis cognovimus. Præparatum enim a Deo ei bonum exitum credimus, cujus munere talem videmus patere ingressum. Quanquam nobis futurus nunc socius olim fuit præcognitus et merito suæ probitatis amabilis. Quis enim vel leviter (j) tetigit palatium cui labor Æneæ non innotuit et fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem vestram in eo factam Deo propitio libenter sequimur, ut eum profuturum populo ejus ad dignitatem pontificatus promovendum concorditer decernamur. Sit igitur vobis pastor, qui pro suis in Deum meritis bene complacuit; et sequentes ejus veracem doctrinam, et sancta opera imitantes, ad cœlestis regni pascua properate felices. Ordinationi autem ejus subscripsimus concorditer universi, ut securi ministerio potestatis ejus fruamini.

(a) *Principes religionis.* Id est episcopos. Nam Ecclesia est in episcopis, ut ait Cyprianus in epist. 69, qui addit eum *qui cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse.* Unde et frequenter apud Hieronymum, Leonem Magnum, et alibi vocantur *principes Ecclesiæ*, quod idem est ac *principes religionis.* Pontifices vocavit *magistros religionis* Arator subdiaconus in epistola ad Parthenium.

(b) *Cujus doctrina.* Episcopi enim est docere plebem sibi subjectam, ut ad epistolam 79 diximus.

(c) *Exemplo.* Non solum doctrinam sanam populis sibi commissis debet episcopus, sed etiam bonum vivendi exemplum, ut supra dictum est in notis ad epistolam 79. Nam, ut ait Arnulphus episcopus Lexoviensis in sermone habito in concilio Turonensi: « Sanctitas conversationis inquiritur; quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio gratiosa. Cujus enim vita contemnitur, restat ut et prædicatio contemnatur; » quod sumptum ex B. Gregorio docet Hincmarus in cap. 36 posterioris operis adversus Gotteschalcum, itemque Atto Vercellensis episcopus in epistola 8, quæ data est ad sacerdotes et ministros in diœcesi Vercellensi commorantes. Utrumque ergo necessarium est. Utinam autem nunquam contingat, quod tamen sæpius accidisse legimus, ut in Ecclesia constituantur episcopi qui adeo indigni sint ea dignitate ut non solum populis, sed ne sibi quidem ipsis prodesse possint: viri adeo incuriosi rerum suarum ut etiam nesciant quam rationem reddituri sint summo Pastori Christo, quidve debeant ovibus gubernationi suæ commissis.

(d) *Commiteret*, Hinc colligitur solitos tum principes præficere vacantibus Ecclesiis episcopos propria auctoritate, ut ad epistolam 81 diximus, inexspectata etiam cleri ac plebis petitione; postea tamen imperatam electionem, qua consensum suum clerus testaretur; quod etiam in constituendis abbatibus obtinuisse adnotavimus ad epistolam 40.

(e) *Æneam.* Virum magni nominis per eas tempestates, editis etiam lucubrationibus clarum. Exstat in Thuana bibliotheca vetus codex ms. in quo continetur opus istius Æneæ episcopi Parisiensis adversus Græcos, quod in publicum exivit opera domni Lucæ Dacherii, monachi Benedictini.

(f) *Regii beneficii.* Hic divinum beneficium cum regio conjungunt in electione Æneæ, quæ facta fuerat a principe. Unde colligitur existimasse tum Francos nostros, regem vice divina constituere episcopos. Vide Notas ad epistolam 29.

(g) *Heriboldus.* Manifestum est nullum per eas tempestates episcopum Antissiodorensem fuisse Heribertum. Itaque ejus nomen hinc sustulimus, ut Heriboldi substitueremus. Hujus enim frequens mentio est tum in his epistolis, tum etiam alibi. In quo secuti sumus em ndationem magni viri Jacobi Sirmondi.

(h) *Pastore bono.* Id est, Christo, qui vocatur pastor bonus in sacris Christianorum libris.

(i) *Vicarium ejus.* Id est, Christi. Æneam ergo Parisiensem episcopum appellat visibilem Christi vicarium.

(j) *Tetigit palatium.* Id est, versatus est in aula principis.

EPISTOLA C.

(*a*) ADMONITIO.

Diversis malis afflicti, causam eorumdem malorum debemus cognoscere, et cognitam, auxiliante Dei misericordia, evitare. Causam prosperitatis et adversitatis Spiritus sanctus aperte demonstrat his verbis : *Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum* (*Prov.* XIV). Peccatum quo miseri efficimur hoc esse credibile est quod cum simus fide Christiani, (*b*) destruimus factis nostram professionem. Et quia beatitudini sempiternæ **150** felicitatem præponimus temporalem, et illam, nisi resipiscamus, perdimus, et hanc, quæ quantulacunque posset esse, si recti esse vellemus, non apprehendimus. Quia ergo vindicta Dei et in hac vita temporaliter incipit, et usque ad alteram, quæ finem non habet, nisi conversio subveniat, pertendit, et hic sæpe bonos bona temporalia comitantur, alibi autem eosdem bonos æterna bona coronant, sive prælati, sive subditi, omnes deponamus excusationem ; et cum sibi unusquisque nostrum sit conscius in quibus maxime Deum offendit, communiter eum et obedienter audiamus monentem : *Redite, prævaricatores, ad cor.* (*Is.* XLVI). Itemque : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere* (*Is.* I); ut per pœnitentiæ salubrem cursum perveniamus ad indulgentiæ tutissimum portum. Ita enim valebimus non solum effugere mala præsentia, verum etiam bona sperare ventura. Dediscamus sola carnalia appetere. De consequendis spiritualibus aliquando cogitemus; et ut nostræ cupiditates temperentur et modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum transitus quos in dignitatibus vidimus, nec obliviscamur quod eos quotidie sequimur Ad mortem enim sine intermissione properamus. Repetamus mores quibus (*c*) hoc regnum crevit et viguit. Nullæ sint factiones, nullæ conspirationes inter nos, qui patrem invocamus Deum, quibus dicunt Pontifices, PAX VOBIS, et pro quibus omnes concorditer orant sacerdotes, *Da propitius pacem in diebus nostris*, et, *Pax Domini sit semper vobiscum,* et quibus polliceri dignatur : **151** *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). ita comminatio ejus non videatur nobis contemptibilis, *Væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII); ne forte, quod ipse avertat, *sola vexatio det aliquando intellectum auditui* (*Isa.* XXVIII); ut infelici experimento quod nunc non credimus, aut nos nescire fingimus, in tormentis positi sentiamus. Prædas et rapinas conversationi Christianæ nimis contrarias et a regno Dei miserrimos excludentes penitus deponamus. Contra hos enim sic sermo apostolicus fremit : *Neque rapaces regnum possidebunt* (*I Cor.* VI). Pro Dei timore atque amore lucra propria intermittamus, bono communi et publico certatim et unanimiter consulamus; ut dum tranquillitatem fidelibus præstare nitimur, et vires resistendi infidelibus recuperemus, et ab eo qui est omnipotens utriusque pacis, id est, et qualis nunc esse potest, et illius consummatæ, quæ solis electis dabitur, gaudia consequamur. Illud autem neminem nostrum fugiat, quibusque doctissimis usque ad nostram ætatem probatum et creditum, quia (*d*) per concordiam parvæ res crescent, per discordiam vero maximæ dilabuntur; ne forte dum cupimus nostra securius tenere vel ad majora capienda felicius conscendere, justo Dei judicio ruina nos regni, quam nostris dissensionibus præparamus, in volvat et in perniciem animæ et corporis pertrahat.

152 EPISTOLA CI.

AD EPISCOPOS,

De peregrinorum receptione, ex parte Guenilonis.

Reverentissimis præsulibus Italiæ et Galliæ cæterisque Dei fidelibus Guenilo Senonum metropolitanus episcopus in Domino salutem.

Quoties justa exstante causa sanctitatem vestram alloquimur, charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, id agendi tribuit fiduciam, præsertim cum gratuito negotio pietatis proveniat incrementum. Monachi provinciæ ac diœceseos nostræ ex monasterio quod appellatur Bethleem sive Ferrarias, nomine Aldulphus et Acaricus, presbyterii gradu ornati, divino, ut credimus, instinctu Romam proficisci orandi studio destinarunt, et nostra abbatisque sui nobis admodum dilecti Lupi accepta licentia propositum exsequuntur;

(*a*) Hanc admonitionem Baronius ait jussisse Carolum regem mitti ab episcopis ad populum uniuscujusque diæceseos, ut abstinerent Christiani a peccatis, præcipue vero a factionibus atque deprædationibus. Quod imperatum ait in synodo quæ apud Carisiacum habita est anno 856.

(*b*) *Destruimus factis.* Sic Salvianus in libro IV de Gubernatione Dei : « Cujus ergo criminis rei sint Christiani, ex hoc uno intelligi potest, qui Dei nomen infamant. Et cum scriptum sit nobis, ut omnia faciamus in gloriam Dei, nos e diverso cuncta in Dei facimus injuriam. » Et paulo post : « Evangelia legunt, et impudici sunt : Apostolos audiunt, et inebriantur : Christum sequuntur, et rapiunt : vitam improbam agunt, et probam legem habere se dicunt. »

(*c*) *Hoc regnum.* Francorum videlicet, non cujusmodi erat sub Carolo Calvo, sed sub Carolo Magno. Hic enim regnum Francicum immensum amplificavit, adjectis Italia, Hispania Taraconensi, et iis gentibus quæ ab eo posterisque ejus regnabantur in Germania. Nam totum hoc vocabatur *Regnum Francorum.* Sed non iisdem virtutibus retentum est quibus partum fuerat. Itaque sub Carolo Calvo ex uno regno triplex Francorum regnum factum est, diviso eo inter filios Ludovici Pii, quorum unusquisque dicebatur rex Francorum, quod graviter dolet in suo Chronico Hugo Abbas Flavinianencis, qui ex eo factum putat ut barbaræ nationes Francorum regnum pervaserint.

(*d*) *Per concordiam.* Sumptum ex Sallustio in historia belli Jugurthini. « Concordia, inquit, parvæ res crescunt, discordia maxumæ dilabuntur. » Auctor libri de Viris illustribus, cap. 18. « Sic senatus et populus quasi unum corpus discordia pereunt, concordia valent. » Et illud ex sacris litteris : *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Qui locus proprie pertinet ad istam Lupi admonitionem, qua Carolum Calvum hortatur ad concordiam.

quos vestræ paternitati de more commendamus, implorantes ut quia laborem peregrinationis pro æterna remuneratione susceperunt, consolationem in vobis in eundo ac redeundo eam inveniant qua devoti a religiosis foventur. Eritis enim mercedis eorum participes, si laboris fueritis benivoli adjutores. Cupimus vos valere feliciter.

153 EPISTOLA CII.

ITEM EX PARTE ABBATIS.

Plurima veneratione suscipiendis episcopis Italiæ ac Galliæ reliquisque Christiana religione pollentibus Lupus Abbas ex monasterio quod dicitur Bethleem sive Ferrarias, situm in diœcesi Senonicæ urbis, cui præest reverentissimus Guenilo, præsentem et futuram salutem.

Quamvis, vergente in occasum mundo, non dubito in electorum corde fervere charitatem, quæ merito in sacris eloquiis latum appellatur mandatum (*Psal.* CXVIII). Ac propterea non erubesco postulare ab illis aliquid quibus nihil præstiterim, vel quos penitus facie nesciam. Ea bonis usitatissima charitate, Deus, qui nos facit unanimes habitare in domo, perpetuis bonis transeuntia mutare, lucrum esse maximum instituit. Proinde suggero sanctæ paternitati vestræ monachos et presbyteros, quorum alter vocatur Aldulfus, alter Acaricus, ex nostro collegio Romam supplicatum proficisci statuisse et (*a*) antistitis memorati ac nostro permissu quod optaverant adimplere. Vestra ergo benevolentia euntibus illis ac redeuntibus subsidium dignetur impendere: quia et sufficiens viaticum tanto itineri ferre fuit eis impossibile, et mercedis eorum vos credimus fore consortes, si experti fuerint laboris sui pro Dei nomine cooperatores.

154 EPISTOLA CIII.

AD DOMNUM APOSTOLICUM (*b*).

Domino præcellentissimo et omnibus Christianis unice singulariterque venerando (*c*) universali papæ Benedicto ultimus Abbatum Lupus ex monasterio Galliæ quod vocatur Bethlehem sive Ferrariæ, præsentem prosperitatem, et futuram beatitudinem.

Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ (*d*) Leonis (*e*) functus legatione Romæ, cui auctore Deo præsidetis, et ab eodem antistite exceptus benigne atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declaravit, nec tantum potestatis beatissimi Petri participes, verum etiam humilitatis, quam in allocutione Cornelii vulgavit, hæredes vera morum vestrorum expensio certa ratione perdocuit, ausus sum ego tantillus cognitioni vestræ sublimitatis me scriptis ingerere, meamque exiguitatem et fratrum meorum monachorum unanimitatem eximietati vestræ

(*a*) *Antistitis memorati.* Id est Guenilonis archiepiscopi Senonensis. Itaque ex ista et superiore epistola discimus (id quod vetuerat etiam canon 23 Chalcedonensis) tum monachis non licuisse proficisci in regionem longinquam, ne Romam quidem, absque permissu proprii episcopi. Et lib. X Capitular., cap. 25, præcipitur monachis « ne propria monasteria deserant, nisi forte eis præcipiatur propter opus necessarium ab episcopo civitatis. » Non expedit enim animabus eorum eos vagari foras, ut in capite 78 ejusdem libri scriptum est. Item lib. VI Capitular., cap. 130. « Clericis vel monachis sine commendatiis epistolis episcopi sui licentia non pateat evagandi. » Perseveravit id jus usque ad tempora Arnulphi episcopi Lexoviensis: qui in epistola 53, abbatem Gristanensem objurgat, quod, « neglecta episcopalis auctoritate mandati, imo tua et animarum tibi commissarum salute postposita, sine nostra conscientia discessisti. » Itaque illum redire quantocius jussit ex Anglia, quo abierat: unde *episcopalis edicti necessitate reductus est*, ut in epistola 43 ait idem Arnulphus. Non liceb t ergo abbati Gristanensi recedere a monasterio suo; extra conscientiam proprii episcopi, tametsi ad comitatum regis proficisci vellet in Angliam. Celebris est vox Anselmi abbatis Beccensis in Normannia: qui, ut docet Eadmarus in libro primo Historiæ Novorum, cum electus esset ad cathedram Cantuariensem, valere eam electionem negavit, donec Archiepiscopi Rothomagensis auctoritate ipse esset absolutus a cura sui monasterii. « Abbas sum, inquit, monasterii regni alterius; archiepiscopum habens, cui obedientiam, terrenum principem, cui subjectionem, monachos, quibus debeo consilii atque auxilii subministrationem. His omnibus ita sum astrictus, ut nec monachos deserere possim sine illorum concessione, nec a dominatu principis mei valeam exuere sine ejus permissione, nec obedientiam pontificis mei subterfugere queam, cum salute animæ meæ, absque ipsius absolutione. » Sic cum Rothomagensis Ecclesia, pastore vacans, elegisset Hugonem abbatem Radigensem, non ante tamen firma fuit hæc electio quam Salesberiensis episcopus, in cujus potestate erat Hugo abbas, licentiam ei recedendi a monasterio tribuisset. Ita enim ad Honorium II papam scribit Ecclesia Rothomagensis in tomo III Spicilegii, pag. 152. « Ab episcopo quidam Salesberiensi, sub cujus manu abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum et absolutum quæsivimus, et cum libertate suscepimus. » Antiquius his exemplum præbuit Alcuinus: qui licet a Carolo Magno multum urgeretur ad manendum in Gallia, oblatis etiam divitiis, fieri id non posse respondit absque consensu sui episcopi; ut est in vita ejus ab auctore coætaneo scripta. Idem juris erat quoad sanctimoniales, ut patet ex epistola Lulli archiepiscopi Moguntini, qui Bonifacio successit, ad Oswitham abbatissam: in qua conqueritur, quod ipsa moniales duas « liberas ire permiserit in regionem longinquam sine conscientia et consilio Lulli. » Quapropter « vagas illas et inobedientes feminas » intra monasterium recisi vetat. Exstat ea Lulli epistola inter Bonifacianas num. 47. Non frustra ergo toties repetit Lupus licentiam eundi ad limina Apostolorum concessam monachis suis esse a Wenilone. Videbat enim eos vagorum monachorum infamiam hinc reportaturos, si proficiscerentur absque litteris sui episcopi. Pronuntiatum quippe fuerat in synodo Vernensi eos monachos sanctæ religionis propositum impudenter infamare qui cupiditatis causa vagantur.

(*b*) *Domnum apostolicum.* Benedictum III, ut habet editio Massoni, et patet ex contextu epistolæ. Nam codex mss. hæc tantum habebat, *Ad Domnum apostolicum.* Sedit autem Benedictus III anno 855. Hanc porro epistolam dederat emendatiorem Massonus in libro de episcopis Urbis.

(*c*) *Universali papæ.* Sic tum vocabant episcopum Romanum, ob hoc nimirum quod ei primatus collatus sit in omni orbe terrarum, ut ait Lupus in epistola 84 ad Nomenoium.

(*d*) *Leonis.* Hujus nominis IV, cujus exstat homilia quædam ad presbyteros, de qua vide Notas nostras ad Reginonem pag. 531, 534, 602.

(*e*) *Functus legatione.* Anno nimirum 849 adnotabitur ad librum de Tribus Quæstionibus.

committere, ut in vestris sanctis orationibus mereamur a Deo et in præsenti vita consolationem et in futura communionem salutis feliciter consequi. Fratres præterea et compresbyteros nostros Aldulphum et Acaricum, qui spontaneam peregrinationem pro nomine Domini susceperunt, et quanquam laboriosissime, ad memoriam beatissimorum apostolorum cæterorumque sanctorum tandem aliquando pervenerunt specialiter vestræ mansuetudini commendamus, ut eos pietate competenti fovere dignemini, et consuetudinibus ecclesiasticis, **155** quæ variæ in diversis locis tenentur, diligenter instruere, ut per eos ad nos et ad cæteros quosque talia pie quærentes institutio Romana perveniat. Siquidem in quibuscunque ad religionem vel honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas. Ut optima quæque eniteant, illuc sollicita investigatione credimus recurrendum unde ubique (*a*) fidei manavit exordium. Cæterum quia *parentes thesaurizare debent filiis* (*II Cor.* XII), ut doctor gentium manifestat, nosque vobis obsequentissimi filii esse cupimus, commentarios beati Hieronymi in Jeremiam, post sextum librum, usque in finem prædicti prophetæ, per eosdem fratres nobis mitti deposcimus in codice reverendæ veritatis, vestræ sanctitati, si id obtinuerimus, postquam celeriter exscriptus fuerit, sine dubio remittendos. Nam in nostris regionibus nusquam ullus post sextum commentarium potuit inveniri; et optamus in vobis recuperare quidquid parvitati nostræ deesse sentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore, et duodecim libros institutionum oratoriarum Quintiliani, qui uno nec ingenti volumine continentur: quorum utriusque auctorum partes habemus, verum plenitudinem per vos desideramus obtinere. Pari intentione Donati commentum in Terentium flagitamus. Quæ auctorum opera si vestra liberalitas nobis largita fuerit, Deo annuente cum memorato sancti Hieronymi codice fideliter omnino restituenda curabimus. Sanctitatem vestram ad totius Ecclesiæ utilitatem divina clementia diuturnis temporibus (*b*) conservare dignetur.

156 EPISTOLA CIV.

AD REGINB.

Charissimo suo Reg. Lupus in Domino salutem.

Desideramus quidem adventum vestrum, ut dignum est, quem jam certæ litteræ spoponderunt; sed suademus vigilantissima cautione tutum iter eligendum, propterea quod in regno Caroli Regis nostri novis exortis rebus, impune latrocinia committuntur, et nihil securius atque constantius quam rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur est commeantium quærenda societas quorum numero atque virtute improborum factio evitetur, aut, si necesse fuerit, repellatur. Catilinarium et Jugurthinum Sallustii, librosque Verrinarum, et si aliquos alios vel corruptos nos habere vel penitus non habere cognoscitis nobis afferre dignemini; ut vestro beneficiio et vitiosi corrigantur, et non habiti, nunquamque nisi per vos habendi, hoc gratius quo insperatius acquirantur. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CV.

AD MARCWARDUM ET (*c*) EIGILEM.

Charisstmis suis Marcwardo et Eigili Lupus plurimam salutem.

Octavo Idus Augusti litteras vestras accepi, cum essem in (*d*) Faræ monasterio, proficiscens ad generale placitum quod rex noster indixerat futurum VI Id. prædicti **157** mensis. Quia itaque quatuor mecum tantummodo fratres habebam, et cæterorum voluntatem plene scire non poteram, et mira nimium res contigerat, (quod scilicet G. in monasterio nostro educatus, postquam divinam admonitionem assidue audierat, nullam persecutionem passus, matura ætate non eremum expetierat, sed, proprio relicto habitu, dignitatem sæcularem, quod diu meditatus et confessus plurimis fuerat lucraturus abierat, similibus paria facturis felix iter paraturus, et nunc ad suggestionem vestram proposito mutato ad Deum reverti velle scribebatur a vobis,) sanctitati vestræ notum facio veræ illius conversioni, si contigerit, me valde gratulaturum, et quæcunque in me commisit pœnitenti ex animo dimissurum. Vos, dum a placito regredior, quod propter Deum cœpistis, instanter elaborare perficere, videlicet ut integre ad Deum revertatur, et suam culpam in alium deinceps transfundere non nitatur. Temperantiæ studeat, conspirationes non repetat, murmurum auctor nec particeps existat, seditiones nec faciat, nec foveat, sed quietem et ipse habeat, et alios habere permittat, et generaliter juxta Dei præceptum *declinet a malo et faciat bonum* (*I Pet.* III), et in diebus nostris in loco nostro nihil patietur unde juste queratur. Mox autem

(*a*) *Fidei exordium.* Respexit Lupus ad epistolam Innocentii I papæ ad Decentium episcopum Eugubinum, in qua sic scriptum est: « Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Aut legant, si in iis provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt; oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est; ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. »

(*b*) *Conservare dignetur.* Sic Rabanus, nondum archiepiscopus, scribens ad Haistulfum archiepiscopum, hæc ait in fine epistolæ: « Orantem pro nobis sanctam paternitatem vestram gratia superni protectoris conservare atque ad defensionem Ecclesiæ suæ sanctæ semper corroborare dignetur. »

(*c*) *Et Eigilem.* Additum est istud ex veteri codice. Et sane addi debuisse patet ex contextu epistolæ, quæ ad Eigilem quoque scripta est. Hunc autem Eigilem, abbatem Prumiensem fuisse post Marcwardum diximus superius ad epistolam 55.

(*d*) *Faræ.* Editio Massoni habebat, *Fana.* Pessime. Itaque secuti sumus auctoritatem codicis manuscripti. De Faræ monasterio supra diximus in notis ad epistolam 14.

ut rediero, favente Dei gratia, ut vestræ suggestioni A fratres pareant elaborare contendam, illorumque consensum sanctitati vestræ litteris exprimam et domino(*a*) imperatori, cui propter singularem et ubique divulgatam pietatem devotissimi sumus, digno rescripto satisfacere curabimus. Benigne memorem nostri sanctitatem vestram felicissimeque **158** optamus, unice singulariterque nobis patres dilecti.

EPISTOLA CVI.

DE RECEPTIONE PEREGRINORUM.

Omnibus Dei omnipotentis fidelibus Guenilo Senorum metropolitanus episcopus salutem.

Monachus quidam nostræ diœcesis, nomine Dolivaldus, ex monasterio quod appellatur Ferrariæ, divino, ut credimus, instinctu (est enim valde religiosus) laborem peregrinationis assumpsit, ut pro se B fratribusque suis monachis ac pro nobis apud beatissimos apostolos Petrum et Paulum cæterosque sanctos Dei misericordiam imploraret, et quod suis non posset, eorum orationibus obtineret. Hunc vestræ committimus charitati, obsecrantes ut pro amore Dei, sicut servum ejus, eum excipiatis, tractetis, atque dimittatis, sive euntem, sive redeuntem. Decet enim ut ubicunque religionem suam, hoc est Christianam, invenerit, suam quoque patriam recognoscat, et inter cæteros hunc quoque faciatis amicum qui sunt vos in æterna tabernacula recepturi.

EPISTOLA CVII.

ITEM UNDE SUPRA.

Dominis reverentissimis, Christiana religione pol- C lentibus, Lupus Abbas ex monasterio Galliæ quod appellatur Bethlehem sive **159** Ferrariæ, plurimam salutem.

Monachus noster, cui nomen est Dolivaldus, magna simplicitate ac laudabili devotione, vir spiritu Dei, ut omnino credimus, accensus, cum venerabilis episcopi nostri Guenilonis ac nostra benedictione pro se ac pro nobis Deum et sanctos apostolos Petrum et Paulum peccaturus Romam proficiscitur, quo majorem laborem assumpsit, hoc certius se exaudiendum confidens. Hunc vestræ sanctitati, probitati ejus testimonium perhibentes, commendamus. Ne dubitetis huic impendere quod bono cuique indigenti præbendum est; quoniam licet sit expers litterarum, mandata Dei quæ non legit in codice demonstrat in ope- D re, omniumque inter quos versatur non amorem solum, verum etiam venerationem brevi meretur. Vos itaque sic eum quæsumus vel euntem vel revertentem tractare dignemini ut ab illo cujus verus est cultor securi perenne præmium exspectetis.

EPISTOLA CVIII.

AD DOMNUM LATHARIUM.

Præcellentissimo domino Lothario glorioso Augusto ultimus abbatum Lupus et omnis monasterii Ferrariensis unanimitas præsentem felicitatem et futuram beatitudinem.

Quanquam inter administrationem terreni magni de cœlestis acquisitione vos rogitare magnam spem vestræ salutis tribuat his qui sincere vos diligunt quod sempiternum præmium bonis operibus comparatis, tamen hoc eos maxime lætificat, ut absque fuco adulationis quod **160** sentimus, simpliciter eloquamur, quod potestatem culminis vestri gratissima Deo et hominibus pietate ornatis. In hac enim perseverantes, inter eos annumerabimini quibus pro mittere dignatur Salvator, ***Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*** (***Matth.*** v). Nos devotissimi famuli vestri specialiter majestati vestræ gratias agimus quia fratrem nostrum G. (ideo fratrem, quia audivimus conversum) a suo proposito devium et auctoritate revocastis, et mira dignatione, etiam intercessione, quæ (*b*) vim jussionis merito obtinet, ad nostrum collegium reduxistis. Debemus igitur vobis assignare post Deum nos ejus correctionem, ille suam salutem. Nam quod (*c*) sacra vestra significabant, ut resumpto habitu in officio condendarum epistolarum perseveraret, nec vos decebat, et nobis consentire erat impossibile; quoniam propositum nostrum vix mediocriter inter claustra monasterii custoditur, nedum inter tumultus mundanos a quolibet, præsertim non satis cauto, valeat adimpleri. Dominus et Salvator noster ad tutelam et pacem populi Christiani, quem redemit, diuturna sospitate in hac vos vita contineat et in futura gloria sempiterna coronet.

EPISTOLA CIX.

AD MARCWARDUM ET EIGILEM.

Charissimis suis Marcwardo et Eigili Lupus omnisque Ferrariensis cœnobii societas præsentem et futuram salutem.

Tandem a placito me reverso ad monasterium, fratribusque **161** vestra diligentia conversione G. exposita, ab omnibus talium capacibus sanctitati vestræ relatæ sunt dignæ gratiæ; illi autem congratulatum, quod audiebant depositam certæ perditionis temeritatem, et resumptam obtinendæ salutis intentionem. Redeat itaque securus, si ex animo est, ut optamus, conversus: quia unde (*d*) angeli, totius expertes peccati, gaudium habent, crudele est nos non exsultare, qui in multis offendimus omnes. Siquidem quacunque occasione quis ad Deum recurrat, gaudendum esse nobis luxuriosus ille filius misericordia patris receptus informat; cui apud eumdem

(*a*) *Imperatori.* Lothario, Ludovici Pii filio. Nam in ejus regno constitutum erat monasterium Prumiense, cui tum præerat Marcwardus.

(*b*) *Vim jussionis merito obtinet.* Ausonius in Parecbasi centonis nuptialis: «Quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat qui jubere poterat, imperator Valentinianus.» Tacitus libro quarto Historiæ « Preces erant, sed quibus contradici non posset.»

(*c*) *Sacra vestra.* Id est, litteræ vestræ, præceptum vestrum, seu diploma.

(*d*) *Angeli t. exp. peccati.* Hanc emendationem debemus codici manuscripto. Nam locus iste misere laceratus ac fœdatus erat in editione Massoni, itemque in Duchesniana.

patrem non fuit (*a*) egestas opprobrio, quem gratis A reformata dignitas abolevit. Litteras domino imperatori vobis legendas ac sigillo munitas majestatis ejus per vos honorifice offerendas direximus, ut voluntatem nostram etiam in eis rectam inspiceretis. Folchricum et Maur, cupimus cum fratre memorato redire ut (*b*) piractio, quo unice delectantur (nam hoc anno penuria vini timetur), nobiscum fruantur. Raritas tamen fructuum idipsum defuturum, ut prodamus veritatem, minatur, cervisiam vero sterilis annonæ proventus. Tuto igitur naturali potu, quo salubritas animæ corporisque nonnunquam acquiritur, omnes utemur, non hausta lutulenta cisterna, sed puteali perspicuitate aut vitrei rivi decursu. Optamus vos valere feliciter et parvitatis nostræ benigne in omnibus meminisse.

162 EPISTOLA CX.

(*c*) AD HILDUINUM.

Nobilitatis, (*d*) dignitatis, et moderationis apice conspicuo Hilduino, ecclesiasticorum magistro, Lupus præsentem et futuram prosperitatem.

Non est mirandum amplitudinem vestram putasse tuto committi nobis thesauri custodiam, propterea quod monasterii situs vobis non erat compertus. Hunc enim si cognovissetis, non modo diuturno non conservandum, sed ne tribui quidem spatio habendum eum nobis direxissetis. Namque tametsi (*e*) piratarum huc difficilis videtur accessus (quibus jam, peccatis nostris talia merentibus, nihil longinquum non est propinquum, nihil arduum est invium), tamen infirmitas nostri loci et exiguitas hominum qui sint idonei resistere accendit rapacium aviditatem, præsertim cum silvis tecti possint advolare, nulla munitione, nulla hominum obstante frequentia, et vicinia saltuum recepti, sic diversi diffugere ut ipsi pecunia securi potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant. Hæc ita esse et homines vestri
B nuper inspexerunt; et hic (*f*) Ivo, qui diu nobiscum versatus est, poterit approbare. Proinde vestra merito laudata et laudanda prudentia prospiciat nostræ formidini et suæ rei, ac pretiosa pericula alio transferenda procuret; ne si quod veremur contigerit, vos sera pœnitudine torqueamini, nos vero quam non meremur incurramus offensionem. Eximietatem vestram cupio valere feliciter.

(*a*) *Egestas opprobrio*. At hodie quotus tandem homo est qui amicum, inopem ex divite factum, meminerit in intimis olim sibi fuisse? Quin et ipsam Agrippinam Neronis principis matrem deseruit turba salutantium postquam et excubias militares et Germanos custodes removit Nero, eamque transtulit in domum quæ Antoniæ fuerat, dives evadat, tum vero primum vitare paulatim congressus veteris amici, postremo fastidire. Recteque adnotat Muretus noster in libro II Variarum Lectionum, cap. IV, difficile et operosum C esse reperire cognatum pauperis. Sapienter itaque Robertum Lincolniensem episcopum monebat Arnulphus episcopus Lexoviensis, caveret ne in se exemplum ederet quo confirmari posset vetus illud dictum, *Honores mutant mores*. Ait enim in epistola secunda: « Creat enim cor novum et novos affectus novæ conscientia dignitatis; divitesque facti paupertatis amicos cum ipsa paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri videatur inopia resedisse. Solos autem venerantur et diligunt quos fortuna conducit. » Vide Notas nostras ad epistolam secundam Salviani. Hic tamen testimonium perhibere debeo veritati, ut habuisse se sciat nostra ætas virum quem cum priscis conferre possit. Haud dubie Petrus de Marca, archiepiscopus Parisiensis, vir magnus fuit, et eo dignitatis pervenerat ut præterea desiderari nihil in Ecclesia Gallicana possit. In hac tamen honorum et divitiarum gloria modestiam animi semper retinuit. Apud eum fui per integrum sexennium; adeoque longa D experientia cognovi quam familiariter exciperet omnium ordinum viros, et quam civiliter ageret cum universis. Aderat frequenter Athanasius rhetor presbyter Constantinopolitanus, homo cæteroqui doctus et eruditus, sed tamen pannosus et pauper. At non propterea existimabat Marca virum esse contemnendum, cui præter bonam mentem et plurimam rerum sacrarum ac divinæ humanæque philosophiæ cognitionem aderat etiam modestia vere Christiano digna et mores inculpati. Hunc ita pannosum penes se in colloquiis locabat Marca; quoties vero eum ad prandium invitabat juxta se assidere faciebat, et quidem super alios quosdam qui vestiti erant mollibus et fortassis rebantur Athanasium sibi inferiorem esse multis parasungis. Vide Freinshemii commentarium in Curtium, lib. IV, cap 1, in illud, *Causa paupertatis probitas*.

(*b*) *Piractio*. Intelligit, opinor, potionem ex piris confectam, usui futuram loco vini, quod eo anno rarissimum erat futurum.

(*c*) *Ad Hilduinum*. Abbatem monasterii sancti Dionysi, qui et sacri palatii archicapellanus fuit sub Ludovico Pio.

(*d*) *Dignitatis apice*. Quia nimirum archicapellanus erat apex omnium dignitatum palatinarum, atque ob eam causam metropolitanis quoque ubique prælatus, etiam in synodis. Quoniam vero omnium qui in clero erant causæ ad eum pertinebant, velut ad *Responsalem negotiorum ecclesiasticorum*, ut archicapellanum vocat Hincmarus, hinc factum ut Hilduinum Lupus vocet Ecclesiasticorum magistrum. Eamdem ob causam Hilduinum sacris negotiis a Deo prælatum legitur in Epistola Ecclesiæ Senonensis ad ipsum scripta pro electione Hieremiæ archiepiscopi. Quin et Frotarius, episcopus Tullensis eum vocat *a Deo electum patrem et magistrum*. Sic in imperio CP. Chartophylax Constantinopolitanus, tamen etsi diaconus tantum esset, ante antistites seu pontifices sedebat, ut docet Balsamon in canonem 18 Nicænum et in canonem 7 synodi in Trullo.

(*e*) *Piratarum*. Id est Normannorum, qui tum Gallias misere depopulabantur. Piratas autem ideo vocat quod navigio primum pervenissent in Galliam. Horum ergo metu Hilduinus thesaurum monasterii sui, id est, sacras sanctorum reliquias et pretiosam supellectilem in monasterium Ferrariense transferri jusserat, quod tutum locum esse existimaret adversus Normannos, utpote mediterraneum, atque adeo piratis velut invium, non secus ac Constantiensis pagi in Neustria incolæ sancti Laudi episcopi quondam fui reliquias ob eum metum primo transtulerunt Rothomagum, inde vero apud civitatem Andegavensem. Quo cum pervenirent etiam Normanni, tandem ad Tutelense monasterium in Lemovicibus delatæ sunt, ubi hodieque summa veneratione asservantur. De quo nos uberius olim egimus in dissertatione de sanctis Claro, Laudo, Ulfardo et Baumado, quorum sacræ reliquiæ servantur in cathedrali ecclesia Tutelensi.

(*f*) *Ivo*. Fortean subdiaconus et monachus sancti Dionysii; cujus mentio exstat in tomo IV Spicilegii, pag. 231.

163 EPISTOLA CXI.

(*a*) AD ODONEM ABBATEM.

Charissimo suo Odoni, abbatum clarissimo, Lupus plurimam salutem.

Magnis et innumeris vestræ liberalitatis affectus beneficiis, si, quas animo retineo, gratias verbis explicare conarer, non epistolæ solum, verum etiam voluminis modum excederem. Amplitudo vestra nostram exiguitatem non despexit, egestatem ubertate nimia sublevavit; nec tale quid me suspicari audentem, utpote longe imparem, fidissima sibi amicitia coæquavit: cujus ego suavissimis fructibus perfruens, tametsi facultate destituor, non desino anxius meditari saltem affectum mei animi declarare. Omnium siquidem amicorum quos ab ineunte ætate divina mihi pietas contulit firmissime vos teneo principes, nec cujusquam alterius ut vestra B dignatione et largissima humanitate me sentio obligatum; adeo ut cum hæc repeto, ruboris molestiam haudquaquam valeam evitare; atque unum ac singulare fessus reperio solatium, quod divina gratia, quæ me nihil hujusmodi merentem in tantum culmen societatis evexit, collatura sit ne in perpetuum erubescam. Quæso ne putetis me delinimentis fallacibus vobis illudere, quandoquidem tam sint apud me quæ leviter tango seria ut in eis digne explicandis quæsita laboret oratio. Cæterum utinam fallax fama vulgaverit in procinctu contra barbaros quosdam vestrorum graviter sauciatos, in quibus admodum dilectum nobis G. lethalibus confossum **164** vulneribus vix evasurum. Hinc vehementi dolore afflictus, opemque intercessionis cum fratribus meis C continuans, super statu eorum cupio vestris litteris mature fieri certior. Ingenti quoque vestri cura sollicitor, cum vos inermes incaute in media discrimina prorumpere solitos recogito, in quæ juvenilem agilitatem vincendi rapit aviditas. Proinde benigna devotione suadeo ut, sola dispositione contenti, quæ tantummodo vestro proposito congruit, armatos exsequi permittatis quod instrumentis bellicis profitentur. Denique multum proficit qui prudentibus consiliis competenter sibi et aliis prospicit. Quare servate vos vestro loco, servate vos amicis, servate bonis omnibus, nec committatis quod mecum A plurimi lugeant. Emptionem ferri, quod propter messem erat difficillima, distulimus, parati in navem quam ædificamus vos recipere, nisi naulum recusetis auferre. Dirigite impendenti Septembri, si prius non fuerit opportunum, quemadmodum nobis convenit, fratres qui saltus partem assignent. (*b*) Infaustum etiam Faustum afferant, et responsa de omnibus quæ mandaveritis fideliter referant. Persica quæ pollicitus sum per cursorem, quem jam bene cognoscitis, misi. Ea si, ut vereor, voraverit, vel vi sibi erepta questus fuerit, extorquete precibus ut vel ossa tradat, nisi tamen et ipsa consumpserit, ut jucundissimorum persicorum sitis quandoque participes.

165 EPISTOLA CXII.

ITEM AD EUMDEM.

Charissimo suo Odoni, Lupus perpetuam salutem.

Nuper mihi litteras redditas si possem divinare a vobis ipsis quam ab alio compositas, conveniens forsitan reperissem responsum. Nunc ambiguo deterritus, quibus verbis uti valeam, quibusve sententiis, anxie quæro, ne apud vos metas moderationis excedam, quandoquidem vestræ personæ singulariter mihi consideratio jugiter sit habenda. Quis enim me ferendum judicaret, si vos, quibus præter gratias plurima imo omnia debeo, sinistræ suspicionis arguerem? Nam si alium scirem epistolæ auctorem, cohibito dolore doceri flagitarem quibus tandem modis fidei studium, aperire præciperet, qui litteras, ut ita dixerim, calamo in veritate tincto perscriptas, suspectas tam inverecunde fecisset. Ego enim nihil unquam de humanis rebus homini locutus sum verius, nihil amico revelavi purius, nihil retineri decrevi constantius. In rebus aliis libenter exercendi aut delectandi gratia admitto ridicula. Porro in professione amicitiæ, contemplatione tanti tamque divini muneris, seria sola complector. Hinc quiddam acute de Persicorum numero inventum approbarem, si sic commendaretur (*c*) sublimitas virginalis ut non sperneretur humilitas conjugalis. Denique virginis filius non modo non damnavit conjugium, verum etiam ejus initium,

(*a*) *Ad Odonem abbatem.* Corbeiensem, qui una cum Lupo interfuit synodo Suessionensi anno 853, episcopusque postea fuit Bellovacensis. Ad eum itaque jam episcopum extat epistola 127 Lupi.

(*b*) *Infaustum Faustum.* Reiorum Apollinarium episcopum in secunda Narbonensi, ut patet ex epistola sequenti.

(*c*) *Sublimitas virginalis.* Perstringit eos qui in tantum fastigium evehunt virginitatem, ut etiam nuptias damnent. Immodicus in hoc argumento fuit Hieronymus, durus etiam adversus unicum matrimonium. Et fuere qui legitimarum damnarent fœdera nuptiarum: in quos secutum est decretum concilii Gangrensis, quod et ipsum renovatum postea et in synodis posteriorum sæculorum. Callistus II in concilio Tolosano, quod anno 1119 habitum est, eos tanquam hæreticos ab Ecclesia pelli jussit, qui legitimarum damnant fœdera nuptiarum. Necessarium enim erat decretum illud adversus hæreticos quosdam, qui tum docebant neminem in matrimonio constitutum posse salvari: quæ fuere semina D hæreseos Albigensium. Contra Helvidius nuptias æquabat virginitati. Quod adeo ægre tulit Hieronymus, ut propter hanc excandescentiam, dum virginitati nimium favet, nuptias ad peccatum usque deprimere videatur, mulierem tandiu obnoxiam esse maledictioni et subjectam viri dominio innuens quandiu coitum appetit. Sed tamen Erasmus ex eo excusare contendit Hieronymum quod in initio libri adversus Helvidium testatus sit se non detrahere nuptiis, cum laudat virginitatem, ut hæc semper ad illam regulam sint accipienda quæ in hac causa durius dicta videbuntur ab Hieronymo. Ego crediderim Hieronymum, ut erat fervidi vir ingenii, audaciam illam Helvidii ferre non potuisse, atque adeo amore castitatis paulo longius esse progressum quam oportuit. Quo in genere disputationum semper vehementes fuerunt magni viri.

nuptias videlicet, (*a*) primo miraculo illustravit. Placet **166** itaque ac vehementissime virginalis integritas; sed non despicitur, ne ab ipso quidem Deo, conjugalis societas. Jam illud quam lepidum est quod recipi mecum in navem imponendæ vobis mercedis taxatione refugitis? Sed si vos necessitatis articulus, quod futurum arbitror, constrinxerit, quem offerentem tam insolenter repellitis, juste recusantem prospicite ne impudenter implorare cogamini. Verum ut gravitatem stylus repetat, strenue profligatos barbaros et ad internecionem cæsos vestra imo Dei virtute gaudeo, vosque ipsos et vestros ineffabiliter exsulto discrimine liberatos, nec minus partim admonitos, partim expertos, tandem vos credere non temere fortunam nec sæpe tentandam. Pro G. reliquisquo in defensionem patriæ sauciatis non cessabimus preces fundere quousque vestra relatio parvitatem nostram sanitate illis restituta lætificet. (*b*) Faustum dirigi postulavi, non (*c*) quem refellit Augustinus, sed quem notat in Decretis (*d*) Gelasius. Vinum vobis mercandi curam deposueram, propterea quod desperabatis possibile vobis futurum ad nos destinare, nostrorum discordia et barbarorum impediente audacia. Quoniam vero recenti me sollicitastis admonitione, quanquam vindemiæ apud nos non est quantus jactabatur proventus, vincere sterilitatem anni labore contendam, si consilium quod vobis nuntius meus exponet placuerit. Illud autem quod pollicitus sum cum direxero, cognoscetis quanta proprietate intelligam indulgentiam Apostoli, qua se avidiores vini tuentur: ***Modico vino utere*** (*I Tim.* v.) Circumsepti enim conditionis necessitate, non aliud quam a me missum bibendi modum dedisse nomine **167** modici me sentire animadvertetis. Licet minaciter epistolam terminaverim, cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CXIII.

AD LUDOVICUM ABBATEM.

Clarissimo abbatum Ludovico, Lupus præsentem et futuram salutem.

Non dubito ubertate divinæ gratiæ factum ut vestra sublimitas meæ humilitati dignaretur condescendere et me in qualicunque amicorum ordine numerare. Per vos enim et sæpe alias et proxime intolerabili me incommodo divina pietas liberavit, cum molesta nimis et diuturna statio imponeretur. Vestris itaque innumeris et assiduis beneficiis me imparem credens et confitens respondere omnipotentem imploro, cujus munere tantam et in me et in omnes opis egentes estis benevolentiam consecuti. Cæterum homines mei frequentibus exhausti expeditionibus, audita profectione domini regis Britanniam versus, et denuntiati olim placiti aliquam sperantes dilationem, poposcerunt ut vos consulerem ubi et quando vobis jungi deberem. Proinde vestra indulgentissima moderatio nostras metiens difficultates dignetur nobis litteris exprimere quandiu post præstitutum placiti diem tuto morari possimus, ita ut nec desimus placito, et aliquid spatii, vestro nos consilio regente, lucremur. Illud etiam ne fastidiatis subjungere, si absque periculo (*e*) piratarum navis nostra expensam vehens possit tenere cursum per Sequanam, et inde per confluentem **168** Isaræ usque ad (*f*) Credilium progredi. De vestra exoptabili sospitate super omnia parvitatem meam lætificate, meique benigne memores, bene semper valete.

EPISTOLA CXIV.

AD EUMDEM.

Clarissimo abbatum Ludovico, Lupus plurimam salutem.

Vestris frequentibus imo assiduis beneficiis obligatus doleo rebus me non posse rependere gratias. Propterea id proxime conatus sum litteris agere; nec ruboris mei angustias amplitudinis vestræ dignatio fastidivit. Unde, quod solum possum, ingenue fateor arctiori parvitatem meam debiti vinculo devinxistis. Hæc tam ingens vestra benevolentia et in me et in omnes, a quo solo infunditur, ab eo credo remunerabitur. Nos, qui vestri post Deum indigemus, continuis petitionibus æternæ illius retributionis augmenta præbemus. Positus in itinere comperi dominum regem ne tunc quidem quando constituerat ad vos reversum. Proinde dilationem flagitantibus hominibus meis, ut soleo ad præsidium consilii vestri confugio: quod sic quæso moderamini, quæ mihi agenda sint præscribentes, ut et ab offensa tutus esse valeam; et si in retun-

(*a*) *Primo miraculo.* Hoc enim primum signorum fecit Christus Dominus in nuptiis Chananææ, ut scriptum est in capite secundo Evangelii secundum Joannem.

(*b*) *Faustum.* Itaque persuasum erat Lupo Fausti Reiensis opera non esse admodum sana; ideoque *infaustum Faustum* eum appellavit in epistola superiore. Melius mentem suam aperuit in epistola 112 et 128, in qua loquens de Fausti istius operibus Carolum Calvum admonet ne ei acquiescat erranti. Unde colligi ferme potest Lupum abbatem Ferrariensem esse auctorem Collectanei de tribus quæstionibus. Non video autem quonam modo Collectaneum illud esse possit abbatis istius, liber vero de tribus Quæstionibus sit alterius cujuspiam, presbyteri scilicet Moguntini. Vide etiam epist. 128 et Collectaneum in fine.

(*c*) *Quem refellit Augustinus.* Id est Faustum Manichæum, adversus quem exstat insigne Augustini opus in libros XXXIII distinctum.

(*d*) *Gelasius.* Vide Notas ad epistolam 128.

(*e*) *Piratarum.* Id est Normannorum, ut supra diximus. Nam ii jam navigare cœperant adverso Sequana fluvio. Igitur id factum anno 851, ut patet ex Chronico Fontanellensi; in quo scriptum est, Normannos fuisse eo anno *in Sequana a tertio Idus Octobris usque Nonis Junii dies ducentos octoginta septem.* Vide Radbertum lib. IV Commentar. in Threnos Jeremiæ.

(*f*) *Credilium.* Oppidum in ora Isaræ fluvii, vulgo *Oise*, haud procul Chantiliaco, vulgo *Creil* hodie.

dendis aut opprimendis (*a*) barbaris, inspirante Deo, efficax molitio statuitur, pro viribus meæ tenuitatis adjutor existam. Quantum cupio in perpetuum valeatis.

169 EPISTOLA CXV.

AD ERCANR.

Ex Gu. et aliorum personis.

Reverentissimo præsuli Erc., G. H. et Ag. (*b*) episcopi et universa synodus (*c*) apud Murittum in Dei nomine congregata, perpetuam salutem.

Sanctitati vestræ gratias agimus quod, quanquam tardiuscule, tamen vestrum vicarium direxistis qui pondus deliberationem nostrarum nobiscum exciperet, definiendisque rebus necessarium conamen adhiberet. Sed persona vestra apud simplices quosque tantum amplius contulisset auctoritatis quantum præcedit (*d*) apice dignitatis. Proinde quia, peccatis nostris merentibus, turbulentissimum tempus est, et tot sibi succedentibus annis, exuberante iniquitate, defuit facultas celebrandi conventum, ac regis cor Deus ita mollivit ut nobis aliquam correctionis largiretur opportunitatem, momenta vero vitæ nostræ nullam sui transitus dilationem recipiunt, causam ipsius Domini nostri haudquaquam segniter debemus curare, nec nos ab exsecutione officii, quod indigni suscepimus, ulla nisi (*e*) impossibilitatis necessitate subtrahere : quoniam, ut scriptum est, *homo videt in facie, Deus autem in corde* (*I Reg.* XVI) ; *qui redditurus est*, ut alibi verissime dicitur, *unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI). Atque utinam supererogaremus aliquid, ut ipse rediens optata mercede cumularet. (*f*) Charitatis igitur..... *Cætera desunt.*

*****

170 nostri detrimenta, ubi aliquot discipuli bene jam instituti immatura morte decesserunt, compensare illorum eruditione qui vel in profectu positi suæ profectionis augmenta desiderant, vel eorum qui felicibus indiciis spem sui profectus, plurimum id nobis cupientibus, jam dederunt, nimirum crederem me totius boni auctorem tam fructuoso promereri labore. Ut ergo particeps efficiatur doctrinæ memoratus puer, cui juste consulitis, licentiam et litteras sui habet episcopi, perducatur ad nos dilectissimo Remigio IV Kal. Jul., et, gratia Dei opitulante, conabimur cum aliis illi quoque prodesse.

EPISTOLA CXVI.

FRATRIBUS EX COENOBIO (*g*) SANCTI GERMANI.

Sanctis patribus in monasterio beati Germani Deo excellenter militantibus, Lupus, socia congregatione Ferrariensi, copiosam in Domino salutem.

Semper quidem in cœnobiorum nostrorum habitatoribus vera charitas viguit, sed nunquam tam certis indiciis ut nostro tempore sui magnitudinem declaravit ; ac in nobis, si quid præter solitum exercuisset, supprimendum videretur, ne immemoris beneficii exprobrationem nos formare aliquis æstimaret. De vobis liberum nobis est præsertim vera narrare ad divinæ laudis augmentum. Et quoniam confidentius (*h*) experta asserimus quam audita, a memetipso inchoandum decrevi, fidem propositioni facturus. Cum proximo autumno insignis **171** rex noster Carolus (*i*) Autisiodorum venisset, et comitatus ejus proxima loca pene omnia occupasset,

(*a*) *Barbaris.* Id est, Britannis : adversus hos enim expeditionem moliebatur rex Carolus, de qua hic agitur, ut patet ex epistola superiore. Vide epistolam 83.

(*b*) *Episcopi.* Qui hic nominantur, hi sunt : Ercanradus Parisiensis, Guenilo Senonensis, et Agius Aurelianensis. De eo autem qui littera H prænotatus est, non audeo pronuntiare. Audacior fuit is qui edidit supplementa Conciliorum Galliæ.

(*c*) *Apud Murittum.* Loci nomen, in quo celebrata est isthæc synodus, prodidit quoque editio Duchesnii : nunc vero confirmatur auctoritate vetusti codicis, nam hoc loco fuit lacuna in editione Massoni. Recte autem existimat Labbeus locum illum fuisse in diœcesi Senonensi, eumque esse quem Morettum hodie vocant. Nihil enim vulgatius in manuscriptis codicibus, quam ut litteræ *o* et *u* permutentur ; ut ad Pseudoplauti Querolum notavit Petrus Daniel, et nos alibi monuimus. Itaque pro *Morittum*, scribi quoque potuit *Murittum*. Synodum porro illam fuisse habitam anno 850 admonuit idem Labbeus.

(*d*) *Apice dignitatis.* Ob hoc nimirum quod episcopus esset urbis regiæ. Reverentiam enim episcopis suis conciliant amplissimæ civitates, præsertim illæ quæ capita regnorum esse meruerint.

(*e*) *Impossibilitatis necessitate.* Quippe vetustis ac recentioribus regulis constitutum erat ut ne quis episcopus ad synodum vocatus adesse negligeret, nisi propter necessitatem imbecillitatis. Synodus vero Agathensis etiam præceptionis regiæ excusationem admitti præcepit. Quare, nisi morbus ingens episcopum peregre proficisci prohiberet, et si liberam illi conveniendi ad synodum facultatem non denegaret princeps, impudentiæ ac negligentiæ notam incurrisset, nisi ad synodum accessisset. Sed hic tamen annotandum est episcopo de se asserenti quod adesse non possit credi debere ; quod indicant hæc verba : *Homo videt in facie, Deus autem in corde*, id est mentiri potest episcopus, dum ait inevitabili se necessitate constringi ne ad synodum accedat. Imponere quidem potest hominibus, quibus sola viri facies nota est ; at non item Deo, qui cordium scrutator est. Cæterum *mendacio non convenit labia pollui sacerdotis* ; ut in epistola 11 ad Alexandrum III scribit Arnulphus Lexoviensis.

(*f*) *Charitatis igitur.* Post hæc verba arbitror deesse unum folium in veteri codice. Cætera enim non cohærent, neque profecto pertinent ad hanc epistolam synodicam. Scribit enim dein Lupus familiari cuidam suo, ut manifestum est. Itaque fragmentum istud epistolæ synodicæ distinximus a sequenti fragmento. Illud interim admonemus, fragmentum istud postremum diverso charactere, eoque minutiori, scriptum esse in veteri codice ; licet is quoque antiquissimus sit, et ejusdem haud dubie temporis. Quæ causa fuit ut superiores editores non animadverterent hic deficere aliquid.

(*g*) *S. Germani.* Autissiodorensis, ut habebat editio Massoni.

(*h*) *Experta quam audita.* Juxta illud Plautinum :

Plus valet oculatus testis unus quam auriti decem.
Qui audiunt, audita sciunt. Qui vident, plane sciunt.

(*i*) *Autisiodorum.* Caroli Calvi adventus ad civitatem Autissiodorensem contigit eo tempore quo Ludovicus

egentes hospitii vos potissimum adeundos credidimus. Nec spe nostra falsi, officiose sumus excepti; et publicum vestrum convictum regio famulatu nobis penitus adimente, quacunque hora elabi potuimus, nequaquam sensimus importunitatem nostram vobis oneri exstitisse. Postquam per charissimum propinquum Remigium et gratissimum auditorem meum Fridilonem sanctitati vestræ satisfecimus, ostendentes votum nostrum, quibus reniti non valebamus, mandata regis alio quam vellemus avertere. Discessuri, ne gratias quidem in conventu referendi copiam habuimus, quoniam moras omnes deferendæ (*a*) legationis impossibilitas auferebat. Unde in hac parte memoratos amantissimos fratres vicem nostram implere obsecravimus donec per nos id ipsum exsequi Divinitas largiretur. Ad hæc quæ supra retulimus, terrente (*b*) prædonum improbitate, ornamenta ecclesiæ nostræ occultanda curastis, nec ad id præstandum inventi estis difficiles. Quæ secum reputans dilectissimus frater noster S. et cum sibi tum etiam pluribus aliis nostrum multa benigne collata recensens, impendente, ut metuebamus, ruina nostri loci, quam et nostra peccata et piratarum vicinia minabantur, vos elegit, non apud quos peregrinaretur, sed intra quorum collegium admissus, vicarium nostri loci contubernium possideret. Verum id etiam alii postulaverunt, optantes, licet diversi, in monasteriis consistere quam cum majore suorum parte in villa versari. Quanquam igitur Deus incertum utrum sua pietate in perpetuum **172** subversionem nostri monasterii removerit, an aliqua latente causa ad tempus distulerit, tamen prædictus frater quod obtinendum conceperat perseveravit flagitare: quod utinam vobis annuentibus consequatur, ne simili casu coactus, ulteriora compellatur sectari! Supplicamusque ut eum apud vos consistentem pie foveatis: quia meorum laborum diu particeps fuit, et pro sua probitate ac strenuitate semper gratus omnibus A et universaliter utilis est judicatus. Præterea vestræ sanctitati plurimum confisi, ausi sumus fratrem Bernegaudum, rudem adhuc monachum, roganti vestræ paternitati dirigere, vestræ voluntati obsecuturum, et in suo proposito perfectiorum exemplis atque doctrina studiosius confirmandum. Exiguitatis nostræ benigne memores optamus vos valere feliciter.

EPISTOLA CXVII.

(*c*) AD ANSBOLDUM.

Reverentissimo A. abbati et universis fratribus ejus, Lupus et omnis Ferrariensis cœnobii societas in Domino salutem.

Asperrimis difficultatibus evictis, gaudemus vos tandem aliquando gratia divina loco proprio restitutos. Nec illud non libenter accipimus, quod nos- B tram in vos pronam voluntatem pio affectu jucundisque sermonibus prosequimini, quanquam longe plura atque majora vobis præstita cuperemus. Tribulationes nostras partim dolenter audistis, partim anxii aspexistis; sed eas, temperante vel penitus auferente **173** Domino Deo nostro, cum vestro commodo vobis vestrisque qui nos adierint desideramus usui esse ac sincerissimæ voluptati. Ut igitur familiaritas olim inita uberiori proficiat incremento, in occidua plaga recuperatæ facultates fuerint adjumento dum excursus et recursus per nos quæ utrinque gerantur aperiet. Cupimus vos nostri benigne memores semper valere feliciter.

EPISTOLA CXVIII.

AD HERARDUM EPISCOPUM.

C Reverentissimo Turonicæ Ecclesiæ antistiti Herardo, Lupus et Bethlehemitici cœnobii unanimitas plurimam in Domino salutem.

Quemadmodum scribere dignati estis, divinitus cum exiguitate nostra familiaritatis fœdera sociastis. *Charitas* enim, ut scribit Apostolus, *a Deo est* (*I Joan.* VII), quæ maxime in his eminet qui sincera

rex Germaniæ ingressus est in regnum Caroli, non velut hospes, sed ut hostis; ut patet ex Herico monacho in libro II de miraculis sancti Germani Autissiodorensis cap. 8, 9, 10. Istud porro accidit desinente anno 858, ut docet auctor Annalium Fuldensium. Vide Sirmondum in notis ad Capitula Caroli Calvi, tit. 23.

(*a*) *Legationis*. Cum anno, ut diximus, 858 Ludovicus rex Germaniæ regnum Caroli invasisset, afflictæ ex eo valde fuere res Caroli, adeo ut coactus fuerit fugæ se dedere, et in Burgundiam secedere. In hac calamitate pene de principe factus exsul, legatum aliquo misit Lupum, fortean in Germaniam; ut quoniam illic per multos annos fuerat, adeoque et Germanicæ linguæ gnarus erat, de injuria Caroli quereretur adversus Ludovicum. Et quoniam ea tempora promptis remediis indigebant, abire statim jussit Lupum, ne data quidem licentia amplectendi monachos sancti Germani. Adeo quippe afflictæ erant res Caroli ut non aliis artibus reparatæ videantur quam propter imprudentiam Ludovici, ut patet ex Annalibus Fuldensibus. Neque enim assentior Cellotio, qui Ludovicum ab injusto bello manum retraxisse putat propter episcoporum admonitiones: quod colligere se putat ex Annalibus Bertinianis. Eorum tamen Annalium auctorem paria sentire cum eo qui scripsit Annales Fuldenses si affirmavero, non existimo me a vero recessurum.

(*b*) *Prædonum*. Haud dubie Normannorum, qui tum pervenerant in diœcesim Senonensem. Itaque Lupus ornamenta monasterii Ferrariensis miserat ad monachos Autissiodorenses, velut ad locum tutiorem, illic occultanda.

(*c*) *Ad Ansboldum*. Codex vetus habebat, *Ad Ansb.* tantum. Editio autem Massoni, *Ad Ansboldum*. Quoniam vero is in epistola 69 vocatur *Ansbaldus*, et apud Massonum facili litterarum permutatione *Aus-* D *baldus*, rursum in epistola 10 *Ansboldus*, apud Massonum denique *Ausboldus*, et ex iis constat eum fuisse monachum sub Marcwardo abbate Prumiensi, eapropter facile adducor ut credam eum esse qui Prumiensis abbas fuit post Marcwardum et Eigilem. Regino: *Anno Dominicæ Incarnationis* 860 *Egil abbatiam Prumiensem sua sponte dimisit; et Auspaldus* [legendum *Ansbaldus* ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad annum 860] *in regimine, successit, vir omni sanctitate et bonitate conspicuus*. Itaque ex hoc etiam loco habemus Lupum nondum obiisse anno 860 cum ad Ansbaldum jam abbatem scribat. Ex iis porro quæ sequuntur apparet Ansboldum monasterio pulsum, tandem vero restitutum: quod indicat hanc epistolam scriptam esse aliquanto tempore postquam Ansbaldus regimen monasterii Prumiensis susceperat.

amicitia fœderantur. Utinam autem vel orando spiritualiter, vel obsequendo sæculariter, aliquid vobis conferre possemus! Profecto nostram in vos voluntatem fideliter aperiremus, quod in charissimo nobis fratre T. declaramus, quem secundum petitionem vestram ad regendos monachos in cella Roclena concedimus: qui cujus momenti apud nos sit, ex officio quod laboriosissime gessit facile est æstimare. Supplicamus autem sanctitatem vestram ut eum assidua pietate foveatis, sentiatque paternum in vobis affectum, cujus dulcedine semper inter mundi amarissimas molestias recreetur.

174 EPISTOLA CXIX.

(*a*) AD ÆNEAM EPISCOPUM.

Charissimo suo Æneæ, Lupus æternam salutem.

Doctrinæ studiosissimo regi nostro, quemadmodum vobis post alia intentionem meam aperui, quod liberalium disciplinarum laborem recolendo, et alios instituendo, favente totius boni auctore Deo vellem repetere, si otium ipse habiturus præmii communionem sua indulgentia concessisset, quod votum meum sereno vultu sermonibusque blandis amplexus ut ad effectum valerem perducere se curaturum promisit, id vobis continuo significandum credidi, ne oblata occasione nesciretis ad tantæ rei adnisum quibus esset invitandus alloquiis. Me vero monasterium ingredientem tristis excepit nuntius, ostendens Hildegarium vestrum, qui neptem meam habebat in conjugium, decessisse. Unde proprio affectu et propinquorum utriusque lineæ impulsu asserentium me apud vos plurimum posse, sanctitati vestræ has litteras destinavi, supplicans ut filio ipsius, super quo postulavit, concedere dignemini (*b*) beneficium tutorem vero, qui et moribus vestris congruat et (*c*) militare obsequium exigat, laudabili prudentia statuatis. (*d*) Relicta memorati viri ejusque propinqui decenter vos, si obtinuero, venerari studebunt; Deus autem,

A aliis etiam bonis suffragantibus meritis, in eorum collegium aggregabit quibus pollicetur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Cupio vos valere feliciter.

175 EPISTOLA CXX.

(*e*) AD ARDUICUM EPISCOPUM.

Desiderabili pontifici A., Lupus et fratres ejus monachi sempiternam salutem.

Suspensi ad benignissimas promissiones vestras, tempus frustra fluere dolemus, cum infestationes (*f*) prædonum non possimus non habere suspectas. Proinde ut vestrum acceleretur votum, nostrumque depellatur periculum, suppliciter imploramus ut propter cælestem retributionem ipsi dignemini ad aliquem locum fatigari quo non sit mihi et
B quibusdam fratribus impossibilis accessus; ut et vos nobis exponentibus nostram necessitatem, et nos vobis aperientibus vestram voluntatem, plene valeamus cognoscere. Cum loco autem diem mensis exprimite, ne dubieiate aliqua confundamur. Cupimus vos valere feliciter.

EPISTOLA CXXI.

AD VULFADUM ABBATEM.

Unanimi suo (*g*) Vulfado, Lupus omnimodam salutem.

Fama vulgavit adventum regis aliter futurum quam fuerat ab eo dispositum. Causas igitur hujus immutationis, et quo tandem tempore venturus sit, aut ubi interim moraturus, familiaribus litteris aperite, ut ex eis quid mihi agendum sit, inspirante Dei favore, valeam æstimare. Relatio enim cursoris fidem
C non invenit, quoniam frequenter evidenti mendacio maculatur. Valete.

176 EPISTOLA CXXII.

AD GERHARDUM.

Præcellentissimo (*h*) duci G. et clarissimæ (*i*) conjugi ejus B., Lupus præsentem et futuram salutem.

(*a*) *Ad Æneam.* Episcopum Parisiensem. Vide epistolas 98 et 99.

(*b*) *Beneficium.* Non quidem ecclesiasticum, sed feudale. Nam vassallo mortuo, beneficium redit ad domnum feudi. Feudum autem simpliciter postea dictum est, quod tum beneficium dicebatur.

(*c*) *Militare obsequium.* Nimirum ratione feudi. Neque enim frustra dominus concedebat beneficium. Itaque quoniam is, pro quo beneficium petebatur, puer erat, rogatur Dominus, ut talem ei tutorem creet, qui incumbentia beneficio onera exsequi posset. Tutor ergo gerit hic quoque vices pupilli sui.
D (*d*) *Relicta.* Id est vidua.

(*e*) *Ad Arduicum episcopum.* Vesontionensem, cujus crebra passim mentio apud Hincmarum, quique concilio Tullensi apud Saponarias interfuit anno 859, itemque anno sequenti concilio Tullensi apud Tusiacum, anno demum 871 concilio Duziacensi. Ejus mentio exstat apud Flodoardum lib. III, cap. 20. Hic interim admonendum est, nunc primum restitutum esse nomen istius episcopi in hac epistola Lupina. Cæteræ enim editiones habebant, *Ad Arbricen. episcopum*; prorsus ineptissime. Hanc emendationem, ut plerasque alias, debemus codici manuscripto.

(*f*) *Prædonum.* Normannorum; ut diximus ad epistolam 116.

(*g*) *Vulfado.* Abbati Resbacensis monasterii in diœceci Meldensi, qui anno 862 interfuit synodo Pistensi una cum Lupo nostro. Unde illud quoque colligere possumus, Lupum nondum fuisse mortuum anno 862.

(*h*) *Duci G.* Id est Gerardo, eidem qui comes vocatur in epistola 81. Solemne id per eas tempestates, ut viri principes, interdum comites appellarentur, interdum vero duces. Hinc factum ut Bernardus comes, qui Septimaniæ Marcæque Hispanicæ præfectus erat sub Ludovico Pio, nonnullis in locis vocetur comes, in aliis vero dux, et apud Nilhardum et continuatorem Aimoini. Sic in Præceptis Lotharii regis pro monasterio sancti Petri Rodensis in diœcesi Gerundensi, et pro monasterio sancti Genesii in diœcesi Helenensi, Guifredus, qui passim alibi vocatur comes, dux dicitur, et quidem pagi Rossilionensis. Sic Vivianus, qui sub Karolo Calvo floruit, interdum comes vocatur, interdum vero dux; ut observavimus ad epistolam 86. Revera autem Gerardus, qui hic apud Lupum dux vocatur, erat comes in partibus Burgundiæ.

(*i*) *Conjugi ejus B.* Hæc fuit scriptura veteris codicis, quæ admodum sana est, nam editio Massoni immensum aberraverat, in qua scriptum fuit. *Conjugi ejus Bil.* Conjux enim Gerardi comitis, ad quem scripta est isthæc epistola, Bertha vocabatur, citra omnem controversiam. Illius autem mentio exstat apud Flodoardum lib. III, cap. 27. ubi recensens epistolas ab Hincmaro Remensi ad diversos scriptas,

Semper insignis fama de probitate vestra bonos A quosque lætificavit: sed nunc in omnium notitia uberius effloruit, cum eamdem probitatem vestram successu profuturo Christianis omnibus divinitas comprobavit. Illi laudes, illi gratiæ, illi exquisita præconia, quo auctore hostes molestissimos partim peremistis, partim fugastis. Cum vero quæ primo polliceri, postea promittere dignati estis largiti fueritis, conabimur gratias cumulare. Cæterum, quod diligenter scrutamini, noveritis monachum et discipulum meum Ad. nunquam a nostro monasterio aufugisse, sed ad petitionem beatæ memoriæ Marcwardi Abbatis ex Prumia aut (*a*) Proneam a nobis eum honeste directum, et cum illo aliquandiu conversatum, quorumdam invidiosorum vitasse insidias, et inde (*b*) discendi studio et quietis amore in urbe Lugdunensium constitisse. B Reverentissimis autem viris Remigio memoratæ urbis Metropolitano et H. Gratianopolitano instanter postulantibus, et conversationem memorati fratris laudantibus, quanquam olim meam verbis habuisset licentiam, etiam regulares litteras accepisse; quæ prolatæ quid de eo sentiam fidei relatione fatebuntur. (*c*) Litteras etiam eum ecclesiasticas habere a venerabili episcopo nostro Guenilone certissime scio, nec impedire aliquid **177** si Deus eum vocat, quo juste ejus infirmari possit electio. Bene apud nos conversatus est. Quo plurimum indiget Ecclesia, idoneus est ad docendum, regularibus et pontificalibus fultus est epistolis, progenitorum nobilitate ornatur. In sancto proposito, judicio prædictorum antistitum inter quos degit, devote perdurat. Quid restat nisi ut quod sanctis præ- C sulibus Deus inspiraverit fiat? Quid autem mirum si aliquando asperius aliquid super eo locutus sum? Illud culpa fuit inimicorum ejus impudenter falsa vulgantium. Istud quod nunc litteris alligo meum est judicium constanter prius visa et postea comperta narrantis. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CXXIII.

AD ANSBOLDUM.

Charissimo suo Ansb. Lupus indeficientem salutem.

Vehemens ac generalis necessitas, ut comperistis, abduxerat; ac propterea nequivimus, quemadmodum interque nostrum cupiebat, dum reverteremini, fido recreari colloquio. Erit autem divinæ gratiæ istud quandoque compensare dispendium. Interim sinceritate amoris probabiliter delectemur. Cæterum redditæ sunt nobis dudum litteræ diem ingressus vestri in monasterium ostendentes: quibus in conventu recitatis, et ab omnibus merito collaudatis, rescripsimus quæ nobis consequentia videbantur. His autem recentibus inspectis, intelleximus illas necdum vobis fuisse **178** perlatas. Nunc vero, id est Nonis Martii, vos easdem habere opinamur, atque ideo quæ continentur eisdem otiosum esse repetere. Fratres omnes affabiliter salutate; et ut pro nobis, B utpote sibi devotissimis, orare dignentur, suppliciter obtinete. Optime vos valere optamus.

EPISTOLA CXXIV.

AD GUENILONEM EPISCOPUM.

Reverentissimo Gueniloni pontifici, Lupns præsentem et futuram salutem.

Non est mirum si vos tandiu (*d*) metropolitanus episcopus mendacio fefellit, quando David nequam servus verisimili figmento ad horam decepit. Prædiorum quibus donatus fuerat medietate servus ille multatus est. Episcopo vero timendum est ne promissionum cœlestium integritate privetur, cum, teste sapientissimo Salomone, eum detestetur anima Dei *qui seminat inter fratres discordias* (*Prov.* VI). Et hoc et omnia quæ ab imprudentibus velut tædio C et impossibilitate contemnenda ducuntur facillime judicii exitum sortientur, cum tanta evidentia in memoriam cuncta revocabuntur ut nec auctores malorum purgare objecta imo declarata conentur, nec ulla rationalis creatura inde dubitare prævaleat quæ Creatoris æquitas omnibus proposuerit cognoscenda. Ibi, nisi satisfecerit, eum trepidare frustra videbitis, quem vera referre ut homo falsi credidistis. Quomodo enim tantæ possem effici pravitatis ut depositionem ejus cuperem cujus acceperam divinitus consecrationem? Testem eum **179** secu-

ejus etiam meminit, quæ ad Bertham istam scripta est « Berthæ uxori Gerardi comitis pro rebus Ecclesiæ sibi commissæ in Provincia sitis, quas eidem Gerardo tuendas atque ordinandas commiserat, petens ut ipsa strenua sit interventrix apud conjugem suum pro rebus eisdem. »

(*a*) *Aut Proneam.* Ego sic existimo, delendas esse voces illas, quas additas puto vitio librarii: qui cum non intelligeret, quid esset Prumia, dubitaretque ab legendum foret *Prumia*, ant *Proneam*, utrumque posuit; ut eruditus lector eam lectionem præferret, quæ verior esse probaretur. Id enim frequenter accidisse veteribus librariis admonuimus ad librum IV Salviani de Gubernatione Dei. In editione porro Massoni, pro *aut Proneam*, scriptum est, *aut perperam*, fœdissimo errore. Vide supra in Notis ad epistolam 3.

(*b*) *Discendi studio.* Nota Lugdunensis civitatis fama ob studium litterarum. Unde illud Juvenalis:

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Vide illustrissimum virum Petrum de Marca archiepiscopum Parisiensem, in libro de Primatibus, § 105.

(*c*) *Litteras ecclesiast.* Sic vocat litteras quibus Wenilo monacho illi licentiam tribuerat proficiscendi in D alienam diœcesim. Nam alias id non licebat. Vide Notas ad epistolam 102.

(*d*) *Metropol. episcopus.* Herardus nimirum Turonensis, ut dixi. Nam huic demandata cura est adeundi Wenilonem ad eumque referendi mandata synodi. Sed quoniam tum Herardus in morbum incidit, Robertum Cenomanensem episcopum vice sua misit, qui legatione pro se fungeretur apud Wenilonem, ut patet ex commonitorio ipsius Herardi ad Wenilonem. Et haud dubie Herardus viva voce per Robertum significavit Weniloni per Lupum abbatem Ferrariensem non stetisse quin Wenilo deponeretur. Is ergo de hoc facinore et perfidia, si vera forent quæ jacerentur, conquerendi sibi justam subesse causam scripsit ad Lupum: qui, ceu antea diximus, se purgare studuit apud Wenilonem.

ius facio cujus experiemur uterque judicium quoniam postquam præesse eæpistis, et dignati estis me in familiaritatem assumere, semper optavi vos et in sanctitate proficere et dignitate augeri; et si, meis rebus integris, sinistrum aliquid, quod Deus avertat, vobis contigisset, paratus sui opem ferre pro viribus et me amicissimum modis omnibus evidentissime comprobare. Quod si me perfidiam incurisse recolerem, tantum scelus negatione non tegerem, sed confessione simplici veniam obtinere conarer. Nam cui vel parum sacras intuenti litteras non ultro ac sæpissime occurrat: ***Qui parat foveam proximo suo, incidet in eam*** (*Prov.* XXVI; *Eccle.* X; *Eccli.* XXVI). Hæc quam vera sint utinam aperiat in præsenti qui, omni ambiguitate remota, patefaciet in futuro, ac me in hac parte penitus innocentem insolubilem familiaritatem vestram ad utilitatem utriusque tribuat obtinere! Quod aliunde compereram, vosque dignati estis mandare, si Deus annuerit, dominus rex fiet nobis vicinus: post cujus digressum, si vobis placet, ut primo fieri potuerit, desidero congruo utrique loco vos adire et sequestra Spiritus sancti gratia recuperare amicitiam quam spiritus maligni malivolentia aliquantulum perturbavit. Tunc etiam referre potero quid super fratre Bernegaudo santi Germani monachi annuerint, quidque solum absque nostro damno præstare valeamus fugitivo nostro, qui nuper clementiam vestram precibus inquietavit. Exiguitatis meæ memores semper cupio vos valere feliciter.

180 EPISTOLA CXXV.

AD FOLCRICUM.

Reverentissimo præsuli (*a*) Folcrico, Lupus temporalem et æternam salutem.

Affluentiam gratiæ divino munere vobis indultam litteris comprehendere placuit ac laudem illius qui dedit et ad condemnationem avaritiæ commendationemque invictissimæ charitatis. Nam cum (*b*) aliquam insulam Sequanæ (*c*) pagani crudelissimi piratæ applicuissent, quæ sita est sub (*d*) Melleduni oppido ab (*e*) aliis recens exusto, et (*f*) eorum viciniam nobis, ut erat, periculosissimam, nisi Dei mlseratio subveniret, duceremus, nec in monasterio consistere audebamus, nec quo migrare possemus, depressi ærumna tantæ calamitatis, inveniebamus. Inter hæc, cum me graviter ægrotantem visitatum venissetis, ac nos ingenti exterritos metu offendissetis, illico absque ullo deliberationis tædio nostrum exonerastis pudorem; et prævenientes nostram supplicationem, obtulistis (*g*) prædium Aquense, dominationis vestræ præcipuum, in quo totius malitiam temporis vitaremus, tenendæ nostræ professionis opportunitate non penitus destituti. Præterea largissimam humanitatem vos præbituros vix credibili benevolentia ostendistis. Hinc incomparabili consolatione per vos ultro nobis divinitus oblata, præsertim in tam immani discrimine, quid faceremus, conati sumus, ut par erat, Deo et vobis saltem gratias referre. Sed, succumbente ingenio, nequivimus eas digne mente concipere, **181** nedum ore proferre. Ergo attoniti, abundante ubique iniquitate, et refrigescente charitate multorum, admirati sumus diebus nostris aliquem repertum qui cum tanto rei

---

(*a*) ***Folcrico.*** Tricassium episcopo, qui variis per ea tempora conciliis Gallicanis interfuit. Factus est autem eqiscopus post Prudentium; qui, ut scriptum est in Annalibus Bertinianis, obiit anno 861. Ergo hinc quoque habemus Lupum non esse mortuum ante annum 861, cum ad Folcricum scribat.

(*b*) ***Aliquam insulam.*** Sitam haud dubie juxta Oscellum, ut patet ex Aimoino in libro secundo de Miraculis santi Germani episcopi Parisiensis cap. 10: « Nortmanni vero apud eumdem locum qui dicitur Oscellus, in quadam Sequanæ insula residentes, Parisius sæpe, dum prorsus placebat, navali excursu veniebant. » Ejusdem meminit et Carolus Calvus in Proclamatione adversus Wenilonem.

(*c*) ***Pagani crudelissimi.*** Id est, Dani, qui tum adversus Nortmannos intra Galliam gerebant bellum, iisdem postea sociati, ut dicetur statim.

(*d*) ***Melleduni.*** Oppidum est in diœcesi Senonensi, ad Sequanam fluvium, vulgo ***Melun.*** Itaque hinc discimus oppidum illud fuisse combustum a Normannis in priore adventu; nam hæc irruptio, de qua hic agitur, secunda tantum fuit. Prior contigit anno 851, ut ad epistolam 113 dictum est; posterior anno sequenti, ut patet ex Chronico Fontanellensi: « Anno 852; classis Sydroc et Godefridi ducum Danorum 7. Idus Octobris Sequanam ingreditur, et usque Augustodunas accedit. » Epistola ista scripta est ad Folcricum Tricassium episcopum, qui anno 861 ad eam cathedram pervenit. Itaque iste paganorum accessus ad Melledunum intelligi non potest de secunda Normannorum irruptione, quam contigisse docuimus anno 852, mense Octobri. Verum autem istius epistolæ epocham colligere possumus ex Annalibus Bertianis, in quibus hæc leguntur ad annum 861: « Dani, qui pridem Morinum civitatem incenderant, de Anglis revertentes duce Welando, cum ducentis et eo amplius navibus per Sequanam ascendunt, et castellum in insula quæ Oscellus dicitur a Nortmannis constructum eosdem Nortmannos obsident. » Infra: « Interea Danorum pars altera cum sexaginta navibus per Sequanam in fluvium Tellas ascendunt, indeque ad obsidentes castellum perveniunt, et eorum societate junguntur. Obsessi autem famis inedia et miseria omni squalore compulsi sex millia libras inter aurum et argentum obsidentibus donant, eisque sociantur, et sic per Sequanam usque ad mare descendunt, quos imminens hiems ingredi mare prohibuit. Unde se per singulos portus ab ipso loco Parisius usque secundum suas sodalitates dividunt. Welandus autem per Sequanam usque ad castrum Milidunum cum sociis suis ascendit. Castellani vero cum Welando filio Fossatis monasterium occupant. »

(*e*) ***Ab aliis recens exusto.*** Id est, a Nortmannis. Et oportet incendium istud contigisse paulo antequam epistola ista scriberetur.

(*f*) *Eorum viciniam.* Danorum nimirum ac Nortmannorum. Quidni enim idem auderent in monasterio Ferrariensi quod in Fossatensi facernnt? Nam Welandi filius monasterium Fossatense tum occupavit, ut dictum est.

(*g*) *Prædium aquense.* Id est villam Aquensem, 16 M. P. ab Augusta Tricassium, Vulgo ***Aix en Oth***, quod in ea provinciæ parte sita sit quæ vocatur *le pays d'Oth.*

familiaris detrimento et imminutione indigentibus subveniret. Nimirum hoc fuit a fratribus necessitatem patientibus non claudere viscera, hoc fuit episcopaliter compati, hoc postremo charitatem implere. Verum quoniam exuberans Dei nostri clementia, tegens indulgentia innumeras maximasque culpas nostras (*a*) minas prædonum, quibus, vastatis longe lateque celeberrimis locis, etiam sedem negotiatorum cappas se petituros jactabant subvertit, ac eos a nobis, quod utinam ab omnibus Christianis faciat, avertit, nec hac vice avulsi a nostro cœnobio cogemur peregrinari, optamus omnes, quasi concesso nobis usi beneficio, ut sit vobis tam copiosi boni salva merces repræsentanda a Deo, cum cœperit electos glorificare et (*b*) gratiam pro gratia reddere. Parvitas autem nostra pene . . . audita vestra liberalitate obligata, nunquam erit vobis ingrata . . . ad obsequendum paratissimam quibuscunque valuerit indiciis confirmabit. Sit tamen Aquensis fundus tempore prælationis vestræ, quod Deus diuturnum esse concedat, nostro perfugio, si infelicitas similis acciderit, destinatus. Contineantur ædificia, hortus etiam diligentius excolatur, quod recte facere disposuistis. Agri ad hoc apti vitibus conserantur, acervi frugum justi laboris industria multiplicentur, ut et vobis suppetat quod de mone quotannis domesticis tribuatis, et quod opem quærentibus misericorditer largiamini, et si illo nos, quemadmodum formidamus, **182** peccatis nostris id exigentibus, ultima necessitas traxerit, latibuli nostri asperitas memoratis subsidiis leniatur. Quid autem velimus super his quæ a nobis dignati estis accipere cur quæritis? quare non aspicitis quota portio sit nostræ servitutis, si vestro maximo beneficio conferatur? Ac ne hujusmodi, quam non ferimus, dissimulatione nos callide ampliora suspicemini eligere meditari, quæ cogitamus absque obscuritate exprimimus. Comperistis, quanquam locus noster Bethlehem, hoc est *domus panis* appelletur, panis nos penuriam cito passuros, nisi vestra aliorumque amicorum benignitas suffragetur. Deinde pollicitationis veræ memores, potestis nos clientes vestros mense gratis alere dimidio, non sine usura quasi ex debito sustentare. Ac ne nos impudentiæ, imo stultitiæ, arguatis, recolite rhetoricæ a nobis non improbari peritiam, quæ instituit ut cum minora impetrare disponimus, (*c*) majora poscamus. Cupimus vos valere feliciter et vestræ dignitatis eminentiam honestis jugiter moribus et sanctis actibus exornare.

EPISTOLA CXXVI.

AD GUENILONEM.

Reverentissimo pontifici Gueniloni, Lupus præsentem et futuram salutem.

Sanctitatis vestræ litteris alacriter paruissem, nisi votum meum molestia corporis impedisset. Nam, cum post diuturnas et asperas hujus anni ægritudines bene revelascerem, subito tussim incurri, **183** quæ meatus obstruens, pene totam mihi spirandi facultatem (*d*) adimebat. Hinc factum est ut multum sanguinis detraherem, maximamque imbecillitatem contraherem. Proinde nusquam audeo progredi donec quietis ac medicamentorum imo Divinitatis ope mihi quantulacunque sospita reformetur. Unanimis tantum vobis in omnibus supplicabo, et ad idem agendum fratres meos hortabor, ut Deus inspiret vobis consilium quo generaliter prositis omnibus Christianis; ne peccatum injustitiæ, quæ nos jam miseros fecit, in damnationem pertrahat sempiternam. In diebus pontificatus vestri ad tantam libertatem (*e*) vitia proruperunt, ut vindicata impunitate apertis quibusque nec Deus, nec rex, nec episcopus timeatur. Quid moramini? Quid ultra expectatis? Aut Deus vestra industria et auctoritate ad æquitatem reducet res humanas; aut hæc malorum incrementa, post inauditas contumelias, pene omnes, qui pauci remanserunt, oppriment innocentes. Videtis quia secundum beatum Isaiam, *qui recedit a malo, prædæ patuit.* (*Is.* LIX). nec tutus quisquam contra violentiam raptorum est, nisi qui viribus prævalet, aut in eorum conces-

(*a*) *Minas prædon.* Goldastus, tom. I, Rer. Alamann., pag. 197, hunc locum, quem ait esse corruptissimum, sic censet emendandum : « Minas prædonum, qui vastatis longe lateque celeberrimis locis etiam sedem nostram et otiatorum capas se petituros jactabant, subvertit, » etc.

(*b*) *Gratiam pro gratia.* Contra apud Tacitum in quarto Annalium libro : « beneficia eo usque læta sunt donec videntur exsolvi posse; ubi multum ante venere, odium pro gratia redditur. » Quo loco, vide eruditissimum virum Curtium Pichenum. Vetus epitaphium, Romæ in cœmeterio Callisti repertum, editum vero in postrema editione Romæ Subterraneæ, lib. III, cap. 22 :

ALEXANDER. MORTUS. NON. EST. SED. VIVIT. SUPER. ASTRA. ET. CORPUS. IN. HOC. TUMULO. QUIESCIT. VITAM. EXPLEVIT. CUM. VNTONINO. IMP. QUI. UBI. MULTUM. BENEFITII. ANTEVENIRE. PRÆVIDERET. PRO. GRATIA. ODIUM. REDDIT.

(*c*) *Majora poscamus.* Id est ex sæculari eruditione proficisci ait in epistola 68.

(*d*) *Adimebat.* Ita vetus codex. Nam editio Massoni habuit, *adjuvabat*; cui similis error exstabat etiam in epistola 116, in qua pro *adimente* scriptum fuit *adjuvante*. Eadem medicina adhibenda est Arnulpho Lexoviensi in epistola 52, ad Alexandrum III, in qua sic editum est : « Siquidem dignitas ecclesiastica regiam provehit potius quam adjuvat dignitatem. » Pro quo legendum est, *adimit*; ut recte monuit Juretus ad epistolam 190 Ivonis Carnotensis.

(*e*) *Vitia proruperunt.* Nimirum ob bella plus quam civilia quæ regnum hoc miserabiliter afflixerunt. Tunc enim multa interdum in seipsis, multa in populo neglexerunt episcopi, multa negligere coacti sunt; ita ut in omnibus ordinibus, clericorum videlicet, monachorum, et laicorum, religio magnum detrimentum acceperit, et alii quidem per ignorantiam in interitum tenderent, alii vero longa licentia assuefacti, impune se peccare posse confiderent, ut scriptum est in canone secundo concilii Vernensis. Et eo processerat licentia sæculi, ut, velut impunitas proposito edicto promissa foret, nec Deum quisquam, nec regem, nec episcopos timeret. Itaque nec lenta remedia, nec segnes medicos expetebant illa tempora. Propterea Lupus hortatur Wenilonem, ut manum operi diligenter admoveat.

sit collegium. Cupio vos valere feliciter et parvitatis meæ memoriam habere benignam atque continuam.

184 EPISTOLA CXXVII.

AD (*a*) ODON. PRÆSULEM.

Unice singulariterque dilecto præsuli Odoni Lupus plurimam salutem.

Maximis pluribusque vestris beneficiis adjutus, securus ad vos decurro, his etiam usurus quæ per nuntios meos vos præbiturum esse mandastis. Verum, quia non misistis equum, nec idoneum qui (*b*) me exolutim ferret habebam, navi ad vos, si Deus vult, cursum tenebo. Ergo vestra indulgentissima pietas, quæ me gratis et ultro fovendum recepit, navi egressum ne patiatur durioris equi succussatura vexari. Locum ubi tendamus vobis vicinum et B congrua equis pabula cum vestris, sicut mandare dignati estis, vos procuraturum non dubito. Cursor noster, donec veniamus (quod opinor futurum, suffragante Dei clementia, Kal. Junii), pauperis apud vos locum implevit: et, si permissus fuerit, observabit fragmenta, ne pereant; pocula etiam, ne gratiam amittant humore, siccabit.

EPISTOLA CXXVIII.

(*c*) AD DOMINUM REGEM.

Domino glorioso regi Carolo sincere fidelis Lupus.

Dudum (*d*) in urbe Biturigum quæsistis de prædestinatione et libero arbitrio ac redemptione sanguinis Christi quid sentirem; et ego quæ in divinis litteris didiceram et in maximis auctoribus **185** inveneram vestræ majestati strictim aperui. Et quoniam A (*e*) aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non pie fideliterque sentire, ipso Deo, cui ab intelligibili ætate plurimum confisus sum, sensum et stylum meum regente, memoratas quæstiones, quas audacter multi ventilant, intelligenter pauci capiunt, breviter, veraciter perspicueque dissolvam. Neque enim longa disputatione vos tenere debeo aut in aliquo fallere aut obscuritatibus retardare, cum vestras occupationes in disponenda republica non ignorem, vobisque post Deum (*f*) fidem debeam singularem.

Deus Adam rectum condidit, ut sancta Scriptura docet, et originaliter in eo nos omnes rectos creavit. Hic parens humani generis, rectitudinem deserens naturalem, nullo cogente peccavit tam granditer ut et se ipsum perderet et in se omnes utroque sexu natos condemnaret. Deus ergo fecit excellenter bonam hominis naturam, sed eamdem ipse homo vitiavit miserabiliter per spontaneam culpam. Denique fuit Adam, ut ait beatus Ambrosius, et in eo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt. Laudemus igitur Dei opificium. et cognoscamus culpæ nostræ nihil aliud deberi nisi supplicium. Sed Deus, cui præterita, præsentia et futura æque præsto sunt (ipse est enim qui est, nec scientiæ illius accedit aliquid aut decedit), cum sciret in Adam massam totius humani generis peccato corrumpendam, non abstinuit ab ea bonum suæ creationis, bene usurus etiam malis, et ante constitutionem mundi elegit ex ea quos a debita pœna per gratiam liberaret, ut ait Apostolus : **186** *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I), cæteros autem, quibus non

C

(*a*) *Ad Odon. præsulem* Bellovacensem in Belgica secunda. De eo multa mentio in synodis et scriptoribus illius ævi. Fuerat autem ante abbas Corbeiensis, ut ad epistolam 111 dictum est.

(*b*) *Me exolutim.* In manuscripto erat, *mexolutim ferret;* quod ita legendum arbitratus sum, *me exolutim ferret*, id est, eum equum de quo dubitari non posset quin me facile ferre posset. *Exolutim*, pro *exolute*, id est indubie.

(*c*) Hanc epistolam, itemque sequentem, edidit Jacobus Sirmondus, Societatis Jesu clarissimum lumen, in calce libri de tribus Quæstionibus, ubi censet eas esse Lupi Ferrariensis. Edita porro antea fuerant in Belgio a Donato Candido, cum descripta ex veteri codice fuissent opera Antonii Grimberti, monachi Elnonensis. Titulus autem istius epistolæ in editione Sirmondi ita habet : *Servati Lupi ad Carolum regem.* In editione vero Belgica : *Ejusdem Lupi Servati ad Dominum regem.* Nos vero, cum intelligeremus editionem Belgicam propius accedere ad rationem scribendi illius ætatis, adeoque Lupi, titulum huic epistolæ fecimus, *Ad dominum regem.* Cæterum epistolas illas addi voluimus in fine epistolarum, velut in suo. Dubitari enim non potest quin sint Lupi, abbatis Ferrariensis.

(*d*) *In urbe Biturigum.* Assentior clarissimo præsidi Mauguino, qui tum hæc contigisse putat, cum Carolus Calvus, post captam Tolosam, ad urbem Biturigum accessit anno 849 mense Decembri, ut tradit auctor Chronici Fontanellensis. Aberat ab ea urbe Lupus itinere tantum unius aut alterius diei. Itaque quoniam facilis erat accessus ad regem, illuc accessit. Carolus vero *post solemnem exceptionem*, ut Lupi verbis utar, *quæsivit* haud dubie ab eo quid novi ferret. Ille vero habitam synodum disseruit in causa Britonum; tum, excitatas graves controversias de libero arbitrio, de prædestinatione, deque sanguine Christi. Quippe nonnulli aiebant liberum arbitrium sic homini redditum per Christum, ut nihil tamen homo vi liberi arbitrii possit absque gratia Christi; quosdam ab æterno prædestinatos esse ad gloriam, alios autem ad pœnam, ita ut id quod Deus se præscierat esse judicando facturum, haud dubie eventurum sit. Tertio, sanguinem Christi pro fidelibus tantum esse fusum, non autem pro infidelibus. Quarto, neminem salvari nisi per Christum, omnes autem salvari quocunque ipse voluerit, ac per hoc quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur. Addidit haud dubie Lupus, ex ea occasione in partes distrahi ingenia hominum eruditorum Erat Carolus talium curiosus. Itaque ex Lupo quæsivit quænam ipsius in his quæstionibus esset opinio. Usus est Lupus facilitate Caroli; librumque ea de causa tum scripsit, anno nimirum 849, ut ipse testatur in initio ipsius libri. Sed is D liber adversus illum concitavit odium plurimorum, qui ex eo collegerunt et in vulgus sparserunt Lupum de Deo non pie fideliterque sentire, et ostentandæ eruditionis causa recedere a receptis opinionibus. Ea de causa epistolam istam, quæ est apologetica et velut epitome quædam libri de tribus Quæstionibus, ad Carolum scripsit anno sequenti.

(*e*) *Aliter vid. quibusd.* Hincmaro nimirum Rhemensi, Pardulo Laudunensi, atque fortean aliis ut recte existimat idem Mauguinus.

(*f*) *Fidem debeam.* Recte ex hoc loco collegit idem vir clarissimus hanc epistolam fuisse scriptam a Lupo Ferrariensi : qui ea de causa fidem singularem Carolo debebat, quod monasterium Ferrariense situm esset in regno Caroli, cui idem monasterium munera militiamque debebat.

hanc gratiam misericordia impendit, in damnatione quam ipsi peccando meruerant justo judicio dereliquit : et hoc modo, ut docet Apostolus : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Miseretur eorum quos assumit per gratiam, indurat illos quos per eamdem gratiam non emollit, sed quamvis occulto, justo tamen judicio derelinquit. Hi ergo quorum miseretur prædestinati sunt ad gloriam secundum illud Apostoli : *Quos præscivit et prædestinavit* (*Rom.* I), et appellantur vasa in honorem. Hi debent Deo totum quod sunt et quod habent; siquidem ejus bonitate facti sunt, cum non essent; ejus benignitate salvati sunt, cum perditi essent. Illi vero quos indurat, hoc est non emollit, qui in damnatione relinquuntur, quam originaliter vel actualiter meruerunt, dicuntur vasa in contumeliam, perfecta vel apta in interitum. Hi quod creantur, Dei donum est : quod puniuntur, malum ipsorum. Hos beatus Augustinus in multis libris et in eo quem fecit ultimum non dubitat dicere prædestinatos ad pœnam, non intelligens fatalem perditorum necessitatem, sed immutabilem relictorum desertionem. Legebat enim de Deo : *Si concluserit hominem, nullus est qui aperiat* (*Job.* XII); itemque : *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit* (*Eccli.* II), illud etiam : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX). Et, ut opinor, dirigebat eum in hunc sensum illud maxime testimonium de Deo qui fecit quæ futura sunt. Cui et dicitur : *Reddes unicuique secundum opera sua* (*Psal.* LXI). Quod nimirum facturus est omnibus, nisi quos fecerit **187** beatos remittendo iniquitates eorum et tegendo peccata. Qui gratiam ipsius Dei summis efferentes præconiis dicere possunt, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Consentiunt Augustino verbis aliis Hieronymus et Gregorius, eodem autem vero Beda et Isidorus. Quod ex ipsis auctoribus, si vestræ placuerit celsitudini, facile potero demonstrare.

Liberum sane arbitrium in bono quod contempsit primus homo peccans perdidit, in malo autem quod elegit retinuit. Quemadmodum vero, si velit quis, vel subtrahendo sibi cibum se potest perimere, peremptum autem non potest vivificare, ita potuit homo voluntate delinquens usum in bono liberi arbitrii perdere, sed id, etiam si velit, non potest suis viribus resumere. Non erit igitur in bono liberum illi arbitrium, nisi fuerit divina gratia liberatum. Dominus Jesus *sciebat*, ut scriptum est, *quid esset in homine* (*Joan.* II), id salubriter aperiens, *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV), nihil scilicet boni. Nam ipse mali auctor et cooperator esse non potest, qui, ut Joannes ait Baptista : *Agnus Dei est, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I), et quæ scilicet facta sunt, et ne fiant. Item alibi Dominus : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Sanctus Cyprianus, martyr gloriosissimus et doctor suavissimus, bene expendens verba Apostoli : *Quid habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV) statuit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit (a). Unde bona quoque voluntas præparatur a Domino, ut memoratus Apostolus docet. Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere opus bonæ **188** voluntatis; propter quod subjungit, *et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II). Ipsam etiam bonam cogitationem a Deo nobis esse doctor gentium manifestans, *Non quasi sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III). Dei gratia nos prævenit, propter quod scriptum est : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII), ut bona velimus et inchoemus. Dei gratia nos subsequitur, ut scriptum est, *et misericordia tua subsequetur me* (*Psal.* XXII), ne frustra velimus et cœperimus. Hæc principaliter Dei sunt, ut præmissis testimoniis claruit, et consequenter nostro, quia voluntate a nobis fiunt. Et scriptum est : *Domine, pacem da nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis* (*Isa.* XXVI). Reatus quidem peccati in baptismate solvitur, sed conflictus ejus propter exercendam fidem servatur, ita ut adjutorio Dei semper et comprimendis vitiis et obtinendis virtutibus egeamus. Hoc et unusquisque Deo pie militans in semetipso sentit, et Apostolus, jam Christi sacramentum consecutus, sic humiliter confitetur : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). De libero arbitrio concorditer ita senserunt quicunque mentem divinorum eloquiorum probabiliter perceperunt.

Postremo quos redemerit Dominus sanguine suo evangelica lectione colligitur apud Matthæum : *Bibite*, inquit Dominus, *ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Apud Marcum : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti*, **189** *qui pro multis effundetur* (*Marc.* XIV). Apud Lucam vero : *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* (*Luc.* XXII). Duo ergo evangelistæ ponunt *pro multis*, unus *pro vobis*, quia et discipuli multis annumerantur, nullus pro omnibus: Et ne id ergo temere scrutatus existimer, sanctus Hieronymus, explanans locum Evangelii : *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* (*Matth.* VII), quando, inquit, formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet, et non dixit dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere voluerint. Qua expositione juxta fidem catholicam docuit solos fideles esse intelligendos, sive in gratia permansuros, sive ab ea suo vitio recessuros. Item beatus Augustinus aperiens populo sententiam Evangelii : *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*

(a) Cypr., lib. III Testim. ad Quirinum, c. 4.

(*Joan.* I): Quomodo, ait, istis dixit, *non estis ex* A *ovibus meis*, quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam suis anguinis pretio comparatos. His tam claris luminibus doctrinam suam evangelico sensu roborantibus qui audeant contradicere nisi qui erubescunt sine luminibus apparere ? Ut pace tamen et reverentia tanti viri dictum sit, hunc intellectum evangelico fonte manantem non videns Joannes Constantinopolitanus episcopus, cum exponeret illud Apostoli, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem : Non pro fidelibus tantum, inquit, sed pro mundo universo; et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. Verum cur hoc senserit, nullo divino **190** testimonio comprobavit. Quod si quis excellentiæ culminis B vestri ostendit aut ostenderit (*a*) Faustum quemdam de his longe diversa scribentem, ne acquieveritis erranti : quoniam docet (*b*) Gelasius cum septuaginta episcopis viris eruditissimis qui scriptores essent vel non essent recipiendi : statuens primo commendationem Augustini et singulares laudes Hieronymi, memorati Fausti scripta his verbis exauctoravit : *Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha.* Hanc fidem, quam expressi in supradictis quæstionibus, tenuerunt Ecclesiæ catholicæ invictissimi defensores. Hanc ego minimus omnium custodio, hanc volentibus absque invidia ostendo; nolentibus meæ mediocritatis conscius non ingero. Nec, ut quidam suspicari se simulant, inaniter, hoc est, vanæ gloriæ studio cupio innotescere, cum terreat me plurimum illa de Scribis et Pharisæis Domini sententia : *Omnia* C *opera sua faciunt ut videantur ab hominibus* (*Matth.* XXIII); et de hypocritis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Sed asserendæ veritatis intuitu quod in divinis auctoritatibus earumque sensum sequentibus præcellentissimis auctoribus Deo inspirante deprehendi quærentibus absque contentione manifesto. Vestræ igitur opinatissimæ prudentiæ si jam satisfactum est, gaudeo. Sint autem, vel nunc, vel cum Deus noster optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia ecclesiastica, evocatis ad conventum doctioribus quibusque, rectene, perperamve sentiam, subtilior plurium tractatus poterit invenire. Sic Deus vos, opto et oro, diu feliciterque faciat regnare, ut secum vos in æternum regnare concedat.

191 (*c*) EPISTOLA CXXIX.

AD HINCMARUM.

Reverentissimo præsuli Hincmaro Lupus perpetuam in Domino salutem.

Scrutanti mihi diu multumque de prædestinatione, de qua in pace, in qua vocati sumus a Deo, quærimus et deliberamus, quid probabiliter esset sentiendum, ne illud Apostoli, *quos præscivit et prædestinavit* (*Rom* VIII), pateat ; illud vero, *vasa iræ perfecta, sive parata, sive apta in interitum* (*Rom.* IX); et illud quod divinitus alibi scribitur, *nescit homo utrum amore an odio dignus sit* (*Eccle.* IX), itemque, *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit* (*Eccli.* VII), et similia passim in divinis reperta eloquiis, dignum non habeant exitum, hæc verissima videtur sententia, ut prædestinatio sit in bonis, juxta intellectum doctissimi Augustini, gratiæ præparatio, prædestinatio autem in malis, secundum nostram capacitatem, gratiæ subtractio. De quibus idem certissimus auctor ita scribit: Quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione aliud judicavit, ita tamen ut in utrisque creator æquissimus inveniatur, dum et illis gratiam misericordia impertitur, et istis eamdem gratiam, quanquam occulto, justo tamen judicio non largitur. Dumque in Adam omnes recti creati sumus, et libertatem arbitrii absque ullius difficultatis impedimento et interpellatione accepimus, sponte autem peccante Adam, *in quo*, ut Apostolus testis est, *omnes peccaverunt* (*Rom.* V), omnes, ex eo duntaxat utroque **192** sexu progeniti, conditionis dignitatem amisimus, et pœnam peccati, hoc est concupiscentiam, et mortem, non animæ solum, verum etiam corporis merito nostro incurrimus. Hinc est quod qualis Adam a Deo creatus est non nascimur, sed originaliter peccatores, damnatique pœna peccati : quorum alterum fecit spontanea culpa nostri primi parentis, alterum culpam puniens tremenda severitas justissimi judicis. Cum ergo communiter omnes damnati simus cujus nostrum vult Deus miseretur, et quem vult indurat, hoc est, in propria duritia derelinquit. Miseretur magna bonitate, indurat nulla iniquitate. Sic itaque hos quos indurat prædestinat, non ad supplicium impellendo, sed a peccato quod meretur supplicium non retrahendo; quemadmodum induravit cor Pharaonis, non ad culpam urgendo, D sed gratia emollitum a culpa non revocando. Sic recte possumus dicere, induci a Deo in tentationem

(*a*) *Faustum quemdam.* Vide notas ad epistolam 112.

(*b*) *Gelasius cum septuaginta.* Eamdem auctoritatem iisdem ferme verbis profert hic noster Lupus in fine Collectanei de tribus Quæstionibus. Sane decretum hoc de libris canonicis et apocryphis tribuitur vulgo papæ Gelasio. In veteri tamen codice ms. cathedralis ecclesiæ Urgellensis, in quo continetur sincera Isidori collectio, idem decretum tribuitur Hormisdæ pontifici Romano, qui non multo post Gelasium floruit. Sed et olim beneficio clariss. viri domni Lucæ Dacherii, monachi Benedictini, vidi vetustissimum codicem ms. Collectionis Dionysianæ in quo scriptum erat decretum hoc a Damaso papa, diu videlicet ante Gelasii tempora, editum fuisse. Unde fortassis elici possit Damasium primum omnium de hujuscemodi libris publice statuisse, deinde vero Gelasium Damasi decretum renovasse, illudque auxisse eorum auctorum nominibus qui post Damasum vixere. Quod idem de Hormisda quoque dici potest. Vide clarissimum virum Joannem Pearson, episcopum Carrensem, in vindiciis epistolarum S. Ignatii.

(*c*) Hanc epistolam clar. præses Mauguinus existimat a Lupo scriptam anno 849, ad consultationem Hincmari, qui Ratramni, Corbeiensis monachi, censuram passus, sententiam Lupi exquisiverit.

qui non exaudiuntur, orantes: *Et ne nos inducas in tentationem;* non quod ipse inducat in malorum tentationem, quod utique, ut alibi docetur, *intentator malorum est* (*Jac.* I), sed quodam locutionis genere inducere dicitur cum judicio desertos patitur in tentationem induci, quos a tentatione gratia non educit. Nemo tamen opinetur aut justis aut injustis reprobis prædestinationis veritate fatalem necessitatem induci, cum in utrisque suspicionem necessitatis libertas excludat voluntatis. Siquidem electi accipientes a Deo et velle et perficere libenter agunt unde sempiternum præmium consequantur; perversi autem deserti ab eodem Deo, non inviti, sed et ipsi libenter agunt unde in æternum merito puniantur. **193** Quis vero nisi, ut mitius loquar, tardus sit, ibi asserat necessitatem ubi videat regnare voluntatem vel adjutam misericordia vel desertam divino judicio? Bonorum ergo voluntatem sic divina commendant eloquia: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis* (*Psal.* III). Porro malorum voluntatem talem insinuant: *Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in corde suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit* (*Psal.* XXXV). Permissus est ergo injustus agere

A quod elegit, ut de malo bene operante Deo claresceret quid esse inter servientem ei et non servientem, et salvati quantas habere et agere deberent ipsi Deo gratias agnoscerent, dum eamdem habentes damnationis causam, in isto aspicerent quod liberatoris gratia evasissent. Hæc assertio voluntatis ne in recens quidem natis locum non habet. Nam aut percepta baptismatis gratia si decedunt, voluntate Dei salvantur, aut eadem gratia ejusdem Dei judicio fraudati, hæreditarii peccati merito paterna commissi voluntate damnantur. Ego quod sentio simpliciter vobis aperui. Vos vicissim, si in aliquo diversi estis, ne gravemini reserare. Simile et (*a*) Pardulo nostro direxi. Cupio vos valere feliciter,

B

194 EPISTOLA CXXX (*b*).

AD NICOLAUM PAPAM.

Ex parte Guenilonis et suffraganeorum ejus.

Suggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ in nostra (*c*) diœcesi, in oppido quod Nevernum dicitur, esse quemdam episcopali officio præditum nomine H. qui frequenter admonitus, et diu expectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium mente non integra. Dicitur autem (*d*) Melchiades papa

(*a*) *Pardulo.* Episcopo Laudunensi.

(*b*) Hæc epistola scripta fuit a Lupo nomine Wenilonis, archiepiscopi Senonensis et suffraganeorum ejus. Cæterum eam non esse integram patet ex ea quam ad illos scripsit papa Nicolaus, quæ a clarissimo viro Joanne Cordesio, canonico Lemovicensi, primum edita est in appendice epistolarum Hincmari, dein vero a R. P. Sirmondo in tom. III Conciliorum Galliæ. Scribendæ porro istius epistolæ Lupinæ hæc causa fuit.

Herimannus, episcopus Nivernensis, ut in synodo apud Suessionem habita anno 853, mense Aprili, conquestus est Wenilo, adeo dubiæ sanitatis erat, et tam gravi capitis dolore laborabat, ut in amentiam quodammodo videretur prolapsus, adeoque episcopale collegium moribus suis dehonestaret. « Injunctum est metropolitano, » Weniloni nimirum, « ut adjunctis secum aliquot episcopis ad oppidum Nivernense accederet, et omnia ibi negotia ecclesiastica sapienter componeret. Ipsum vero coepiscopum suum Herimannum apud urbem Senonum secum haberet; donec æstivum tempus, quod valde contrarium infirmitati illius referebatur, pertransiret: et sic Domino annuente abstinentia competenti assuetum, episcopali gravitate instructum, apostolicis moribus informatum clerus et populus cum ad sedem propriam utiliter favente Dei gratia revocaret. » Transacta ferme æstate, Herimannus, qui Caroli regis studiis haud dubie attollebatur, visus est ad bonam frugem rediisse. Quam ob rem episcopi apud Vermeriam palatium congregati sequenti mense Augusto Herimannum « suæ ditioni et potestati atque episcopali custodiæ suæque Ecclesiæ gubernationi » restituerunt. Post aliquot exinde annos Nicolaus papa locatus est in sede Petri. Herimannus interim revolutus ad errores suos, Wenilonis animum in se concitavit. Et quia Herimannus Caroli gratia fovebatur, adeoque facile non erat episcopis hunc virum dejicere e cathedra Nivernensi, Wenilo, ut eum fortius opprimeret, suo suffraganeorumque nomine auctoritatem Romani pontificis imploravit, gnarus videlicet temporum suorum. Hanc occasionem avide arripuit Nicolaus papa, laudataque magnifice Wenilonis suffraganeorumque ejus pietate ac reverentia in sedem apostolicam, exemplum in futurum ex ea occasione statui posse intellexit. Atque ut cautius ageret, eam causam ad se traxit, eo colore quæsito quod nemo absens et inauditus condemnandus est, præsertim ab eo judice qui sit prorsus ignarus criminis. Wenilo enim de excessibus Herimanni nihil specialim rescripserat, sed in aversione; frequenter videlicet admonitum, et diu exspectatum ut revalesceret, haud tamen emendatum esse, adeoque C episcopale officium implere non posse. Itaque interlocutus est Nicolaus anquirendum esse de culpis accusati. Quid autem postea actum sit, mihi compertum non est. Fortassis objurgatus Wenilo ab episcopis Gallicanis, quos non obscure perstringit Nicolaus ad Wenilonem scribens, tanquam parum deferentes auctoritati episcopi Romani, adeoque causas episcoporum in provinciis suis jure suo definire præsumentes, objurgatus, inquam, Wenilo, tum a rege quoque fortean increpitus, quod se inscio Romanum papam implorasset adversus episcopum Gallicanum, accusationem omisit.

(*c*) *Diœcesi.* Id est provincia, ut monuimus ad epistolam 84. Nivernensis quippe episcopus suffraganeus est archiepiscopi Senonensis. Sic Ivo Carnotensis in epistola 61 scribens ad Hugonem archiepiscopum Lugdunensem, ait: « Verum de eo quod consecrationem Nivernensis electi ad nostram diœcesim pertinentem, Augustoduni facere disposuistis. »

D (*d*) *Melchiades papa.* Hoc Melchiadis decretum exstat in epistola ejus ad episcopos Hispanienses: « Episcopos, inquit, nolite judicare, nolite condemnare absque sedis hujus auctoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra judicia, et vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic sanctæ sedis a temporibus apostolorum statutum est servari, quod illæsum manet usque in hodiernum diem. » Haud dubie episcoporum judicia Romano pontifici reservata esse constitisset, si auctoritas istius epistolæ valuisset. Sed quoniam illa tum primum per eas tempestates emerserat (diu videlicet recondita apud Hispanias, donec Riculfus episcopus Moguntinus, qui sub Carolo Magno floruit, illinc in Gallias attulit Isidori Collectionem), de novitate periclitari prorsus videbatur; præsertim cum episcopi Gallicani, qui Collectionem illam admittere recusabant, publice exciperent epistolas illas veterum præsulum Romanorum

decrevisse ne quis unquam pontifex sine consensu A papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini; ut hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut beatus Gregorius doctor fecit (*a*) Ariminensi episcopo incommodo simili laborante sequamur, aut sicut sanctus (*b*) Gelasius docet, removendus sit mente percussus. Quo verum absque dubietate sciamus, expetimus et exspectamus vestrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine, veritatis et rectitudinis tramitem nullatenus deseramus.

ab Isidoro prolatas, nullius esse auctoritatis, eo quod in Codice Canonum non exstarent. Itaque Wenilo, qui auctoritatem suam externa potentia adjvandam esse intelligebat, id haud dubie summopere optabat ut modus tandem aliquis reperiretur quo liberum non esse episcopis Gallicanis rejicere auctoritatem epistolæ Melchiadicæ. Verum quoniam id negotium dexteritate quadam tractandum erat, ne causæ irarum subministrarentur collegis suis, sic temperandum esse censuit actum suum, ut licet dubitare maxime videretur de veritate illius epistolæ, materiam tamen episcopo Romano præberet B ad se trahendi judicia episcoporum. Igitur ut omnem obtrectandi materiam cœpiscopis suis adimeret, consulendum esse censuit armarium Romanæ sedis, orandumque Nicolaum papam, tum huic sedi præsidentem, ut exemplum authenticum epistolæ illius Melchiadicæ ex illo armario depromptum ad se mittere dignaretur. « Unde supplicamus, inquit, ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini. » Æquissima profecto erat postulatio Wenilonis; cum si quis fictam suspicetur Romani cujuspiam pontificis epistolam, requirere eam debeat in Ecclesiæ Romanæ chartario, ut monuit Hieronymus in Apologia adversus Rufinum; quod usurpatum etiam est a sancto Bonifacio archiepiscopo Moguntino, ut patet ex epistola ejus 15, scripta ad Nothelmum, archiepiscopum Cantuariensem. Suspicacem tamen Nicolai animum, ut erat retinendæ auctoritatis suæ cupidus, perculit intempestiva isthæc et importuna postulatio: Videbat C enim ea interrogatione tentari arcam dominationis, multumque e reipublica peti; scire fortean volentibus episcopis Gallicanis quidnam de novis illis veterum pontificum epistolis sentiret novus pontifex Nicolaus, et an Melchiades epistolam ex Romanæ Ecclesiæ armario, ubi manifestum erat eam non exstare, posito omni pudore missurus esset. Ergo vir prudentissimus, ne suspicionis istius aut metus foret manifestus, neve ea per imprudentiam rescriberet per quæ quam famam dehonestaret, si falsus intelligeretur, episcopos Senonenses, quoad hoc, sine responso reliquit; postulataque eorum elusit plurima ipsorum laudatione, et multum contestatus Herimannum absentem et inauditum damnari non debere. Audacior tamen deinde evasit religiosissimus iste pontifex. Scribens enim aliquot post annis ad episcopos Gallicanos in causa Rothardi, episcopi Suessionensis, non dubitavit asserere sanctam Romanam Ecclesiam penes se in suis archivis D recondita habere decretalia isthæc priscorum pontificum constituta. Ætas deinde Gregorii VII ostendit verissimam esse Tertulliani observationem: qui in libro de velandis virginibus ait, sola fidei regula irreformabili et immutabili manente, cætera conversationis et disciplinæ admittere novitatem correctionis. Nam contenderat Nicolaus, et quidem ingentibus animis, episcopum absentem damnari non posse. At Gregorius VII hanc regulam constituit, *Quod absentes papa possit deponere.* Cæterum neque injucundum neque inutile futurum reor, si post observationes istas, hanc Nicolai ad Wenilonem epistolam, quæ plurimum artis et industriæ habet, lectoribus proponam ad legendum. Itaque visum est eam adjici debere in calce notarum. (*Vide inter Opera Nicolai papæ, Patrol.* tom. CXIX).

(*a*) *Ariminensi episcopo.* Exstat Gregorii decretum istud lib. VII, epist. 49, ad Marianum, episcopum Ravennæ. Decernit autem ut quoniam episcopus Ariminensis tanto capitis dolore fatigabatur, ut etiam, sua ipsius confessione, ad illius Ecclesiæ regimen assurgere non posset, adeoque successorem sibi dari postulasset a Gregorio papa Romano; Marianus eum qui electus fuerat examinet; et si inventus fuerit idoneus, eum cum decreti pagina ad se mittat: « Quatenus, inquit, eodem a nobis Ecclesiæ Domino disponente, consecretur antistes. » Itaque, si ea fuisset episcopi Ariminensis pertinacia, ut agnoscere nollet infirmitatem suam, neque licentiam petiisset recedendi a sacro ministerio, Gregorius nequaquam tentasset illi, quantumvis mente capto, superponere episcopum. Sed eo casu docet lib. XI, epist. 8, dandum esse episcopo mente capto et inutili coadjutorem, qui episcopale officium exsequatur, in iis videlicet quæ ad jurisdictionem spectant, ut hodie loquimur: qui si episcopo isti ægroto superstes fuerit, *ejus possit loco succedere.* Itaque exemplum illud Ariminensis episcopi, nullius momenti erat in causa Herimanni episcopi Nivernensis, quem constat restitisse voluntati Wenilonis alium in loco ejus ordinare cupientis. Sequens ætas non dubitavit quin ab episcopali officio removendus sit is qui ei oneri impar sit. Narrat enim Matthæus Parisius Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo in synodo Westmonasteriensi residenti anno 1075 justam deponendi episcopi causam visam fuisse, et si is adeo idiota et ignarus rerum sæcularium esset, ut neque Gallice loqui, neque regi suo consilium dare valeret in negotiis emergentibus, eaque de causa Ulstanum Wigorniensem episcopum decrevisse deponendum. Aliter tamen Deo visum narrat idem Parisius. Neque hic mihi temperare possum quin conterranei mei Innocentii papæ VI sapientiam commemorem: qui anno 1358 Salvianno Wormatiensi episcopo, et senio et gravi corporis infirmitate laboranti, coadjutorem dari jussit a Gerlaco archiepiscopo Moguntino, citra tamen futuram successionem, secundum regulam a Gregorio Magno præscriptam: quo unico facinore, etiamsi cætera argumenta deessent, probaverim Innocentium prisci moris virum fuisse. Audacior fuerat Innocentius III, quem Matthæus Parisius vocat audacem jurisconsultum. Is enim anno 1209 episcopum Petracoricensem in Aquitania secunda compelli mandavit ad cessionem, eo quod inutilis videretur, et quod bona Ecclesiæ dilapidaret.

(*b*) *Gelasius.* Auctoritas Gelasii petenda est ex epistola ejus ad Rusticum et Fortunatum episcopos, quæ exstat apud Gratianum 7, q. 2, cap. *Nuper.* In ea quippe decretum a se antea esse ait Gelasius ut in ejus Ecclesia qui morbo epileptico laborabat vicini episcopi visitationem congruam redderent, id est episcopale illic officium exercerent, ob ægritudinem proprii episcopi. Quod idem est ac si diceret ab episcopali munere removendum esse mente percussum, ut Lupi verbis utamur, quæ in eamdem cum Gregorio Magno sententiam recidunt. Secundum hanc formam episcopi in Suessionensi synodo constituti memores epistolæ sancti Gregorii, quam laudant, decreverant ut durante infirmitate Herimanni, Wenilo, Metropolitanus « Ecclesiæ Nivernensi, ea quibus indigeret visitatorio officio impenderet et ordinaret. » Sciebant enim prudentissimi viri transgrediendos non esse terminos quos posuerunt patres nostri, neque discedendum ab antiquis regulis, nisi cogat ingens necessitas.

CONCILIUM VERNENSE[a]

HABITUM ANNO DCCCXLIV

195 Canones concilii in Verno palatio habiti, ubi[b] præsedit Ebroinus, Pictavorum episcopus; et Wenilo, Senonum archiepiscopus; et Ludovicus, sancti Dionysii abbas; et Hincmarus, post Rhemorum episcopus v regni domini nostri Karoli filii Ludovici imperatoris, mense Decembrio, indictione VII.

196 PRÆFATIO

Gratias omnipotenti Deo referimus, inclyte rex A Carole, nos episcopi et cæteri fideles, qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus, quod deposita discordia, unde tot mala processerunt, quæ et enumerare longum est, et declinare adhuc impossibile, (*c*)redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam et natura vobis et religione debetis; in qua ut semper maneatis per Christum, qui pax nostra est, obsecramus; ut qui maximas res vestras discordia pene dilapsas videtis, concordia et fide adjutorio relevatas cito aspiciatis. Cedendum est enim Deo, de quo verissimæ continent litteræ : *Potestatem habet Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit dabit illud* (*Dan.* IV); et qui dignatione mirabili pollicetur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth*, V). Cæterum quia eodem Deo B inspirante dignati estis jubere ut de statu Ecclesiæ, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremus, in nomine et adjutorio ejus, quæ communi deliberatione reperimus, celsitudini vestræ ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim non justos approbare contendimus. Consideratione conscientiæ nostræ illud Jeremiæ suppliciter dicamus : *Misericordia Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus* (*Thren.* III). Sed ad Deum reverti, et vos nobiscum tradere meditantes, officium nostrum exsequimur, cunctis acquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostra sed illius auctoritate loquimur **197** qui ait : *Qui est ex Deo, verba Dei audit* (*Joan.* VIII). Absit autem ut in vobis impleatur quod sequitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*

(*a*)Canonum istius concilii auctorem se esse docet Lupus in epistola 42, in qua loquens de Carolo Calvo hæc ad Hincmarum, Rhemensem archiepiscopum, scribit : « Si consiliis quæ in Verno quæsita et inventa sunt acquievisset, jam eum in pace regnare fecisset ille de quo sacræ continent litteræ : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Canones eosdem, sive, ut vos vocatis, capitula, meo stylo tunc comprehensa vobis direxi; de quorum æquitate credo ætas posterior judicabit, et devotionis meæ non erit immemor cordium renumque scrutator. » Certe multa sunt in his canonibus quæ ita Lupum spirant, ut prorsus necesse sit fateri unius ejusdemque auctoris eos esse cum epistolis Lupinis, ut mox adnotabimus. Ex eo porro Carolus, quem Lupus perstringit ob non servatos canones Vernenses, excusari posse mihi videtur, C quod ei nondum innotuissent, ut conqueruntur episcopi synodi Meldensis, qui ob eam causam putant immissos a Deo Normannos, velut ultores. « Quartum ex convenientia, inquiunt, in prædicto conventu (*apud Theodonis villam*) cœptum, et in Verno palatio perpetratum; sed invidia ac malitia diaboli seu ministrorum ejus, nondum principis et populi auribus propalatum. Inde vero quia, sicut necesse fuerat, divinis jussionibus non est secuta obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, unde juxta prophetam pandetur omne malum, dignos meritis nostris apostolos, crudeles scilicet et immanissimos Christianitatis persecutores Northmannos, » etc.

(*b*) *Præsedit Ebroinus.* Ob hoc nimirum, quia sacri palatii archicapellanus erat, id est apex omnium dignitatum palatinarum. Alioqui enim nulla lex jubet ut episcopi primum locum occupent in conciliis ante metropolitanos. Sed datum id, ut dixi, dignitati ejus palatinæ, quæ eum constituebat quodam modo caput episcoporum. Quam ob causam Grimoldus, abbas sancti Galli, præfertur Salomoni et Theodorico episcopis in volumine Capitulorum Caroli Calvi, tit. 24. Erat enim archicapellanus Ludovici regis Germaniæ.

(*c*) *Redistis ad pacem.* Nimirum in synodo ad Theodonis villam, in loco qui dicitur *Judicium* : quo tres fratres, Lotharius scilicet imperator, Ludovicus, rex Germaniæ, et Carolus Calvus rex Francorum, convenientes anno 844, mense Octobri, amici facti sunt.

CANONES

I.

Ut cultum Dei rex omnibus præferat, et misericordiam cum judicio et justitia conservet.

Itaque vos primo convenimus ut quia vestra probitas cunctis vobis potest prodesse subjectis, cultum Dei rebus omnibus præferatis. Namque ipse dicit : *Qui glorificant me, glorificabo eos; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II). Præterea

misericordiam et judicium atque justitiam conservetis. Scilicet ut misericordia temperet severitatem potestatis, judicium comprimat obstinate peccantes, justitia merentibus digna restituat. Siquidem : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v); et : *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* cv); et : *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* xcviii); et : *Justitia firmari thronum regis* (*Prov.* xxv), sapientissimi Salomonis, imo per eum loquentis Dei prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel (*a*) incruentam vobis, ut credimus, vel justam de hostibus victoriam divina gratia providebit. Exemplo vobis esse possunt David et Ezechias, qui merito sanctitatis inimicos populi Dei vel pugnando vel orando mirabili celeritate vicerunt; sed et domesticum lumen, imperator Carolus, qui nomen quod familiæ vestræ peperit clarissimis actibus adornavit. Nec regni vobis amplitudinem ac soliditatem tantummodo, verum etiam vobis bene gerentibus post vitæ **198** hujus excursum eadem Dei gratia gloriam largietur æternam, cui rex et propheta suspirans : *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* xvi). Hæc autem vestræ majestati non temere suggerimus, quia vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptisma mundati diem tremendi judicii cum cæteris fidelibus exspectatis.

II.

Ut mittantur legati a latere regis, qui scelerum patratores et apostolicæ disciplinæ contemptores coerceant.

Verum ut ad nos episcopos redeamus, per hanc civilem discordiam multa interdum in nobis ipsis ac A aliis nobis commissis negliximus, interdum negligere coacti sumus; ita ut in omnibus ordinibus religio magnum detrimentum acceperit, et alii quidem per ignorantium in interitum tendant, alii vero longa licentia assuefacti, impune se peccare posse confidant. Tandem igitur ad propriam et cæterorum correctionem conversi, quæsumus ut scelerum patratores et apostolicæ disciplinæ contemptores, missis (*b*) a latere vestro probatæ fidei legatis, absque respectu personarum, et excæcatione munerum, coerceantur, et otio nobis, quantum possibile est, concesso, sermo Dei prædicando fructificet, et canonum reverenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.

III.

B *Ut religiosi et idonei viri dirigantur qui monasteria scrutentur in quibus collapsa est disciplina, et ad synodum postea referant.*

In locis sanctis, hoc est monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victos et vestimenti a sua professione deviare comperimus, quod petimus ut in omnibus (*c*) parochiis directi a vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri **199** cum notitia episcoporum scrutentur et corrigant, ac singulorum locorum statum vestræ celsitudini et nostræ mediocritati tempore a vobis constituendo renuntient.

IV.

Ut monachi vagi ad sua loca revertantur et profugi vel ejecti corrigantur. Item de clericis ecclesiarum suarum desertoribus.

C Monachos qui cupiditatis causa vagantur et sanctæ religionis propositum impudenter infamant ad

(*a*) *Incruentam victoriam.* Lupus, epist. 38, ad Carolum Calvum : « Concedat vobis prolixam suspitatem, incruentam victoriam, perpetuam pacem. »

(*b*) *A latere vestro.* Carolum regem orant episcopi ut legatos a latere suo mittat in provincias, qui delicta episcoporum coerceant, canonesque jubeant observari; et ut legatis istis præcipiatur ut in obeundo munere suo, *absque respectu personarum, et excæcatione munerum*, castos se videlicet atque abstinentes et integros præstent. Quod argumentum etiam graviter urget Jonas, episcopus Aurelianensis, in libro ii de Institutione laicali, cap. 24. Olim ergo a principibus mittebantur in provincias nonnulli, quos illi dignitate ornabant legatorum a latere; ut ad Marculfum observavit Hieronymus Bignonius, et Christophorus Justellus ad Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ. De legatis a latere imperatoris exstat etiam mentio in Vita Ludovici Pii imp. ad an. 824 et 827.

(*c*) *Parochiis.* Id est diœcesibus, ut dixit. Tum enim, et diu antea, vox illa usurpabatur ad significandam integram episcopi diœcesim. Sed quoniam R. P. Cellotius in diversum traxit locum quemdam ex Sulpitio Severo, inutile non erit hic paulisper immorari, ut lucem restituamus huic Severi loco. Ævo Sulpitii Severi nullæ erant ecclesiæ præter episcopales et parochiales. Aliæ ædes sacræ vocabantur *oratoria* ut satis notum est. Nam etiam Justiniani imp. tempore monachi non habebant ecclesiam, ut ad novellam quintam ejusdem imperatoris adnotavit Cujacius. Et tamen Cellotius contumeliam fieri putat omnibus monachis, si negetur illos priscis illis temporibus ecclesias habuisse in suis receptaculis; ideoque illustrissimum virum Franciscum Hallierum, Cabellicensem dein episcopum, reprehendit quod adnotaverit ubicunque apud veteres reperitur Ecclesiæ vocabulum, intelligi debere ecclesiam parochialem. Ut probet Cellotius falli Hallierium, adducit auctoritatem Sulpitii Severi, cujus ea sunt verba in capite tertio primi dialogi : « Igitur inde digressus, Bethlehem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit. Nam parochia est episcopi qui Hierosolymam tenet. » Ex hoc loco colligit Cellotius Hieronymum non tenuisse ecclesiam (ut sæculi nostri verbis utar) parochialem urbis Bethlehemitanæ, quandoquidem parochia erat episcopi, adeoque D non omnem ecclesiam esse parochiam. « Habet igitur, inquit, et quidem in urbe, monasterium ecclesiam suam ab urbis parœcia distinctam. Non tenet ecclesiam monasterii ab episcopo Hieronymus, qui cum ipsi non convenit. » Scilicet non animadvertebat Cellotius vocem *parochia* hic non accipi eo sensu quo hodie a nobis usurpatur. Hoc dicere voluit Severus, ecclesiam (parochialem), Bethlehemiticam esse in parochia (id est diœcesi) episcopi Hierosolymitani. Unde sequitur Hieronymum ecclesiam parochialem urbis Bethlehemiticæ tenuisse ab episcopo Hierosolymitano, contra quam visum est Cellotio. Fixum namque et constans est, citra omnem controversiam, Hieronymum rexisse ecclesiam oppidi Bethlehem. Quæ causa fuit ut eum auctor libri de hæresibus, cui titulum Sirmundus fecit *Prædestinatus*, Hieronymum vocet presbyterum Bethleitem.

sua loca jubemus reverti et regulariter abbatum solertia recipi. Eis autem qui pos evidentem professionem monachicam etiam habitum reliquerunt, vel qui sua culpa projiciuntur, nisi redire et quod Deo spoponderunt implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in (*a*) ergastulis inclusi tandiu a conventu hominum abstineantur et pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus donec sanitatem correctionis admittant. Namque illi qui quondam monachi, postea relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias devolvuntur, papæ Leonis decreto (*epist. ad Rustic.*) publica pœnitentiæ satisfactione purgandi sunt. De clericis autem Ecclesiarum suarum desertoribus antiqua forma Chalcedonensis concilii servanda est (*can.* XXI), quæ præscribit ut, si episcopus susceperit clericum ad alium episcopum pertinentem et susceptus et suscipiens communione privetur donec is qui migraverat clericus ad propriam revertatur Ecclesiam.

V.

De iis qui sanctimonialibus illicite miscentur.

Qui sanctimonialibus illicite miscentur, et sacrilega fœdera cum eis faciunt, eos (*b*) Innocentii papæ censura a communione jubet suspendi, **200** et illi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.

VI.

De sponsa ab altero rapta et de pœna raptoris.

Ab altero vero desponsata, et ab altero rapta puella, secundum statuta Ancyrani concilii (*can*, x), ei a quo desponsata fuerat reddenda est, etiamsi vim a raptore pertulerit. De raptoribus autem in nobis videtur optimum ut, quoniam ecclesiasticam excommunicationem parvi pendunt, sæcularium legum terreantur austeritate.

VII.

De sanctimonialibus quæ religionis causa virilem habitum sumunt vel crines attondent.

Si quæ sanctimoniales causa religionis, ut eis A falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel (*c*) crines attondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus; ne forte Veteris ac Novi Instrumenti prævaricatrices, juxta Gangrensem synodum (*can.* XIII) severitate anathematis ab Ecclesiæ corpore præcidantur.

VIII.

Ut episcopi qui ad bellum non eunt, homines suos alicui ex fidelibus regis committant.

Quoniam quosdam episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum est utrisque ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra B consentit sublimitas, homines suos reipublicæ profuturos cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentia, ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.

IX.

Ut Rhemorum Ecclesiæ, pastore diu destitutæ, quamprimum præficiatur episcopus.

201 (*d*) Rhemorum Ecclesiam diu multumque pastore destitutam, super spoliatam rebus, oneratam injuriis, absque ingenti dolore fateri non possumus. Et quia vestram sublimitatem et nostram parvitatem eruere desideramus periculo, obsecramus ut tam fœde lacerata Ecclesia redintegretur, atque juxta venerabilium canonum constitutionem dignus ei celeriter quæratur et præficiatur episcopus, ut clerus C et populus tantis attritus et spiritalibus et corporalibus incommodis, consolatione recepta cum suo præsule pro vestra salute ac prosperitate communi Domino studeat supplicare.

X.

Ut in Ecclesia Aurelianensi ratam rex esse permittat ordinationem Agii episcopi.

Aurelianensis etiam Ecclesia confusione maxima noscitur laborare. Tamen, quia superiore anno archiepiscopus Wenilo, suis annitentibus suffraganeis,

(*a*) *In ergastulis.* Imitatus est hic canon ex cap. 6 epistolæ papæ Siricii ad Himerium, episcopum Tarraconensem, ubi sic scriptum est : « Quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, » etc.

(*b*) *Innocentii papæ.* Aut fefellit hic Lupum memoria, aut erratum est a librario. Quippe decretum D illud non est Innocentii, sed Gelasii, in cujus decretis exstat, cap. 20 : « Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus et post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere; quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi. Sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur. » Decretum istud ex Gelasio laudatur lib. I. Capitul., cap 106.

(*c*) *Crines attondent.* Causam hujus prohibitionis aperit canon 17 Gangrensis, his verbis : « Si qua mulier propter divinum cultum, ut æstimat, crines attondet, quos eis Deus ad subjectionis memoriam tribuit; tanquam præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit. » Loquitur, opinor, de mulieribus conjugatis, quæ viris suis debent esse subjectæ. Nondum enim erat inventum genus hoc sanctimonialium, quod postea exortum est, apud quas statim earum crines attondentur, quæ sanctum institutum arripiunt.

(*d*) *Rhemorum Ecclesiam.* Ultimus illius antistes Ebbo dejectus fuerat ob crimen majestatis, transgressus in partes Lotharii, filii Ludovici Pii, qui patrem eo usque deprimere ausus est, ut etiam in carcere concluderet, pœnitentiæque publicæ addici procuraret ab Ebbone. Ex eo tempore, Rhemensis Ecclesia sine archiepiscopo fuerat. Id vero dolent episcopi in synodo Vernensi congregati, orantque Carolum ut talem ei sedi præficiat episcopum, qui tot ruinas, quas ea Ecclesia passa fuerat, reparare possit. Factum id anno 845, in synodo Belvacensi; in qua Hincmarus, *favente Carolo rege*, ordinatus est Rhemensis archiepiscopus, ut Flodoardus tradit lib. III, cap. I Historiæ Rhemensis. Ipse Hincmarus, in cap. 36 posterioris operis adversus Gotteschalcum, sic temperat scriptionem suam ut dicere videatur expetitum se fuisse ab episcopis in synodo Bellovacensi constitutis; quorum precibus dederit Carolus rex ut Hincmarus, licet ex aliena provincia, fieret archiepiscopus Rhemensis.

ex eodem loco (a) Agium presbyterum palatii vestri memoratæ Ecclesiæ ordinavit probabilium canonicorum ac laicorum attestatione instructus et petitione impulsus, et eadem Ecclesia nostro et vestro vacat periculo, hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra pietas quod a tantis viris factum est (b) ratum esse permittat.

XI.

De prælatione Drogonis exspectandum videri episcoporum Galliæ Germaniæque conventum et consensum.

De prælatione reverentissimi (c) Drogonis definire aliud non audemus nisi exspectandum, quam maximus cogi potest, Galliæ Germaniæque conventum, et in eo metropolitanorum reliquorumque **202** antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, et non alia quam quæ prætenditur latet causa, illi potissimum convenire videtur qui et communione sacerdotii nobis et excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.

XII.

Ut ecclesiis et monasteriis restituantur loca et prædia ecclesiastica quæ laici possident.

Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ, quam qua intentione fundimus, dederit Deus ut vos ac proceres cæterique fideles ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis et vobis imminere, cum pro rapinis et immanibus aliis sceleribus, tum etiam maxime quod Ecclesiæ facultates, quas reges et reliqui Christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei et pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum atque templorum Dei instaurationem, nunc (d) in usu sæcularium detinentur. Hinc multi servi Dei penu- A riam cibi et potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt, negliguntur hospites, fraudantur captivi et fama omnium merito laceratur. Et quidem si hæc a paganis pateretur Ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi a filiis nostris, hoc est ab his quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus, Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus, quoniam de illorum interitu (e) formidamus. Certe, quod nullus, quanquam impudentissimus, negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium **203** pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audet auferre? Hæreditatem pauperum qua temeritate præsumit invadere? B Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt? Itaque quædam (f) loca venerabilia, quod nunquam antea auditum est, laici ex integra possident, quorumdam partem sibi vindicant, quorumdam prædia multipliciter divisa in hæreditatem sibi dari fecerunt. Ægyptii sacerdotes, famis necessitate cæteris cuncta vendentibus, suas possessiones retinuerunt (*Gen.* XLVII); et falsi dii reverentiam a suis cultoribus meruerunt, quam in hac parte solus et verus Deus non obtinet. Oza percussus est propterea quod nutantem arcam sublevare præsumpsit, quam tangere nefas erat (*II Reg.* VI). Rideat hoc aliquis, nisi, quod summo dolore dicimus, quidam oppressores Ecclesiæ dignum suis moribus exitum nostro etiam tempore invenerunt. Propheta clamat : *Qui dixerunt : Hæreditate possideamus* C *sanctuarium Dei; Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti* (*Psal.* LXXXII). Postremo ipse Dominus Jesus conditor et redemptor : *Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?*

(a) *Agium presbyterum.* Jonæ Aurelianensis episcopi, qui proxime decesserat, propinquum, ut in epistola 21 docet Lupus,

(b) *Ratum esse permittat.* Agnoscebant itaque tum temporis episcopi Gallicani, ratam non esse ordinationem quæ regio consensu destituebatur. Num quo pertinuit orare Carolum ut ordinationem Agii ratam esse sineret, si nihil juris in eo negotio principi competivisset? Tum ut eum facilius pertrahunt ad consensum, illi blandiuntur, dum aiunt Agium esse presbyterum palatii regii.

(c) *Drogonis.* Archiepiscopi Metensis, cui Sergius II papa vices apostolicæ sedis delegaverat. Erat Drogo Caroli Magni filius ex concubina; ideoque « fastu regiæ prosapiæ subvectus, » ut ait Hincmarus, « prælationem in Cisalpinis regionibus tempore Lotharii imp. apud Sergium papam obtinuit. Sed quod affectu ambiit, effectu non habuit; et quod efficaciæ usu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissime, ut eum decuit, toleravit; ne scandalum fratribus consacerdotibus generans, schisma in Ecclesiam introduceret. » Itaque licet Drogo præsederit in concilio ad Theodonis Villam, in loco qui dicitur *Judicium*, non statim existimandum est id honoris ei tributum ob vices apostolicæ sedis. Datum id nobilitati ejus non autem legationi. Nam diserte scriptum est in titulo synodi ad Theodonis Villam Drogonem ei præsedisse *consensu eorumdem regum*, id est, Lotharii, Ludovici et Caroli. Vide illustrissimum virum Petrum de Marca, archiepiscopum Parisiensem, in lib. VI, de Concordia sacerdotii et imperii cap. 29.

(d) *In usu sæcularium.* Hæc quis non videt scripta esse pro recuperatione Cellæ sancti Judoci; quam Ludovicus Pius, quod toties inculcat Lupus, Ferrariensi monasterio dederat, Carolus vero abstulerat, ut eam Odulpho comiti, homini nimirum sæculari, traderet? Sed ecce verba Lupi ex epistola 44, ad Hincmarum Rhemensem, pro recuperatione Cellæ, tam similia verbis istius canonis, ut pene ovum ovo non sit similius : Cogimur itaque attrita et resarta D ferre vestimenta, et tamen pene semper solis oleribus et emptitiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi : apud nos consueta requirunt, nec inveniunt, hospites. Præsentia tempora infamantur, et Deus ad vindictam sine dubio provocatur. » Item in epistola 71, ad Carolum regem, ante recuperationem Cellæ : « Quam ob causam nunc Dei servi, qui pro vobis assidue orant, hoc triennio consueta vestimenta non accipiunt; et quæ ferre compelluntur, attrita et pleraque resarta sunt; leguminibus emptitiis sustentantur piscium et casei consolationem rarissime consequuntur. »

(e) *Formidamus.* Lupus, epist. 44, in eadem causa : « Ultra quam dici potest formido, ne citissime suis inimicis gaudium pariat exoptatum. »

(f) *Loca venerabilia.* Id est monasteria. Supra can. 3, *in locis sanctis*, id est monasteriis.

(*Matth.* XXI.) Et quisquam tam audax et desperatus A invenitur qui possessiones Dei (*a*) ad certissimam perniciem suam occupet et invadat? O fideles Deo et vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia divitiarum mereri sempiternam congeriem miseriarum, nec ultra decus animæ vestræ tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis. Reddite Deo sua, ut vestra cum pace possideatis, tormenta evadatis æterna, et postmodum ad gaudium Domini **204** nostri, ut servi fideles intromittamini. Sæculares honores sæculares possideant, ecclesiasticos ecclesiastici sortiantur. Nec nos insatiabilis cupiditatis arguatis, quia, qualescunque sumus, vera nos dicere nec ipsi nescitis. Et, licet pauci, sunt tamen (*b*) aliqui nostrum Deum timentes, qui juxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal.* CXLIV). B Quia omnium finis quotidie appropinquat; et quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Si volumus evadere præsentes calamitates et futuras evitare miserias, in commune a nostris pravitatibus ad Dominum convertamur, et declinantes a malo, faciamus bonum, ut bona Domini mereamur videre in terra viventium (*Psal.* XXXV; *I Petr.* III; *Psal.* XXVI). Tu autem, clarissime rex, quia verissime scriptum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV), fuge (*c*) perversorum consortia et consilia, nec a te quisquam (*d*) petere audeat quod majestatem tuam præstare non deceat. (*e*) Nec timeas iratos homines, hoc est terram et cinerem, amplius quam Deum, qui te creavit, quique in veritate judicabit; cujus voluntatem si perfecte secutus fueris, credimus quod quorumlibet hominum te (*f*) contumacia liberabit, et omnibus angustiis clementer eripiet, ac post hoc temporale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus acquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. Sin autem nos, imo Deum per nos loquentem contempseritis, (*g*) necessitate implendi ministerii quod nollemus facere compellemur.

(*a*) *Certissimam perniciem.* Lupus in epistola 55, loquens de Adulpho comite, qui Cellam Judoci possidebat « Is languere dicitur, inquit, nec tam periculose ut vel admonitus corrigatur, quod optaremus; nec tam graviter ut moriatur, quod propter ejus certissimam damnationem doleremus. »

(*b*) *Aliqui nostrum.* Lupus epistola 42, ad Hincmarum, pro recuperatione ejusdem Cellæ: « Fecerit hoc mea utilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo serviunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos de quibus merito Scriptura testetur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.* » C

(*c*) *Perversorum consortia.* Lupus in epistola 64, est exhortatio ad Carolum regem: « Vitate malorum societatem, quoniam, ut scriptum recolitis, *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* »

(*d*) *Petere audeat.* Lupus in eadem epistola 64: « Concipite honestam veritatem, ut quod vos non decet præstare nemo scienter a vobis audeat postulare. »

(*e*) *Nec timeat iratos.* Lupus in eadem epistola 64: « Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis, et quos cum vultis, extenuare potestis. Ne confidatis in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Sed transferte spem vestram ad Deum qui fecit cœlum et terram, qui custodit veritatem in sæculum. »

(*f*) *Contumacia liberabit.* Lupus in eadem epistola 64: « Hæc studiose custodientes, Deo et bonis quibusque placebitis, rebelles Deo, ut credimus, pro vobis pugnante, comprimetis atque vincetis, et post regnum temporale atque laboriosum, consequemini sempiternum et vere quietum. »

(*g*) *Neces. impl. min.* Sic Patres synodi universalis habitæ apud Saponarias anno 859, scribentes ad episcopos Britonum de reverentia quæ ab iisdem episcopis debebatur metropolitano Turonensi Herardo, aiunt in fine: « Verum si, quod non optamus, ab ejusdem metropolitani sollicitudine ulterius resilieritis, et nostris ex charitate manantibus exhortationibus vos constiterit reluctari, ministerii necessitate canonicam in vos cogemur proferre sententiam. » Qua nimirum *ferro necesse est excindantur vulnera*, ut ad Himerium scribit papa Siricius, *quæ fomentorum non senserint medicinam*, id est, ferro excommunicationis, ut interpretatur Julianus Pomerius. Sed de moderatione et sapientia antiquorum episcoporum in adhibendo ferro excommunicationis nos olim pluribus agemus in notis ad epistolas Ruricii episcopi Lemovicensis. Neque inutile tum fuerit altius scrutari an per illas tempestates explicata in hoc fuerit auctoritas episcopi Romani.

B. SERVATI LUPI

ABBATIS FERRARIENSIS

[a] LIBER DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS

205 JACOBI SIRMONDI PRÆFATIO

De duobus sequentibus opusculis et de nomine auctoris.

De auctoris nomine hoc primo, Lector, statuendum est, non Lupum Servatum, ut cum Sigeberto et D Trithemio plerique hodie vocant, sed Servatum Lupum, quod veteres libri et aliorum exempla docent,

(*a*) Magnum his quindecim annis certamen fuit inter eruditos, Lupine Ferrariensis abbatis essent Li-

dici oportere. Quemadmodum enim in Cæcilio Cypriano, Eusebio Hieronymo, Aurelio Augustino, Sulpitio Severo, et similibus nemo ambigit quin id verum ac proprium cujusque sit nomen quod posteriore loco ponitur, sic in hoc Lupi nomen idcirco postponendum esse quia proprium est. Qua de re dictum aliquando a nobis est in notis ad Sidonium, nec repeti est opus.

Libri ergo de tribus Quæstionibus, qui primum hic locum tenet, tria in manus nostras venerunt vetera exemplaria, unum Virdunense, quod penes nos est, alterum Metense S. Arnulfi, tertium S. Victoris Parisiensis; quarti apographum tantum vidimus a Silviniacensi Cluniacensium monasterio. Sed, quod mireris, in Metensi non Lupo, sed Hincmaro episcopo tribuebatur; in Silviniacensi ascriptum erat nomen Amalarii, ex eo, ut opinor, quod in eodem codice post Amalarii Opera sequebatur. In Virdunensi autem et in Victorino **206** vera fuit inscriptio, *Servati Lupi de tribus quæstionibus liber.*

Collectanei de iisdem Quæstionibus cum unicum exemplar, idque anepigraphum et mutilum, haberemus ex bibiliotheca Corbeiensi, quod in cæteris omnibus desideraretur, commode ad nos V. C. et humanissimus J. Bouherus, senator Divionensis, integrum alterum ex sua depromptum misit hac in-

A scriptione, *Collectaneum Servati Lupi de tribus Quæstionibus.* Quo nos freti argumento, cum ante triennium editionem hanc curaremus, uni eidem Lupo utrumque opus, etsi exploratum non erat, ascribi passi sumus.

De duabus epistolis quæ restant (*a*), quarum quæ ad Hincmarum scripta est, in Virdunensi codice atque in Elnonensi priorem locum obtinet; altera vero, quæ ad Carolum regem, in codice Corbeiensi Collectaneum antecedit, in Divionensi subsequitur, cum in utraque auctor Lupum tantummodo se nominet, si quis has ad Lupum Ferrariensem potius referendas contendat, cujus ad eosdem aliæ exstant epistolæ, prima et postrema compellatione non absimiles, liberum per nos erit judicium.

Quinimo, ut dicam quod sentio, ad Lupum eumdem superiora quoque opuscula pertinere nostra dudum conjectura fuit, quam nunc etiam id maxime confirmat quod Servato huic prænomen fuisse docet
B ipsius ad Nicolaum papam epistola Wenilonis, ut apparet, Senonensis episcopi nomine scripta de Herimanno Nevernensi: quæ nimirum in Floriacensi codice sic habet:

Scriptum Servati Lupi ad papam Nicolaum.

«Suggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ,» etc. *Exstat inter epistolas, num.* 130.

ber et Collectaneum de tribus Quæstionibus, an vero Servati Lupi presbyteri, sed qui diversus fuerit ab abbate Ferrariensi. Mihi vero ista consideranti, plane constat hærere interdum aquam viris doctis, in rebus etiam nullius momenti, quod in hac causa contigisse puto. Nam si cui liberet libellos illos conferre cum epistolis Lupinis, ingerentem se oculis veritatem respuere non posset, neque invitus fateretur stylo eodem scriptos esse libellos, quo scriptæ sunt epistolæ. Quod magis perspicuum fore puto, si phrases similes, ac Lupo Ferrariensi familiares, ex epistolis descripsero, quibus usus est auctor libellorum: id quod faciam in notis sequentibus. Nam quod quidam permoventur auctoritate Trithemii, qui Lupum Servatum presbyterum anno 851 diem suum obiisse scribit, adeoque eum distinguere videtur a Lupo Ferrariensi, ea auctoritas non est tanti momenti ut quemquam remorari debeat, præsertim si quis rem altius scrutetur, ipsaque Tritheniiverba expendat. Etenim, si Lupus ille ad quem Rabanus scripsit octo libros in Epistolam Pauli ad Romanos, is ipse est auctor libri de tribus Quæstionibus, negari non potest quin ea lucubratio restituenda sit Lupo abbati Ferrariensi. Nam is adhuc monachus et diaconus, ab Aldrico abbate studiorum causa missus ad Rabanum, ut in sacrarum Scripturarum doctrina informaretur, auctor Rabano fuit ut commentarium ederet, in Epistolas Pauli, ut ex ipso Rabano colligi potest in epistola ad Samuelem episcopum. Lupum autem illum longo intervallo disjunctum fuisse a Rabano, cum hic commentarius scriptus est, patet ex epistola Rabani ad Lupum. Quoniam vero ex ea quam diximus epistola ad Samuelem colligitur Lupum monachum et diaconum ad altiorem gradum a diaconatu fuisse provectum cum ea epistola scripta est, manifestum esse reor hinc probari, hic agi de Lupo quondam monacho et diacono, postea vero presbyterio et abbate Ferrariensi. Nam eum fuisse presbyterum produnt Acta synodi Suessionensis quæ anno 853 habita est. Tum

falsum est quod ait Trithemius, Gotteschalcum in synodo Moguntina victum et confutatum fuisse a Lupo Servato. Nam hi libelli non aliam ferme doctrinam continent, quam eam quam Gotteschalcus tuebatur. Itaque ex eo colligi potest quam certa sit fides rerum a Trithemio proditarum. Nam quod eum tradit migrasse ad Dominum anno 851, conjectura ejus haud dubie fuit. Quod si quis tamen præfracte velit Lupum quemdam presbyterum anno 848 interfuisse synodo Moguntinæ, quid vetat quin tum Lupus abbas Ferrariensis illuc accessisse dicatur, ut Rabanum inviseret, præceptorem quondam suum?
C Et fieri potest ut legatus Caroli Calvi fuerit apud Ludovicum regem Germaniæ. Habemus enim ex Annalibus Fuldensibus, in ea synodo sive conventu adfuisse legatos fratrum ejusdem Ludovici, Caroli videlicet et Lotharii, ab eoque auditos et absolutos fuisse. Demum, ne quem moveat insolens Servati Lupi nomen, habemus ex epistola 130 (ut observavit Sirmondus) id esse verum nomen Lupi abbatis Ferrariensis. Negari enim non potest quin ea epistola, ut pleræque aliæ, nomine Wenilonis archiepiscopi Senonensis ac suffraganeorum ejus scripta sit a Lupo abbate Ferrariensi. Et tamen vetus codex Floriacensis, unde ea descripta est, hæc in titulo illius epistolæ habet: *Scriptum Servati Lupi ad papam Nicolaum.* Ut deinceps dubitandum non sit de nomine Lupi, post tanti viri conjecturam vetusti codicis auctoritate firmatam. Placuit præterea clarissimo præsidi Mauguino, Collectaneum quidem esse opus Lupi abbatis Ferrariensis, sed librum esse
D Lupi presbyteri Moguntini. Sed præterquam quod nec ipse Trithemius docuit undenam hic Lupus fuerit presbyter, adeoque tametsi daremus diversum esse a Lupo Ferrariensi, nondum tamen constaret fuisse presbyterum Moguntinum; adeo mihi similes videntur hæ duæ lucubrationes, ut existimem ovum ovo non esse similius, adeoque unam ex alia esse compositam.

(*a*) Edita sunt supra num. 12, 129.

207 INCIPIT LIBER

Quæ nobis utilia judicamus, si communicamus cum aliis, Deum nullo renitente promeremur, cujus præcepto devoto respondemus obsequio; et si quod jam accepimus sincera benevolentia impertimur

quæ necdum accepimus ejus munere consequemur. Hæc mecum reputans, cum post devictas persecutiones et falsas opiniones jam inde ab initio incarnationis Domini exortas, octingentesimum quadragesimum nonum ab eadem incarnatione agente annum Ecclesia in pace quam ei reliquit Salvator, cum ea futurus juxta suæ pollicitationis fidem usque ad consummationem sæculi, comperissem (*a*) primum in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certe quorumdam intentionem, quod de libero arbitrio et de prædestinatione bonorum et malorum ac de sanguinis Domini taxatione vulgo quædam inaudita jactarentur, harum rerum **208** qui per se non possent, optavi ut per me fierent certiores. Hic in auxilium invocato Deo, a quo non esse solum sed etiam nosse percepimus, ad ejus primum auctoritates, quibus omnium consensus fidelium acquiescit, me contuli. Deinde quid earumdem clarissimi tractatores et defensores invictissimi super memoratis quæstionibus sensissent anxie diuque scrutatus sum; quorum sole clariora opera divinis irradiata eloquiis si omnes vel intelligerent vel haberent, jure deberem superfluitatis aut arrogantiæ argui, qui vel eadem verbis aliis ingessissem, vel quod ipsi non valuissent me implere posse confiderem. Cum vero utrumque multis, alterutrum quibusdam, neutrum forte nonnullis obtigerit, alterum vel neutrum habentibus sic adesse contendam ut utrumque possidentes, si tamen sua cognitione hæc mea, qualiacunque sunt, digna duxerint, non offendam. Itaque mihi nihil, Deo plurimum, quod proposui hinc expedire conabor.

Rerum omnium opifex Deus, loci temporisque ac per hoc totius mutabilitatis expers (neque enim concluditur loco qui continet omnia, nec vero accessu temporis augetur qui nequaquam temporali

A primordio cohibetur, omnia creaturæ rationes sempiterna apud se immutabilitate custodiens, spiritalem creaturam tantum tempori, corporalem autem non tempori modo, verum etiam hoc loco fecit obnoxiam. Siquidem subjectam se tempori spiritalis natura ostendit, quæ bene, utpote a bono Deo, condita, partim suo se vitio depravans in veritate non stetit, atque ideo corruit, partim conditori pia subjectione adhærens, et quod lapsus esset capax aperuit, et ne **209** ultra laberetur compos tantæ felicitatis accepit. Namque Redemptor, cum in resurrectione (*b*) opinionem conjugalis commercii removisset, nequaquam nobis angelorum spondisset æqualitatem, si in eis peccandi aut consequenter cadendi suspicio remansisset. Qui enim felíciore quam

B nunc sumus donaremur conditione, nisi emenso mortalis vitæ discrimine in tanta beatitudinis collocaremur securitate ut ultra nec peccare possemus nec velle peccare? Porro corporis natura et cœpit ex tempore, et augmentis decrementisque, sine conversionis in alia facultate, mutabilitatis vices, quæ cuncta fiunt in tempore, confitetur. Loco vero subjectam non dubitat qui omne corpus longitudine, latitudine, atque altitudine constans, quod solidum appellatu, non nisi loca semper contineri considerat. Utriusque autem naturæ, hoc est, et spiritalis et corporalis, proprietatibus Deus artifex observatis, hominem ex anima compegit et corpore, sicut eodem revelante qui fecit accipimus. Verum animam illi fecit (*c*) ad imaginem suam, quia tametsi cœpit ex tempore ut creatura, sempiterna autem ut Deus pro

C suo modulo permanebit; vel quia rationis ei et intellectus participium quemadmodum sanctis angelis contulit; corpus autem non usquequaque cæteris animalibus formavit dissimile, nisi quod illa (*d*) in alvum prona, id autem erectum instituit, cujus fido

(*a*) *Primum in Italia.* Ex hoc loco confici posse puto Lupum in Italiam profectum esse anno 849, ut legationem obiret, quam jussu Caroli regis susceperat, ad Leonem IV papam; cujus meminit ipse in epistola ad Benedictum papam, quæ est centesima tertia.

(*b*) *Opinionem conjug. commercii.* Respicit ad subdolam Sadducæorum interrogationem: qui resurrectionis inimici eum essent, quam Christus inter homines agens frequenter inculcabat, eum interrogaverunt de ea quæ septem maritos habuerat, cujus tandem ex iis futura esset uxor post resurrectionem. Quibus divine admodum respondit Jesus, nullum post resurrectionem futurum matrimonium. *Neque nubent*, inquit, *neque nubentur.* Quo dicto, opinionem conjugalis commercii in resurrectione removit, ut ait Lupus. Extat historia apud Matthæum, Marcum et Lucam.

(*c*) *Ad imaginem suam.* Existimarunt plerique veterum, imaginem Dei, quæ in homine esse dicitur, in anima collocatam, non autem in corpore: imago enim incorporei, corpus esse non potest, ut ait Claudianus Mamertus in libro III de statu Animæ, cap. 16. Unde concludit Cassiodorus in capite octavo libri de Anima, animam hominum ideo esse immortalem, quod ad similitudinem Dei facta sit. *Nam quemadmodum*, inquit, *poterat esse imago aut similitudo Dei, si animæ hominum mortis termino clauderentur?* Quin et Augustinus in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, inter hæreses numerat eorum sententiam, qui aiunt *corpus hominis, non animam, esse imaginem Dei.* Hi fuere Homuncionitæ, ut docet auctor libri, cui *Prædestinatus* nomen Sirmondus fecit, lib. I, cap. 76. Videant porro sapientissimi theologiæ magistri an hæc opinio conveniat cum placitis philosophorum, qui aiunt hominem constitui ex anima et corpore; hoc est animam solam non esse hominem, neque item corpus solum. Atqui Deus fecit HOMINEM ad imaginem suam. Tertullianus tamen, vir humanæ divinæque philosophiæ præceptis haud dubie imbutus, existimat animam etiam solam

D constituere totum hominem. Hæc sunt ejus verba ex capite primo libri de testimonio animæ: « Novum testimonium advoco, imo omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, tota homine majus, id est, totum quod est hominis. Consiste in medio anima, » etc. Vide paulo infra quæ afferuntur ex Maximo Tyrio.

(*d*) *In alvum prona.* Ovidius lib. I Metamorphoseon:

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit.

Lactantius lib. II divinarum Institut., cap. 1: « Nam cum cæteræ animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit, » etc. Maximus Tyrius in

servitio ad capessenda superiora auctori sui nutibus obediens anima uteretur. Quantum vero præstet corpori anima etiam (*a*) gentilis auctor conatur exprimere, cum de utroque loquens, *alterum nobis*, inquit, *cum diis, alterum cum belluis commune est*. Ita factum hominem **210** primum Adam cum Eva conjuge, quam, mirabile dictu, de costa illi dormienti subtracta Deus produxit, in paradiso voluptatis, ut sacræ litteræ testantur, constituit, eumque, suppetentibus omnibus ad usum necessariis, non molesto labore damnavit, sed otiandi tædium ablata ei facultate operandi removit. Ne autem nesciret homo ei se debere subjectionis et obedientiæ vicem, a quo et esse acceperat, et bene esse nullis contra votum reluctantibus animæ corporisve motibus feliciter capiebat, concessis ei Deus ad escam universis pomorum paradisi generibus, uno prohibuit ligno, quod scientiæ boni et mali nominavit. Et quoniam spes impunitatis magna est (*b*) peccandi illecebra, præcepto interminationem pœnæ addidit, moriendum eis confirmans qua die ex ligno quod vetuerat comedissent. Summa erat observandi jussum facilitas, quando ad id violandum nec ulla necessitas invitabat, nec hostis, qui solus diabolus erat, vim ullam inferendo impellere poterat. Jam ipse superbiendo ceciderat, jam quod ipse merito perdiderat hominibus posse contingere invidebat. Quid faceret qui nec semel conceptam malitiam deponere nec hominem nisi acquiescentem, nisi consentientem, nisi volentem posset dejicere? Auctor mali proprii, repertor alieni, serpente induitur, et cum divinæ jussionis non causa scrutanda sit, sed exsecutio maturanda, quod se quærere simulat, rudes quærere instigat, cur videlicet eis omnium pomorum Deus usum non permisisset promiscuum. Respondente muliere, quam faciliorem falli callidus explorator deprehenderat, ne forte morerentur, incautam a vera **211** sententia deduxit, et in falsam quod non essent morituri protinus induxit: adjecto eo, (*c*) scire Deum quod si comedissent unde prohibiti essent, mox aperirentur oculi eorum, similesque diis existerent. Scilicet ut numerositate deorum saltem eorum fidem corrumperet, si ad inobedientiam tentati gulæ vitio non cessissent. (*d*) Capta mulier, cum hostis male dulcoratis alloquiis, tum etiam interdicti pomi immodica venustate, prior comedit, et viro ut comederet persuasit. Mox uterque non anima solum, sed et corpore occidit, quando inevitabilem moriendi necessitatem contraxit. Et quia peccati mortem, unde liberum ei fuerat abstinere non exhorruit, ad persolvendam mortem corporis nolens quandoque pervenit. Mortuum sane hominem statim ut vetitum præsumpsit non mirabitur qui ferali vulnere saucium vel irremediabiliter veneni contagio jam corruptum non perperam dici mortuum recordetur propterea quod tam certa mors impendeat sic affecto ut nulla spes effugii valeat inveniri. Istius quoque sententiæ Apostolus auctor est qui ait: *Corpus mortuum est propter peccatum* (*Rom.* VIII). Habet scilicet moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. Ita quippe conditus fuerat Adam ut posset non peccare, si vellet, et posset non mori, nisi peccasset. Verum ubi ei solum non suffecit bonum, nisi etiam mali caperet experimentum, et voluntatem ad peccandum convertit, posse non mori amisit, et non posse non mori incurrit. Ita sero scientiam boni obedientiæ quam sponte deseruit sensit, et scientiam mali, quam impia curiositate affectavit, invenit.

dissertatione 38: « Nec improbandum eorum videtur consilium qui humanam deorum imaginibus formam affigunt. Anima enim hominum Deo vicina, Deo simillima est. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum; sed quod animam facillime circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium quæ in terra sunt corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, apte compositum. » Ruricius, Lemovicum meorum episcopus, lib. II, epist. 42: « De omnibus animalibus solus homo sublimis creatus est et effectus. »

(*a*) *Gentilis auctor*. Id est Sallustius, cujus ea sunt verba in initio libri de Conjuratione Catilinæ: « Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. » Hunc porro Sallustii locum laudat etiam Lactantius lib. II divin. Instit., cap. 12, et in capite primo libri de Opificio Dei, itemque Ennodius lib. VI, epist. 3. Imitatusque est Sallustium Faustus Reiensis in epistola 6, quæ ad Ruricium Lemovicensem episcopum scripta est.

(*b*) *Peccandi illecebra*. Agnosco ingenium Lupi Ferrasiensis, dum ait impunitatis spem esse magnam peccandi illecebram. Sic in epistola 126 dixit ad tantam sua ætate libertatem vitia proruptsse, ut vindicata impunitate apertis quibusque nec Deum quisquam, nec regem, nec episcopos timeret, ita ut (quemadmodum idem Lupus ait in canone secundo concilii Vernensis) longa licentia assuefacti mortales impune se peccare posse confiderent. Et in epistola 64 ait malorum impunitatem semper peperisse vitiorum incrementum. Sic Tacitus in libro XV Annalium dixit impunitatis cupidinem magnis semper conatibus adversam fuisse. Cicero libro II de Finibus: « Quæ libido se non proripiet ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia? » Hugo Falcandus in libro de rebus Siculis, pag. 122, insurgens adversus Gaytum Petrum, quem ait impune reginam totamque curiam offendisse, perturbasse, et magnis objecisse periculis, addit: « Neque mirum, cum ipsa facinorum impunitas audendi quidquid libitum fuerit præstet illi fiduciam. » Matthæus Parisius anno 1265 describens quonam modo quidam frater ordinis Minorum, nomine Mansuetus, in Angliam missus a papa abuteretur potestate sibi concessa, absolvens quoscunque pro libitu, vel excommunicatos, et falsidicos, et perjuros, « unde, inquit, multi rei audaciam sumpserunt delinquendi. Nam facilitas veniæ peccandi parit occasionem. »

(*c*) *Scire Deum*. Legendum arbitror, *scire eum*, id est diabolum. *Eum* pro *se*. Sic enim postulat sensus. Quasi diceret: Adjecit diabolus, scire se, quod si Adam et Eva comederent prohibitum pomum, mox aperirentur oculi eorum, fierentque similes diis.

(*d*) *Capta mulier*. Imitata videtur hæc narrationis istius portio ex Petronio, apud quem sic habetur: *Ancilla vini cibique odore corrupta, primum ipsa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum: deinde refecta potione et cibo, expugnare dominæ pertinaciam cœpit.*

Quod nunquam enim veritus fuerat, ultricem **212** comitemque peccati concupiscentiam sensit, membrorum scilicet genitalium appetitum, quem ita exhorruit ut ad pudoris remedium velamen quæreret foliorum, ita adamavit ut ad justum damnationis judicium importunam ejus illecebram nec si vellet (*a*) vitare sufficeret. Quod itaque peccare posset si vellet, peccando publicavit; quod vero posset etiam non peccare si vellet, conditor patefecit, qui comminatus pœnam, ne peccaret præmonuit. Habuit ergo Adam liberum voluntatis arbitrium et ad bonum et ad malum; sed ad bonum divino munere adjuvandum, ad malum autem divino judicio deserendum. Quemadmodum enim non adjuvaretur in bono ab eo qui vita esset animæ ejus, ut anima corporis ejus? Denique si *anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII), ut prophetica præscribit auctoritas, consequens est ut vivat quæ bene gesserit vivificante Deo vita ipsius. Liberum autem hominis arbitrium in malo idcirco fuerat divino judicio deserendum; quia cum illi æqua facultas boni malique constaret, nulla indigentia, nulla violentia, voluntatem ad malum inflexit, dum præceptum Dei sui observatu facillimum, a quo se tanta bona percepisse videbat, sacrilega impietate quasi suspectum contempsit, et hostis ignoti, cujus in nullo penitus indigebat, incitamentum, non solum ad examen Dei non retulit, verum audaci temeritate quasi profuturum excepit. Justissime igitur in illo hæsit quod sponte elegit. Et quia, ut Apostolus assserit, *in eo omnes peccaverunt* (*Rom.* V), in omnibus ejus vitiata est natura ex utroque sexu progenitis, ut ad male agendum, quatenus tamen progredi permittimur, sit nobis ut illi liberum **213** arbitrium, ad bene autem operandum nequaquam sit liberum, nisi fuerit Dei gratia liberatum. In primo parente nostro, qui utinam stetisses, omnes peccando cecidimus, et omnes communi merito atrocissima quidem sumus sed justissima pœna damnati. Non fuisset homo ingratus ei qui se fecerat, obtemperasset conditori, non seductori, noluisset esse nisi quod vellet qui eum potentia fecerat, clementia gubernabat. Verba hostis, quæ forinsecus per serpentem sonuerunt, sacra revelante Scriptura, cognovimus: quæ vero intrinsecus menti humanæ suggestionis molimina admoverit, tametsi indubitanter non valemus comprehendere, tamen probabili conjectura possumus æstimare. Siquidem diabolus misit in cor ut traderet Dominum Judas, non palam vocibus perstrependo, verum clandestinis avaritiæ facibus miserum accendendo. Celsitudinem similitudinis Dei superbiendo diabolus concupierat; jamque alieni appetens, sui gradus dignitate deciderat. Dumque hanc nec vellet

A recuperare nec posset, habituro invidit, et fortasse priusquam verba ederet, incautum qua perierat peste corrupit. Quomodo enim ad capiendum cibum exterius tam cito acquievisset, nisi ad obtinendam propriam libertatem tumuisset ante interius? Quomodocunque contigerit, auctor nostri generis suo, ut palam est, vitio cecidit. Et quoniam in eo omnes peccavimus, omnes nos in lapsum ejus ruina procul dubio secum traxit. Atque cuilibet sicut possibile est cum voluerit in foveam se præcipitare, quæ sit ampla nec scabra tamen crepidine, cum vero egredi voluerit non valebit, nisi (*b*) extrariis nisibus adjuvetur, ita primus homo sponte **214** quidem cecidit, in quo ipsi originaliter lapsi sumus, sed cœno peccati nos, etiamsi volumus, expedire non

B possumus ut resurgamus, nisi prostratos extrahat et erigat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Voluntarii criminis tantum malum non hominem primum modo, sed universam etiam ejus sobolem, sexus utriusque copula manantem, merito damnationis obstrinxit; quam, cum eadem causa sit omnium, communiter omnes paterentur, quippe qui non Deo. sed diabolo auscultaverint omnes. Nec hinc oriretur justa conquestio æquitate servata præterquam quod mererentur nullis recipientibus, nisi esset Deus, quemadmodum incomparabiliter justus, ita ineffabiliter pius, imo ut verbo nostrarum Scripturarum utamur, quo colligimur, quo salvamur, misericors. Cum itaque suo merito pereundum esset omnibus, plures divina bonitate salvantur. In his agnoscamus et amplectamur misericordiam ejus;

C et ut his aggregari mereamur supplici observantia mandatorum ipsius et precibus assiduis flectamus indulgentiam ejus. Cum vero itidem plures damnantur, non reprehendamus, quia merito suo juste damnantur; sed pertimescamus judicium ejus qui est terribilis in consiliis super filios hominum, nosque paria merentes miremur potuisse salvari: ut horum consideratione ferventius accendamur ad amandam, laudandam, prædicandam misericordiam ejus. His constitutis et fideli assensu retentis, nemo sobrie sapientium erit nesciens non esse Deum auctorem causamque perditionis homini, quem et rectum condidit, et posse, si vellet in suo statu manere monendo monstravit. **215** Namque necdum erat ejus vitiata natura ut vel scienda nesciret,

D vel impediente difficultate cognita implere non posset. Nimirum sibimetipsi homo, aut ex seipso, aut ex diabolo, malum concepit et peperit, dum a se divinam amoliendo reverentiam deceptori credidit, et cibum usurpando illicitum capitale crimen commisit. Istud, istud plane mortalium generi omnium causa fuit malorum. (*c*) Peccatum siquidem pœna con-

(*a*) *Vitare sufficeret.* Valerius Maximus lib. IX, cap. 1: « Blandum etiam malum luxuria: quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare. » Ruricius lib. II, epist. 12: « Et ideo vide quod malum sit, frater charissime, quod, dum detestatur, admittitur; dum refugitur, vix vitatur. » Eam ob causam Pseudo-Plautus dixit in Querolo, adulterium crimen non esse. Tum addit: « Hoc est quod nec permitti nec prohiberi potest. »

(*b*) *Extrariis.* Sic in epist. dicit *extrarii hostes.* Extrarius autem idem est qui extraneus, et externus.

(*c*) *Peccatum pœna consequitur.* Salvianus in libro primo de Gubernatione Dei: « Quod potuit majus

sequitur; et quidquid non consumit remittendo præsens misericordia, rependit (*a*) ulciscendo quandoque repræsentata justitia. Sed insurgat aliquis ex numero mordaciter querulorum et dicat : Non fecisset Deus hominem, quem peccaturum sciebat. Quanto rectius diceret : Non fecisset homo quod summa facilitate vitare poterat peccatum, quo se, si verbis Dei fidem habebat, cognoverat moriturum : quanquam esset divinæ bonitati non congruens hominem, quem bonum post lapsum, aut etiam ex quo bonum facere posset, non condere. Aut talem fecisset, subjiciat, qui peccare non posset. Quid ita non queratur : Cur homo, cum talis factus esset ut posset non peccare si vellet, in hoc statu manere noluit ut quandoque tantum de Deo mereretur obediendo ne peccare vellet aut non posset? Verum cur homini negaretur illa voluntas, qua vel bene utens exspectaret præmium, vel male excedens præmonstratum pati cogeretur tormentum? Constanter dixerim, nullam Deum creaturam, quæ mala peccando futura esset, facturum fuisse, nisi aut eam iterum bonam aut ea boni aliquid facere decrevisset. Maluit enim ex malis bonos vel bona facere quam mala nulla esse permittere. Et hominum **216** quidem plerosque vel originali vel proprio vitio malos reformat in bonos, nulla eis imputata iniquitate, sua, quod firmissime tenendum est, gratuita bonitate. Spirituum autem immundorum neminem hac dignatur gratia, quorum pertinaci superbiæ nullo veniæ subvenire decrevit remedio. Horum tamen, eorumque participum hominum perditorum, quanquam ipsis nolentibus, bene utitur famulatu, dum his vel aperte sævientibus vel occulte insidiantibus, exercet sanctorum patientiam sempiterno quondam præmio coronandam. Nec minus ex malis bonum agit, cum singulis eis meritum repensat supplicium. Bonum enim est malos non conversos puniri, ut comprimatur superborum elatio, crescat humilium devotio, augeatur ex utrisque divina laudatio. Invicta, ut opinor, superiorum ratione colligitur hominem tam anima quam corpore fuisse damnatum, nec infortunium damnationis ejus alii quam ipsi et seductori ejus aliquatenus imputandum. Illud etiam claruit, potuisse suis viribus hominem peccando cadere, verum non posse unquam sua virtute resurgere. Proinde pius artifex, quod homo non posset ut ipse perficeret, filium sibi

A coæternum, æqualitate voluntatis et potestatis consimilem, non ex mare et femina, sed ex Spiritu sancto et Maria virgine, novo nascendi privilegio, hominem absque peccato instituit, ut per eum qui obumbrante Spiritu sancto non fuisset conceptus æstu libidinis, eorum qui in peccatis concepti essent aboleret omne peccatum. Hinc virgine satus, virgine natus, ut absque delicto conceptus et ortus, sic absque ulla offensæ macula, conversatus, postquam **217** (*b*) dispensationem nostræ salutis docendo sufficienter exercuit, Deus verus, homo verus, utrumque unus, hoc est in utroque et ex utroque unus, dignatione mirabili, mortem quæ peccato debetur, totius expers contagii sponte pertulit, et nos peccatores æterna morte liberavit. Tum intra triduum

B resurgens, spem nostram in cœlum sustulit, et paulatim pristini lapsus veritatem et nostræ instaurationis integritatem exposuit, non suis verbis solum, verum etiam discipulorum et verbis et scriptis. Quanquam et sanctæ litteræ, quæ dicuntur Veteris Testamenti, alterum mira proprietate expresserunt, alterum mystica præfiguratione signarunt. Nam et primi parentis peccatum ipsæ prodiderunt, et futurum ut per Dominum Jesum repararetur genus humanum, cum multis aliis locis, tum in illo summe atque clarissime : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* (*Psal.* LXXI). Subtiliter igitur expendat fidelis examinator et pius quanta fuerit hominis iniquitas, quam nec quisquam hominum nec quilibet angelorum nisi Dei solius sanguis valuit expiare; nec se mereri aliud

C quam supplicium credat homo, qui post purgationem baptismatis, qua etiam parvulis regni cœlestis janua aperitur tametsi quædam digna venia suspicatur se gessisse magis quam novit, multo sunt tamen plura super quibus divini judicii severitatem formidet. Quanquam etiam bene gestis timendum est, cum tantus vir dicat : *Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ* (*Isa.* LXIV). Justitia enim nostra, licet interdum coram hominibus splendeat opere et sermone, in conspectu Dei sordescit prava cogitatione. Habemus autem, **218** ut supra relatum est, ex Adam liberum arbitrium, non ad bonum et malum, quale ipse a Conditore accepit, sed quale ipse sponte in ima vergens elegit et peccando commeruit, hoc est ad malum liberum; ad bonum autem, si

et evidentius de peccatoribus Deus ferre judicium, quam ut statim consequeretur pœna peccantes? » Vide quæ nos illic adnotavimus.

(*a*) *Ulciscendo quandoque.* Id est : Licet in præsens Deus non puniat nocentes et flagitiis commaculatos, non abibunt tamen impune, et sentient tandem virtutem manus divinæ. « Et ideo intelligere debemus, » ut ait Salvianus in libro VII de Gubernatione Dei, « quia pietatis divinæ fuit, quod pœnam diu debitam distulit; piaculorum autem et criminum, quod aliquando peccator populus quæ merebatur excepit. » Hinc illa Valerii Maximi vox, quam nos perperam Cæsari tribuimus in notis ad Salvianum : « Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. » Apud Cæsarem in libro primo de bello

D Gallico scriptum est ipsum Cæsarem legatis Helvetiorum, quorum princeps fuit Divico, respondisse : « Consuesse deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere. »

(*b*) *Dispensationem nostræ salutis.* Id est, incarnationem Christi Domini. Incarnationis enim mysterium passim apud Græcos οἰκονομία vel *dispensatio* dicitur, ut Marca adnotavit in libro III de Concordia cap. 13, § 1. Sic auctor incertus a Sirmondo editus, qui Breviarium fidei adversus Arianos composuit, ait in ipso statim initio : « De se ipso Dominus secundum dispensationem carnis assumptæ loquitur.

tamen id nobis divino munere contigerit, ut supra jam diximus, Dei gratia liberandum. Mentior nisi hoc primus liber divinæ auctoritatis ostendit his verbis : *Sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua* (*Gen.* VIII). (*a*) Secretorum etiam cœlestium fidus interpres Paulus, jam baptizatus, jam forsitan ad tertium cœlum evectus : (*b*) *Condelector*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem*, illi profecto quæ sanxit : Non concupisces, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Legem in membris concupiscentiam vocat, quam post peccatum in membris genitalibus primi senserunt parentes, quam sibi adversantem divino freti adjutorio etiam continentes quique repellunt, sed penitus nunquam reversuram dum hic mortaliter vivunt excludere nequeunt. Dominus quoque Jesus, qui singulariter ut conditor sciebat quid esset in homine, imbecillitatis nostræ nos admonens : (*c*) *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV), nibil scilicet boni, nihil saluti conducibile. Nec indignetur salvatus et salvandus sine Salvatore se nihil posse facere, qui pollicetur : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Et cur, dicat aliquis, possibile præcipitur quod postea impossibile demonstratur? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua* (*Matth.* XXII); et : *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Ibid.*); et : *Diligite* **219** *inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt* (*Matth* V); et : *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX); et alia multa, quæ nunc peccata prohibent, nunc instruunt fidem, nunc vires informant. Profecto ut dum conatur quis, nec sufficit quæ jubentur implere, illuc fatigatione humiliatus recurrat unde petendo, quærendo, pulsando, accipiat quod desiderat, et non in se, sed in Domino de omnibus ejus beneficiis glorietur. Nec sibi nervos fortitudinis detrahi opinetur subjecte Deo devotus, cum per se nihil boni posse facere tam evidentibus instruatur testimoniis. Nec vero meritum minui : quoniam solum hominem præstantius quam Deo cooperante posse aliquid agere, ne dicam opinari vel somniare, non tam superbientis est hominis (*d*) quam amentis, et de cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, pro gratia quam impendit laboriosæ bonitatis, gratiam rependit beatæ retributionis. Non habere hominem in bono liberum arbitrium etiam Jeremias propheta non dubitans : *Scio*, inquit, *Do-*

A *mine, quia non sit hominis via ejus, nec est ut ambulet et dirigat gressus suos* (*Jer.* X). Proinde mox adjutorium flagitat : *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo* (*ibid.*). Hoc est : Quia non est meæ virtutis ut meam pravitatem corrigam et justitiæ tuæ apprehendam et teneam rectitudinem, tu adhibe correctionem judicii, cujus terrore salubriter sanas infirmos, non correptionem, cujus severitate horribiliter damnas superbos, ut mutata et confirmata voluntate faciam, te cooperante, quod meis viribus implere non valeo. Vates præterea clarissimus Isaias totum Deo, **220** nihil nobis penitus tribuendum confirmans, *Domine*, inquit, *pacem da nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis* (*Isa.* XXVI). Namque si nobis temere sanitatem li-
B beri arbitrii arrogamus, frustra diu multa conati, sic impossibilitate ut hoste acerrimo confundimur, molestoque bello laboramus, quousque defessi ad divinum recurramus auxilium. Quo impetrato, pacem de qua dicitur, *Pax multa diligentibus legem tuam* (*Psal.* CXVIII), consequimur; dum per bonum affectum in Deo mens nostra velut in munitione tutissima requiescit, et jam salutaria præcepta fiducialiter operatur, quandoquidem ea ipse qui præcipit exercet. Miretur aliquis ne parva quidem opera nobis a nobis, sed ipsa quoque a Deo esse, nisi cognoverit ipsas cogitationes bonas et initium ac perfectionem fidei non a nobis procedere, sed a Deo inspirari habentibus atque firmari. Doctor hæc gentium, (*e*) imo per eum Dei Spiritus publicans. *Non quasi sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid a*
C *nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III). Hoc est, quod ad sanctitatem religionis pertineat, nos quidem nihil sufficimus cogitare; sed ut sufficiamus, ipsas a Deo cogitationes bonas accipimus. Item de initio fidei : *Sed misericordiam consecutus sum*, ait, *ut fidelis essem* (*I Cor.* VII). Non enim ait, quia fidelis fui misericordiam consecutus sum, sed misericordiam consecutus sum ut fidelis essem. De perfectione autem fidei : *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non est vobis, Dei enim donum est* (*Ephes.* II). Itemque non de fide solum, sed de ipsa bona voluntate : *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et perficere* (*Philip.* II). Quod vero in bonis actibus perseverantia Dei **221** donum ac per hoc gratia Dei sit, facile illo satis ido-
D neo testimonio comprobatur : *Confidimus in Domino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* (*Philipp.* I). Hoc est, Deus, qui cœpit in vobis agere quod præcepit, tandiu

(*a*) *Secretor. cœlest.* F. I *Paulus.* Sic in epistola 41 dixit, *et quod secretorum cœlestium conscius docet Paulus.* Vide infra ad pag. 220 (*).

(*b*) *Condelector legi.* Hunc Pauli locum ex Epistola ad Romanos integrum refert, et ex eadem quidem interpretatione, in epistola 128, pag. 188.

(*c*) *Sine me nihil.* Hunc locum Joannis ex eadem interpretatione laudat in epistola 33, pag. 67, et in epistola 128, pag. 187, et in Collectaneo, pag. 702, 270.

(*d*) *Quam amentis.* Lupus epist. 30, pag. 58 : « Siquidem futuras earum rerum imagines aliqua nos mentis acrimonia posse apprehendere quæ illius tanti auctoris ingenium sint transgressæ si vel opinari possemus, esset id extremæ dementiæ. »

(*e*) *Imo per eum Spiritus Dei.* Lupus epist. 64 : « Secundum eumdem Apostolum, in quo evidenter Dei Spiritus loquebatur. evacuate quæ fuerunt parvuli. » Item in epistola 94 : « Sanctus Apostolus, in quo evidenter Dei Spiritus loquebatur. »

(*) Hic et in sequentibus revocatur Lector ad numeros crassiores textui insertos. EDIT.

operabitur quousque excedentibus vita singulis adveniens incipiat reddere quod promisit. His omnibus erudimur ne spem in nobis collocemus opinione gravius delinquentes; sed statum nostrum munientes, totius nostræ spei plenitudinem transferamus in illum, qui propterea nos ad se vocat ut fulciat, idcirco profutura nos petere invitat ut tribuat, ideo ne nobis confidamus terret, ne deserat. Namque maledictus homo est qui spem ponit in homine. Qui autem eam in seipso ponit, in homine ponit. Maledictus igitur est. Sane Dei bonitas præclare commendatur, cum benedictus esse vir asseritur qui confidit in Domino, et solus interdum confidentis affectus præmium jam benedictionis assequitur. Amant autem immundi spiritus decipiendi astu spem hominum in se transferre, quod in suis cultoribus effecerunt, vel ex quodam colludio falsas opiniones mentibus eorum inserere, quasi propter naturæ dignitatem atque præstantiam tutissimum sit eis in se ipsis spem aliquatenus collocare. Quod est ex eorum scriptis ostendere qui divinæ vacui, notitia mundanæ sapientiæ claruerunt. Tullius facit, non Lælium vel Scipionem, quæ posset esse dubia, sed M. Catonem senem certa, hoc est sua, dicere sententia. « Quibus nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, his omnis ætas gravis est. Qui autem omnia bona a seipsis petunt, his nihil malum potest **222** videri quod naturæ necessitas afferat. » Omnia bona a vero Deo non a se ipsis petunt, Marce Tulli, dixisses, et nobis non tam splendore verborum quam sententiæ veritate placuisses. Virgilius etiam, ut hominem decuit poetica figmenta tractantem, aliud agens tale quid significavit potius quam expressit, *Spes sibi quisque.* O utinam dixisset, cuique Deus verus spes, et credidisset, nec de Mæcenate adulando, sed de eodem vero et solo Deo probe summeque canendo protulisset : *Te sine nil altum mens inchoat.* Nostri autem auctores, facile sapientia superiores, quia divina eloquentia pares, quam cum volunt exerunt, cum volunt abscondunt, Cyprianum loquor, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium et quosdam alios, et mentem divinorum eloquiorum penitus inspexerunt, et nobis salubriter expresserunt. Scilicet egere nos in bonum arbitrio liberando, et Dei gratiam non secundum merita nostra dari. Itaque (*a*) gloriosissimus martyr Cyprianus et doctor suavissimus omnia nostris viribus adimens, Deo assignans, brevissime omnia genera meritorum complexus, ait in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit (*Cypr.*, *lib.* III *Testim. ad Quirin.*, c. 4). Ambrosius autem scribens, non est in nostra potestate cor nostrum et nostræ cogitationes, etiam ipsa facta et dicta comprehendit, quæ profecto ex corde et cogitatione procedunt. Hieronymus divina et (*b*) seculari doctrina præcipuus et velut quidam parens cum Augustino ecclesiasticæ philosophiæ, quæ humanam nec multum appetit, nec in omnibus contemnit, Pelagianam hæresin recens exortam potenter debellans. Si, inquit, in eo tantum Dei gratia est, quod propriæ **223** nos condidit voluntatis, et libero arbitrio contenti sumus, nec ultra ejus indigemus, ne si indiguerimus liberum frangatur arbitrium, ergo neque ultra orare debemus nec illius clementiam precibus flectere ut accipiamus quotidie quod semel acceptum in nostra est potestate.

Item post aliquanta : Agamus semper gratias largitori, sciamusque nos nihil esse nisi quod donavit in nobis ipse servaverit. Item alibi in Deuteronomio perspicue demonstratur non operibus nostris atque justitia, sed Dei nos misericordia conservari. *Non justitia tua Dominus Deus tuus dabit tibi terram optimam ut possideas eam, quia populus duræ cervicis es tu* (*Deut.* IX). Item post aliquanta : *Pro nihilo salvos facies eos* (*Psal.* LV), (*c*) haud dubium quin justos, quia non proprio merito, sed Dei salvantur clementia. Item alibi in expositione sententiæ : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et intelligere et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra* (*Jer.* IX). Ubi sunt, inquit, qui dicunt proprio hominem regi arbitrio, sic datam liberi arbitrii potestatem ut Dei misericordia tolleretur atque justitia ? Ipse autem Augustinus, quem nescias utrum rerum inventione magis an dicendi felicitate mireris, de libero arbitrio et gratia Dei tanta disseruit ut possint vix ab aliquo legi, omnia vero, ut mea fert opinio, (*d*) quanquam sint clarissima et utilissima, a nemine memoria contineri. Quid enim sentiendum sit de libero arbitrio et gratia Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine vestigavit, nemo ut ille tandiu **224** versavit, ita, ut pace cunctorum dixerim, nullus utrumque tanta veritatis proprietate invenit, nullus tanta eloquentiæ ubertate asseruit, nullus inexpugnabilium argumentorum copia tanta defendit. Proinde cum essent illius omnia optima et pene innumera, hæsitaremque quid potissimum esset eligendum, statui studiosum ad illorum invitare lectionem, quæ nostris

(*a*) *Gloriosiss. martyr Cypr.* Lupus epist. 3, *gloriosus videlicet martyr Cyprianus.* Epistola 128, *Sanctus Cyprianus, martyr gloriosissimus, et doctor suavissimus.*

(*b*) *Sæculari doctrina.* Id est, sæculari litteratura, vel eruditione, ut dixit Lupus in epist. 30 et 68.

(*c*) *Haud dubium quin justos.* Familiarissima est phrasis isthæc Lupo nostro. In epistola quippe 4, laudans locum istum ex Epistola secunda ad Corinthios : *Tristitia sæculi mortem operatur.* addit, *haud dubium quin spiritalem.* Et in epistola 30, pag. 60, citans locum illum Augustini, *vitam, quidem suam*, etc. addit, *haud dubium quin spiritus.* Sic in fine istius lib. pag. 241 afferens locum illum ex cap. VIII Epist. ad Roman. *proprio Filio non pepercit*, addit, *haud dubium quin Deus.* Sic in Vita sancti Maximini cap. 4, pag. 279, *haud dubium quin Maximinus.*

(*d*) *Quanquam sint clarissima.* Augustini verba esse clarissima scribit. Sic in epistola 30, de eodem Augustino loquens, ait : *Hactenus quid hæc verba obscuritatis pariant non video. Quippe clarissimus auctor*, etc.

præcognitis facilius poterit penetrare, quam paucis A positis, similibus melioribusve fraudare. Hoc unum tamen occultare non passus sum quod inter alia de libero arbitrio acutissime deprehendit. Liberum, inquit, arbitrium congenitum et omnino inamissibile si quærimus, illud est quo beati esse volunt etiam hi qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. Nec arbitretur aliquis aut tantos viros aut nos bona quæ dono Dei consequimur sic dona ejus asserere ut non sint etiam nostra. Sunt profecto Dei, ac principaliter, quia ab illo donantur. Sunt consequenter et bona nostra, quia nobis ab illo esse creduntur; et cum aliquid boni molimur vel agimus, est in nobis liberum arbitrium, quia peccati affectu Dei gratia liberatum. Idemque opus et Dei est, qui operatur in nobis; et nostrum est, quia voluntate faci- B mus quod præceptum est nobis. Cogitationes bonæ Dei sunt, quia nobis donantur ab illo, ut apostolico superius constitit documento: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III); et eædem nostræ sunt, quia Spiritus Dei admonet: *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV). Conversio nostra Dei est, cui supplicatur: *Converte nos, Deus salutaris noster* (*Psal.* LXXXII); et eadem nostra **225** est, quia divinitus jubetur: *Convertimini ad me in toto corde vestro* (*Joel.* II). Inclinatio cordis nostri ad præcepta Dei, et ipsius Dei est, quem placamus his ab eodem docti precibus: *Inclina cor meum in testimonia tua* (*Psal.* CXVIII); et eadem inclinatio nostra est, quia volentibus nobis est. Unde non falso gloriamur: *Inclinavi cor meum* C *ad faciendas justificationes tuas in æternum* (*Psal.* CXII). Postremo omnia opera nostra bona et Dei sunt qui dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV); et eadem nostra sunt, quia illi prophetice dicitur: *Domine, pacem da nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis* (*Isa.* XXVI). Nostrorum autem omnium bonorum Dei gratia auctor et causa est. Nam post peccatum Adæ, in quo omnes peccavimus et juste damnati sumus (rectus est enim Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo); quid mereatur totius generis humani series vitiata et propter originale peccatum damnata et propter propria addita, si ad activam ætatem accesserit, damnanda, nisi sempiterna supplicia? Hæc plane, ut supra relatum est, peccato vitiata tota stirps hominum per- D peti cogeretur, nisi ex eadem stirpe eamdem causam damnationis habente, alii (*a*) occulto judicio Dei, quanquam rectissimo, per justitiam ejus in damnatione debita relinquerentur, alii vero manifesta gratia per ejus misericordiam salvarentur. Non est unde inflentur liberati, quia quod non meruerant acceperunt. Non est unde querantur damnati, quia nihil nisi quod meruerant perferre coacti sunt. Cur autem istos non illos salvet Deus, aut cur non potius istos quam illos, jam hoc supra hominem est, nec (*b*) secreti Dei, præsertim tanti, causa exspectari debet ab homine. *Quis cognovit sensum* **226** *Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* IX). Igitur, ut idem ait, (*c*) *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Miseretur exuberante bonitate, indurat nulla intercedente iniquitate. Indurat autem, non ad peccatum impellendo, *Deus enim intentator malorum est* (*Jac.* I), sed in peccato deserendo, quia ipse quorum vult solum liberator est. Et utique ut est quorumdam, si voluisset esse potuisset et omnium. Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra. Sed ita voluit exercere misericordiam, ne in aliquo infirmaret justitiam. Nam quod venerabilis Paulus ait: *Qui vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II), non sic accipiendum est quasi cum Deus velit generaliter omnes fieri salvos, quibusdam impedientibus impotentissimis, non valeat omnipotentissimus implere quod velit, sed ita potius, quod illis sive volentibus, sive nolentibus (nam plures in infantili ætate baptizati, horum non habentes discrimen, mox vita excedentes transferuntur ad gloriam), salvantur omnes quoscunque ille salvare voluerit. Omnes ergo vult salvos fieri homines, sed non alios quam qui salvantur. Quo elocutionis genere usus est evangelista Joannes his verbis: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I), non quo fidei luce omnes in hunc mundum venientes illuminet (quod sentire perquam absurdum est, quando quidem plures infidelitatis tenebris obscurentur), sed eos videlicet qui illuminantur, dum non ab alio nisi ab illo illuminantur. Omnes autem non semper universitatem generaliter, verum aliquando exceptionem quamdam particulariter comprehendere, etiam ipse Apostolus, de cujus deliberatur sententia, idoneus **227** auctor est ubi ait: *Sicut ego per omnia omnibus placeo* (*I Cor.* VI). Namque ut taceam de majore adhuc infidelium parte, quibus profecto placere non poterat, non placebat his a quibus cædebatur, non placebat his a quibus obruebatur lapidibus, non placebat his denique a quibus urbe velut mortuus pellebatur. Placebat autem solis fidelibus, qui tot erant ut merito dici possent omnes, quique in illo glorificabant Deum quod persecutionem prædicatione mutasset. Possumus etiam, *qui vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II), sic sano sensu intelligere, quod ex omni genere hominum colligat ad salutem, hoc est, quos-

(*a*) *Occulto judicio Dei.* Et hæc quoque phrasis est familiarissima Lupo. Epist. IV, pag. 11. *Quanquam occulto, minime tamen injusto judicio.* Epist. LXXXIV, pag. 126. *Diu est quod Deus occulto, justo tamen judicio.* Epist. CXXVIII, pag. 186, *quamvis occulto, justo tamen judicio.* Epist. CXXIX, pag. 191, *quanquam occulto, justo tamen judicio.* Sic infra pag. 239. *Cujus quanquam sit subinde occultum, nunquam tamen est injustum judicium.*

(*b*) *Secreti Dei.* Quippe secreta Dei investigare hominem non decet; ut graviter monet Salvianus pag. 44, editionis nostræ, nam Salviani locus corruptus ac depravatus est in aliis editionibus.

(*c*) *Cujus vult miseretur* Eadem verba repetuntur in epist. 128, et in Collectaneo, pag. 252.

dam Judæorum atque gentilium, quosdam utriusque sexus, nonnullos magistratuum et privatorum, aliquos dominorum atque servorum, alios ingeniosorum atque hebetum, et quarumcunque differentiarum homines possunt a subtiliter contemplantibus deprehendi, qui omnium vocabulo non immerito censeantur. Siquidem eadem notione idem nomen in Evangelio Lucas posuit : *Væ vobis, Pharisæi, qui decimatis mentham et rutam et omne olus* (*Luc.* XI). Neque enim omnium generum olus per omnem terræ amplitudinem Pharisæi decimabant: sed omne olus, omne genus olerum quod habebant, est absque scrupulo sentiendum. Nec ille sensus abhorret a vero, ut qui vult homines salvos fieri, qui velle nos facit, omnes homines salvos fieri significare voluerit. Ut qui sumus multos vocatos, paucos autem electos, nullo discrimine separare valeamus, omnes indifferenter velimus fieri salvos. Nam et in eumdem modum invenimus apud Apostolum: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* II), hoc est, postulare nos facit. Hanc **228** autem gratiam, qua nos omnes qui salvamur gratis eripimur, pluribus relictis in damnatione, quam nos quoque meruimus, commendans vas electionis : *Sicut elegit nos*, inquit, *in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (*Ephes.* I). Ne adversus Deum ex ejus munere inflaremur, antequam oriretur superbiæ morbus, quam efficax est remedium procuratum. Eligit nos Deus ante mundi constitutionem, non quia eramus sancti et immaculati, aut quia futuri eramus sancti et immaculati, alioquin non tam suæ gratiæ donum largiretur quam nostro merito vel præsenti vel futuro præmium velut ex debito referret; sed elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati, qui nisi vellet, nec ulli quidem esse possemus. Cæterum ubicunque de electione, vel præscientia, sive prædestinatione Apostoli loquuntur, quicunque Deum propterea elegisse præscisse aut prædestinasse quoslibet asserunt quod præscierit eos devotos sibi futuros et in eadem devotione mansuros, tametsi sint in aliis magnæ auctoritatis, in hac sententia non sunt penitus audiendi, ne evacuetur divinæ gratiæ donum, si secundum humanum quanquam futurum meritum dispensetur. Nec indignentur his præponi Apostolum quicunque non nesciunt in hoc loqui potius Christum, qui se, quemadmodum est, veritatem esse testatur. Hi sola gratia prædestinati sunt omnes, de quibus ait Salvator : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, veniet ad me* (*Joan.* VI). Hæc autem salutis doctrina, qua venitur ad gratiam salvantis, valde **229** remota est a sensibus corporis. Non auribus apprehenditur sonantibus verbis, sed mentibus Creatoris instinctu, etiam in eis absque strepitu quod placuerit operantis, vel misericordiam ut vocati liberentur, vel judicium ut relicti damnentur. Operatur plane in mentibus piorum, adjuvando

A ut salutaria velint, et in eis proficiant; operatur in mentibus impiorum deserendo, ne nisi noxia velint et in pejora labantur. Id Propheta intelligens orat: *Adjuva me, et salvus ero* (*Psal.* CXVIII). De reprobis vero sponte peccantibus et deserente judicio Dei ad deteriora ruentibus ait Apostolus : *Quia non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Utrosque discernit voluntas, vel misericordia Dei adjuta, vel judicio non adjuta. Deum itaque, qui adjuvat ut bona sit voluntas, et voluntatis ipsius et omnium quæ ex ea prodeunt bonorum necnon et quæ hæc nullo dubitante consequuntur præmiorum, nemo est tam ingratus qui non credat et confiteatur auctorem. Perditorem vero malæ voluntatis eum B esse auctorem nemo nisi insanus et perditus opinari audebit. Non enim cujus voluntas summe bona est malam esse facit alterius. Auctor itaque sicut non est malæ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quorumlibet peccatorum quæ ex ea procedunt. Verum qui non est auctor ullius omnino reatus, est profecto censor et judex. Ut autem reus majestatis damnatus non recte nisi sibi aut sociis criminis imputat quod punitur, ita judicio Dei damnatus non recte potest in eum supplicii sui retorquere invidiam cui nequaquam valet obicere peccati sponte a se commissi **230** calumniam. Imputet igitur sibi homo, vel si placet Diabolo, cui temere credidit, et peccatum et vindictam peccati, hoc est, et causam damnationis, et ipsam damnationem, Deo vero et bonum opus et ipsum boni operis præmium. Ad hoc C bonum nemo malus nisi discessurus accessit, ad hoc bonum nemo bonus nisi tractus pervenit. Siquidem quam verum est, *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II), tam verum, *nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum* (*Joan.* VI). Ubi pravitas nostræ naturæ, quam tamen translato vocabulo, id est, improprio utentes, naturam juxta Apostolum dicimus, qui ait : *Eramus nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II), vocans naturam quæ habeat jam peccatum quod sit contra naturam, cum vere et proprie natura dicatur incorrupta, in qua conditus est Adam. Pravitas, inquam, nostræ naturæ ostenditur, quæ ut alibi declaratur *sensu et cogitatione cordis ad malum prona ab adolescentia*, hoc est, ex quo potest discretionis habere D judicium, ad virtutem reluctans trahitur et invita. Sed ut ad propositum revertamur, ad bonum et ad boni præmium nemo nisi ante mundi constitutionem gratia electus, gratia præscitus, gratia prædestinatus, intromissus est, sicut divino spiritu pandente comperimus. Electio non omnium, sed quorumdam confitetur salutem. Præscientia futurorum, nobis duntaxat, nam Deo simul præsto sunt omnia, prænotionem insinuat. Prædestinationem autem in bono positam dicimus ostendere in sanctis litteris gratiæ præparationem ; gratiam vero ipsam exprimere donationem. Præscit Deus quæcunque aut facturus est aut permissurus, utraque nulla necessitate, **231** alterum

communione injustitiæ nulla. Prædestinat quæcunque A immutabiliter facere statuit. Imo omnia quæ facturus erat tunc prædestinavit, quando cuncta quæ futura erant fecit. Proinde prædestinatio nunquam est sine præscientia. Nihil enim quod nesciat se facturum Deus prædestinat. Præscientia vero est et plerumque sine prædestinatione: quia crimina perversorum præscit Deus, quæ utique ut se facturum non prædestinavit, ita nec facit. Verum enimvero præfixit numerum electorum, cui nullus audiri possit augeri, nullusque subtrahi, ne videretur Deus, quod nefas est opinari, in veritate suæ prædestinationis errasse. Si quis vero hinc forte confirmari desiderat, instruetur Baptistæ Joannis quæ in Evangelio refertur illa sententia: *Facite fructum dignum pœnitentiæ, et nolite dicere apud vos: Patrem habemus Abraham: potens est* B *enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Luc.* III). Qua satis ostendit sic istos nisi fructum fecerint præcidendos ut substituantur alii vel carne vel tantum imitatione filii Abrahæ, ne nutante promissionis Dei fide possit aliquis certæ summæ deesse. Et adhuc apertius in Apocalypsi, ubi præcipitur: *Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam (Apoc.* III). Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdendo locum vacuum fecerit successuro, certus est numerus electorum. Ut autem etiam perseveraturis perinde ista dicantur, velut eos perseveraturos habeatur incertum, hæc ratio est, quod metus est necessarius quibus adhuc potest subripere superbiæ morbus, et tanta subest his adhuc infirmitas, quæ non securitate fovenda, sed alia sit infirmitate sedanda. Veniat nobis in mentem **232** C Apostolus, cui corporis incertum an mentis incommodo laboranti et remedium flagitanti cœlestis medicus, qui sciret quam ipse melius quid ei competeret, infirmitatis antidotum convenire monstravit hanc prædestinationem, quia Deus evolvens gratiam (*a*) facit sanctos, non invenit, et post excursum instantis vitæ perficit et coronat. Hanc, inquam, prædestinationem, quæ illustribus divini eloquii testimoniis et inexpugnabilibus argumentis astruitur, fideles quique passim suscipiunt, constanter defendunt, in hac ut par est suspensi spem suæ salutis pio consensu reponunt, nec immerito. Siquidem nulla via salutis humanæ potest inveniri præter hanc quam quæ præstitit divina gratia demonstravit. Hac exclusis nullus omnino patet reditus ad salutem. D De his prædestinationem Dei dici horrent plerique atque refugiunt, in quibus et quædam (*b*) præclara Præsulum lumina, scilicet ne credatur Deus libidine puniendi aliquos condidisse et injuste damnare eos qui non valuerint peccatum ac per hoc nec supplicium declinare. Qui si attenderent, sicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccaverunt, ita prius illo absque vitio existente omnes absque vitio extitisse, Deum autem non homini necessitatem casus intulisse, potestatem tamen permisisse, ipsum vero, utpote qui fecit quæ futura sunt, et qui vocat quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, et casum præscisse et quid casum sequeretur constituisse, ut videlicet genus humanum sua sponte corruptum, nec totum propter misericordiam damnaretur, nec totum propter justitiam salvaretur, nullam patientur **233** caliginem, Deus quos rectos origine condidit, voluntas propria vitiavit, quos non liberat clementia, sic punire judicio ut non ipse, verum ipsi convincantur suæ damnationis auctores. Hic aliquis, unde placari debuit, forsan irritatior dicat: Et si mihi semel pereundum est, cur hujus vitæ perdo compendia? cur cum mihi alibi semper futurum est male, non sit hic aliquandiu bene? quare non omnes voluptatis effundo habenas, totumque quod delectat perficio? Averterit Deus hanc ab omni Christiano insaniam ut se aliquis de numero perditorum credat, se a malo reverti non posse conjiciat, se inæstimabili Dei clementia salvari posse diffidat. Hoc eorum est qui transeunt in affectum cordis, hoc est, qui malum amore insatiabili diligunt, et in eo durare obstinatissima intentione decreverunt, et in (*c*) desperationis barathrum irrevocabili se impietate merserunt. Qui vero se redemptum Christi sanguine tanto pretio meminit, initiatum baptismate tanto sato sacramento non nescit, pœnitentiæ aditum suæ salutis argumentum patere non dubitat, cur, quæso, potius tantis beneficiis nullo suo merito nisi malo, non indefessus implorat, ut etiam et bonum meritum a Deo et quæ bonum meritum consequuntur accipiat? Cur se regressum habere dum hic vivit desperat, cum potius de bonitate Dei præsumere debeat, quod ideo vivat ut semetipsum tandem aliquando corrigat? Quis integre unquam sperare in Domino potuit, nec potuit ad veniam pervenire? Imo suo quisque judicio damnatus fugiat a Deo ad Deum, ab irato dum peccat, ad placatum dum pœnitet. Revelet Domino viam suam, et speret in eum, et ipse faciet, **234** scilicet ut mala plena deserat, et bona jam ardenter ac delectabiliter apprehendat Ille non potest Dei misericordiam consequi qui in illo sperare non potest. Nam *sperantem in Domino*, ut ipse aperit, *misericordia circumdabit.* O quam tutum est nobis in Dei pietate perfugium! Paratus est Deus parcere subjectis et debellare superbos. His qui relinquunt culpam, et lacrymabiliter postulant veniam, facilis est præstare indulgentiam. Quis non hunc multum diligat, ut sibi dimitti peccata multa obtineat? Festinus ergo quisque ad pœnitentiæ portum confugiat, securus apprehendat et teneat. Proponat sibi quisque æmula pietate David regem et Petrum apostolum; quorum unus de adulterio et homicidio

(*a*) *Facit sanctos, non invenit.* Imitatum istud videtur ex Tacito in Vita Agricolæ: « Rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. »

(*b*) *Præclara præsulum lumina.* Intelligit haud dubie Hincmarum Rhemensem, Rabanum Moguntinum, Pardulum Laudunensem, ac fortasse alios nonnullos.

(*c*) *Desperationis barathrum.* Epist. 3: « Etiam in desperationis barathrum dejicere potuissent. » Epist. 94: « In desperationis barathrum corruamus. »

increpatus, ut par fuit, insigni dolore, *peccavi Domino* dixit (*II Reg.* XII), et (*a*) translatum mox peccatum,nec se moriturum audire meruit : alter vero respectus ab eo qui paulisper averterat ab eo faciem suam, et propterea factus fuerat conturbatus, respectus, inquam, id est in affectum pœnitentiæ excitatus, negationis Dei maculam, tantum nefas, dicto citius amaris lacrymis diluit, abolevit. At si quis tantorum virorum contemplatione desperationem quam imitationem concipit,quod hi, quanquam maxima crimina virtutum copia propulsaverint atque oppresserint, se autem solis scatere vitiis ingemiscat,saltem illum latronem aspiciat, qui supplicium crucis haud dubie sceleratis actibus meruit, et per solam fidem,quæ subito confessionem peperit atque spem,in media morte vitam invenit.Postremo si sciret se aliquis tam infeliciter addictum ut absque ulla dubietate damnandus esset,cur non temperaret a vitiis? **235** cur non etiam elaboraret sectari bona quæ posset,ut saltem eum levior pœna postea plecteret? Quis hujus vitæ pœnis torquendus, si facultas detur, non minores eligat, majores declinet? Minores autem pœnas minoribus, majores peccatis majoribus rependi divina Scriptura consulta respondet. *Reddes*, inquit Propheta, *unicuique juxta opera sua* (*Psal.* LXI), pro qualitate scilicet honorum sive malorum præmia quibusque digna restitues.Sed si jam aliquid in persuadenda bona spe favore divino promovimus,sitne malorum prædestinatio sentienda,post ratiocinationem quam præmisimus, beati Augustini assertione pandamus. (*b*) Hic auctor certissimus,quia divinarum Scripturarum observantissimus, scribendo profecit. Unde culpat quosdam in libro de prædestinatione sanctorum quod sicut studuissent ipsius libros legere, non etiam certassent cum ipso proficere, et proficienter scripsit, nec tamen suo judicio ad perfectionem pervenit. Tenebat enim,quod etiam in suo mirabili de grammatica opere (*c*) Priscianus intelligit,nihil perfectum ex omni parte in humanis locutionibus inveniri posse. Imo, quod noster ait Apostolus : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Cor.* XIII). Hoc in exactissimo libro de bono perseverantiæ, quem post vel inter libros retractationum edidit,dignatur ingenue confiteri. In libris autem retractationum,quibus non erubuit publicare in quibuscunque se deprehendit errasse et censoria severitate damnare,et adhibita ubicunque potuit norma divinæ auctoritatis et acumine cautissimæ argumentationis corrigere, eo usque profecit ut studiosus quisque singularem ejus doctrinam securus haurire **236** debeat, malitiosus non inveniat in eo quod juste reprehendat. Quis illo pressius vitia resecuit? Quis ad virtutes potentius instigavit, imo, ut verius eloquar, impulit? Quis illo felicius quos voluit persuasit? Cumque sit,ut ait Tullius, minimum de arte loqui, multo maximum ex arte dicere, ex arte quotiens voluit perfecte loquens oratorem implevit; de arte autem præclara adjumenta, vim ejus aperiens, in quarto de doctrina Christiana libro capacibus præstitit. Quis hoc sit sanctior, quis cautior, quis auctior? Hic itaque tot divinis ornatus muneribus, non dubitando, non quærendo, non argumentando, sed plane velut professum docendo, malorum prædestinationem esse insinuat. Verba ejus posui ex libro quem Enchiridion dixit,cui in retractatione cum vellet supremam imponere, ut aiunt, manum, nihil quod adiceret, nihil quod detraheret, nihil quod mutaret invenit. Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX),et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipse fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens et malis tanquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gloriam.Et ne hoc illi excidisse arbitreris, ac non pro comperto et certissimo comprobatum, cum ex multis librorum ejus locis tum ex illius cujus feci paulo ante mentionem qui inscribitur de Dono perseverantiæ, quem ætate matura firmoque judicio exercitatissimus **237** edidit, poterit confirmari. « Quibus, inquit, non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste. aliud judicavit. Non est enim iniquitas apud Deum. » Huic non dissimilia S. Gregorius papa, Fulgentius Isidorusque senserunt : quorum ego testimonia ponere supersedi, ne diu aliorum scriptis extentus esset noster labor ingratior. Cujus autem sit momenti Augustinus (*d*) Cœlestino papa docente discamus. « Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus,nec unquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus ut inter magistros etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori. » Verum ne, quod cavendum etiam sæcularibus litteris dum

(*a*) *Translatum peccatum*. Id est Davidis : cujus crimen in filio primum vindicatur,dein vero in Davide ipso.Et videndus omnino Salvianus in libro secundo de Gubernatione Dei, pag. 38 et seq.

(*b*) *Hic auctor certissimus*.Loquitur de Augustino, quem in epistola quoque 129 vocat auctorem certissimum.Sic in epist 30 loquens de eodem Augustino, ait : « Quippe clarissimus auctor quia divinæ auctoritatis observantissimus. »

(*c*) *Priscianus*.Hunc Prisciani locum laudat etiam Lupus in epist.34. Sed quod hic legitur *locutionibus*, pro *inventionibus*,ut est apud Priscianum, et in editione Donati Candidi ; id ex eo profectum est, quod Sirmondi editionem sequi studuimus, quanquam ipse Sirmondus admonuit alibi legi, *inventionibus*.

(*d*) *Cœlestino papa*. In capite secundo epistolæ ad episcopos Galliarum. Hunc autem Cœlestini locum iisdem verbis refert Lupus in Collectaneo, pag. 246.

imbueremur cognovimus, amore doctorum amplecti judicemur errores eorum (unde probe idem Augustinus dehortatur in memorato de Dono perseverantiæ libro his verbis : « Quanquam neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit,») ac non potius unde potissimum quærendum est vestigare veritatem, procedat Paulus in medium, ut detegat hoc tandem suo sermone secretum : *Volens*, inquit, *Deus ostendere iram et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta* (*a*) *sunt in perditionem, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Ecce vasa iræ perfecta confirmat doctor gentium in perditionem. Et certe, **238** quantum ad humanam spectat opinionem, pressius est dicere perfectum aliquid esse quam prædestinatum. Quantum enim ad humanorum casuum varietatem, perfectum infectum esse non potest, prædestinatum autem mutari aliquando potest. Quantum autem ad Dei pertinet continentem omnia majestatem, idem illi et perfectum est, quia fecit quæ futura sunt, et prædestinatum, quia est immutabili veritate complendum. Iram vero illam appellat qua reprobi puniuntur, quæ talibus verbis in Evangelio terminatur : *Qui incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III). Hanc ut evitaret orabat Propheta : *Domine, ne in furore arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* XXXVII). Sed forte nec ex hoc loco diversa sentientium sopiatur intentio, quia pleraque exemplaria, non vasa iræ perfecta in perditionem habent, sed vasa iræ apta in interitum. Quasi vero propterea non possint vasa iræ prædestinari in perditionem quod apta sint in interitum. Accedat ergo Dominus Jesus et nodum quæstionis ipse dissolvat. Denique ipse dicit in Evangelio : *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum* (*Matth.* XIII). Vobis datum est, discipulis loquitur, illis autem non est datum, hoc est de undequaque confluentibus turbis. Si bene docentem capio, eos quibus datum est misericordia colligit, quibus non est datum judicio repellit, hoc est non adjuvando relinquit. Prædestinati autem sunt electi, quibus datum est, quorum certus est numerus. Neque enim Deus prædestinaret eos quorum summam nesciret. Igitur cum ad eorum numerum aspirare non possint reprobi, quia ut salventur non **239** est eis datum, quis possit ostendere, quis audeat affirmare ut damnentur non esse prædestina-

A tum? Item in Evangelio immutabili sententia præscribitur: *Qui non credit jam judicatus est* (*Joan.* III). Ad quid arbitraris, nisi ad puniendum? Cur, quæso, nisi quia in Adam sua sponte peccante peccavit, nec hunc Dei gratia liberavit? An et inde cumulum sibi damnationis conscivit quod in infidelitate permanere delegit? Ita vero est. Sed cur credere noluit? quia, ut scriptum est, *non omnium est fides.* At cur non sit fides omnium, certus est limes, quem nisi impius excedere nullus audeat? quia illis non est datum. Siquidem cur eis non sit datum, illius est solius consilii cujus quanquam sit subinde occultum, nunquam tamen est injustum judicium. Hanc severitatem verisimile est illam quoque sonare sententiam : (*b*) *Considera opera Dei, quod nemo possit cor-*

B *rigere quem ille despexerit* *Eccli.* VII) ; quod scilicet vas iræ aptum in interitum, vel perfectum in perditionem, malus obstinate in malo semper hæreat, etsi videatur ad tempus correctionem simulare, sicut canis ad vomitum, sic ipse ad peccatum consciscendo sibi mortem recurrat. In eadem sententia studiosi, qui (*c*) cultu orationis plurimum delectantur, recognoscant licet, non eloquentiæ nitorem solum sed etiam clausulam numerose cadentem. Jam ergo cum res in tuto sit, ponamus verborum controversias, ne puerili animositate contra invicem pro inani victoriæ jactantia litigantes corripiamur ab Apostolo dicente : *Noli verbis contendere. Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium* (*I Tim.* II). Nam cum sit nobis unus magister cœlestis, quid est verus et veritas, unde accipitur, et quo re-

C ferenda **240** est omnis veritas, cur pro nostris inventis dimicemus, ut idipsum dicamus omnes, quod nostrum non sit commentum, sed illius documentum: pacifice atque humiliter quid sit rectissimum repperiamus. Si qui vero tantis moventur auctoritatibus, seque non nostra assertione, verum perspicua superatos intelligunt veritate, non dedignentur suam mutare sententiam, quia non tam erubescendum est homini errasse quam cognitum errorem (*d*) nolle vitare. Quod utiliter amplissimus orator Tullius suo proposito subtiliter monstrat exemplo. Si temere, inquit, aliquid, alicujus præterisse aut non satis eleganter secuti videbimur, docti ab aliquo facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognovisse sed in parum cogni-

D to stulte et diu perseverasse turpe est, propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum.

Quæstionibus duabus, hoc est, de libero ar-

(*a*) *Perfecta sunt in perdit.* Vide epist. 128 et 129.

(*b*) *Considera opera Dei.* Hunc Ecclesiastici locum iisdemmet verbis laudat Lupus in epist. 129.

(*c*) *Cultu orationis.* Lupus epist. 35: « Etenim plerique ex ea cultum sermonis quærimus. »

(*d*) *Nolle vitare.* Lactantius lib. III divin. Institut., cap. 23 : « Qui dicam de iis nescio qui cum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, et vanis vana defendunt, nisi quod eos interdum puto aut joci causa philosophari, aut prudentes et scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut in malis rebus ingenia sua exerceant vel ostentent. » Claudianus Mamertus lib. I de statu animæ, cap. 1 : « Et quoniam humanitus per imprudentiam lapsi sunt, eligunt audaciam culpæ suæ pervicaci obstinatione defendere, ne videantur potuisse peccare. » Eleganter in hujuscemodi viros invehitur Tullius in loco quem Lupus statim subjicit.

bitrio, et de prædestinatione, (*a*) non ut voluimus, sed ut valuimus, pertractatis, ad tertiam, scilicet de redemptione, quanta sit sanguinis Christi, quæ est ultima, veniamus. Et unde melius considerandi capiemus exordium quam ab ejus verbis qui quod postea sicut homo implevit, antea sicut Deus prædixit? Sunt hinc ejus verba : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII). In hac exaltatione, quam se humiliando ut nos exaltaremur perpessus est, sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum. Sic enim idem Jesus, hoc est nostra lingua *Salvator*, salvum fecit populum suum a peccatis eorum. Denique non aliquam solam gentem elegit **241** quam singulari privilegio totam salvaret; sed ut non suo merito, verum forsitan commendandæ dignitatis pontificalis gratia, Caiphas prophetavit, mortuus est Jesus, non tantum pro Judæorum gente, unde genus ducebat, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. Non quod adhuc essent filii Dei, sed quia inter congregandum facti sunt filii Dei cum unitati fidei accesserunt. Non incongruenter igitur, sicut prædixit, ad se omnia traxit, qui ex omni genere hominum elegit quoscunque salvare decrevit. Qui *multi* dicti sunt, quia plures utique salvantur; *omnes* autem, quia ex omni genere hominum colliguntur. Pro his fusum esse sanguinem Dei, quia *Verbum caro factum est*, hoc est, Deus homo factus, a parte totum significante Scriptura, sicut alibi : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III), hoc est, omnis homo, et quia Deus, dum integram naturam nostram assumpsit, suam incorruptam certe retinuit, universalis confitetur Ecclesia per totum orbem terræ diffusa, qua necessitate constringitur in accepta sanctificatione manendi, sic Apostolo explanante : *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI). Itemque se annumerato de omnibus dicit idem Apostolus : *Proprio Filio*, haud dubium quin Deus, *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII). Item de his omnibus in Epistola quæ præscribitur ad Hebræos : *Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem* (*Hebr.* II). Et aperiens qui sunt isti homines, mox intulit : *Decebat enim eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis* **242** *eorum per passionem consummare.* Decebat quippe Deum Patrem, *propter quem omnia*, hoc est cujus bonitate sunt omnia, *et per quem omnia*, quia ab illo coæternus ei ortus est Filius per quem facta sunt omnia (*Omnia enim in sapientia fecisti*, dicit sacer Psalmus [*Psal.* CI]), qui, hoc est, Pater, multos filios in gloriam adduxerat, cum scilicet nemo venisset ad Filium nisi quem Pater ipse traxisset, auctorem salutis eorum, hoc est, auctorem salvatorum, per passionem consummare, ut de quo dicitur, *quæ cœpit Jesus facere et docere*, quod docendum in mundo ipse docuerat primus impleret, hoc est, *majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, et ita eum per passionem consummaret Pater, id est, consummatum perfectumque ostenderet; cum quod ipse bene docuisset, non solum implere, quanquam arduum, non recusasset, verum etiam suo exemplo cæteros excitasset. Intuendum quod quos dicit *omnes* in eo quod paulo ante posuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, eosdem paulo post nuncupat *multos*, inferens, qui multos filios in gloriam adduxerat. Hæc divinorum eloquiorum auctoritas intelligenter expensa, pro omnibus Dei Filium gustasse mortem sic accipi posse insinuat quemadmodum Deum velle omnes fieri salvos. Ut enim salvos fieri vult omnes quicunque salvantur, ita redimit omnes quicunque redimuntur. Non autem salvantur omnes, nec vero rediguntur. Non itaque vult salvari alios omnes aut redimi nisi qui redimuntur atque salvantur. In hoc sensu beatus Augustinus invenitur in libro cujus jam supra meminimus, qui Enchiridion dicitur. Locus **243** hic est. « Hæc quæ in sanctis angelis et virtutibus dicitur Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet cum ei conjuncti fuerimus in finem ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero, quæ ab illa peregrinatur in terris, et nobis notior est, quos in illa sumus, et quia hominum est, quod et nos sumus, hæc sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato. Ejus vox est : *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII). In Ecclesia enim, quæ sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato, intelligit esse omnes qui apostolico testimonio comprehenduntur, quod est, *pro* nobis *omnibus tradidit eum.* Curiosos tamen divinorum eloquiorum non fugat probabiliter dici posse mortuum pro omnibus Christum qui ejus fidei sacramenta sive servaturi, sive non servaturi suscipiunt. Pro servaturis quidem nulli potest esse ambiguum. Pro non servaturis Apostolus idoneus auctor est illo testimonio : *Peribit in scientia frater, propter quem Christus mortuus est* (*I Cor.* VIII). Nec mirum, cum fides sine operibus otiosa sit, et multi vocati, pauci vero doceantur electi. Verum hoc quidam velut blasphemum vehementer exsecrantur et damnant, quod derogetur plurimum Redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem, (*b*) salva fide, hoc est, quod suo sanguine Deus redemerit omnes qnos voluerit, et nulli sint redempti nisi quos redemerit, ita causam in medio relinquimus, ut si quilibet eumdem sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam per-

(*a*) *Non ut voluimus*. Epist. 30 : « Præmonstratis verbis, super quorum sententia non ut voluimus, sed ut valuimus, diutule locuti sumus. »

(*b*) *Salva fide.* « Quoniam de eisdem quæstionibus diversa sentire, » ut in epistola 30 dicit Lupus. « quousque contra fidem non est, aut nulla aut parva culpa est. »

ditis valeant demonstrare, non solum resistamus nihil, verum **244** etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si sol cæcos, quanquam non illuminet, tamen fovet, cur non potentior sol, etsi non salvat suo merito excæcatos atque damnatos, tanti pretii merito minus puniat? Si tamen hoc admittat consilii ejus benevolentia, cui canitur : *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV). Sed huic opinioni videtur Apostolus refragari, ubi ait : *Ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamiai, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* III). Nam si nihil proderit Christus baptizatis qui etiam Spiritnm sanctum acceperint, sicut idem Apostolus declarat his verbis : *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei* (*Gal.* V)? Si, inquam, nihil proderit Christus talibus baptizatis a fide resilientibus, quemadmodum proderit aliquid baptizatis et relapsis in crimina nec correctis et quibusque in infidelitate defunctis? Verum ne me irridendum et respuendum pronuntient quibus placet omnes sive bonos sive malos indifferenter a Christo redemptos, A ponam unum quod cum eis faciat testimonium, et eos omnes, ut opinor, in gratiam reduxero. Joannes Constantinopolitanus, doctrina et sanctitate juxta insignis episcopus, ut gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, quod supra jam posui, sic exposuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro mundo universo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. » Eligat sane, superioribus acute consideratis, unusquisque quod optimum ei Deus occulta inspiratione suggesserit, aut magistra ejus Scriptura manifesta ratione protulerit.

245 Hæc habui quæ de tribus non spernendis quæstionibus dicerem, atque utinam tam proficue quam prolixe. Quæ si cognoscere non fastidierint B studiosi, quanquam approbare non possint obtusam incultamque meam disputationem, tamen quando volentibus quod utile putavi benevole cognoscendum exposui, non improbabunt, credo, talem scilicet volentem prodesse devotionem.

B. SERVATI LUPI

FERRARIENSIS ABBATIS

246 COLLECTANEUM DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS

Multis laudabiliter studiosis desiderantibus cognoscere ipsis auctorum verbis quem exitum habeant quæstiones de prædestinatione ac libero arbitrio, necnon de redemptione sanguinis Christi, fideliter morem gessi; ut et pie quærentium eruditio largiente Dei gratia capiat incrementum, et diversa sentientium contradictio mitigetur. Nec aspernabitur benevolus et prudens lector, si deferam per quos profeci et proficio doctores, vel si eorum assignatis obscurioribus sententiis aliquid lucis infundam, cum eorum honoris mecum habere debeat considerationem, et facillime possit advertere, (*a*) non ostentationis vanitate, sed ostendendæ veritatis voto, me deprehensa monstrare. Jam itaque narratio propositum exsequatur.

(*b*) Cœlestinus papa beatum Augustinum his verbis commendat (*epist.* 8, *ad episcopos Galliarum*). « Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suscipionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros **247** etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et C amori fuerit et honori. » Hic (*c*) clarissimus doctor, sedis apostolicæ tanto præconio laudatus, in libro ad Laurentium de Fide, Spe, et Charitate, quem jam episcopus et senex edidit, prædestinatos bonos et malos ita insinuat (*Enchiridii cap* 100). « Hæc sunt, inquit, *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gloriam. »

D Idem in ultimo de Civitate Dei libro, quem jam episcopus composuit, expresserat (*lib.* XXII, *cap.* 24, *sub finem*). « Hæc, inquit, omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot et alia ac tanta sunt ista? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem? » In penultimo autem ejusdem tam elaborati et mirandl operis libro sic docuerat : Hæc causa qua fit ut nunc

(*a*) *Non ostentat. vanitate.* In epistola 128 : « Nec, ut quidam suspicari se simulant, inaniter, hoc est, vanæ gloriæ studio cupio innotescere.... sed asserendæ veritatis intuitu, » etc.

(*b*) *Cœlest. papa.* Eumdem locum affert in libro de tribus Quæstionibus, pag. 237.

(*c*) *Clarissimus doctor.* Loquitur de Augustino, quem clarissimum auctorem vocat in epistola 30.

Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos novit esse inimicos, eadem ipsa causa est qua fiet ut in illo tunc judicio, etiam pro hominibus (a) æterno igni cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat nisi ut det illis Deus, sicut dixit Apostolus, pœnitentiam et resipiscant **248** a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem? Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, B nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita sunt tamen prædestinati ut pro eis exaudiatur Ecclesia et filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, nunquid jam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Non. Cur ita, nisi quia in parte jam diaboli computatur qui cum esset in corpore non est translatus ad Christum? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est ut neque nunc neque tunc oretur pro angelis malis, quæ itidem causa et ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur etiam malis, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis. Nam pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesiæ C vel quorumdam piorum exauditur oratio; sed pro his quorum in Christo regenerationem, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiant necessariam non habere.

Item in secundo ad Marcellinum libro (*cap.* 17) malos prædestinatos jam episcopus ita scribit: « Ut innotescat, inquit, quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, **249** gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi, ut eruditi filii sint misericordiæ. » D

Item malos prædestinatos in libro de bono Perseverantiæ, quem (b) inter vel post libros Retractationum edidit, sic sentit (*cap.* 11): « Quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste, aliud judicavit, non est enim iniquitas apud Deum. » In eodem libro (*cap.* 17) nomine præscientiæ significari prædestinationem apostolico testimonio confirmavit. *Non repulit*, inquit, *Deus plebem suam quam præscivit.* Hoc quod ait *præscivit*, non recte intelligitur nisi prædestinavit. « Quid autem sit prædestinare in superioribus ejusdem libri taliter definierat (*cap.* 17), quod fideli est memoria continendum: » Sine pœnitentia inquit, sunt dona et vocatio Dei. Namque in sua quæ falli mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est quam prædestinare. » De utrorumque prædestinatione, hoc est bonorum et malorum, non dubitavit palam in populo prædicare: *Quia dilexisti*, inquit, *me ante mundi constitutionem* (*Joan.* XVII). In illo enim dilexit et nos ante constitutionem mundi, et jam prædestinavit quid in fine facturus est mundi. *Pater*, inquit, *juste, mundus te non cognovit* (*ibid.*). quia justus es, ideo te non cognovit. Mundus quippe ille damnationi prædestinatus merito non cognovit; mundus vero quem per Christum reconciliavit sibi, non merito, sed gratia cognovit.

250 In opere autem quod ut (c) Prosper testis est, ultimum contra Juliani libros inter impetum Wandalorum in ipso dierum suorum fine composuit, gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans, si loquitur: « Quid te adjuvat quod eos mihi objecisti quos exspectat Dei patientia per pœnitentiam corrigendos, et ideo super illos oriri solem suum facit et pluit, cum ego tibi hædos sinistræ partis objecerim, quos usque in finem sine pœnitentia victuros in impietate et sceleribus suis ac per hoc æterno supplicio puniendos ignorare non potest, præscius omnium futurorum, nec ab eis abstinet bonum creationis suæ quibus nec nasci expediret, nec bonum nutritionis et vivificationis suæ quantum ei placuerit diuturnæ, quibus mori quantocius expediret? Inter quos sunt certe plurimi, qui si ex hac vita abriperentur infantes secundum falsam vestram hæresim penitus ab omni, secundum autem catholicam fidem a damnatione gravissima tollerentur. Quid deinde illud est quod est in his sinistræ partis hædis in Dei præscientia, quæ fallli non potest, igni perpetuo destinatis multi sunt qui lavacro regenerationis abluti, postea vel apostasia pereunt, vel tam facinorose flagitioseque vivunt, ut eidem sinistræ sine dubio deputentur, nec rapiuntur sicut quidam, ne malitia mutet intellectum eorum, nec ut hoc ei Deus tam magnum beneficium non conferat, fatali necessitate prohibetur, neque ut aliis conferat personarum acceptione mutatur. «

Hæc de prædestinatione sanctus Augustinus. Sed

(a) *Æterno igni.* Vide quæ de æterno igne diximus in notis ad Salvianum, itemque Vincentium Lirinensem.

(b) *Inter vel post libr. Retr.* Sic in libro de tribus Quæstionibus, pag. 235.

(c) *Prosper.* In Chronico nimirum. Hic est enim celebris ille Prosper, Operum D. Augustini defensor strenuissimus et doctissimus. Ejus vitæ breviarium texuit Gennadius in Catalogo virorum illustrium. Sed quoniam in vetustissimo codice Corbeiensis monasterii ea quæ de Prospero habet Gennadius pauto diversa sunt ab editis, afferam ipsum locum ex eo codice: « Prosper homo Aquitanicæ regionis, consiliarius papæ Leonis, sermone scholasticus, et assertionibus nervosus, » etc

ne forte quis audiens malos prædestinatos arbitretur A Deum auctorem perditionis eorum, sicut **251** est auctor salutis eorum quos prædestinavit ad gloriam, consideret quod idem Deus (*a*) Adam rectum fecit, et in eo originaliter rectos nos omnes condicit. (*b*) Fuit enim Adam, ut ait beatus Ambrosius, et in eo fuimus omnes: periit Adam, et in illo omnes perierunt. Cum itaque omnes recti essemus in Adam, illo absque ulla necessitate peccante, sine dubio corrupti sumus peccato et divino damnati judicio. Ex hac totius generis humani massa merito damnata cum fiunt vasa in honorem, hoc est, cum formantur electi, exuberat Dei misericordia, et sola ejus gratia corrupta salvatur natura. Ergo et quod creantur et quod salvantur Dei est, quorum alterum opificio, alterum ejus beneficio deputatur. Cum vero B ex eadem massa fiunt vasa in contumeliam, hoc est, non salvandi producuntur, nihil mirum videri debet quia spontanei peccati merito damnata est massa unde creantur. (*c*) Quod ergo creantur, Dei est; quod damnantur, ipsorum. Et quia nesciat creationem cujuslibet rei, nedum hominis, bonam esse, sponte vero commissæ culpæ ultionem justam existere? Cum itaque bonos prædestinatos audimus, creantem Deum, et ex merito damnata massa eos sua gratia liberantem intueamur; cum vero malos prædestinatos, item creantem eos Deum, et in merito damnata massa judicio relinquentem consideremus. Et sic in utrisque creationis bonum semper nobis constabit, et vel in assumptis misericordia, vel in relictis justitia eminebit. Neque enim Deus quos condidit in perditionem impellit, sed quos non liberat a perditione C per gratiam relinquit in perditione, quam vel nascendo vel postea vivendo meruerunt, **252** per (*d*) occultam, nec tamen reprehendendam justitiam. Ita Deus, juxta beatum Apostolum, *cujus vult miseretur et quem vult obdurat* (*Rom.* IX), qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra. Rectus est autem Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo. De hic qui liberantur dictum est : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII). De his autem qui relinquuntur : *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX).

Hunc sensum beatus Augustinus in memorato libro, quem, ut ostendi, ultimum fecit, his verbis satis aperuit (*lib.* I, *c.* 126 : « Cum dicuntur, D inquit, omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur ex qua fiunt a figulo alia vasa in honorem, id est quæ assumuntur in gratiam, alia in contumelia, id est quæ ad luendum debitum relinquuntur, ut filii gratiæ id ibi donari sciant, quod si exigeretur non esset injustum, ac sic non in se ipsis, sed in Domino glorientur. » Et post paululum, refutans id quod Julianus scripserat : *Pietas explanavit et ratio Deum meum neminem in contumeliam formare.* « Si Deus tuus, inquit, in contumeliam neminem format, non est ipse Pauli apostoli Deus. Ille quippe de Deo vero dicebat : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit. Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumelium?* (*Rom.* IX.) Sed tu, videlicet artifex magnus, profers ex officina Pelagiana meliorem Deum, qui nullum vas fecit in contumeliam. » Item post aliquanta (*cap.* 182) : « Non abstinet Deus bonum formationis **253** suæ etiam ab stirpe damnata. Sed si tibi displicet Deum creare quos damnet, contradic ei, si potes, ne creet eos quos malos futuros et in malignitate usque in finem perseveraturos et ob hoc sine dubitatione damnandos esse præscivit; aut ei suggere, si videtur, ut tot millia parvulorum non baptizatorum quos novit perdite esse victuros et in æternum ignem damnante ipso cum diabolo ituros, rapi vetet ex hac vita dum sunt innocentes et boni. » Et paucis interpositis : « Cum enim, inquit, te invidiose dicere putaveris Deum creare quos damnet, cogita quanto invidiosius possit dicere alius similiter vane Deum regenerare quos damnet, cum sit in ejus omnipotentiæ potestate, antequam damnabiles fiant, eos de tentationibus mortalis vitæ hujus auferre. Si autem non potes ista dicere, nec Deo contradicere, nec illi sapientiæ tuum præbere consilium (*Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Is.* XL), desine nobis introducere alterum figulum qui non facit vasa in contumeliam, et ab isto qui ea facit reprehendendo cohibere, et agnosce te, quia ut te non implices hoc sacrilegio, ideo tibi dicit Apostolus : *O homo, tu quis es ut respondeas Deo?* (*Rom.* IX.) Recurramus posita contentione ad apostolum Paulum, et obscurum locum ejus tanto auctore illustrante salubriter intelligamus. *Quod si volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam* (*ibid.*).

Nam de his vasis iræ et vasis misericordiæ **254** et sæpe alias et in epistola ad Optatum episcopum (*epist.* 157) quid sit sentiendum, idem auctor luculenter expressit : « Cur autem, inquit, creantur etiam illi quos Creator novit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, beatus Apostolus tanto succinctori brevitate quanto majore auctoritate commemorat. Deum enim, dicit, volentem ostendere iram et demonstrare potentiam suam, attulisse in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in per-

(*a*) *Adam rectum fecit.* Epist. 128 : « Deus Adam rectum condidit, ut sancta Scriptura docet, et originaliter in eo nos omnes rectos creavit. »

(*b*) *Fuit Adam.* Eadem prorsus referuntur in epistola 128.

(*c*) *Quod ergo creantur,* DEI EST. Epist. 128 : Hi quod creantur, Dei donum est; quod puniuntur, malum ipsorum. »

(*d*) *Occultam, nec tamen rep.* Et hæc ex familiaribus et suetis Lupi loquendi formis, ut dictum est ad pag. 225.

ditionem, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quem superius dixerat, tanquam figulum luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Merito autem videretur injustum quod fiunt inde vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ pertinet ad debitam pœnam; quod autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus iram suam, non utique animi perturbationem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed justam fixamque vindictam, quod de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque supplicii; et homo natus ex muliere, sicut in libro Job scriptum est (*Job* XIV), brevis est vitæ et plenus iracundiæ : ejus enim rei vas est qua plenus est, unde vasa iræ dicuntur. Ostendit et potentiam suam, qua bene utitur etiam malis, multa in illis naturalia et temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos et comparatione admonendos bonos accommodans, ut in eis discant agere gratias Deo quod ab eis, non suis meritis, quæ in eadem paria fuerunt, sed in illius miseratione discreti sunt. Quod maxime **255** apparet in parvulis; de quibus cum per Christi gratiam renascuntur, et istam vitam in illa tenera ætate finientes in æterna transeunt et beatam, dici non potest quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam qui essent per gratiam recreandi, et præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines nascerentur, lateret beneficium quod donaretur indignis, quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur. Cum vero attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, non solum ostendit iram et demonstravit potentiam suam, redhibendo vindictam, et bene utendo non bonis, sed etiam notas fecit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur discit gratis justificatus, dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur a damnato, cum quo eadem justitia fuerat et ipse damnandus. Tam multos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut multitudine incomparabili plures sint eis quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est, ut etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur quam nullius momenti sit apud Deum justum quantalibet numerositas justissime damnatorum. Atque ut hinc quoque intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur hoc fuisse debitum massæ illi universæ quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verum etiam in tam parvulis, **256** qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa justæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea faceret, non solum justus, sed etiam misericors figulus, alia vasa in honorem secundum gratiam, non secundum debitum, dum et parvulis subvenit, quorum nulla merita dici possunt, et majores prævenit, ut habere aliqua merita possint. »

Prædestinatos malos in opere beati Augustini ad Marcellinum (*Adversus Pelagianos* libro III, in fine) clarissimus auctor Hieronymus legit, et id opus non solum non reprehendit, verum etiam magnis laudibus extulit. Verba ejus hæc sunt : « Scripsit dudum (*a*) vir sanctus et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, per quam vultis asserere baptizari infantes non in remissionem peccatorum, sed in regnum cœlorum. Tertium quoque ad eumdem Marcellinum contra eos qui dicunt idem quod vos, posse hominem sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii : *In silvam ne ligna feras*. Aut enim eadem dicemus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora. »

Idem doctor alio verbo sensum prædestinationis expressit in explanatione primi psalmi : *Qui autem non credit*, inquit, *jam udicatus est:* jam enim præjudicatus ad pœnam est. » Et post pauca : « *Non resurgunt*, inquit, *impii in judicio*, non resurgunt ut judicentur, qui jam judicati sunt. **257** Qui enim non credit in me, jam judicatus est. »

Item in Dialogo : « Aliud est cædere magistri et parentis affectu, aliud contra adversarios crudeli animo desævire. Quam ob causam et in primo psalmo canit, quoniam non resurgunt impii in judicium : jam enim in judicium præjudicati sunt. » Idem in explanatione Isaiæ prophetæ (*cap*. XXIV) : « Pro *dissipata terra* LXX *corruptum orbem* interpretati sunt; et pro *afflicta facie illius*, id est terræ, iidem transtulerunt, *et revelabit faciem ejus*, ut procedant mortui de sepulcris suis; sive *nudabit eam*, ut omnia opera ejus proferantur in publicum,

(*a*) *Vir sanctus*. Locus Hieronymi Augustinum laudantis. Et constat Augustinum fuisse superstitem Hieronymo. Itaque Augustinum etiam viventem, sanctum viro vocat pro more sui sæculi, de quo more nos pluribus diximus ad Salvianum, neque repeti est opus. Addere tamen visum est insignem locum ex libro primo sancti Gregorii de Cura pastorali, cap. 41. Loquens enim vir sanctus de malis episcopis, hæc gemebundus inclamat : « Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit; et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. » In eumdem modum de religiosis, id est clericis, in universum dixit Salvianus lib. V, pag. 117 : « Qui scilicet, inquit, post veterum flagitiorum probra et crimina titulo sibimet sanctitatis inscripto, non conversatione aliis, sed professione nomen tantum demutavere, non vitam. »

et dispergantur habitatores in diversa loca, præmiis vel suppliciis destinati. »

Non contemnendus auditor ejusdem Hieronymi Philippus in expositione sententiæ beati Job: *Antequam dies ejus impleantur peribit* (*Job* xv). Tunc dies, inquit, unicujusque impleri dicitur cum bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, sive diabolus, ante perspicuæ sententiæ diem quam ei Dominus in futuro judicio daturus est, præscitus in prædestinatione peribit, sicut et de incredulis Propheta dicit: *Non resurgent impii in judicio* (*Psal.* I); vel Dominus ait in Evangelio : *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III).

Sanctus papa Gregorius prædestinatos malos pressiore adhuc verbo insinuat (*lib.* XXXIII, *cap.* 11). « Leviathan, inquit ille, qui cum membris suis æternis est cruciatibus deputatus, et dolus in manu ejus dirigitur, et in cœlo ejus fortitudo demoratur, hoc quod temporaliter perversa contra bonos voluntate desiderat, perversiore facultate consummat, **258** ut tanto ei de adversitate in præsenti nihil obstet quando ei in posterum de prosperitate nihil remanet. » Eadem tamen prædestinatio vel deputatio, quemadmodum sit intelligenda exponens in Moralibus : « *Non quasi*, inquit, *crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo, et quis ante dedit mihi ut reddam ei?* aperte insinuat. Non eum, inquit, quasi crudelis suscito, quia de ejus fortitudine et electos meos potenter eripio, et rursum reprobos non injuste sed rationabiliter damno, id est, et eos quos benigne eligo eripere mirabiliter possum, et eos quos respuo non injuste derelinquo. » Et post aliquanta : « Miro modo, inquit, æquus omnibus Conditor et quosdam præeligit et quosdam in suis reprobis moribus juste derelinquit. » Item in Moralibus exponens (*Moral.* lib. II, cap. 5) : *Si destruxerit, nemo est qui ædificet ; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat* (*Job* XII). « Omnipotens, inquit, Deus humanum cor destruit cum relinquit, ædificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. » Item post aliquanta (*cap. eod.*) : « *Si incluserit hominem, nullus est quia aperiat.* Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei est, clausis non aperire. Unde et ad Moysen dicitur de Pharaone, ego obdurabo cor ejus. Obdurare quippe per justitiam dicitur quando cor reprobum per gratiam non emollit. »

Idem in explanatione evangelicæ sententiæ *homil.* IV, *in Evang.* : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* 10) : « Subtili, ait, occultoque judicio a quorumdam auribus prædicatio **259** sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.

A Unde necesse est, fratres charissimi, ut in omne quod agimus, omnipotentis super nos Domini consilia occulta timeamus; ne, dum mens nostra exterius fusa a sua se voluntate non revocat, intus contra eam judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens ait : *Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV). Vidit namque quod alius misericorditer vocatur, alius justitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo Dominus, alia irascendo disponit, expavit quod penetrare non potuit, et quem non solum investigabilem in quibusdam suis sententiis, sed etiam inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit. » Beda, divinis litteris impense doctus, bonos malosque prædestinatos, B exponens illud Genesis : *Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc, et visus est eis quasi ludens loqui* (*Gen.* XIX), indubitanter asseruit. « Quod ostium, inquit, Lot obcluserunt angeli, ne vel ipsum vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter insinuat quia nullum de electis Dei perditura est impietas et persecutio reproborum, dicente Domino de ovibus suis : *Et ego vitam æternam do iis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eos quisquam de manu mea* (*Joan.* X). Quod item Lot, facultate ab angelis data, nullum de civibus perfidis, ne de suis quidem cognatis sive amicis, (*a*) tamenetsi multum conatus, potuit ad salutem revocare, significat quod nullius labor hominis ad numerum prædestinatorum qui ante constitutionem C mundi **260** electi sunt a Domino, vel unam possit animam adjicere. Novit enim Deus qui sunt ejus. Verum etsi nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertinent latet, non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandum, nec ab instruendis proximis lingua est continenda; sed ad exemplum beati Lot et nobis caste vivendum, et errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Constat enim quod etsi prædestinatos ad interitum salvare nequimus, nostræ tamen benignitatis, quam erga illorum salutem impendimus, mercedem non perdimus. »

Sanctus Fulgentius, Ruspensis provinciæ Africanæ episcopus (ut scribit Joannes Romanæ Ecclesiæ diaconus), in libro ad Petrum de Regula veræ fidei, D de prædestinatis, hoc modo disserunt (*de Fide ad Petr.*, c. 35): « Firmissime tene et nullatenus dubites omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præpa-

(*a*) *Tamenetsi.* Pro *tametsi* : quam vocem, quæ jam ita exoleverat, ut prope a nemine agnosceretur, retraxit ex fuga summus et cum illis veteribus comparandus J. C. Jacobus Cujacius, ut Muretus noster ait in libro XI Var. Lect., cap. 17, ubi affert plurima testimonia, quibus probet eam esse retinendam. Ea rursum utitur Lupus col. 25 .

ratio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum. »

Item Fulgentius in libro ad Monimum (*cap.* 5.) sensum beati Augustini de prædestinatis ad interitum his verbis expressit : « Nihil aliud, inquit, accipiendum existimo in illo sancti Augustini sermone, quod ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti, neque ad malum quod Injuste admittunt, sed ad cruciatum **261** quem justissime patientur ; nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium aut non accipiunt aut amittunt, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas male parit et æquitas divina bene retribuit ; nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur parvuli, vel in quam, sicut beatus Jacobus dicit (*Jac.* I), concupiscentia sua abstracti et illecti recidunt criminosi ; sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente justissimo judice ; seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo ; sive qui in vacuum gratiam Dei recipientes, post acceptum baptismum usque in finem præsentis vitæ malunt servi esse peccati, nec volunt, dum tempus est acceptabile, et dies salutis, converti a via sua mala ut vivant, et ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducit, ipsi secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. »

Item (*a*) Joannes Ecclesiæ Romanæ diaconus prædestinatos malos sermonibus beati Augustini expressit, volens ostendere quid significet illud Genesis (*cap.* I) : *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida* : « Quid est, inquit, *arida*. In Ecclesia arida vocatur omnis anima sitiens Dominum. Segregatæ sunt enim aquæ, et apparuit arida. Mare hoc sæculum est, et aquæ quæ sunt amaræ segregatæ sunt, et congregatæ in congregatione una, id est prædestinatæ in unum finem, quo dirigit Deus omnipotens quos separat a sanctis. »

Isidorus episcopus in libro Sententiarum (*lib.* II, *c.* 6) : « Gemina est, inquit, prædestinatio, sive electorum **262** ad requiem, sive reproborum ad mortem. » Hunc tamen quidam reprehendendum putant quod geminam, hoc est, duplicem prædesti-

A nationem solus introduxerit, cum simplex Dei natura simplici, hoc est una prædestinatione secundum eos bonos malosque complexa sit. Qui si intueantur alios esse qui ad dexteram gratia statuuntur, alios qui ad sinistram justitia relinquuntur, tametsi sit, ut volunt, simplex prædestinatio, duplicem ejus non negabunt effectum, cum aliud sit debitam pœnam luere, aliud gratuitam gloriam reportare. Nec (*b*) docto viro verbi calumniam ulterius nisi contentione impudentissima commovebunt. A qua tamen ut tandem aliquando conquiescant, et docturi prius (*c*) ad doctores accedant docendi, non judicaturi ; recenseant sententiam Dei ad beatum Job : *Nunquid nosti*, inquit, *ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra?* (*Job.* XXXVIII.) et beatum Gre-

B gorium et summe doctum et mire facundum in ejus explanatione prædestinationes plurali numero posuisse invenient (*Moral.* lib. XXX, cap. 18). » Ordinem, inquit, cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas (*d*) prædestinationes videre ; rationem vero ejus in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire. »

De libero Arbitrio beatus Augustinus in libro ad Laurentium quid sentiendum his verbis ostendit. Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum poterit resuscitare cum occiderit, ita cum libero peccaret arbitrio, victore peccato amissum est et liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. **263** Petri certe apostoli est

C ista sententia : quæ cum vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam, simul et pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi eum redimat cujus illa vox est : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* (*Joan.* VIII.) Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio

(*a*) *Joannes Diaconus.* Hujus est ergo expositio in Heptateuchum. An vero auctor quoque sit Vitæ sancti Gregorii papæ, non adeo exploratum habetur.

(*b*) *Docto viro.* Isidoro.

(*c*) *Ad doctores.* Nimirum docendi, ut statim dicit Lupus. Nam *discere prius quisque debet antequam doceat ;* ut in epistola 25 scribit Hormisda pontifex Romanus. Unde et hæc Cœlestinus papa scribebat ad episcopos provinciarum Viennensis et Narbonensis : « Sciant quod sibi omnes qui male docent discere magis ac magis competat quam docere. » Julianus quoque Pomerius, haud multo post Cœlestinum, graviter conquerebatur in libro III de Vita contemplativa cap. 10 esse quosdam qui *gestiunt docere quod nesciunt.* Quod etiam dolet S. Gregorius in prologo ad librum primum Curæ pastoralis. Eamdem querelam acrius movet Hieronymus, pro more suo, in epistola ad Paulinum presbyterum :

D « Sola Scripturarum ars est, inquit, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent ante quam discant. » Quin et Bernardus quoque in hoc argumento vehemens esse videtur, dum hæc scribit in capite secundo de Vita sancti Malachiæ : *Legant hoc qui docere quæ non didicere conantur.* His nos videlicet exemplis ac documentis instruxit antiquitas ; ut intelligeremus vitandam in primis esse arrogantiam ac prius discere nos oportere quam alios docere præsumamus. Vide sanctum Gregorium in libro I de Cura pastorali cap. 1.

(*d*) *Prædestinationes.* Huic aucteritati se sufficienter respondisse ait Hincmarus in cap. 38 posterioris operis adversus Gotteschalcum, in capite secundo epilogi.

in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene? (*cap.* 31.) Nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens : *Gratia salvi facti estis per fidem* (*Ephes.* II) ; et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit ut fidelis esset misericordiam consecutum, hic quoque adjunxit atque ait, *et hoc non ex vobis, sed Dei donum est* (*I Cor.* VII), non ex operibus, ne forte quis extollatur. Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adjecit : *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II). Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus non fingit, id est format et creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratia sua facit, ut simus in Christo Jesu nova creatura, secundum quod dictum est : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L). Neque enim cor ejus, **264** quantum pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus (*cap* 22). Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi ipsa libertas, audiat eumdem gratiæ præconem dicentem : *Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philipp.* II), et alio loco : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX), cum procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo *non volentis, neque currentis*, nisi quia et ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Deo præparatur?

Item in libro de Correptione et Gratia (*cap.* 1) : « Liberum, inquit, arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati ; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio ; sed ita potius ut ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV), dicat ei et ipse : *Adjutor meus es, ne derelinquas me* (*Psal.* XXVI). » Item post multa : « Liberum, inquit, arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parvum est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono. » Item in libro de Dono perseverantiæ (*cap.* 7) : « Qui non infertur in tentationem, non discedit a Deo : non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, peccato resistere, quod tamen fuerat in homine antequam caderet. »

265 Idem auctor in memorato opere contra Julianum. » Hominis, inquit, liberum arbitrium congenitum, et omnino inamissibile, illud est quo beati esse omnes volunt, etiam ii qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. » Item post multa : « Quid sic fugit natura ut miseriam? quid sic appetit ut beatitudinem? Denique liberum arbitrium quod de hac re habemus ita nobis naturaliter insitum est ut nulla miseria nobis possit auferri, quod miseri esse nolumus, et volumus beati, usque adeo ut etiam ipsi qui male vivendo sunt miseri, male vivere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc est illud arbitrium in nostris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus (nam id humana iniquitate potuimus amittere, et gratia possumus divina recipere), sed liberum arbitrium, quo beati esse volumus, et miseri nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. » Item post pauca : « Hoc liberum arbitrium adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc est : beate vivere, bene vivendo habere possimus. » Quod reatus peccati regeneratione, hoc est, baptismate solvatur, conflictus autem ejus adhuc maneat, in eodem opere memoratus auctor expressit : « Quid litigas, inquit, de concupiscentia litigante, hoc est, de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet, et si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur ipsa concupiscentia, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. Malum ejus clarum est. Non viribus nostræ voluntatis, **266** ut putas, huic obsistimus, nisi divinitus adjuvemur. Debellandum hoc malum est, non negandum ; vincendum est, non differendum. » Item post rerum aliarum amplissimam disputationem : « Tam, inquit, malignum est hoc sæculum ut nisi exitum hinc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit. Quamvis per prævaricationem primi hominis labor posteris ejus advenerit, tamen etiam reatu prævaricationis illius quem traximus jam soluto, ut fidei exerceatur examen, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis et in ipso certamine laborare donec donetur nobis adversarium non habere. Quapropter ut boni præliatores perducantur ad præmia, supplicia vertuntur in prælia. Parvulorum quoque soluto reatu originaliter, propterea labores manent, quamvis ex ipso reatu doceantur exorti, quia etiam sic Deo placuit fidem probare majorum. A quibus enim offeruntur ut regenerentur, qualis et quanta fides esset rerum invisibilium, si visibilis remuneratio continuo sequeretur, ac non potius, dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum oculis, ac sic futurum sæculum, ubi nulli labores erunt, quod nundum videtur et crederetur sincerius et desiderabilius quæreretur ; ac per hoc Deus labores nostros, id est pœnas nostras ad utilitates nostras mirabili benignitate convertit. » Item in eodem opere ; « Quoniam post pristinam ruinam, inquit, tam gravem ut in hujus mortalitatis miseriam caderemus, prius Deus nos certare voluit, donans nobis ut ejus agamur Spiritu, et mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Jesum **267** Christum in æterna

cum illo postea pace regnemus, profecto nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis, ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipsa eorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quam viribus, quia et ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus quem rogamus. Si ergo ii quorum contra carnem jam spiritus concupiscit ad singulos actus indigent Dei gratia ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis servitute vincuntur? » Item in libro Retractationum priore : « Perfectio, inquit, boni est ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine; cui quidem, quando bene vivitur, non consentit voluntas; verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas. Cujus concupiscentiæ reatus in baptismate solvitur, sed infirmitas manet, cui, donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit studiosissime reluctatur. »

Alterum (*a*) lumen tractatorum Hieronymus in Dialogo : « Non ideo, inquit, peccavit Adam quia Deus hoc futurum noverat, sed præscivit Deus quasi Deus quod ille erat propria voluntate facturus. » Item post aliquanta : « Dominus inquit ad discipulos : *Ego sum vitis, vos rami*; *qui manet in me, et ego in eo, iste afferet fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv). Sicut rami et folia vitium illico contabescunt cum fuerint a matrice præcisa, ita omnis hominum fortitudo **268** marcessit et deperit, si a Dei auxilio deseratur. *Nemo*, inquit, *potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* vi). Quando dicit, *nemo potest venire ad me*, frangit superbientem arbitrii libertatem, quod etiamsi velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur, Pater meus cœlestis traxerit eum, ne quidquam cupiat, frustra nitatur. Simul et hoc animadvertendum quod qui trahitur, non sponte currit, sed aut retractans, aut tardus, aut invitus adducitur. Qui non potest suis viribus et labore venire ad Jesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare, et vitare in perpetuum? »

(*b*) Cœlestinus etiam papa, magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, ut tantum pontificem decuit, universos instituit. Ex ejus decretis verba hæc sunt (*cap.* 3) : « In prævaricatione, inquit, Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse clarum est, et neminem de profundo illius ruinæ posse consurgere nisi eum gratia miserentis Dei erexerit. » Item (*cap.* 6) : « Neminem etiam, inquit, baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. » Item (*cap.* 7) : quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio, hinc et Innocentium papam adhibet testem posita ejus sententia (*Innocentius in epist. ad Milevitanum concilium :* « Adverte tandem, o pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptione conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinæ libertatis **269** Christi Domini reformasset adventus. » Item Cœlestinus (*Post epist.* 3 *Cœlestini*, cap. 8), « quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo ei aliunde placet nisi ex eo quod ipse donaverit (*cap.* 9). » Item : « quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia non nisi per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. » Item (*cap.* 10) : « Quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quietem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis, sed, sine me nihil potestis facere. »

Sanctus quoque papa Gregorius, bonis omnibus Latini sermonis capacibus suæque doctrinæ pie studiosis plurimum collaturus, humani arbitrii proprietatem subtiliter ac suavitate solita homilia nona in Ezechielem expressit : « *Audivi*, inquit, *vocem sequentis, et dixit ad me : Filii hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum* (*Ezech.* ii). Ubi adhuc subditur, *et ingressus est in me Spiritus postquam locutus est*

(*a*) *Lumen tractatorum*. Sic eumdem Hieronymum Claudianus Mamertus vocat potissimum tractatorum in libro secundo de statu Animæ, cap. 9. Tractatores autem dicti, sacrarum litterarum interpretes et doctores, cujusmodi fuit Hieronymus, ut etiam docet Lupus in epistola tertia. Vocabulum hoc natum putat Sirmondus ævo Vincentii Lirinensis, ob istum locum ex Commonitorio Peregrini : *Doctores, qui tractatores nunc appellantur*. Tamen ante Vincentium tractandi verbo usi erant Tertullianus et Cyprianus, pro eo quod nos dicimus *docere*. Tertullianus enim in capite secundo libri de Resurrectione carnis, conquerens de versutia hæreticorum, qui semper obscuris falsa involvunt, ne intelligantur, neve latus aperiant defensoribus veræ fidei, ait : « Hæretici, ex conscientia infirmitatis, nunquam ordinarie tractant. » Cyprianus vero in epistola 52, ad Antonianum, tractandi vocem manifeste usurpavit pro eo quod vulgo *docere* dicimus. Ait enim : « Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis. » Et iterum in epistola 56 : « Nec quisquam, fratres dilectissimi, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis et spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes episcopos audiat. » Vide Juretum in notis ad epistolam septimam Ivonis Carnotensis.

(*b*) *Cœlestinus papa*. Hinc patet existimasse Lupum Cœlestini esse excerpta illa de Gratia Dei et libero hominis arbitrio. Sed et illud affirmare possum, in ea quoque sententia fuisse magnum virum, Petrum de Marca archiepiscopum Parisiensem.

mihi, et statuit me super pedes meos. Ecce divina vox jacenti prophetæ jussit ut surgeret. Sed surgere omnino non potest, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset, quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet. Sic **270** Paulus cum discipulos admoneret dicens : *Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Philip.* II), illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur adjunxit dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Sed in his considerandum est quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est quod mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra et omnipotentis Dei sunt et nostra : quia ipse aspirando (*a*) nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ voluimus. Præveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum : quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens : *Plus illis omnibus laboravi* (*I Cor.* XV) : qui ne suæ videretur virtuti tribuisse, adjunxit; *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim cœlesti dono præventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens : *Non autem ego;* sed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit ; *Sed gratia Dei mecum;* ac si diceret : In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In eo autem quod solo Domini dono præventus sum, non ego; in eo enim quod donum voluntate subsecutus sum, et ego. » Pro quibus effusus sit et quos redemerit sanguis Domini **271** sanctus Augustinus in libro ad Laurentium his verbis declarat (*In Enchiridio*, cap, 61) : « Hæc quæ in sanctis angelis et virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet cum ei conjuncti fuerimus in finem ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero quæ ab illa peregrinatur in terris eo nobis est notior quo in illa sumus, et quia hominum est, quod et nos sumus. Hæc sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato. Ejus vox est : *Si Deus pro nobis,*

A *quis contra nos? qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII).» In Ecclesia enim, quæ sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato, intelligit esse omnes qui apostolico testimonio comprehenduntur, quod est *pro nobis omnibus tradidit eum.*

Item idem auctor in opere memorato contra Julianum : « Redimuntur, inquit, quicunque redimuntur ab eo qui venit quærere quod perierat; qui et antequam veniret in carne, per ipsam fidem redemit, qua credebatur esse venturus. Redimuntur autem in libertatem beatitudinis sempiternam, ubi peccato jam servire non possint. » Et manifestissime explanans populi sancti Evangelii locum secun-

B dum Joannem : *Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis* (*Joan.* X) : « Quomodo, ait, istis dixit, *non estis ex ovibus meis?* quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. »

Item ad Pollentium libro priore : « Sicut omnis, inquit, qui Christi sanguine redemptus est homo est, non tamen omnis qui homo est etiam sanguine Christi redemptus est, ita omne quod licet **272** non expedit, nec tamen omne quod non expedit etiam non licet. » Beatus quoque Hieronymus Commentario in Matthæum se idem sentire manifestat his verbis : « Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX). » Nota quod crebro diximus eum qui ministret filium appellare hominis *et dare animam suam redemptionem pro multis,*

C quando (*b*) formam servi accepit ut pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed *pro multis*, id est pro his qui credere voluerint. Quod cautissime doctor celeberrimus vidit de qualibuscunque fidelibus intelligendum, propter illud : *Peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est,* propter illud etiam : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*I Cor.* III). Necnon et propter illud : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est?* (*Hebr.* X.) Et quæcunque similia scrutatores pii valent in divinis eloquiis invenire. Sensum Hieronymi Beda in explanatione Marci verbis

D ipsius ponit : « Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret. Nota, inquit, quod crebro diximus eum qui ministraret filium

(*a*) *Nos prævenit.* Epist. 4 : « Siquidem sua nos Deus gratia, ut velle ac posse aliquid boni queamus, et prævenit et subsequitur. »

(*b*) *Formam servi.* Hæc verba, (inquit Rigaltius in libro de Pulchritudine corporis Christi, pene significant Christum non habuisse formam imperio digeam. Sed locum hunc alio traxit Petrus Claræval-lensis anno 1353. Scribens enim longissimam epistolam, sub nomine Jesu Christi, ad Innocentium VI papam et curiam Romanam, ipsum Christum sic loquentem inducit in capite 18 : « Exsecutionem autem [illegible] temporalium non faciliter volumus admittere, vobis dantes exemplum ut nostra sectemini vestigia : qui cum in forma Dei essemus, non rapinam arbitrati sumus, sed nosmetipsos exinanivimus, formam assumentes servi. Quid igitur exsecutionem immediatam in regnis temporalibus affectatis? Hæc affectio ex ambitione procedit. Hanc potius ex humilitatis virtute debetis exemplo nostri cordialiter aspernari. Hi enim honores et divitiæ transeunt sicut umbra. » Ex vetustissimo codice nostro ms., unde fortassis ea epistola brevi prodibit in lucem. Exstat nunc in Bibliotheca olim Regia.

appellari hominis *et dare animam suam redemptionem pro multis*, quando formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed *pro multis*, id est, pro his qui credere voluerint. » Item Hieronymus edisserens illud psalmi (XLIII) : *Vendidisti populum tuum sine pretio* : « Usque nunc, inquit, de se locuti **273** sunt martyres, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus dictum est : *In peccatis vestris venditi estis* ; et ideo *sine pretio*, quia non est effusus Agni sanguis pro eis. »

Sanctus Gregorius papa in Moralibus (*Lib.* IV, *c.* 11), exponens locum illum, *non computetur in diebus anni* (*Job* XIII), eumdem sensum asserit his verbis. « Annum prædicationem supernæ gratiæ non inconvenienter accipimus : quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum : quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. »

Nec mirandum duo clarissima lumina doctorum, beatum Augustinum et Hieronymum, et post illos Gregorium et Bedam, in hoc sensu inveniri, cum eorum doctrina ex evangelica pendeat auctoritate. In qua quidem apud (*a*) Matthæum sic invenitur : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Apud Marcum autem : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis fundetur* (*Marc.* XIV). Apud Lucam vero : *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Unde concordantes Lucæ, cum rem divinam agimus, in prece, hic est calix sanguinis mei Novi et æterni Testamenti mysterium fidei *qui pro vobis*, concinentes autem Matthæo et Marco addimus, *pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (*b*) Joannes tamen Constantinopolitanus episcopus explanans locum illum Epistolæ ad Hebræos (*Hebr.* II), qualiter gratia Dei pro **274** omnibus gustaverit mortem : « Non pro fidelibus tantum, inquit, sed pro mundo universo, et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. » Verum hanc intelligentiam divinis non roboravit eloquiis. (*c*) Faustus etiam quidam, ex abbate Lerinensi Regensis Galliæ episcopus, de his rebus, hoc est de prædestinatione et libero arbitrio et sanguinis Christi redemptione, longe diversa superioribus præcellentissimis auctoribus scripsit. Sed intelligentius inspecta divinorum eloquiorum integritas errandi occasionem penitus abstulit, et reverentissimus papa Gelasius cum septuaginta episcopis viris eruditissimis statuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini et amplissimas laudes Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit : *Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha.* Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, et (*d*) apostolicæ sedis gravitatem suscipientes, quid aliud dicamus nisi : Taceat Faustus et similiter sentientes ; loquantur cum suis consortibus Hieronymus et Augustinus. Scilicet illius proverbii recordantes : *Conticescant ranæ dum cœlum tonat.* Atque ut hunc nostrum laborem fructuosum cæteris relinquamus illud semper memoria tenendum de reprobis monemus : *Qui elongant se a te, peribunt ;* de electis vero : *In omni gente qui timet Deum, et facit voluntatem ejus, acceptus est illi.* Et ut ab illis Dei gratia separati, istis eadem Dei gratia sociemur, assiduis precibus communiter implorandum. Nam qui parvulis regeneratis, moxque vita excedentibus, ineffabili pietate beatitudinem largitur, etiam eorum saluti benigne prospexit quibus perfecte in se sperare donavit.

(*a*) *Apud Matthæum.* Hæc trium evangelistarum loca refert etiam in epistola 127.

(*b*) *Joannes Cp.* Cognomento Chrysostomus. Eumdem porro locum laudat Lupus in epistola 128, et in libro de tribus Quæstionibus, pag. 244.

(*c*) *Faustus.* Vide notas ad epistolam 112.

(*d*) *Apostolicæ sedis.* Id est, Romanæ. Quamvis enim omnes sedes episcopales dicerentur olim apostolicæ, Romana tamen speciali quodam modo dicta est apostolica, quod illam Petrus et Paulus, apostolorum videlicet principes, constituerint, et apud Romam Christi martyrio fuerint consecrati, ut diximus ad Vincentium Lirinensem. Quanta autem olim esset apostolicarum sedium dignitas et auctoritas pluribus, Deo dante, dicemus Ad Agobardum. (*Vide Patrol. tom.* CIV.)

275 (a) VITA SANCTI MAXIMINI

EPISCOPI TREVIRENSIS

AUCTORE SANCTO LUPO

Lupus Waldoni suo salutem

Amicos honestis certare officiis, seque invicem velle sinceris prævenire obsequiis, inter præcipua humanæ vitæ negotia non immerito deputatur. Quip-

(*a*) Hanc Sancti Maximini, Trevirensis episcopi, Vitam primus *omnium* edidit Surius. Assentior autem eruditissimo viro Joanni Gerardo Vossio, *qui* Lupum abbatem Ferrariensem Vitæ istius auctorem esse putat. Valdonem autem, cui eam inscribit Lupus, haud alium esse reor quam Valdonem abba-

pe nostra imbecillitas, mutuis freta subsidiis, cooperante divina gratia,nec lætis inaniter extollitur; et par effecta tristibus, ab eis haudquaquam facile superatur.Hujus tantæ rei subtilis consideratio me tibi, Waldo charissime, suasit morigerari, et quod jam inde ab initio nostræ cognitionis magnopere flagitasti ne tibi negarem effecit,scilicet ut Vitam beati Maximini meo stylo elucubrarem,et res quæ ad nos usque qualibuscunque litteris decurrerunt,accuratiori sermone convenienti restituerem dignitati.Huc accessit quod memoratum virum clementi apud Deum intercessione mihi plurimum confido profuturum, si ejus actus quanta possum diligentia celebrans,proponam nescientibus imitandos. Verum in hoc opere illud me admodum coarctat quod multis quæ dum adhuc viveret **276** egit,ut palam est, silentio suppressis, vix parva gestorum illius monimenta exstant,et in his ipsis quædam (*a*) fabulosis inveniuntur similia. Quo fit ut amplissimi viri opinatissimæ majestati angusta scribendi materia parum respondere videatur. Omissis itaque his quæ fidem cæteris poterant derogare, non ingenii mei, verum divinæ gratiæ fiducia, digna duntaxat memoratu hinc narrare aggrediar.

CAPUT PRIMUM.

Maximinus,urbis Aquitanicæ (*b*) Pictavorum indigena, (*c*) clarissimis est ortus natalibus. Siquidem antiquam prosapiam,a majoribus (*d*) senatorii ordinis deductam,ejus parentes sortiti,Maxentium atque hunc Maximinum felici auspicio procrearunt : qui nobiliter educati, sacris pariter litteris instruebantur, futuri quandoque Christiani dogmatis egregii defensores. Sed processu temporis Pictavorum Ecclesia Maxentium sibi vindicavit pontificem;eamque idem postea florentissime gubernavit.Maximinus autem,divino instinctu genitale solum relinquens,atque in Belgicam Galliam commigrans,in Treverorum

tem in Germania,cujus mentio exstat in Annalibus Fuldensibus ad annum 861.Probabile enim est eum Lupo notum fuisse,quo tempore is studiorum causa degebat in Germania.

(*a*) *Fabulosis.* Ergo jam tum constabat sanctorum Acta multis ac prodigiosis fabulis esse conspurcata, semperque in hoc orbe fuisse nonnullos quibus nihil placere potest absque portentis fabularum.Atque id ex eo factum est,quod existimarent inepti homines eam esse unicam sanctitatis notam,si quis miracula omnem fidem superantia patravisse ostenderetur; cum econtra Agobardus notet imperiti popelli opinionem; qui ex miraculis tantum æstimat vitam sacerdotum,eumque justum non esse credit cujus preces pro publicis commodis effusæ non fuerint exauditæ a Deo,cum potius id populi ipsius pravis moribus et gravibus in Deum offensionibus veniat imputandum.Nam si miracula attendimus,« etiam Judæ ficto discipulo,et vero proditori, magnam virtutum gratiam » fuisse collatam adnotat idem Agobardus, et « oblata Deo per sacerdotes reprehensibilis vitæ, ita accepta,ut etiam infirmitates corporum curarent; qui fortasse cum aliis reprobis dicturi sunt Deo : *Domine, Domine, in nomine tuo dæmonia ejecimus,et virtutes multas fecimus.*« Tum de Cræso rege,Vespasiano et Adriano imperatoribus,aliisque multis minime Christianis prodigia quædam narrantur,velut evenerint. Et ne ipsis quidem hæreticis negatam fuisse miraculorum gratiam testantur eorum historiæ,si vera est fides. Itaque ex eo quod quidam in nomine Domini corporum infirmitates curaverint ac miraculis inclaruerint, non statim sequitur viros esse sanctos, nisi cætera sint paria. Certe olim miracula data sunt ad tempus incredulis. Postea vero confirmata Christi fide ad omnes ubique gentes,miracula passim ad quamlibet occasionem patrari opus non fuit, præsertim prodigiosa illa et anilia quibus pleni sunt libri quorumdam scriptorum sequioris ætatis.Vitandas porro esse historico sano fictas illas narrationes censebat Lupus; neque tamen vitavit. Tot enim fabulas insignes huic libro addidit,ut mirum valde sit virum eruditum in tam manifestos scopulos impegisse.Nisi sit, ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate historici crediderit, ita vulgatis traditisque demere fidem ausus non est,exemplo Taciti.Ego sic existimo, sanctos esse in cœlo et illic regnare cum Deo. Sed profecto multa in quibusdam historiis scripta sunt de quorum fide merito plurimum dubitatur apud homines eruditos. Quapropter maximam laudem mereri mihi videntur ii qui germana sanctorum Acta edunt,nullis fabulatorum deliriis commaculata. In his enim spirat antiquus Christianismus,purus, sanctus, innocens, ac Deo magis appropinquans. Hinc magis excitamur ad veram pietatem quam ex fictis illis narrationibus. Utinamque exstarent Acta martyrum quæ se collegisse testatur Eusebius lib. IV, cap. 15, Historiæ ecclesiasticæ! Neque tamen hæc quæ supra dicta sunt ita accipi velim ac si miraculis detraherem, iis nimirum quæ a probatissimis auctoribus referuntur; absit enim; sed ut quorumdam stultitiam notarem, quibus prodigiosa illa portenta magis placent quam aperta et simplicia sanctitatis argumenta. Neque negaverim etiam in fine temporum patrari miracula ad preces sanctorum. Vivit enim adhuc Christus,et inter nos est, tametsi vultum suum subtraxerit visibus hominum.Promisit enim futurum se nobiscum usque ad consummationem sæculi.

(*b*) *Pictavorum indigena.* Dicere videtur Lupus Maximinum ex ipsa Pictavorum urbe fuisse ortum.Attamen vir illustrissimus Henricus Ludovicus Castanæus *de la Rocheposay*, episcopus Pictaviensis, admonet eum non in ipsa urbe, sed in vico Sigiliaco ortum esse.Hæc sunt ejus verba in notis ad Litanias Pictonicas : « Obtinet tamen annosa apud populares nostros fama, Maximinum Sigiliaci in conspectu Lodunensis urbis natum esse; quod Lupum,virum fortasse exoticum,latuit; ideoque primariæ regionis civitate sancti hujusce præsulis cunabula ascripsit. Sigiliacum autem vulgo *Sillé*, seu *Montersillé*, dicitur; ubi parochialis ecclesia sancti Maximini titulo nobilitatur. »

(*c*) *Clariss. natalibus.* Vulgatus est hic scriptorum affectus; qui sanctis quorum vitam describunt nobilissimos semper natales assignant; sic haud dubie existimantes pulchriorem esse virtutem quæ cum nobilitate generis conjuncta est. Et tamen, ut ait Paulinus in epistola ad Selantiam : « Nescit religio nostras personas accipere,nec conditiones hominum,sed animos inspicit singulorum. Servum et nobilem de moribus pronuntiat.Summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus. » Miror vero neminem hactenus fuisse repertum qui sanctum Petrum proderet ex nobili et antiqua familia ortum. Magnificum enim videri poterat, si magna nobilitas in eo ostendertur qui sedem suam locaverat in urbe gentium domina.

(*d*) *Senatorii ordinis.* Erant enim in Gallia, præcipueque in Aquitania, nobilissimæ quædam familiæ, quæ cum a senatoribus Romanis originem haud dubie ducerent,senatoriæ dicebantur.In universum autem æstimanti, affirmare licet illustres familias his vocabulis intelligi.

urbe substitit, et spectati præsulis (*a*) Agritii magisterio se informandum submisit; in quo tanta ubertas gratiæ spiritualis eminebat, ut (*b*) apicem dignitatis titulo sanctitatis ornaret: cujus rei fama cum et alios diversis ex partibus, tum etiam hunc Maximinum accierat. Ergo ad notitiam tanti viri deductus, et ecclesiasticis moribus aliquandiu diligenter assuefactus, clericatus honore donatus est. Cumque augmenta virtutum illi pararent incrementa consequentium dignitatum, **277** Quiriacus quidam, mira sanctitate præditus, beati Eucharii ecclesiam nocturno tempore oratum de more ingressus, obversantem sibi angelum, non per quietem, sed vigilando intueri promeruit, ejusque vocem corporeis hausit auribus præcipientis ut Maximinum ex divina jussione redderet certiorem quod, Agritio episcopo ad superna gaudia intromisso, mox esset ipse pastorale ministerium subiturus. Id Quiriacus propere dum complevisset, B. Maximinus huic oneri modis omnibus se imparem fatebatur. Ita quem jam secretorum inspector probaverat, fragilitatis propriæ rigidus æstimator de se vilia sentiebat. (*c*) Hoc utinam homines nunc et intueri vellent et imitari! Profecto nunquam ecclesiasticos honores, qui (*d*) sanctis et eruditis tantummodo competunt, corruptelis vitiorum obnoxii,

A oraculorumque cœlestium nescii, pecunia mercatum irent, humerisque suis velut gravem seque oppressuram sarcinam nolentes ac reclamantes nequaquam prorsus imponerent. Verum ut ab his quo paululum deflexit nostra revocetur oratio, quod semel beatum Maximinum divinitatis immutabile consilium populo suo præficiendum decreverat. Agritio per ministerium revelatur angelicum, ut sibi eum (*e*) instituat successorem. Qui absque retractatione divino parens imperio, suis benedictionibus confirmatum, post se futurum designat pontificem. Nec multo post Agritius quidem momentaneam mortem sempiternæ vitæ felicitate mutavit, et in confessorum cœtum gloriosissimum commigravit, Idibus Januarii.

CAPUT II.

B Sanctus autem Maximinus cum consensu sacrorum **278** ordinum totiusque plebis adnisu a vicinis episcopis pontificali est excellentia sublimatus. Jam vero quam strenue sit eo functus officio summi auctoris Hieronymi testimonio, qui aut contemporalis ei, tametsi puer, fuit, aut proxime illius ætatem accessit, licet agnoscere. Namque his in præclare Chronicæ opere, cum a secundo anno Constantini, Constantii atque Constantis Augustorum, Arianam impietatem

(*a*) *Agritii.* Trevirorum episcopi, qui concilio Arelatensi interfuit anno 814.

(*b*) *Apicem dignitatis.* Quia nimirum episcopatus est eminentissimæ dignitatis apex, ut ad epistolam 125 dictum est. Præterea Agritius erat metropolitanus, adeoque apicem episcopatus peculiari titulo habebat. Unde in epistola Floriani ad Nicetium Trevirensem archiepiscopum. Nicetius dicitur locatus *in vertice pontificali*. Et Fortunatus lib. III, cap. 11, eumdem Nicetium ob hoc ipsum vocat apicem fidei pontificumque caput; eumque summum pastorem vocans, apostolico ovili præcellere ait; et cap. 13 Magnericum, Nicetii sucessorem, vocat patrem patrum. Quod autem hic et pagina 453 diximus episcopatus apicem in unoquoque episcopo esse constitutum, nihil præjudicamus adversus primatum Summi Pontificis divinitus institutum. Hic enim peculiari quodam modo tenet apicem pontificatus.

(*c*) *Hoc utinam.* Paranesis est ad eos qui ætate Lupi ambiebant episcopatum. His proponit exemplum Maximini, qui se imparem esse aiebat tanto oneri. Insignis est locus Sulpitii Severi mores sui sæculi pariter deplorantis. « Qua tempestate, inquit Severus in libro secundo Sacræ Historiæ, omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur; multoque avidus tum martyria gloriosis mortibus querebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. » Sanctus papa Gregorius in libro I de Cura pastorali, cap. 8: « Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. » Infra: « Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc, bonis operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. » Ætas Lupi addiderat avaritiam ambitioni. Ea enim fuit Lupinorum temporum calamitas, ut sacerdotia passim pretio constarent, illeque cæteris vulgo præferretur, cui major pecunia erat in numerato, non qui majoribus studiis juvabatur et meritis. Vide Alcuinum in Confessione fidei, lib. III, cap. 36, et Joannem Saresberiensem, lib. VII Policratici, cap. 20.

(*d*) *Sanctis et eruditis.* Quia nimirum oportet ut ii qui populum Christianum susceperunt pascendum sancti sint et docti, ut ex exemplo suo eum instruant et prædicatione. Vide notas ad epistolam 97.

(*e*) *Instituat successorem.* Falsa est ista narratio, et miror Lupum id ex fabula retinere voluisse. Nisi C si vir morum sui sæculi peritissimus, in antiqua historia parum versatus erat. Olim enim nemini licebat sibi eligere successorem. Concilium Antiochenum can. 23: « Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujuscemodi est constitutum. » Exstat tamen exemplum in contrarium apud Eusebium in libro XII Hist. eccles., cap. 22, de Anatolio, quem Theotecnus Cæsareæ Palestinæ episcopus episcopum ordinatum successorem Ecclesiæ suæ despondit, amboque aliquantisper eamdem Ecclesiam simul gubernarunt. Recte autem adnotat vir eruditissimus Henricus Valesius, qui longam Eusebio juventutem nuper restituit, hoc esse unum e vetustissimis exemplis coadjutorum, ut nunc vocant, episcoporum: « Qui cum. inquit ab sublevandam episcoporum senectutem instituti primum fuissent, re postea in consuetudinem versa, nulla necessitate id exigente, D per gratiam et ambitionem creari cœpere, cui malo, ne longius serperet, remedium attulere Patres concilii Sardicensis. » At Marca in libro de singulari primatu Petri, dum adnotat Petrum et Paulum simul rexisse Ecclesiam Romanam, quamvis non ex æquo, ait eam ante Nicænum concilium fuisse in ecclesia disciplinam ut fas esset duos episcopos uni Ecclesiæ præesse. Longe diversum est istud a narratione Lupi. Neque enim ad Maximinum ordinari jussum ut Agritii senectutem sublevaret, sed ut successor esset defuncti: quod repugnat moribus veterum temporum. « Habet equidem sanctorum Patrum institutio, » inquit in epistola 44 Petrus Blesensis, « ut episcopis infirmis et senibus coadjutor addatur. Nam et Valerio Hipponensi episcopo adjunctus est Augustinus. »

præfati Constantii regis fultam præsidio, persecutam exsiliis, carceribus,et variis afflictionum modis primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis episcopos declarasset, paucis interjectis, sexti anni, si quæ forte fuissent, res memorabiles notaturus, *Maximinus*, inquit, *Treverorum episcopus clarus habebatur.*

CAPUT III.

Hic si quis inspiciat insaniam Ariani principis tum quam maxime efferbuisse facile intelligit persecutionibus, quæ vulgo veris importabantur præsulibus, sanctum quoque Maximinum alacriter participatum, ac violatæ fidei non declinasse modo contagia, sed etiam assertorum ejus perversis ac violentis molitionibus obviasse.Nec adeo fuerat operosum eas celeriter penitusque subvertere, nisi merito exsecrabilis impietatis miserabiliter excæcati illius nefarii sceleris vel inventores vel defensores lumen rationis nequaquam admittere consensissent. Nam quis unquam, quæso, de consubstantialitate Patris et Filii vel per quietem sit ausus dubitare, nisi qui illam evidentissimam Dei sententiam surda præterierit aure : *Ego et Pater unum sumus?* (*Joan.* x.) *Unum* enim dixit, tantum se profecto volens **279** intelligi quantus Pater esse cognoscitur. Scilicet mysterium baptismatis in nomine Patris et suo ac Sancti Spiritus non aliter tradi jussisset fidelibus,nisi æque ut Patri sanctoque Spiritui, sibi quoque voluisset deferri.Verum quis illos ferret non minus stultos quam impios ?Denique cum ipse Filius dicat,*Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (*Joan.* v), in tantam imperitissimi homines proruperant audaciam ut minorem Patre Filium esse contenderent.Hi callidis argumentorum commentis sua nitebantur astruere. Contra per Athanasium, atque Maximinum cæterosque propugnatores ac duces clarissimos apostolicæ doctrinæ semper superabat auctoritas. Laboriose mendacium exquisitis ornabatur sententiis. Per se satis decora,simplex veritas eminebat. Postremo potestas humana fortissimis bellatoribus turbulentum minaxque bellum conflaverat. Divina majestas animum, vires, arma, quibus illi vincerent ministrabat.

CAPUT IV.

Ex his quæ præmisimus beati Hieronymi verbis, etsi pauca sint, tamen satis Maximini sanctitas poterit æstimari.Sed eis ille non contentus rem intulit maximis meo judicio laudibus prosequendam.*A quo*, inquit, (*a*) haud dubium quin Maximino,*Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus, cum a Constantio quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus est.* O virum beatissimum,summisque principibus Ecclesiæ merito coæquandum, qui regiæ potestatis injustum spreverit impetum, et cum periculo, si non vitæ, certe dignitatis, amplexus sit custodiam mandatæ divinitus charitatis. Fac enim **280** imperatorem furiata mente proditionis præmia proponentem, si opinari potuisset fore aliquem qui, cum valeret,non solum Athanasium minime proderet,sed etiam studiose celaret, quas proscriptiones, quæ exsilia,quæ tormenta minaturus fuisset,deprehensoque postmodum illaturus ; et liquido apparebit quantum pondus justitiæ tribui debeat huic S.Maximini constantiæ. Profecto fiducia ex divinis eloquiis concepta docuit quatenus sit sæcularibus potestatibus obsequendum.Neque enim ipse Deus justa præcipientes contemnendi hominibus aut quemquam imperatores injusta jubentes audiendi potestatem fecit.Nam etsi præscripsit ut Cæsari quæ sunt Cæsaris et Deo quæ sunt Dei reddamus (*Matth.* XXIX), quod tamen id citra violationem suorum fieri voluerit mandatorum Apostolus declaravit,qui dicturus *Regem honorificate, Deum timete* (*I Petr.*II),præmittendum curavit. Sed o nostri temporis mores degeneres !Omnes pene jam nervi pristini roboris conciderunt.Levibus terroribus fracta cessit constantia. Pluris pecunia quam justitia, æstimatur. Quis jam imperatoribus divinorum præceptorum reserare salutarem severitatem non reformidet ? Quis eis sua pericula zelo divini timoris accensus absque fuco adulationis aperiat ? Ego plane non sum dubius, aut neminem,aut rarum nunc esse, qui si quemlibet, ut quondam magnus fecit Athanasius, iniquos motus imperatorum fuga declinantem videret, ei, ut Maximinus, gremium charitatis,Deo fisus, aperiret ;imo (*b*) latebram præstare vel remotissimus quisque refugeret; ne, dum alium tegere moliretur, semetipsum laqueis calamitatis exponeret. At Maximinus in celeberrima **281** eademque tunc (*c*) regia civitate fortissimum excipiens Confessorem,dum ejus ingenue communicavit periculo, participium sibi peperit gloriæ sempiternæ.

(*a*) *Haud dubium quin Maximino.* Familiaris Lupo loquendi modus, ut diximus ad pag. 223.

(*b*) *Latebram præstare.* Hic Lupum reprehendit illustrissimus cardinalis Baronius quod existimaverit tunc ad Treviros accessisse Athanasium cum fuga lapsus a Constantio imp.Constantini filio expeteretur ad pœnas. Jurene, an injuria,eum Baronius redarguat, non est mei similium pronuntiare. Illud tantum monuerim, locum Hieronymi paulo ante prolatum videri facere pro sententia Lupi.Cæterum Hilarius validum hinc telum adversus hostes Athanasii sumit quod ei communio reddita fuerit a Maximino, utpote qui, præter proprias virtutes, in excellentissima Trevirorum urbe episcopus erat Sic enim ait in fragmentis: « Sed ignorasse vos negabitis Athanasio, cujus damnationem a vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino. Julio redditam communionem.» E diverso Sulpitius Severus hinc quoque Priscillianum ejusque socios in culpa fuisse ait quod Damasum episcopum Romanum et Ambrosium Mediolanensem, « quorum ea tempestate summa auctoritas erat, » sibi adversantes habuerint.

(*c*) *Regia civitate.* Id est Trevirensi, cujus magna tum dignitas erat ob sedem præfecti prætorio Galliarum illic a Constantini Magno constitutam. Itaque Lupus non tam respexit ad ætatem Maximini quam ad sequentia tempora Treverim enim regiam civitatem postea fecit Maximus imperator circa annum 383, ut scribit Gregorius Turonensis lib. I, Hist., cap. 38.

CAPUT V.

Quanto autem studio pro conservanda integritate fidei excubaret, alias etiam demonstravit, cum (*a*) Agrippinæ synodali evocato conventu, Euphratam episcopum, hæretica pravitate corruptum, cum his, qui frequentes convenerant, pontificibus gradu movit, ecclesiastica usus censura. Is enim insanis accedens hæreticis, Jesum Christum non esse verum Dei Filium prædicabat. Nec miraculorum gratia defuit sancto Maximino : quibus editis, suæ prædicationis fidem tardioribus faciebat. Siquidem et cæcis lucem infundebat optatam, et paralyticorum solutos artus in pristinum reformabat vigorem, et eos qui dæmonum pervasione humanam mentem exuerant, fœdo prorsus dominio liberabat. Quod si cui incredibile videatur, ex his quæ multa ad ejus memoriam hactenus fiunt, poterit confirmari.

CAPUT VI.

Erat ei solemnis consuetudo sanctorum lustrare memorias eorumque opem summissis precibus flagitare. Cujus rei gratia cum Romam tenderet, opinatissimum confessorem Martinum convenit; junctique (*b*) summi pontifices, divinis rebus intenti, laborem itineris non ut alii sentiebant. Illis itaque in ulteriora progredientibus, (*c*) forte asellum, qui sarcinas beatorum ferebat, ursus offendit, eumque protinus devoravit. Hic Maximinus in nomine **282** Domini feræ dicitur imperasse ut quia jumentum non abegerat, sed consumpserat, ipsa jumenti onus assumeret. Mira res valde est, illam e vestigio successisse oneri, et quoad reversi ad locum qui Ursaria villa dicitur devenirent, subvectioni mansuetissime famulatam, ibi denique a sancto viro pristinam vagandi potestatem recepisse; prius tamen licentia quemquam lædendi erepta. Verum quia, ut pravi sibimet sunt graves, ita boni suo semper delectantur consortio, sanctus Maximinus beatum Martinum Treverorum urbem secum coegit invisere, suoque populo duplicata benedictionis revexit commercia. Ibi Martinus spiritualem sibi filium Lubentium Maximino erudiendum commisit; cujus ille parens voluntati, et cum sacris instituit litteris, et imposito gradu presbyterii, in vico cui Cubrino vocabulum est præfecit. Ipse autem, pie memor propinquorum, patriam repetivit; suorumque usus contubernio, non multo post ibi vita excessit, sanctorumque laborum suorum fructum cumulata mercede a Domino est consecutus.

CAPUT VII.

Succedens in episcopatu (*d*) Paulinus, qui fidei suæ veritatem exsilii perpessione firmavit, communicato cum clero et populo Treverorum consilio, sanctum Maximinum ab Aquitania, ubi situs fuerat, revehendum constituit. Itaque facto agmine clerus populusque Aquitaniam versum tendentes, emensis prolixis viarum spatiis, tandem haud longe a loco ubi ille claudebatur thesaurus admodum fatigati substiterunt. Ibi cæteris corpora curantibus, quidam seniorum prostratus humo Domino **283** supplicabat ut

(*a*) *Agrippinæ.* Intelligit concilium Agrippinense, quod habitum volunt anno 346, adversus Euphratam Coloniæ illius episcopum Christi divinitatem negantem : quam synodum non haberemus absque Surio. Dubitare porro visus est cardinalis Baronius de concilii istius auctoritate, eo quod anno sequenti Euphratas, quem in ista synodo depositum Acta produnt, interfuisse reperiatur synodo Sardicensi.

(*b*) *Summi pontifices.* Maximinus nimirum Trevirensis, et Martinus Turonensis. Quid ais, Lupe? Martinum episcopum Romam profectum cum Maximino Trevirensi? Atqui Maximinus multis ante annis vacuam sedem fecerat, quam Martinus ad episcopatum perveniret, et diu antequam idem Martinus apud Hilarium episcopum Pictaviensem esset; quod illi fuit initium claritudinis. Ea tamen fabula scripta reperitur etiam in Vita sancti Mansueti, Leucorum apostoli, quam vir illustrissimus Franciscus Bosquetus, episcopus Monspeliensis, edidit in parte II Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ, pag. 35.

(*c*) *Forte asellum.* Pax, vir eruditissime. Sumptum istud ex poeticis illis figmentis quibus conspurcatam fuisse ait Historiam sancti Maximini.

(*d*) *Paulinus.* Hic est celebris ille Paulinus Treverorum episcopus, qui, ut in Fragmentis ait Hilarius, « indignus Ecclesia ab episcopis, dignus exsilio a rege est judicatus. » Actum id in concilio Arelatensi anno 353, ut ex hoc Hilarii loco constat, itemque ex Sulpitio Severo in libro secundo Sacræ Historiæ. Congregata fuerat isthæc synodus ut pax inter partes, Arianos nimirum et catholicos revocaretur; vel, si id obtineri non potest, hi qui damnationi Athanasii subscribere recusarent, velut quædam catholicæ fidei contagia pellerentur. Jam enim damnatus fuerat Athanasius in synodo Antiocheno, quæ legitima censebatur. Postulabant episcopi Ecclesiæ catholicæ, « ut prius quam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset; » ut scribit Severus. Alioqui enim timendum erat ne doli mali exceptio objiceretur inimicis Athanasii, si adeo pervicaciter urgerent illius damnationem, ut de solo Athanasio agi videretur in hac causa, non autem de doctrina ejus. Quam exceptionem, ne quis eam me comminisci putet, postea nostris ingesserunt Orientales in epistola scripta ad legatos synodi Ariminensis, quæ edita est in Fragmentis Hilarii; in qua sic loquuntur de Aetio hæretico : « Dolus autem hic præparatur, ut Aetius auctor hujus hæresis ipse potius quam hæc impie dicta damnentur, magisque in hominem quam in doctrinam sententia lata esse videatur. » Subdit Severus : « Seu Valens, sociique ejus, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paulinus. » Quod non ita intelligendum est ac si judicio synodi Paulinus in exsilium actus esset. Revocanda sunt hæc Sulpitii Severi verba ad sententiam verborum Hilarii, ut scilicet intelligamus tum demum Paulinum ab imperatore Constantio pulsum esse, postquam episcoporum judicio damnatus fuerat. Expulso enim a civitate, quæ pœna sæcularis est, pertinet ad principes, non autem ad episcopos. Verum non adeo prompta futura erat exsecutio sententiæ synodalis, nisi principalis auctoritas vim ecclesiasticæ constitutioni addidisset. Consensum enim principis visum fuisse quandoque necessarium ad hoc, ut valida esset depositio episcopi, ostendit exemplum episcopi Augustani. Hunc enim Theodoricus Italiæ rex *honori pristino restituit*, ita ut *jus haberet episcopatus omne quod habuit*, ut est apud Cassiodorum lib. I Var., epist. 9, Sic Lotharius imp. in causa Ebbonis Rhemensis, apud Flodoardum.

illius exoptabilis loci, quem ipse cum sociis penitus ignoraret, aliquod mererentur indicium. Vix orationis verba finierat, cum puer gregem ovium sequens, nomine beati Maximini (*a*) jurative assumpto, ovem, si quo ipse nollet, accederet, ictu repellendam minatus est. Hic senior stupefactus, ubinam, quem nominasset, Maximinus requiesceret, percontatur. Atque puer vicissim quisnam esset qui tam clari viri memoriam nesciret admirando perquirens, postquam rescivit aliunde adventantes, eos ad locum desideratum usque perduxit. Ita illi laudantes Deum beatumque Maximinum, etiam angelica revelatione certiores effecti sunt, illic ubi monstratum fuerat, inveniendum quod quærerent. Verum custos ecclesiæ, suspicatus id quod evenit, ut eadem ecclesia excederent qui advenerant, et eventum rei celaverant, imperavit. Mox celerrima fama rem dissipante, immanis excitata manus Aquitanorum Treveros moliebatur loco arcere; potuissetque committi (*b*) facinus pessimum, ut Treveri Christianitatis fraternitatem opponentes orandi tantum studio se convenisse firmassent. Aquitani Treveros sui timore perculsos arbitrantes, hinc remissi lætitia, vino indulgent; et, quod erat consequens, somno graviori resolvuntur.

CAPUT VIII.

Interea beato Lubentio, cujus mentio facta est superius, imperat angelus ut clavem ecclesiæ ad caput custodis accipiat, et absque strepitu ecclesiam introgressus exoptatum thesaurum asportet. Ille (*c*) cœtu aliorum presbyterorum adjuncto, **284** summa cum properatione paret; ac prospero comitante successu, clavis unde sumpta fuerat cito refertur, et catervis exspectantibus quod tantopere cupiebant infertur. Treveris abitum maturantibus, Aquitani primo eos metu discessisse dictitant. At ubi rei veritatem comperiunt, magno coacto exercitu recedentes triduo insequuntur. Cumque intra mutuum conspectum uterque populus constitisset, Aquitani crebris coruscationibus tonitruisque atque frequenti emissione fulminum, quorum nihil Treviros contingebat, repulsi, non sine rubore ad propria rediere. Treveris cœptum iter carpentibus, cæcus quidam spe recuperendi visus deduci se flagitabat ad feretrum: cujus ut eum umbra tetigit, mox caligo inolitæ cæcitatis abscessit. Ita unius incolumitate gaudium multi ceperunt.

CAPUT IX.

Cumque (*d*) Mosomagum castellum pervenissent, paralyticus quidam beato Maximino sanandus offertur. Nec irrita vota fuere fidelium. Namque sine dilatione optatæ redditus sanitati speciosissimum spectaculum intuentibus præbuit. Utque gratiam referre viderentur ejus loci habitatores, ecclesiam Deo sub honore beati Maximini, ubi ejus sacræ reliquiæ fuerant positæ, condiderunt, Evogium vocatur castellum, ad ditionem jam pertinens Treverorum. Hoc ingressis exsequiarum bajulis, quædam femina maligno spiritu obsessa quærebat quid ita Treverorum populus beatum illuc Maximinum deportasset, cum ei possent sufficere sancti Dei Eucharius, Valerius, et Maternus, necnon Agritius, quæ dæmones ut violentos **285** paterentur tortores. Nec diu teterrimus hostis miseræ infelicitate lætatus est. Siquidem post præmissas voces, meritis beati Maximini exire compulsus, ludibrii sui potestate privatus est. Inde ad castellum quod Ardonis dicitur sanctis perlatis reliquiis, duo accedentes leprosi, jam quantum valeret Maximinus felici fama edocti, ejus imploravere credula mente suffragium. Nec spes eos sua fefellit. Denique mox divinam experti medicinam, adepti sunt integram sospitatem.

CAPUT X.

Tot ac tantis divinis celebratis miraculis, Trevirorum quondam pontifex Maximinus, tunc autem apud Deum certissimus jam patronus, urbi quam olim rexerat propinquabat. Jam vero vix credibile fuerit, quanta tunc ad eum multitudo confluxerit. Obviam præsuli tota se civitas effudit, rusticorum ex agris frequens turba convenit, multi quoque ex vicinis urbibus concurrerunt. Compulerat hæc agmina in unum veneratio Maximini, quæ Paulinus totius signifer pietatis sua gloriosa decorabat præsentia. Cremabantur thymiamata pretiosi odoris, cereorum copia resplendebat; distinctæ sacrorum ordinum acies, festiva cantica personabant. Ita exceptum deductumque sacratissimum Maximinum insignis confessor Paulinus in ecclesia beatissimi Joannis evangelistæ magnificæ sepulturæ tradidit. Huc postea cæcus quidam a nativitate, ex territorio Beneventano deductus, Creton vocabulo, monitum se a principe apostolorum Petro, dum Romæ spe recuperandi luminis moraretur **286** apud ejus memoriam, fatebatur, ut Belgicam Galliam peteret, ubi sanctus requiesceret Maximinus, quod illius meritis possent ei optatæ sanitatis gaudia provenire. Qui pergens, venit ad locum: et dum custodi narrasset

(*a*) ***Jurative.*** Id est, jurans per Maximinum. Adeo porro magnifica est isthæc narratio, ut non arbitrer posse reperiri fabulam lepidiorem.

(*b*) *Facinus pessimum.* Imitatum istud videtur ex Sallustio in Catilina: «Eo die, post conditam urbem Romam, pessimum facinus patratum foret.» Sic apud Tacitum in libro primo Annalium: «Cum occisus dictator Cæsar, aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur.»

(*c*) *Cœtu aliorum.* Quid ais? Tantam fuisse presbyterorum multitudinem, ut cœtus esset? Faciles videlicet tum erant episcopi, et multos presbyteros ordinabant absolute. Vides, lector, quam fœde contaminata sit hæc historia.

(*d*) *Mosomacum.* Villam diœceseos Rhemensis ad Mosam fluvium, cujus mentio exstat apud B. Remigium in epistola ad Fulconem episcopum: «Fas ergo fuit, inquit, ut illicitis ordinationibus tuis a te credideris occupandam loci Mosomagensis Ecclesiam, quam Metropolitani urbis Rhemorum sub ope Christi sua semper ordinatione rexerunt.» Mosomagensis pagi, in quo situm Duziacum, meminit Hincmarus in Vita Remigii. Postea Mosomum dictum est quod olim Mosomagum; ut apud Flodoardum, Gerbertum, et alibi. Vulgo ***Mouson.***

ecclesiæ, nomine Gosberto, ad sepulcri penetralia intromissus, ibi se confestim lucis commercium reperisse miratus est. Poterat beatissimus Petrus cæco summa facilitate quod petebatur præstare, verum gloriam miraculi transferre ad Maximinum maluit, ut meritorum ejus evidenter cunctis panderet qualitatem.

CAPUT XI.

Præterea in crypta ubi ossa venerandi pontificis condita fuerant interjectu temporis aqua in latitudinem unius cubiti excrevit; dictuque mirabile, ita se pulcrum omne suo ambitu cinxit, ut tamen ab ejus crepidine absistens, non parvum intuentibus stuporem injiceret. Igitur venerabiles episcopi (*a*) Hildulphus, Clemens atque Gosbertus, convenientes in unum, et quod evenerat, diligenter examinantes, (*b*) transferenda beati viri ossa ex memorata crypta, et in loco ubi nunc sunt sita judicavere ponenda. Quod quoniam ex divina voluntate decreverant procedens exitus indicavit. His, ut opinor, non inconvenienter adjicitur quod quædam femina, Franca natione, domique nobilis, Rodoara vocabulo, cui tibiam atque pedem humor noxius arefecerat, ad memoriam beati viri accessit; ibique preces magna cum obstinatione continuans, ita ut a suis ad desperationem obtinendæ sanitatis impulsa ut inde recederet moneretur, **287** diu desideratam sanitatem stupentibus cunctis recuperavit.

CAPUT XII.

Jam vero illud quam est mirabile quod (*c*) Carolo principi obtigit? Namque is cum longa febrium vexaretur molestia, et cibi potusque fastidio vitæ periculum incurrisset, ei beatus Maximinus capienti somnum apparuit, utque se ad suam abeuntem sequeretur memoriam demonstravit. Exspergefactus Carolus satellitem qui sibi forte assidebat percontatur si viderit beatum Maximinum, qui secum paulo ante contulisset sermonem. Illo vero negante, Modo, inquit, foras egreditur, atque imperavit ut se continuo sequerer, apud ejus tumulum salutis compos futurus. Ita illo lectica deportatum et in soporem resolutum sanctus Maximinus iterum alloquitur, seque pro illo Domini postulasse clementiam ostendit, illum vero ne se ultra dedat vitiis admonet. Mox igitur ut evigilavit Carolus, exsurrexit; et pro votis promissis in sacrarium secessit, sibique offerendos cibos poposcit; qui triginta diebus proximis, sumendorum alimentorum sibi possibilitate sublata vix vitam solius aquæ haustu retinuerit. Escis itaque sumptis, amissas redire vires persensit; hujusque non immemor beneficii, cœnobium sancti Maximini prædiis auxit: quorum unum Patriosala, aliud Witmari ecclesia, tertium Comiciacus vocatur. Sancto autem Petro Andaclanam obtulit villam.

288 CAPUT XIII.

Apud sæpedictam memoriam etiam duæ feminæ, quarum altera Weltrudis, altera dicebatur Elithildis, olim manuum atque pedum debilitate inutiles, interventu gloriosissimi confessoris communia receperunt officia. Vir quidam oriundus Friso, cui nomen Albo fuit, se suamque substantiam beato Maximino donavit. Quo facto, cum fratrum utilitatibus desudaret, necesse fuit ut negotiandi gratia transmarinam peteret regionem. Ita classi sex navium sociatus, ingressus est mare. In altum autem cum processissent, tempestas repente oborta easdem sex naves quassavit, ac undæ tumentes protinus solutas involverunt. Hoc Albo deprehensus necessitatis articulo, nautas hortatus est ut secum sancti Maximini suffragium implorarent. Quibus, ut par erat, id submisse agentibus, Albo virum instar solis splendentem et supra mare non infusis pedibus ambulantem subito aspexit: qui fiduciam confitenti resumere jubens, cum formidinem voce pepulit, tum etiam sua præsentia tranquillitatem reduxit. Sic facti reduces, auctori tam manifestæ salutis Deo sanctoque Maximino laudes cum summa exsultatione fuderunt. Maxima sunt et Deo, qui per servos suos operatur, digna miracula, atque celebri præconio ad posteros transmittenda. Verum illud scrupulosius est considerandum, quod præter tantam ubertatem virtutum, perinde quasi speciali gratia, fugandorum dæmonum potestas beato Maximino permissa est. Quod ex consequentibus facile apparebit. Dixerint hinc melius alii, quos vitæ sinceritas cœlestium fecit conscios **289** arcanorum. Cæterum meæ tenuitati videtur hunc virum ea causa illud privilegium meruisse quod dum communem ageret vitam, ab his præcipue fuerit vitiis alienus quibus apostatæ spiritus elegerunt inconvertibiliter mancipari, superbia videlicet et invidia, æquumque visum fuisse divino consilio ut qui superbiam humilitate dejecerit, invidiamque charitate contriverit, dominium possideat

(*a*) *Hildulphus*. Sive Hildolfus Trevirorum episcopus, qui sub Pippino rege floruit. Exstat ejus Vita apud Surium tomo IV, ex qua apparet virum fuisse sanctissimum: quod etiam docet Richerius monachus in libro primo Chronici Senoniensis. Ei aliisque nonnullis partium illarum episcopis Stephanus III « commisit vices suas ad experiendum actus, virtutes, et gesta ac miracula sancti Swiberti, ad canonizandum ipsum sanctum, » ut ad Rixfridum episcopum Trajectensem scribit S. Ludgerus episcopus Monasteriensis. Factus est autem Hildulphus Trevirorum archiepiscopus jussu Pippini regis, ut diserte tradit ejus Vitæ scriptor: « Mox fama, inquit, in aula regis Pipini patris Caroli Magni percrebuit; atque ex ejus sententia Hildulphus archiepiscopatu dignus declaratur, et ad id dignitatis assumendus diffinitur. »

(*b*) *Transferenda*. Hujus translationis meminit etiam auctor Vitæ sancti Hildulphi his verbis: « Hic inter cætera magnifica opera sua quæ gessit, corpus sancti Maximini præsulis Trevirensis a loco quo eum sanctus Paulinus Aquitanus sepelierat in eo quo nunc veneratur transtulit. »

(*c*) *Carolo principi*. Cui Martello cognomen fuit, Pippini regis, cujus paulo ante meminimus, patri.

illorum qui suo depravati arbitrio, ad memoratas virtutes nunquam aspirare consentiant.

CAPUT XIV.

Itaque rex Pipinus Magni Caroli genitor quemdam suum clericum, qui Bruncho vocabatur, impuris obsessum spiritibus, per Hellarium archidiaconum ad tumulum beati Maximini destinavit. Is per diversas reliquorum sanctorum fuerat circumductus memorias, nec illa horribili passione meruerat liberari. Porro ut beati viri limina tetigit, illico purgatus, Dei circa se clementiam glorificare et sancti Maximini potentiam cœpit prædicare. Idem Pippinus denuo Herricum genere Alamannum eadem passione laborantem qua supra direxit : quem cum catena vinxissent, eamque perfacile alienis viribus confregisset, vix altera cohibitum clarissimo confessori obtulerunt curandum. Ita diu fratribus pro miseri ereptione certantibus, quadam die, cum rem divinam agerent, ille confracta catena prorupit se ad tumulum sacri antistitis; et : « Non videtis (inquiens) adversarios qui me sibi vindicaverant ut in fugam versos beatus Maximinus persequitur. » Hic ei finis processit **290** insaniæ. Ejusdem Pippini regis ex filia nepos, nomine Cunibertus, atrociter a dæmone vexatus, multis ante locis circumitis, ultimo ad sanctum virum perductus, tandem ab ea peste purgatus est.

CAPUT XV.

Et ut a singulis ad turbam liberatorum transeamus, quondam ad festivitatem beati pontificis (siquidem tunc majorem solito depromit potentiam) triginta septem homines oppressi a dæmonibus confluxere, qui omnes eodem die curati sunt. Ex eorum numero feminam illam fuisse accepimus quæ ferebatur quadraginta septem annis polluto subjecta spiritui. Hac tandem tam diutina exclusus possessione, ipse vero cruciandus igni, simulatum oculis astantium objecit incendium, ita ut putaretur tota domus conflagrare; ac digno se odore, hoc est sulphureo, templum respersit. Jam speciosa suæ præsentiæ meritique monimenta præclarus ille angelus dereliquit. Sequenti anno, eadem solemnitate, viginti et duo mundati sunt. Porro tertio anno tredecim a sancti viri cœnobio salutis gaudia retulerunt.

His, ut arbitror, legere volentes satis superque instruximus quam efficax in sacratissimo viro pellendi spiritus perditos sit gratia et emineat semper potentia. Cæterum si velimus et ac et multiplici aliarum virtutum specie quoties floruerit usque ad hunc annum, quo scribimus, hoc est, ab incarnatione Domini octingentesimum tricesimum nonum, styli officio designare, nec modum libri tenebimus, **291** et erudito lectori minus erimus grati, dum similia frequenter narrabimus. In fine igitur nostri opusculi in commune beati Maximini clementiam flagitemus, ut qui subinde ab aliis infirmitates depulit corporum, multo magis liberare nos dignetur a languoribus animarum, ostendens etiam in hac parte quantum prævaleat ; quo nunc peccatorum veniam consecuti, quandoque illius gloriam conspicere, gaudentes etiam propria sorte, mereamur. Amen.

---

292 (a) VITA SANCTI WIGBERTI

ABBATIS FRITZLARIENSIS

AUCTORE SANCTO LUPO

Reverendissimis (*b*) abbati Buno, cunctisque fratribus ejus, Lupus plurimam sospitatem.

Cunctanti mihi, viribusque propriis diffidenti, ut vitam sancti Wigberchti stylo coner prosequi, vestra, dilecti patres, extorsit instantia. Et æquum fuerat ut in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id quod me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenii accessit ut hoc opus a vobis eo potissimum tempore quo essem occupatissimus peteretur, ni me charitas, remotis gravissimis necessitatibus meis, ut vestræ voluntati morem gererem compulisset. Siquidem huic qui parcat, suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Cæterum divinæ erit clementiæ et intercessionis beati viri, cujus gesta ex aliquo parte contingere statui, ut digna memoria digno sermone

(*a*) Hanc sancti Wigberti Vitam debemus erudito viro Joanni Busæo, presbytero e societate Jesu, qui illam anno 1602 Moguntiæ edidit cum epistolis Hincmari.

(*b*) *Abbati Buno.* Sive *Bruno*, qui per eas tempestates monasterium Herveldense regebat, obiitque anno 846, ut scribit Lambertus Schafnaburgensis, qui prius fuerat monachus Herveldensis. « Brun, *inquit*, abbas Herveldensis obiit, cui Brunwart successit. » Antea autem, una cum Rabano abbate Fuldensi inchoaverat ædem sancti Wigberti apud Herveldiam, ut idem Lambertus tradit ad annum 831. « Brun et Raban abbates fundamentum ecclesiæ sancti Wigberti foderunt VI Idus Julii, secunda feria. » Infectam eam reliquit Bunus : quam postea perfectam Rabanus, ex abbate archiepiscopus Moguntinus, dedicavit anno 850, ut fidem facit idem auctor : « Dedicata est, *inquit*, ecclesia sancti Wigberti VI Kal. Novembr. a Rabano Moguntiacensi archiepiscopo. » Bunus autem, ut id quoque dicamus, clarissimis natalibus ortus erat in Suevia, monachusque primum sub Bangolfo abbate fuerat in monasterio Fuldensi, et anno 838 interfuit dedicationi monasterii Hirsaugiensis, ut docet Trithemius. Non injuria ergo Vitam istam Buno abbati et monachis Herveldensibus inscripsit Lupus.

scribantur et quæ clarissima sunt qualitate suis sensibus incultis deformata non horreant. Nec vero cuiquam hæc ideo judicentur infirma quod octingentesimo trigesimo sexto anno Dominicæ incarnationis, indictione autem quarta decima, **293** præsens opusculum cudens, ante nonaginta annos acta repetere videar, cum profecto, si vel leviter est eruditus, non ignoret Sallustium Crispum Titumque Livium non pauca quæ illorum ætatem longe præcesserant partim auditu, partim lectione comperta narrasse, et, ut ad nostros veniam, Hieronymum Pauli sui Vitam, quæ certe remotissima fuerat, litteris illustrasse, et antistitem Ambrosium virginis Agnes passionem, cui profecto contemporalis non fuerat, editam reliquisse. Neque nova hæc est, et quæ sola deprecationis egeat, majorum negligentia, scilicet tanti viri facta non esse mandata memoriæ, cum non ab his modo qui haud longe ante nos vixerunt, verum ab eis etiam qui quam longissime præcesserunt, gravissima quædam suppressa cognoscamus. Proinde cur mihi fides derogetur non video, cum, si culpa fuit hactenus virtutes hujus eximii viri litterali non comprehensas officio, ac profecto me exuo, nihil que præterquam firmissime vobis comperta mihique quodammodo assignata legere volentibus præbeo. Id autem a periti benevolentia lectoris obtinuerim, ut sicubi Latini sermonis lenitas hominum locorumve nominibus Germanicæ linquæ vernaculis asperatur, A modice ferat, ac meminerit non carmen me scribere, ubi poetica licentia nonnunquam nomina mutilantur, atque ad sonoritatem Romani diriguntur eloquii, vel penitus immutantur, (*a*) sed historiam, quæ se obscurari colorum obliquitatibus renuit. Verum jam propositum ordiamur.

294 CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter Saxones facti sint incolæ Britanniæ insulæ.

(*b*) Indigenas Britanniæ, qui Angli-Saxones appellantur, ab eis qui Germaniæ septentrionalem tractum incolunt Saxonibus originem ducere documentis approbatur. Namque Britannorum quondam rex (*c*) Wrtigernus frequenti bellorum incendio, suis pene copiis interceptis, a Germania consensu popularium suorum contrahenda curavit auxilia; accer- B sitique ab eo Saxonum exercitus, trajecto mari quod Galliæ Britanniæque pretenditur littoribus, (*d*) consistendi loco in orientali partæ insulæ a præfato rege accepto, prælium mox cum (*e*) adversariis conseruerunt et eos fuga impune fuderunt. Quod ubi suis ac simul ubertatem insulæ nuntiarunt, (*f*) validior manus armatorum illuc denuo missa est; ac sedes a Britannis ea conditione sortiti sunt ui illi quidem tuendæ patriæ solertius invigilarent, indigenæ autem stipendia militantibus penderent. Hac occasione magnam partem insulæ Saxonum vis brevi spatio temporis propriæ ditione subegit.

(*a*) *Sed historiam.* « Historia enim quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur. » (Plinius, lib. V, *epist.* 8.)

(*b*) *Indigenas.* Habita videlicet ratione præsentium temporum, et quia ævo Lupi Latinæ linguæ puritas multum descenderat. Alioqui enim indigenæ hi sunt qui ante omnem hominum memoriam certis in terris habitaverunt, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixti sunt, ut monuit Tacitus in libello de Moribus Germanorum. Et in Agricola, ubi loquitur de Britannia, indigenas opponit advectis. Itaque si stricto jure agamus, Anglo-Saxones non erant indigenæ, sed advecti. Classibus enim advecti erant, ut patet ex Beda et cæteris scriptoribus Anglis.

(*c*) *Wrtigernus.* Cum undique a cœlo, et ab Oceano, tum etiam a terra, nimirum a piratis et prædonibus, gravissimis malis affecti essent Britanni, « Placuit omnibus (inquit Beba lib. I Hist. Angl., cap. 14,) cum suo rege Vortigerno, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent, quod Domini nutu dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut evidentius rerum exitus probavit. »

(*d*) *Consistendi loco.* Hic Lupus transcripsit Bedam, cujus ea sunt verba in capite 15 ejudem libri : « Anno ab incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo nono, Martianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annos tenuit. Tunc Anglorum sive Saxonum gens, invitata a rege præfato, Britanniam tribus longis navibus advehitur, et in orientali parte insulæ, jubente eodem rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi domi nuntiatum est, simul et insulæ fertilitas, ac segnitia Britonum, mittitur confestim illo classis prolixior armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmissæ adjuncta cohorti, invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo qui advenerant, C donantibus Britannis, locum habitationis inter eos; ea conditione, ut hi pro patriæ pace et salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerunt autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Vitis. » Hactenus Beda. Prosper tamen, vir illorum temporum, non advocatos ait Saxones, sed tantum, « Britannias usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque laceratas, in ditionem Saxonum redactas esse » decimo octavo anno imperii Theodosii Augusti. Quæ verba dicere videntur Saxones vi Britannia potitos esse, et confirmant scriptionem Galfridi Monumetensis, qui memoriæ prodidit Saxones applicuisse in Cantiam, ad Vortigernum accessisse, invitatosque adversus Pictos, victoriam Vortigerno peperisse.

(*e*) *Adversariis.* Id est Pictis, qui ob istam occasionem bellum Vortigerno intulerant, ut in libro VI, docet Galfridus Monumetensis. Vortigernus, nobilis D Britannus, postquam Constantem ex monasterio abductum in throno collocaverat, occultis artibus ejus eædem procuravit : quæ peracta est a Pictis, quos ad custodiam principis evocaverat Vortigernus. Remoto Constante, Vortigernus regem se fecit; et tanquam particeps non fuisset cædis Constantis, custodes Pictos interfici jussit, munimento in præsens, exemplo in futurum. Id graviter et iniquo animo tulerunt Picti; gravissimumque ea de causa bellum excitarunt adversus Vortigernum, dum suorum cædem ulciscuntur. Sane fortuna pro Pictis stetit; donec advenientes, ut diximus, Saxones, afflictas Vortigerni res restituerunt.

(*f*) *Validior manus.* Decem et octo naves electis militibus plenas tum esse conductas narrat Galfridus lib. VI, cap. XII.

295 CAPUT. II.

De ortu sancti Wigberchti, et quod ob studium virtutum amatus fuerit ab omnibus in partibus illis.

Ab horum posteris, postquam se Christianæ religioni submiserant, beatus Wigberchtus, ab Anglis Saxonibus elaram trahens originem, natalium sæcularem nobilitatem merita virtutum longe transcendit. Ab annis etenim puerilibus adeo probitate morum enituit uti jam tum palam emineret fore ut tanta indoles magnum quiddam supraque communem prorsus mensuram divinitus, ut contigit, sortiretur; atque studiose sacris litteris institutus, ardentissimum amorem, nec minorem sane venerationem longe lateque gravitate sibi peperit singulari.

CAPUT. III.

De fama et honore illius, et brevis commemoratio sanctitatis et martyrii sancti (*a*) *Bonifacii.*

Dumque felix illius ubertim spargeretur opinio, ad clarissimi viri Bonifacii aures usque nutu divino pervenit. Hic Bonifacius tantæ sanctitatis exstitit ut eum consensus omnium, non in Germania modo, ubi in agro dominico incertum studiosius an felicius, laboravit, verum etiam in Gallia et in aliis partibus orbis majorum per omnia gloriæ coæquandum et constantissime credat et liberrime **296** fateatur. Fuit enim fidei Christianæ cum propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem principum fœdissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac male dulcoratis refrigeriis

A (*b*) enervare. Ita, postquam se totum Deo devoverat, desudantem, novamque gentem Fresonum Ecclesiæ gremio consciscentem, invictissimum Christi militem gladio violare non verita rabies barbarorum, (*c*) martyrii coronam fecit referri de prælio. Sed ut a quo paululum deflexit ad propositum revertatur oratio.

CAPIT. IV.

Quod ab eodem Bonifacio in auxilium prædicationis sit vocatus.

Idem Bonifacius, cum induxisset in animum incredulis aperire viam salutis, quique aberrassent in eam, cooperante Deo, reducere, non multo postquam in Germaniam venerat, beatum Wigberchtum, futurum in prædicatione solatio, diligenti (*d*) arcessendum curavit industria. B Atque ille sancto Bonifacio, imo Deo parens vocanti, quo tempore dux Francorum Carolus rerum potiebatur, iniit consortium sancti propositi. Quem beatus Bonifacius, ut par fuit, et excepit gratissime, et germana sibi charitate fœderatum summa veneratione suspexit, quod, ut natu major, ille studiis flagrasset ante divinis.

297 CAPIT. V.

Quod monachis in Frideslar abbas sit constitutus.

Neque multo post ad amplissimum pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci divina gratia provectus Wigberchtum sacerdotem (*e*) secundi ordinis cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum lingua (*f*) Friteslar, magitrum præfecit, uti mona-

(*a*) ***Bonifacii***, archiepiscopi Moguntini, cujus multa mentio apud scriptores illius ætatis.

(*b*) *Enervare*. Hic Bonifacium laudat Lupus, quod auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permiserit, eamque violari non consenserit a principibus. inter quos dis versatus est. Unde colligimus legitimos Lupo fuisse visos actus eorumdem principum, quorum mentio est in epistolis Bonifacianis. In epistola porro tertia agnoscit Bonifacius nullam se muneris sui partem attingere posse (erat autem legatus apostolicæ sedis), absque auctoritate Caroli Francorum principis. In epistola 42 auctoritatem congregandi synodos pertinere ad unumquemque principem in suo regno; ideoque synodum quamdam quæ a Pippino convocata fuerat, vocat *synodum ducis occidentalium provinciarum.* In epistola 132 ait cupere se quidem sibi successorem constituere, verum id non posse fieri absque voluntate principis: *Quia hoc*, inquit, *non videtur posse fieri, si contrarius princeps fuerit.*

Martyrii coronam. Factum id in Frisia, ubi verbum Dei prædicabat, anno 754. D

(*d*) *Arcessendum.* Ax Anglia videlicet, ubi abbatis honore fungebatur. Nam Wigbertum istum haud alium fuisse puto quam eum qui abbas fuit monasterii Nutscellensis in Anglia; sub quo Bonifacius monasticam vitam aggressus est, ut docet Wilibaldus presbyter in capite secundo de Vita ejusdem Bonifacii. « Cumque voto simul et mente, inquit, Omnipotentis sibi adesse incessanter magna precum instantia suffragium postularet, tandem, divina cœlitus inspirante gratia, ad monasterium quod usque hodie *Nutscelle* dicitur pervenit; et beatæ memoriæ Wiberti abbatis, qui venerabiliter predictum sub regulari disciplina regebat monasterium, spiritali litterarum diligentia provocatus elegit magisterium, » etc.

C Tantam porro lætitiam ex adventu Wigberti ex Anglia in Germaniam cepit Bonifacius, ut cum appropinquare eum intellexisset, obviam ei progressus sit ad multa passuum millia, ut ipse Wigbertus scribit in epistola ad monachos Glestingaburgenses, quæ est quinquagdsima tertia inter Bonifacianas Ex qua etiam illud discimus matrem Wigberti vocatum fuisse Tettan.

(*e*) *Secundi ordinis.* Id est presbyterum. Neque enim assentior Christophoro Browero, qui in scholiis ad poemata Rabani adnotavit episcopatus Buriburgensis procurationem Wigberto demandatam esse a Bonifacio. Idque colligit ex eo Lupi loco, in quo Wigbertus vocatur sacerdos secundi ordinis, sacerdotem autem secundi ordinis eum esse qui alibi suffraganeus vel vicarius episcopi et archidiaconus dicitur: in quo errare Browerum adeo manifestum est ut necessarium non arbitrer his diutius immorari. Videndus tantum vir illustrissimus Petrus de Marca lib. II de Concordia Sacerd. et Imp., cap. 14, § 5. Lupi autem sensus hic est, Wigbertum, qui jam sacerdos erat secundi ordinis, id est presbyter, abbatem a Bonifacio constitutum fuisse in monasterio Friteslariensi. Nisi si Lupus abbatem vocat secundi ordinis sacerdotem, eumque qui jam abbas erat præfectum ait huic monaterio a S Bonifacio, quod facile crediderim.

(*f*) *Friteslar.* Celebre monasterium in Marca Saxoniæ, ad fluvium Adranam, conditum a sancto Bonifacio, velut munimentum adversus Saxones, implacabiles Hassonum hostes, et inimicos crucis Christi. « Apud Friteslarium porro, » ut adnotat Browerus in Scholiis ad poemata Rabani, primitiæ collectæ Hassonum Ecclesiæ: qui populi, ante Saxones, cum Thuringis ad fidem Christianam conversi, et in limite regni adversus Saxones, externos hostes, col-

sticæ illic religionis normam statumque componeret. A Ibi cum (*a*) Megingo suo, qui postea culmen episcopale subiit, diu conversatus est, et laxam antehac ac fluidam fratrum conversationem ad normam suæ vitæ coercuit, qui procul dubio sanctarum Scripturarum regebatur auctoritate.

Capit. VI.

Quod ad (*b*) *Ordorff jussu sancti Bonifacii transierit.*

Cumque sacræ professionis illic studium longo imbibissent usu disciputi, curamque magisterii quamplures, æmulando magistrum, concepissent, haudquaquam passus beatus Bonifacius tanti viri lumen unius loci tenebras prævia Christi gratia dispulisse, monitu paterno ad alterum compulit migrare monasterium, quod Ortdorff nominatur. Atque ibi successu simili desudans, quæ perperam gerebantur correxit; ac ipse absque diverticulo carpens arctam viam, quæ infatigabiles **298** (quosque ducit ad vitam, cætervam post se fratrum prospere traxit. Instructus enim Salvatoris exemplo, docenda prius implebat (*Act.* I); quaque gradiendum moneret, præcedere consueverat.

Capit. VII.

Quod, iterum ad Frideslar reversus, arctiori se vitæ dederit.

Itaque non frustra illic tritis aliquot annis, cum præter id quod senio gravabatur, ancipiti morbo subinde laboraret, nihil citra sancti Bonifacii gerere volens auctoritatem, enixissimis ab eo precibus, intima tamen humilitate conditis (*c*) obtinuit ut ad prius revertens C cœnobium, in eo quod superesset vitæ jam quasi feriatus exigeret. Ubi gratulantium fratrum receptus frequentia, veluti repuerascens atque juvenescens, rudimenta denuo sanctitatis et arctissimi certamina propositi diligenter aggressus, non emeritam ætatem non tot superatos labores metiri consensit; verum oblitus præteritorum secundum Apostolum (*Philip.* III), gaudiis intendit æternæ beatitudinis, quorum adipiscendæ dignitati nihil par in hac vita valet expendi. Et quamvis corpus illius morbo, sicut diximus, urgeretur, non patiebatur animus huic lautioris indulgentia sibi abstinentiæ frena relaxare. Non quod, si qui remissius consulant sibi, dum infirmantur, hos arbitraretur culpandos; sed quod sponte a licitis temperando, ad promerendum Deum non parum quemlibet D progredi suo Vas electionis confirmavit exemplo. Sicque observantissimus **299** charitatis, fratrum se contemperabat societati; ut verbis tamen inanibus obstinatissime abstineret, ac sacræ legis meditationem nunquam mente deponeret.

Capit. VIII.

Quod postulatas, non præstolando comites, visitaret ægrotos.

Hæc vero semper Wigberchto illi solemnis fuerat consuetudo ut cum a fideli aliquo rogatur confessionem auditum pergeret, nec vitam congressus commeantium posset, non temere cum aliquo sermonem consereret, salutationibusve vacaret (quæ profecto, ut eleganter quidam sentit, nonnunquam ex occasione itineris, non studio funduntur obtinendæ cujusdam B salutis), sed hinc speciale præceptum Domini retinens, seria salutis monita largiturus, morarum festinaret impatiens. Ac sicubi conventum hominum offenderat, qui salutaribus indigeret consiliis, continuo, posthabitis temporalibus, quæ ad animæ perpetuam salutem conducerent ad medium deducebat; et variis alliciens legis divinæ sensibus auditores, ut scientissimus omnino medicus, animæ passionibus medebatur occultis.

300 Capit. IX.

De vite miræ magnitudinis ab eo ex uva plantata.

Illud etiam haudquaquam præterierim silentio, unde constantissima fama fidelium nec accita se suggerit. Namque dum quondam rem divinam de more faceret, incertum quo casu, vinum, sine quo sanguis Domini non conficitur, defuit. Hic ille festinus ecclesiam egressus, et forte pendentem in vite botrum conspicatus, vellit, atque in calicem continuo liquorem manibus puris expressit. Quibus demum explicitis, unum reperit granum attritu illæsum : quod mox ante ecclesiam panxit, et e vestigio ad conceptum officium peragendum concessit. Eo finito, quidam sollicitior frater, qui quod paulo ante gesserat observasset, ex eo humiliter facti rationem quæsivit. Tunc ille se deprehensum animadvertens : Si, inquit, opera mea Domino cura sunt, intra novem annorum curriculum hic nimirum declarare dignabitur. Nec finem hujusmodi qui credebatur eventus non est consecutus. Siquidem tot ex eo grano vitium propagines emerserunt ut brevi occupato immodico terræ spatio, nixæque adminiculis

locati, ut a sancto Bonifacio ejusque discipulis impigre exculti sunt, ita Francico imperio militiæ strenuam operam navarunt. »

(*a*) *Megingo.* Monacho tum Friteslariensi, postea vero Herbipolensi seu Wirzeburgensi episcopo post Burchardum. Fuerat autem, ante episcopatum, abbas monasterii Neustadiensis ad Mœnum, ut observat Nicolaus Serarius in notis ad epistolas Bonifacii Moguntini. Assentior vero eidem Serario, qui Magingaoz, sive Megingum, eum esse putat qui alibi vocatur Megingozus, Mengozus et Megingandus. Ei et Lullo Moguntino Vitam Bonifacii inscripsit presbyter Wilibaldus. Hujus episcopi Herbipolensis exstant epistolæ tres ad Lullum archiepiscopum Moguntinum, editæ inter Bonifacianas, num. 80, 87 et 94.

(*b*) *Ortdorff.* Insigne monasterium in Thuringia, ad amnem Or, V. M. P. ab Erfurt, ut in Topographia Germaniæ monuit Georgius Bucelinus. Conditum autem fuit a sancto Bonifacio, ut in ejus Vita scribit Wilibaldus cap. 8. his verbis : « Tunc etiam ecclesiæ repente instaurantur, et prædicationis ejus doctrina multiformiter emanavit; monasteriumque, congregata servorum Dei unitate et monachorum sanctitate, constructum est in loco qui dicitur Ortorff, qui propriis sibi more apostolico manibus victum vestitumque instanter laborando acquisierunt. »

(*c*) *Obtinuit.* Quippe monasterio abscedere non licebat absque permissu episcopi, præsertim ei qui abbas esset. Itaque ministerium suum relicturus Wigbertus, licentiam recedendi petiit a Bonifacio,

suo lapsu sedentibus gratissimæ porticus tecta præberent.

301 Capit. X.

Quali fine mundum reliquerit.

Perseveravit autem beatus Wigberchtus in præfato monasterio divinis ministrans præceptis, obliquosque semper aversatus mores, quoad illum divina vocatio vinculis carnalibus liberaret. Sic graviori præcedente languore ad præsentio vitæ metas perveniens, (*a*) diem obiit, consorsque sanctorum effectus est.

Capit. XI.

Quod avis pulcherrima super corpusculum ejus. apparuit.

Verum hora exitus illius admirationis plena res obtigit. Circumstantibus fratribus, visa est avis quædam, specie pulcherrima, supra ejus corpusculum ter advolasse, nusquamque posthæc comparuisse, quam fuisse indicium vitæ illius mundissimæ cunctis hauddubie constitit.

Capit. XII.

De multiplicibus signis ad tumulum illius patratis.

Est autem situm corpus illius ante ecclesiam in conditorio (*b*) nullius ambitionis, ibique per aliquot annos quievit, ubi vix credibile fuerit quot **302** quantisque hunc virum divina pietas illustraverit signis; quæ, licet incuria litteris allegata non teneantur, passim tamen vulgata, necdum obsolevere. Atque ideo, brevitati studens, horum quædam narrabo. Meaque plane sic fert opinio longe digniora miracula semper esse quæ Deus ad memoriam sanctorum egentibus indulgere dignatur quam quæ illum per eos, quanquam sincere viventes, adhuc gravatos mole corporis, frequenter gessisse veraces nobis litteræ produnt. Adhuc tentari poterant ac quantulumcunque reformidare lapsum. De his totius jam casus expertibus hoc felicius quo solidius asseruntur. In illis favores non sine discrimine tolerantur humani; in his, cum eduntur, titulus eorum sanctitatis ne suspicione quidem vanæ gloriæ obscurari potest.

Capit. XIII.

Quod metu Saxonum Hassones corpus ejus effoderint.

Verum ut quod polliciti sumus jam exsequamur, effera Saxonum gens, proprium transgressa limitem, in finitimorum se agro effuderat, et indigenas non satis fidentes propriis viribus in oppidum cum (*c*) Buriburch nomen est formidine sui compulerat. Qui conclusi, judicantes adhuc infirmum tenui murorum insterlitio salutem tueri, ossa beati viri ad sui munimentum in oppidum transferenda curarunt, præsertim quod vererentur ne Saxonum insania violandi sepulcri sumeret copiam. Nec tamen ea translatio facile volentibus constitit.

303 Capit. XIV.

De difficultate translationis ejusdem.

Namque comitante immani multitudine, cum in vallem non adeo depressam ventum esset quæ exadversum est oppido, ibique sacros cineres, paululum quieturi, deposuissent, ac mox quo cæperant contendere præpararent, mirabile dictu, gravatæ sunt quas hactenus detulerant reliquiæ, nec eas fuit loco moveri facultas. Hinc consternati, satiusque sibi ducentes extrema illic experiri quam in ancipiti patronum relinquere, tandem instantissimis precibus Domini sententiam flectentes obtinuerunt, ac feretro summa relevato facilitate, voto potiti sunt.

Capit. XV.

De candela in fluvium demersa.

Fuit hoc etiam insigne miraculum, quod dum flumen Adranam trajicerent, amplissimam reverentiam crucibus ac vexillis necnon cereis ac laudibus congruis beati viri reliquiis exhibentes, matronæ cuidam rei novitate attonitæ candela e manibus excidit ac penitus in fluvium mersa est. Certatim vero pluribus annitentibus recepta, quod secundum contrariam elementorum naturam fidem videatur excedere, haud obscurius ac prius flammarum reperta est globum effundere. **304** Verum enimvero nos, qui juxta naturam fieri quidquid Dei fiat voluntate indubitanter confitemur, sic non cessisse ignem aquæ videmus credibile quemadmodum igni in illis tribus pueris humana non cessit natura (*Dan.* III).

Capit. XVI.

De eruptione oppidanorum et strage hostium.

Perlatis autem in oppidum beati viri pretiosis reliquiis, infesto Saxones agmine subsecuti, cœperunt oppidanos lacessere, eosque summa vi munitione detrudere. At illi, facta eruptione, sancti Wigberchti suffragantibus meritis prosperrime congressi sunt; ac superiores inventi, plerosque adversariorum armis fuderunt profligaveruntque, multos plagis tardantes debilitarunt, omnes postremo salutem sibi coegerunt fugæ præsidio quærere.

Capit. XVII.

Quod cœlestis visionis majestate Saxones (d) perterriti, fugiendo vitæ consuluerint.

Qua repulsa Saxones irritatiores facti, et ignomi-

(*a*) *Diem obiit.* Anno 747 ut tradit Laubertus Schafnaburgensis. Post ejus transitum Bonifacius epistolam scripsit ad Tatwinum abbatem et præcipuos monasterii Friteslariensis monachos, quæ est decima septima inter Bonifacianas, in qua præcipit quonam modo gubernandum sit monasterium. Inter eos vero ad quos scribit nominatur Wigberthus presbyter; cujus, ut arbitror, sunt epistolæ tres ad Lullum archiepiscopum Moguntinum inter Bonifacianas num. 83, 102, 110. Fallitur enim Serarius, qui epistolas illas scriptas putat a Wigberto abbate Friteslariensi. Hic enim multis ante annis obierat quam Lullus succederet Bonifacio.

(*b*) *Nullius ambitionis.* Id est modico, cujusmodi fuisse sepulcrum Ottonis imp. tradit Tacitus. Præclare Plinius lib. IX, epist. 19: « Impensa monimenti supervacua est. Memoria nostri durabit, si vita meruimus. »

(*c*) *Buriburch.* Oppidum in finibus Hassonum et Saxonum, ultra fluvium Adranam, contra Friteslarium, in edito montis jugo, ut monuit Browerus in scholiis ad poemata Rabani.

(*d*) *Exterriti.* Non accedo opinioni Browerí, qui bi-

niam suam fuge repetito certamine cupientes, ac victor prius victores ad unum delere, ipsa nocte cui tam credulis negotii dies elucere sperabatur, incredibili repente perculsi formidine, fusa cœlitus clarissima luce ambiri conspicantur ecclesiam cujus memoria jam supra facta est, et per illius culmen **305** insignem quemdam lineamentis quidem humani corporis circumsriptum, at valentiam dignitatemque mortalium longe præstantem, albis etiam vestibus amictum, hac et illac deambulare· Divino itaque nutu, et hujus visionis exterriti majestate, relictis impedimentis et omnibus aliis necessariis, vitæ tantum consulere festinantes, ad fugam se denuo contulere.

CAPIT. XVIII.

De divisione prædæ.

Mane igitur oppidum egressi qui clausi hostium impetum morabantur objectu murorum, ut eos abiisse, imo velut nudos cunctis vulgo dimissis effugisse compererunt, divinæ munificentiæ gratulantes, adversariorum spolia viritim partiti sunt, inopinumque gaudium revexerunt.

CAPIT. XIX.

De homine paralysi perenni mulctato.

Neque ita multo post, cum iidem Saxones revertissent, instauraturi male toties experta certamina, unus eorum capit ignem, fomenta subjicit, ecclesiam conflagrare jam dictam molitur. Sed casso infectoque nisu, divina virtute per intercessionem sancti Wigberchti repulsus, conatibus vere sacrilegis digna retulit præmia, paralysi scilicet perenni mulctatus.

306 CAPIT. XX.

De raptore sensu et visu privato.

Eamdem etiam domum quidam ex illis exspoliare conatus, defracta janua irrupit, crucisque argenteam laminam affabre inauratam rapuit profanisque manibus nequaquam efferre cunctatus est. At confestim divina ultio insecuta ita hunc reddidit impotem sui ut brutum magis animal quam hominem duceres. Sic cum lamina circa ecclesiam repertus oberrans, quod sciens male sublegerat, juste nesciens reddidit. Sanctorum quoque reliquiæ, quas iidem asportaverant, in villa Gesmari, quæ non longe abest, repertæ sunt integræ.

CAPIT. XXI.

De ineffectiva potentia ignis.

Nec illud transierim, quod sæpedicti Saxones adhibito igni et multiplici fomite, amica sane igni materia frequenter inculcatam domum illius ecclesiæ comburere conati sunt; sed interventu beati Wigberchti delusa est illorum insania. Siquidem tantum abfuit effectus ab eorum molitione ut præter in subjecta fomenta nil ignis ille valuerit quem furens manus adhibuerat barbarorum. Videres lignorum simplicem materiam, nec prorsus alumine oblitam, velut amoliri a se ignis potentiam, et cui prius esset obnoxia Dei voluntate vim resistendi inditam sibi ostentare mirantibus.

307 CAPIT. XXII.

Quod ecclesia ipsa nullis squaloribus maculari valuerit.

Saxonum post discessum pars haud exigua Hassonum (Hassones quippe dicuntur qui incolunt ipsum pagum) mundatum ecclesiam convenere, sordere illam quam gravissime ferentes, propterea quod Saxones equorum in ea præsepia fecerant, nihilque religioni detulerant. Verum introgressi nihil penitus quod esset verendum inveniunt. Ita sordium squalorum divina virtus deterserat. Nulla usquam vestigia immunditiæ totius resederant.

CAPIT. XXIII.

Hæc obtigerunt circa ecclesiam ante quam monumentum illius diu mansisse monstravimus. Cæterum postquam in oppidum ossa illius transposita sunt, ut ungueutum pretiosissimum, quando est agitatum, gratissimos late spargit odores, ita viri hujus motæ reliquiæ ubertim miraculorum spiravere fragrantiam. Aperuit nimirum verus arbiter et intimus, labefacta jam humana conditione membrorum compage, cui quondam hæc regens beati Wigberchtii paruerit spiritus, dignatus eum frequenter intra biduum triduumve collatione novem signorum.

storiam istam putat distingui debere ab ea quæ exstat apud Reginonem. Ego namque censeo hic agi de ecclesia monasterii Friteslariensis, quam Saxones adhibito igne consumere tentarunt : quod patet ex cap. 23, itemque ex aliis ejusdem Vitæ locis. Rem gestam narrat Regino his verbis : « Anno Dominicæ incarnationis 874, rex dum illis partibus (id est in Italia) pro hujusmodi negotio moram faceret, Saxones occasione accepta, postpositis sacramentis, in finibus Francorum impetum fecerunt, et usque ad castrum quod nominatur Buriaburg venerunt : quorum adventum incolæ loci persentientes, in jam dictam munitionem se receperunt. Igitur cum præfata gens sæviens cœpisset forinsecus villarum ædificia concremare, venerunt ad quamdam basilicam in loco qui dicitur Friedislar, quam sanctæ memoriæ Benifacius martyr consecravit, atque per propheticum spiritum prædixit quod nunquam incendio crematur. Cœperunt autem præfati Saxones omni intentione certare adversus eamdem basilicam quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. Et dum hæc agerent, apparuere quibusdam Christianis qui erant in castello, simul quibusdam paganis qui in eodem erant exercitu, duo juvenes in albis vestimentis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant ; et propterea non potuerunt neque interius neque exterius ignem accendere. Interea nutu divino majestatis pavore perterriti, in fugam conversi sunt, nemine persequente. Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta ipsam basilicam, flexis genibus, acclivis supra pedes, habens ignem et ligna in manibus et velut ore flaret ipsam basilicam cremare. » Eamdem historiam narrant auctor Vitæ Caroli Magni, auctor Annalium Fuldensium, Eginhardus in Annalibus. Marianus Scotus, alii. Ejus vero paucis meminit Lambertus Schafnaburgensis.

308 Capit. XXIV.

Quod ex cœlesti admonitione corpus ejus ad monasterium Herolfesfeli sit perductum.

At interjectis aliquot annis (*a*) Albuino præsuli Fritislarensis ejusdem oppidi per quietem aliquis obversatus, qui se divinitus missum diceret ad monasterium cui est vocabulum (*b*) Herolfesfeld, quo et ossa beati viri transferri præcepit. Id memoratus episcopus Lullo Moguntiacensis Ecclesiæ pontifici revelavit; isque rem ad magnum Carolum detulit, ac ejus assensum protinus impetravit. Ita, Lullo jubente, suffraganeus ejus Albuinus tribus monachis præfati cœnobii, Ernusto scilicet, Baturicho, et Wolffo, noctu sacros beati Wigberchti cineres tradidit clam perferendos ad monasterium. Siquidem id facere interdiu veritus est, ne tanti viri populus amore devinctus fratres memoratos cæca seditione convexaret, vel quibuslibet injuriis incesseret, viribusque superior sibi tam insignis thesauri privilegium vindicaret. Non quo venerabilis præsul sancto Wigberchto diffideret, qui profecto suas ferentes reliquias tueri poterat intercessione; sed quod perquam scite perpenderit, quanquam manifeste Deus faveret, considerationem humani consilii, utpote justi, nullatenus posthabendam. Plenum est quippe Christianæ devotionis, quandiu habet homo quod faciat, non tentare Dominum Deum suum. Quod si cui hæc exauctorari posse videatur assertio, illud ei obverteremus exponendum, cum Israeliticum populum Pharao
309 dimisisset, non duxerit eum Dominus per viam terræ Philisthii; videlicet ne forte pœniteret populum, si videret adversum se bella consurgere. Quem plane locum aliter transire sano nequaquam poterit intellectu, nisi in nostram concedens, imo majorum sententiam, ibi ostendi fateatur fieri debere omnia quæ consilio recto fidei possunt ad evitanda quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adjutor est. (Ex August. *q.* 41 *in Exod.*)

Capit. XXV.

De arca sepulcro ejus imposita.

Ergo præfati fratres munus amplissimum sibi ab episcopo traditum monasterio Herolfesfeldt celeres (*c*) invexerunt, et a reliquis Dei servis illic exceptum, magnifice primo loco est in ecclesia conditum. Atque Lullus, annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniamque cæterorum sanctorum visuntur, auro et argento necnon reliquis congruentibus metallis exornandum curavit, et id opus ad Idus Augusti complevit; ubi postea, divina exuberante gratia, magna et admirabilia signa claruere. Ex quibus, cum sint pene innumerabilia, hic pauca quædam subjungam, quorum consideratione metiatur cætera quisquis volet.

310 Capit. XXVI.

De curatione Huntheri.

Quidam ægrotus eo usque ut in carruca in morem lecticæ instructa perduceretur ad memoratum cœnobium, ibi meritis beati Confessoris opitulantibus; non utcunque revaluit, sed incolumitatem certissimam est adeptus; atque monastico hic habitu sumpto, obeundis cœnobii muneribus nequaquam se imparem gavisus est. Huic nomen Huntheri fuit.

Capit. XXVII.

De Burgwarto paralytico.

Alius quoque vocabulo Burckwart, viribus propemodum totius corporis destitutus, ante limina sancti Wigberchti non parvo tempore jacuit, et tandem, succurrentibus ejus efficacissimis precibus, plena sospitate donatus est. Namque diu oblito gradiendi officio recepto, etiam Romam oratum perrexit.

Capit. XXVIII.

De Sigeberto dæmoniaco.

Sed ne gratiam quidem fugandorum nequam spirituum huic suo probatissimo famulo Dominus **311**
denegavit. Hæc enim recenti memoria quidam correptus acerbissimo dæmone, Sigebraht vocabulo, ferreis manicis vinctus, miserabiliter attractus est, et, interventu sancti Wigberchti, inimici violentia liberatus.

Capit. XXIX.

De Bertgero dæmoniaco.

Sic alter, Beratgar dictus, et maligno spiritu in belluinam mutatus ex homine rabiem, apud sancti hujus memoriam eadem horribili passione curatus est.

Capit. XXX.

De trimoda sanatione Ramnulphi.

Aliquis prætrrea oriundo Aquitanus, cui nomen erat Ramnulpho, ab ineunte mutus ætate, surdusque, et pene ad faciem pecoris in alvum pronus, huc perductus, maximo rarissimoque miraculo affatum repente obstructarumque aurium sortitus apertionem, etiam secundum prærogativam hominis, ad

(*a*) *Albuino præsuli.* Qui et Witta vocatur alio nomine, et Wittana in epistola Zachariæ papæ ad ipsum data, in qua vocatur episcopus *Ecclesiæ Barbaranæ*, Hanc vocem explicat Serarius de Buriburgo, cujus episcopum fuisse ait Albuinum : neque repugno. Ob hoc ergo erat episcopus oppidi Pritislariensis quod Fritislarium esset in diœcesi Buriburgensi ac velut suburbium oppidi Furiburgensis. Sic archiepiscopus Narbonensis dicebatur olim *archiepiscopus Redensis*, quod Redensis pagus situs esset in diœcesi Narbonensi. Sic Ausonensis episcopus vocabatur *episcopus Manresensis*, quod Minorissa seu Manresa sita esset in diœcesi Ausonensi. Sic Helenensis vocabatur *Rossilionensis*, quod Rossilionis sive Ruscinonis oppidum ea in diœcesi situm esset, et quia comitatus Ruscinonensis constituit maximam partem diœceseos Helenensis. Et sic de cæteris.

(*b*) *Herolfesfeldt.* Quod postea vocari cœpit Herveldia. Lambertus Schafnaburgensis ad annum 844 : « Ludovicus venit ad Herolfesfelt II Kal. Novembris; et privilegia monachis dedit, suoque sigillo munivit. Monachi quoque ejusdem Herveldensis monasterii reconciliati sunt cum Otgario archiepiscopo.

(*c*) *Invexerunt.* Tempus illius translationis non est adnotatum a Lupo. Browerus tamen eam contigisse putat haud multo post Saxonum incursiones, id est circa annum 780.

intuendum cœlum erectus est. Ita triplici enim hac debilitate conflictatus, totidem se humani usus compendia subito meruisse miratus est.

312 CONCLUSIO OPERIS.

Hæc inchoata, ut voluistis, quam absoluta oratione direxi; qua neque commentitium aliquid extrinsecus addidi, et quæ vestra solertia jussit inserenda servato tramite veritatis expressi. Quæ beatus confessor Christi Wigberchtus utinam pio prosequatur favore: ac vobis, qui ministratis materiam, una mecum, qui hanc in aliquam redegi formam, intercessionis vicem compensare dignetur.

B. SERVATI LUPI

FERRARIENSIS ABBATIS

HOMILIÆ DUÆ IN SOLEMNITATE S. WIGBERTI

313 HOMILIA PRIMA (*a*).

Gaudete et exsultate in Domino, dilectissimi fratres, qui devotis mentibus ad solemnia sancti Wigberti convenistis; et Dominum Jesum Christum multimodis devotissime collaudate, qui nunquam derelinquit sperantes in se, sed misericorditer nobis in hoc miserrimo mundi ergastulo constitutis patronos pro nobis laudabiles ad intercedendum procuravit; quatenus per hos Christianæ religionis imbuti, ferculisve satiati cœlestibus, spem cœlestium præmiorum jam habere possimus, si illuc corde et opere sequamur. Ipse quoque Dominus noster Jesus Christus, omniumque creator sanctus, omnes sanctos condidit; et nullus unquam per se fit sanctus absque Dei larga providentia. Ideo quippe, sicut in sacris legimus Scripturis (*Luc.* II), ab Abel protomartyre usque nunc glorificat sanctos et electos suos salutiferis in hoc mundo miraculis, qui mundialibus non fuerunt comprehensi illecebris; sed omni quidem conamine mentis et **314** corporis recte cogitando, atque ab omni iniquitate se continendo, diabolicis efficacissime resistebant suggestionibus. Quapropter divina exuberante gratia consortes et hæredes sunt angelicis in cœlo sedibus, ubi nil ulterius desiderare queant, sed Domini Jesu Christi insatiabiliter visione ac consortio supernorum civium perfruantur. Et ideo, fratres charissimi, assumamus nobis divino suffragio arma et exempla illorum, qui per imaginabilem Dei adjuvamine fidem vicerunt regna transitoria, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones; et, sicut namque Dominus Jesus Christus veridica in Evangelio voce prædixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Paulus sane egregius prædicator præmonuit ita dicens: *Non habemus hic manentem* in cænoso mundo *civitatem, sed futuram* bonis operibus *inquirimus* (*Hebr.* XIII). Quamobrem namque oportet vobis, qui sincerissimam apostolorum fidem tenetis, ut in omnibus sagaci atque infatigabili mente, quantum quiveritis, illos imitari studeatis. Quæ, sicut legimus in sacris paginulis, tanto accensi fuerunt apostoli amore Christi ut nec ullo modo tormentis, vel minis regum, necnon etiam persecutionibus infidelium ab illo possent evelli, sed firma fide et opere vel indissolubili charitate unanimiter perseverarent, donec divina ab hoc mundo vocatione cœlestia scandere meruerunt. Quid enim dicimus de virginibus? quia humanis non sufficit ingeniis de illis aliquid pro fragilitate carnis condignum scribere vel imitari, quibus fuit una fides, immutabilis amor, charitas una; eratque **315** illis virginitas carnis, corpus intactum; virginitas animæ, fides incorrupta. Et ideo vero, quia fuerunt piis in Christo Domino studiis adornatæ, virtutum palmas coronasque dignis acceperunt in cœlo præmiis. De martyribus quoque quid dicendum est? qui panniculis despectisque vestibus corpora ad tormenta tradiderunt terrestria, quatenus Deum dominatorem omnium habere et cum illo æternaliter regnare mererentur, respuerunt florigeros hujus mundi flores cum fallacibus curis quæ homines commentis suis ludificant, totisque viribus Dominum Christum dilexerunt, et propter hoc in cœlestibus thalamis regnant. De confessoribus, ex quorum collegio iste Dei famulus est, vel etiam omnibus sanctis legimus in divinis historiis omnes cum diversis ab hujus mundi calle tribulationibus cœlestia scandere; de quorum scilicet omnium sanctissima vita aliquid nobis imitandum est, in quantum humana suppetit fragilitas; quia ad imaginem Dei facti su-

(*a*) Homilias istas debemus Joanni Busæo, presbytero e societate Jesu, qui eas anno 1604 Moguntiæ edidit in libro Paralipomenon. Lupi autem esse non aliunde constat quam ex conjectura ejusdem Busæi, qui ea de causa eas Lupo adjudicavit quod in codice Dominicanorum Moguntinensium Vitæ sancti Wigberti adjunctæ essent. Nos, tametsi nihil certi statuere poteramus, eas tamen hic desiderari noluimus, ut neque hymnos duos in festivitate ejusdem sancti. En ipsius Busæi verba: «Quoniam ante biennium cum Hincmari epistolis edita est Vita sancti Wigberti, quondam sancti Bonifacii, archiepiscopi Moguntini, socii, auctore Lupo Servato nunc placuit hymnos duos ac item homilias duas in ejusdem laudem ab eodem auctore, ut apparet, conscriptas addere, quas in vetustissimo ms. codice Dominicanorum Patrum in hac urbe Moguntina degentium Vitæ sancti Wigberti adjunctas invenimus.»

mus, sicut et illi. Et ideo siquidem altithrono Deo nostras impollutas imagines reddere debemus, sicut alibi dicit : Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo (*Matth.* XXXII. *Marc.* XII, *Luc.* XX). Si nos in comparatione illorum lutulentam pro sanctitate habemus vitam, tamen quippe in desperationem, quæ periculosa est, cadere Domini adminiculo non debemus, quia *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV) suo fine distinctæ sunt. Etenim omnipotentis benigna atque ineffabilis voluntas nil discernit nisi illud quod justissime convenit. Nemo vero de supra memoratis sanctis tam doctus [*leg.* sanctus] fuit qui summa non iudigncrit misericordia. Non enim ita ulli divinorum **316** bonorum sufficiunt augmenta ut non semper amplius supersit quod mens armata divinis suffragiis et intelligendum desideret et gerendum. Quamobrem nemo de magnitudine iniquitatum suarum desperet, sicut alibi dicit : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Sed tamen videlicet acceleranda est medicina conversionis ad Deum, ne tempus correctionis atque emendationis pereat tarditate atque negligentia, quia nemini nostrum ultima dies nota est. Ideoque veridicis Pauli sententiis aures cordis accommodemus, ubi dicit : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII). Nulla enim Domini nostri Jesu Christi opera misericordia vacant, quando homini et indulgentia consulit et castigatione ; et misericorditer providet temporalem austeritatem, ne æternam juste inferat ultionem. Et ideo nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria amœnissimum perdat locum. Idcirco qui Deum quærit bona voluntate, in quo est summum bonorum omnium cuncta intra se bona perfectaque continens, nihil aliud quærit nisi sempiternum in cœlo gaudium. Quæramus ergo Dominum, sicut beatus iste Dei famulus fecit, et propter hoc coram Deo et hominibus coronatur. Quæramus illum armis cum quibus eum invenire possimus, Deum diligendo, proximumque amando, eleemosynam dando, ecclesiam assiduis orationibus frequentando, armisque semper diabolicis Domino donante resistendo, quia etiam per varios casus mortalis vita, quasi mundi orbita, concurrit. Nemo in hac vita gaudia habet cœlestia. Sed ab initio mundi usque **317** huc multi deviaverunt per ignorantiam, quia inter multa turbulenta et fallacia Deum nosse et amare difficile est. Propter hoc faciamus sicut propheta dicit : *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus* (*Isa.* LV). Quærite igitur bonum sine fine, et persistite in reperto; quia veram etiam beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est, quod contradici nullo modo potest. Neque enim fas est homini cunctas divinæ operationis machinas vel ingenio comprehendere vel explicare sermone. Veniet tempus quando ea quæ nunc specie gerimus rerum veritate capiamus. Hæc vero strictim breviterque attigimus. Cæterum quid felicius, quidve salubrius, quam servire Deo, qui mundum tantis gubernaculis regit, et *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II) : quatenus sane, cum generalis advenerit dies, omnes læti pro bonis operibus, et Dei suffragio protecti, æternam beatitudinem una cum sanctis suis accipere mereamur.

HOMILIA II.

Restat igitur adhuc aliquid de sancto Wigberto brevi sermone narrare ; qui tantis in hoc mundo beneficiis omnibusque Christicolis claruit, ut merito totus Christianus populus summa veneratione de solemnitate illius gaudeat ; maxime namque nos, qui in suum apud Deum patrocinium hic et in futuro confidimus. Credimus **318** siquidem illum in præsentia Domini nostri Jesu Christi omnia posse impetrare de quibus illum piis devotisque poscit precibus, dum tanta in præsentia populi miracula sicut sæpe audistis, pro ejus laude nobilitavit. Videtis ergo, fratres charissimi, quanta humano generi gloria est Deum devota mente sequi, qui nunquam in tribulationibus derelinquit sperantes in se, sed omnes scilicet qui pro amore illius florentem despiciunt mundum æternis in cœlo gaudiis honorifice sublimat, sicut ipsa Veritas testatur dicens : *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum* (*Joan.* XIV). Paulus quoque apostolus de diligentibus Deum dixit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Erat quippe vir iste sanctus Wigbertus, sicut sacra fama narrat, omni dignitate præclarus, corde pro Dei amore lætus, moribus semper compositus, in omni opere Dei strenuus. Ejus vero secreta conversatio in vigiliis et orationibus, vel etiam in jejuniis, in sanctitate vitæ, et signorum ostensione intelligi datur. Charitatem siquidem assiduus labor ostendit quem quotidie pro Christi nomine sustinuit. Semper enim omnes dies vitæ suæ in divino proficiens opere fuit omnipotenti amabilis pro eximiis operibus, et omni populo placabilis. Ab infantia enim cuncta quæ habere potuit ad pietatis opus largifluis manibus tribuit, ut Christum, pro nobis factum egenum, egens ipse sequeretur. Quis enim tam loquax in lingua ut singillatim omnia mirabilia, vel beneficia quæ per illum Deus operatur assiduis explicare valeat **319** verbis ? Non enim de crastino cogitans, sed semper secundum Evangelium de Dei confidens clementia, omnes ad se venientes æternis pascebat ferculis. Nullum scilicet in sua despiciebat augustia; sed semper divino mœstos reficiebat solamine, fraterno suffultus amore ; cunctisque propter Deum prodesse satagebat. Mente videlicet et corpore ad sublimia erectus, hospes et inops mundo fuit. Quamvis namque terrenis nutritus esset usibus, totis tamen semper viribus cœlestia tractabat. Quamobrem

scilicet cum Domino æquissimo necnon et cum omnibus in cœlo habitatoribus æternaliter coronatur; ubi nunquam potest gaudiis fraudari cui Christus est gaudium. Idcirco nos quippe, quantum divina suffragante gratia poterimus, illum totis viribus tantum imitari studeamus ut, si talia in cœlestibus præmia acquirere non poterimus, saltem aliquo in cœlo refrigerio non privemur. Habemus ergo arma justitiæ, sicut iste Dei famulus tenuit, Deum diligendo, proximumque sine simulatione amando, caritatem et pacem cum omnibus habendo (quia Christianæ perfectionis est pacificum esse cum suis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis), humilitatem et patientiam corde et opere ostendendo; quia malignus spiritus et superbus hominem primum superbientem deduxit ad mortem, Christus quoque B humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Simus namque pietatis et Christianæ religionis amatores, misericordes, ad opus bonum unanimes, concordiam, quæ est custos virtutum, firmiter custodientes, sicut alibi dicit. Cavete ergo viri ne sit in vestris mentibus sententia **320** discors: quod sapimus conjungat unus amor; quod vivimus et intelligimus uno eodemque constet studio. Nil firmum est dissociabile, et nil est in hominibus Deo placitum sine pace, nec munus amplissimum ad aram. Similiter etenim e contrario divinis armati suffragiis, fugiamus arma diabolica, id est, superbiam. Omnia enim vitia in malis operibus tantum valent. Sola superbia in perfectis rectisque factis cavenda est: quia sine dubio frangit Deus omnem superbum, et semper superbis resistit. Postea quoque toto nisu vel affectu cavenda est C ebrietas: quæ est radix omnium mortalium ad peccandum. Iram videlicet fugiamus, quæ sæpissime stomachando in proprium cadit lethum. Luxuriam et (*a*) avaritiam, Deo donante, a nobis quasi venenum expellamus. Luxuria vero malesuada mellisque sapore damnat in pœnas incorrigibiles. Nil namque in moderno tempore omne henus humanum tam miserabiliter devastat quam avaritia. Odium ergo et invidiam a nostris cordibus respuamus: quia omnino non concedet Christiano ut imaginem Dei in odio habeat. Sed tamen in malis odimus prorsus malitiam, et diligimus creaturam. Discordiam quoque et fraudem divinis munificentiis adjuti fugiamus. Nil nam- A potest boni esse ubi fraus et discordia regnant. Pudet autem de his longius disputare. Omittamus malas, Domino adjuvante, sirenas, quæ hominum mentes assuefaciunt morbo, non liberant. Teneamus etiam illas virtutes in quibus est sola sanitas et æterna felicitas. Ideoque, dilectissimi fratres, scitote quia in maxima egestate sunt divites in hoc mundo, justitiæ et veritatis opes non habentes. **321** Qui autem altithrono Domino fideliter serviunt, ea bona inveniunt quæ nullatenus perire possunt. Parva enim sunt præsentis sæculi bona. Nunquam vero nisi per negligentiam et incuriam perdit æterna. Quamobrem de triumphali Christi signo signati estis, et Domino opitulante vultis ancipitem superare vitam, in qua nihil est aliud nisi seductiones et infestationes, diligente semper moribus et operibus quod verus amator Christus jam habet. Fervent enim mundi amatores pro damnis proque pestiferis lucris. Idcirco namque, quia mundus amaritudine et casu totus est plenus, et fluunt gaudia falsa appropinquante Deo bonis et operibus, et appropinquabit vobis. Quærite illum, non ficte, sed veraciter, et invenietis illum. Nullus obsecro dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæsitet, nec de piæ petitionis effectu: quia quanto fiducialius et benignius Deum deprecamur, tanto citius exaudiri mereblmur. Fides enim omnibus bonis abundat, sicut in Evangelio ipse Salvator ait (*Matth.* VII). Omnis enim qui cum fide petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Et iterum: *Omni habenti dabitur, et abundabit. Ei autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XIII). Habemus igitur multa in divinis paginulis exempla patrum nostrorum. Habemus etiam ante oculos exempla certissima, sicut hujus sancti viri, cujus hodie festivum celebramus diem: qui patriam cognationemque et amicos sæculares fervente fide pro amore Dei dereliquit, terrena contempsit cum pompaticis laudibus, ut cœlestia conquireret. Despiciamus quoque, Domino suffragante, mundum, et amemus **322** cum præceptis ejus Creatorem nostrum; quatenus per præsentia bona quæ agimus ad gaudiæ æternæ felicitatis pervenire valeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui patria virtute trinus et unus vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) *Avaritia*. Pecuniæ nimirum, ut manifestum est. Quanquam et nonnulli vetusti scriptores, dum rhetoricantur, avaritiam alio quoque transferunt, ad gloriam videlicet et ad libidinem. Q. Curtius lib. IX: « Rursus avaritia gloriæ et insatiabilis cupido famæ nihil invium, nihil remotum videri sinebat. » Ba- D chiarius in epistola ad Januarium de recipiendis lapsis: « Non enim potestis solam in pecunia avaritiam computare: quia maxime avaritia vel in libidine esse sentitur, cui nunquam finis imponitur. » Sic Horatius in libro de Arte poetica, versu 329, dixerat: *Laudis avarus.*

HYMNI

DE SOLEMNITATE SANCTI WIGBERTI.

I.

Wigberti dies natalis
Venit modo mirabilis,
Lucem jam nos illuminans,
Quos servet Christus glomerans.
Iste confessor Domini,

A Frater in mente humilis,
Quem Christus jam prædixerat,
Ut regnum ejus capiat.
Hujus oratu credimus
Ad castra cuncti pergimus,
Si cultum ejus agimus
Qui sedet super angelos,
Qui sedet super cherubin,
Simulque super seraphim,
Sideraque agmina
Regit sua potentia.
Ipseque nos tartareo
Eripiat a tormento,
Zabuli et a laqueo
Defendat suo labro.
323 Sancte Wigberte, quæsumus,
B Ora pro nobis omnibus,
Ut lavet nos crimintbus
Rex angelorum Dominus.
O Pastor alme, pro clero
Interveni jam devoto.
Digna tua oracula
Tollunt nostra piacula.
Salvator noster, relaxa
Et dele nostra crimina
Per confessoris inclyta
Sancti Wigberti merita.

II.

En piis splendent revoluta votis.
Annuo nobis veneranda cultu,
Festa Wigberti. Populo frequenti
Christe faveto,

Hic velut clara rutilans lucerna,
Indolis primæ radios micantes
Sparsit in mundo, gradiendo callis
Ardua dextri.

Utique nil sacri meriti deesset,
Subdidit summæ piæ jussioni
Colla, quo Christi crucis et minister
Pauper adesset.

Ipsa quem tantum Deitas beavit,
Quo foret seclo sibi commoranti
Forma, sic æque via lapsitanti
Posteritati.

324 Cujus exemplum glomeret in unum
Turbam haud parvam sibi servientum
Semper ut Christi resonet fideli
Pectore laudes.

Quam Deus cunctis redimet ærumnis,
Cum potens dextram quatitur coruscam.
Ultimi donans requiem laboris
Visere sese.

Patris hoc proles, Pater hoc et ipse
Præstet, hoc flatus per utrique sanctus;
Unicum nomen Deitatis omni
Est quibus ævo.

ANNO DOMINI DCCCLXVI.

RODULFUS

BITURICENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA IN RODULFUM

(Ex Gallia Christiana, tom. III.)

C RODULFUS nobili et antiqua stirpe ortus erat, nimirum Rodulfo Cadurcorum comite, et Aiga, paris cum nobilitatis tum pietatis parentibus,(*a*) a quibus primum ad clericatum instituendus traditur Bertrano viro religioso, assignata in titulum patrimonii villa quadam *extra consortium fratrum;* quemadmodum Emenanæ, Rodulfi sorori, ad sanctimonialium habitum tradendæ, quamdam cedunt ecclesiam nobiles parentes. Per clericatum potest hic intelligi monachatus, qui non raro in antiquis scriptoribus per clericatum designatur; maxime cum videamus Rodulfum abbatem ante episcopatum fuisse. Nec obstat titulus ei datus, seu villa loco tituli clericatus velut assignata: nam id solebat fieri etiam pro monachis, uti probat charta Rotardi cujusdam in tabulario Belliloci, apud Lemovices, unde erutum instrumentum de villa patrimonii loco data Rodulfo : nam Rotardus ibidem concedit Rodulfo abbati: Bellilocensi (is erat noster Radulfus), et monasterio Bellilocensi, *pro clericatu cujusdam consanguinei sub nomine Gumberti*, ut idem Gumbertus hæc teneat, *usque dum abbas et monachi supradicti loci, aut ecclesia alium ei honorem concedat, ut secundum clericatus sui officium vivere possit.* Eodem itaque modo, quando Rodulfus noster ado-

(*a*) Ex Mabill. sæc. IV Bened. parte II, pag. 156. Hi fuerunt filii Rodulfi Comitis et Aiguæ: Rodulphus clericus (ipse est archiepiscopus noster), Godefridus comes, Rotbertus, Landricus; Emenana filia eorum fuit abbatissa S. Generii, apud Sarrasiacum. De Johanne qui fuerat Abbas Bellilocensis altum est silentium. Infra tamen Johannis hujus fiet mentio. Roberti conjux Retrudis sepulta est in monasterio Bellilocensi. De iis plurima habes in historiæ Tutelensis appendice.

lescens a parentibus traditus est ad monachatum, simul parentes dederunt villam indominicatam Bellomontis in pago Lemovicino, ut probat monasterii S. Petri Bellolocensis charta donationis hujus villæ, quam exhibet Mabillonius sæc. IV Bened. parte II, page 157. Deinde Rodulfus fuit abbas incerti loci; nam probat Mabillonius ad annum 840, ipsum quando adeptus est sedem Bituricensem, abbatem quidem fuisse, sed nondum Floriacensem, aut Veterinensem, seu Bellilocensem : quæ duo monasteria nondum erant condita.

Rodulfus præesse cœpit metropoli Bituricensi anno circiter 840 aut 41, et sane anno 840 adhuc tantum abbas vocatur in venditione villæ Beliaci facta a Bosone ejusque conjuge Talasia *abbati Rodulfo* (noster est Rodulfus) *anno primo Lotharius excellentissimus imperator assumpsit imperium*, mortuo videlicet Ludovico patre mense Junio anni 848. At paulo post Rodulfus factus est Bituricensis archiepiscopus, uti docet ipse in charta quam suum testamentum appellat; in cujus fine legitur : *Rodulfus primæ sedis episcopus huic testamenti chartulæ subscripsit... Datum mense Martio, anno primo Caroli regis.* Annus erat primus Caroli regis cognomento Calvi, post Ludovici patris mortem. Et hic forsan adhuc computabatur Christi 840, usque ad Pascha.

Ut de rebus a S. Rodulfo gestis in episcopatu nunc dicamus, eodem anno quo cathedram conscendit Veterinense construxit cœnobium (*apud Lemovices*), de cujus fundatione Mabillonius vulgavit instrumentum in elogio sancti antistitis tom. IV Actorum SS. Benedict., parte II, quo Domino Salvatori res quasdam suæ proprietatis offert, Suraziacum videlicet, cum villa S. Genesii, situm in pago Caturcino, in vicaria Casiliacensi, necnon *casam dominicariam* apud Veterinas super fluvium Sordarien (la Sordoire), in orbe Lemovicino. Hæc autem ab Aiga matre acceperat. Huic autem cœnobio præfecit Silvium abbatem; eumque procul dubio, quem hoc tempore Solemniacensem abbatem fuisse videmus. Patroni novi monasterii erant, præter mundi Servatorem, apostoli Petrus et Paulus, omnes apostoli, sancti Laurentius, Sebastianus, Dionysius, Mauricius, aliique martyres; confessores Hilarius, Martinus, etc.

Eodem anno 840, conditum est Rodulfi munificentia Bellilocense monasterium super fluvium Dordoniæ, cujus Veterinense postmodum factum esse prioratum legimus; unum autem ab altero parum distat. Huic abbatiæ Rodulfus voluit præesse venerabilem Gairulfum abbatem (quamvis ipse tam Bellilocensis quam Veterinensis monasterii uti abbas gereret soilicitudinem).

Anno 843 pius archiepiscopus ad condendum aliud monasterium (*a*) intra suæ diœcesis fines animum applicuit, ad quod dotandum quædam ecclesiæ suæ prædia contulit. Ab universo vero constructum est apud Doverum (*Dèvre*) postea ob accolarum inclementiam et infestationes, translatum est in castellum proximum Virzionem dictum. Doverensis monasterii novæque congregationis ibidem Deo famulantis primus abbas post Rodulfum, qui omnibus his monasteriis præerat, fuit Aimericas, cujus meminit Carolus Calvus in præcepto pro hujus monasterii confirmatione dato (*b*).

Eodem anno, adjuvante Aigua matre, prope castrum Caziliacum, in pago Caturcino, et villa Sarasiacensi, condidit puellare cœnobium, uti præmonuimus, cujus abbatissa fuit Emenana, Rodulfi soror. Tanta fuit Aiguæ comitissæ liberalitas in condendo hoc parthenone, ut pro fundatrice habeatur. Ibi quo-

A que condita est post mortem, prope Rodulfum comitem virum suum ibidem sepultum. In litteris Aiguæ dicitur fundatum hoc sanctuarium, consentientibus Rodulfo archiepiscopo, Godalredo comite, Roberto, Landrico, et Johannæ Aiguæ liberis. Tempus autem conditi loci in hac litterarum clausula innotescit : *Facta sessio ista in mense Februario, in anno I obitus bonæ memoriæ Rodulfi jam dicti* (comitis conjugis Aiguæ) *et anno tertio* quo *assumpsit imperium dominus Lotharius.* Relictis vero rebus monasticis, ad alia majora fortassis momenti transeamus. Anno 845 interfuit conciliis Meldensi, Moguntino anno 848, si Trithemio fides debeatur; Tullensi, in villa dicta *Saponariæ*, mense Junio anno 859, in quo judex eligitur cum Remigio Lugdunensi et aliis præsulibus, in causa Wenilonis archiepiscopi Senonensis, adversus quem hac in synodo Carolus Calvus rex libellum proclamationis obtulerat. Subscripsit autem epistolæ omnium astantium episcoporum ad eumdem Weni-
B lonem, et alteri ad Britonum præsules, qui ab Herardo Turonensi archiepiscopo suo metropolitano defecerant. Legitur etiam ejus subscriptio in concilio Tullensi secundo apud Tusiacum anno 867, ubi Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, jussu synodi, ad nostrum Rodulfum et ad Frotorium Burdigalensem archiepiscopum scripsit conventum episcoporum eis qui primarum sedium regni Aquitanici antistites erant, definiendam commississe causam de nuptiis Stephani, et filiæ Regimundi comitis; adhibito coepiscoporum et primorum terræ consilio, uti legitur tomo VIII, Conciliorum, et tom. III Concil. Galliæ. Occurrit ejus nomen in subscriptionibus privilegii S. Dionysii, anno 862 dati, in prima synodo Pistensi, et constitutionis pro cœnobio S. Germani Antissiodorensis, factæ in synodo Pistensi II anno 864.

Cæterum Nicolaus papa I Rodulfum Aquitaniarum primatem esse agnovit, et patriarchæ titulo decoravit, in epistola quæ legitur tomo VIII Concil. Labbei,
C decima nona primæ appendicis, col. 504. Hac in epistola notatu digna est Nicolai papæ responsio ad Rodulfi nostri quæsita, qua definivit ordinationes factas a chorepiscopis minime iterandas : *Ad formam enim septuaginta* (discipulorum) FACTI SUNT, inquit, *quos quis dubitet episcoporum habuisse officia!* Idem papa (*ep.* 40) monuit Rodulfum ut penitus abstineret a communione Theutgaudi et Guntarii episcoporum, quos damnarat apostolica sedes. Flodoardus lib. III, c. 21, meminit litterarum quas Hincmarus Rhemorum archipræsul ad eumdem scripserat, ut ipsi bonorum abbatiæ S. Remigii in pago Lemovicensi custodiam commendaret ac defensionem.

Rodulfus quindecim capita de rebus ecclesiasticis condidit pro Diœcesis suæ clericis et sacerdotibus. Edidit nuper V. C. Stephanus Baluzius tomo VI Miscellaneorum p. 139, ejusdem capitula, de eodem fere argumento. Post ecclesiam Bituricensem diu pie ac strenue administratam, et monasticum ordinem multis in locis propagatum obiit, titulum sancti
D merito consecutus, anno Christi 868 teste Adone XI Julii, sepultusque est in basilica S. Ursini apud Biturigas, ubi magna veneratione colitur : Unicus duntaxat nævus in sancti hujus archiopiscopi vita deprehenditur, quod tot abbatias obtinuerit. Sed in iis quas fundaverat nihil sibi lucri retinuit; omnia vero in monasteriorum emolumentum refundere curavit. Et iis quidem abbates dedit; abbatis titulum nudum fere sibi etiam servans, id est, patris, qui optime conveniebat munifico fundatori. In hoc tamen reprehensione dignus visus est patribus synodi Tullensis ad Saponarias ano 857 habitæ, quod Floria-

(*a*) Rodulfum non fuisse primum hujus monasterii architectum aut fundatorem suadere videtur quædam charta ejusdem loci quæ incipit : *In nomine*, etc. *Carolus gratia Dei rex*, etc *Statuimus atque firmamus ut prædicti monachi supradictas res cum omni integritate a venerando pontifice Rodolpho vel ejus antecessoribus ad eorum stipendia deputatas perpetuo teneant*, etc. Forte irrepsit errore librarii *antecessorum* pro *successorum.* Neque enim hujus diplomatis Carolini habemus autographum.

(*b*) Vide Mabil. sæc. IV Ben. part. II, p. 158.

censem abbatiam cum archiepiscopatu possedisset.

Hanc ipsi Carolus Calvus concesserat, vivente etiam Bernardo abbate; Rodulfum hoc beneficio demereri sperans, quo in Aquitanorum motibus uteretur; quippe ob generis nobilitatem, affinitates cum Aquitaniæ proceribus pene omnibus, sedis dignitatem, maxime vero propter sanctitatis famam, archiepiscopi hujus potestas erat maxima. Sed in concilio I Tullensi Patres id moleste tulerunt et in capitulo 11 legitur: « Postulavit humiliter generalis synodus se ad terram usque prosternens ante Karolum regem et Rodulfum Biturigum archiepiscopum obsecrans et adjurans per crucem et Christi sanguinem, ut privilegium monasterii S. Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat qui præfatam abbatiam irregulariter tenebat, ratum et inconvulsum servare studerent. » Rodulfum abbatiæ cessisse autumat Mabillonius, quia *Bernardus abbatis officium ad aliquot annos gerere non destitit;* sed forsan vicaria, non suprema potestate. Inter cæteras animi dotes eminuit in hoc præsule summa prudentia, qua principum ab invicem dissidentium et pro regno decertantum gratiam sibi conciliavit. De Caroli Calvi erga eum benevolentia jam diximus, ubi narravimus ab hoc principe etiam contra leges ecclesiasticas datam ipsi fuisse Floriacensem Ecclesiam. Eidem quoque munificum se probavit Pipinus Junior, Aquitaniæ rex, filius alterius Pipini, Aquitaniæ quoque regis; concessitque nonnullas villas, de quibus agit principis hujus diploma, quod legitur datum indict. XI anno decimo regnante Pipino inclyto rege.

RODULFI CAPITULA

(Apud Baluz., Miscellanea sacra, tom. II.)

INCIPIT PROLOGUS.

RODULPHUS exilis servorum Dei servus, fratribus et consacerdotibus Bituricensis Ecclesiæ nostræ salutem.

Non latere credimus beatitudinis vestræ solertiam quanta ecclesiasticæ nobis disciplinæ, quantisve quotidianis sollicitudinibus subditorum insuper et temporalium oppressionibus rerum, quibus indesinenter undique coangustamur, sollicitudo constringat. Idcirco, ut vobiscum contuli, ex antiquorum scriptis, Scripturarum quoque ac canonum orsis excerpere dudum opusculum vitæ sacerdotalis pœnitentiæque ac satisfactionis minime quivi: quoniam animus partitus per diversa sit tardior ad singula. Non enim renisus sum petitioni vestræ velut otii tædio durus, sed supradictæ impossibilitatis nervo vinctus. Jam vero tantorum nolens resistere querimoniis dignum ac utile fore censeo condignis parere desideriis laudabilibusque satisfacere petitionibus. Quapropter me ipsum, fratres, abnegare nolo, sed ardenti animo, sine aliquo excusationis verbo, hujus ponderis sarcinam a vobis illatam, a Domino quoque sublevandam, arripere non recuso, jactans in Christo meum cogitatum, cujus hortatu huic operi tribuam incrementum. Ipse enim inquit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud.* Valde etenim me sollicitat quoniam ita in sacerdotum nostrorum libellis reperi quos vulgo pœnitentiales vocant (*Conc. Cabilon.* II, *cap.* 38), quorum errores certi, auctores sunt incerti, confusa judicia pœnitentium atque ita diversa et nullius auctoritate suffulta, ut vix animus prudentis prope dissonantia tanti discriminis possit sustinere jacturam. Hos vero obliterans, et studium meum certis atque catholicis scripturis accommodans, quid agere sacerdotes, qualiterve conversari vel quomodo Christi gregem veluti pastores ingenio compotes et sermone tantum medicinali antidoto levigatum ad perpetuæ caulas pascuæ revocare oporteat, ex sanctorum Patrum canonumque sententiis exiguum opus in uno volumine aggregare curavi. Et ut fastidiosis et minus eruditis lectoribus tædium minime inferrem, hujus modici opusculi summam quadraginta quinque capitulis perstrinxi. Si autem quis paschalibus multimodisque refertus dapibus hunc nostri laboris spreverit actum, in his obsecro charitate servata opibus utescat cecropiis, nostris omittens contraire purissimæ devotionis sine aliquo arrogantiæ fastu conatibus. Legentium quippe totis præcordiorum nisibus efflagitare non cesso industriam quatenus dilectionis munere recreati, quæ in his membranis conspicuo corrigibilia et minus apta perspexerint ocello, absque dilacerationis obstaculo, non ut obtrectatores insani, sed tanquam amplectitores benevoli, emendare atque corrigere charitative studiose studeant, ut et perfectio dilectionis servetur in mente, et effectus optimi studii exerceatur in opere. Unde posco vos, o fratres dilectissimi, fundite pro meis peccaminibus supplicibus votis ad Dominum preces, quod clemens atque multum misericors vincula pravitatis meæ absolvat, et gaudia æterna concedat. Deus omnipotens æternus pastor vos ubique protegat et ab omnibus perturbationibus liberet.

CAPUT PRIMUM.

De fide sanctæ Trinitatis, qualiter tenenda sit a presbyteris et prædicanda.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 76.) Primo omnium credendum est atque omnibus generaliter prædicandum Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et unam esse deitatem et substantiam et majestatem in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti. Itemque quoniam Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto et Maria Virgine pro salute et reparatione humani generis, homo factus, passus, sepultus, tertia die resurrexit, et ascendit ad cœlos, sedetque

ad dexteram Patris, et quia venturus sit judicare omnes homines propter merita propria, et quoniam omnes mortui in vera carne resurgent, impii propter scelera sua cum diabolo in ignem mittendi æternum, justi vero cum Christo et cum angelis suis in vitam consociandi æternam.

CAPUT II.

De honore et restauratione ecclesiarum.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 67, et lib. VI, cap. 377.) Placuit nobis admonere fratres et consacerdotes nostros ut ecclesia Dei per illorum parochias suum habeat honorem, et altaria secundum suam dignitatem venerentur et exornentur, domusque Dei et altaria sacrata non sint avibus et canibus pervia, et ut sæcularia negotia et vaniloquia in ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum (*Matth.* XXI), et non ob aliam causam in ecclesiam convenire debere nisi ad laudandum Deum et ejus servitium faciendum. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 10.) Disceptationes vero et tumultus et vaniloquia et scurrilitas cæteræque turpes actiones ab eodem sancto loco penitus prohibenda sunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, sacrificium Deo offertur, angelorum frequentia inesse non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere vel agere quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit qui victimas quas ibi offerebant emebant et vendebant (*Matth.* XXI), quanto magis illos iratus abjiciet qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, et hujusmodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant? Monemus etiam ut prædictas ecclesias bene construant et emendent juxta rerum possibilitatem, et luminaria eis tribuant, sicut decet, ut in omnibus honorificetur Deus, et Ecclesia sancta Christi sanguine mercata veneretur, magnificetur atque exaltetur (Lib. II *Capitular.*, cap. 5).

CAPUT III.

Ut missa nequaquam alibi nisi in ecclesia celebretur. Et ut in ecclesiis cellaria non fiant.

(*Capitulare Theodulphi*, cap. 11.) Missarum solemnia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus et in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est: ***Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus ut ponat nomen suum ibi***; excepta ratione eorum qui in exercitum pergentes ad hoc opus habent tentoria et altaria dedicata in quibus missarum solemnia expleant. Videmus etiam crebro in ecclesiis messes, vinum, fenum, et cæterarum frugum species congeri. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 8.) Unde horrea vel cellaria potius quam ecclesiæ esse probantur. Et ob hoc, quod nefas est, homicidia, adulteria, furta, comessationes, ebrietates, turpiloquia, et his similia illicita, quæ visu et auditu obscena sunt ibi fieri sæpe a plurimis didicimus. Quapropter volumus ut hoc penitus observetur quatenus in ecclesia nihil aliud præter vestimenta ecclesiastica et vasa sancta et libros et ea quæ honori congruunt vel non officiunt ecclesiastico recondatur; ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, a Domino audiamus: ***Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.*** Et iterum: ***Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.***

CAPUT IV.

Ut in ecclesiis deinceps sepulturæ mortuorum non fiant.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 9.) Antiquus in his regionibus in ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, et plerumque loca divino cultui mancipata et ad offerendas Deo hostias præparata cimiteria sive polyandria facta sunt. (*a*) Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis aut cujuslibet justi hominis qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora vero quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt nequaquam projiciantur; sed tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, et pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi vero tanta est multitudo cadaverum ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cimiterio habeatur, abbato inde altari, et in eo loco constructo ubi religiose et pure Deo sacrificium offerri valeat.

CAPUT V.

De libris et vestimentis ecclesiasticis vel sacerdotalibus et de vasis sacris.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 68, 103, et lib. V, cap. 229.) Admonendi etiam sunt sacerdotes ut operam dent quatenus missalem et lectionarium, psalterium, sive alios libellos sibi necessarios bene correctos habeant, quia sæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros suos non sinant vel legendo vel scribendo eos corrumpere, corrigere, vasaque Deo sacrata magna veneratione habeantur. Et non liceat alicui calicem aut patenam aut quodlibet vas sacratum et divino cultui mancipatum ad alios usus retorquere. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 18.) Nam quicunque de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguinem, qui in sacramento accipitur, et patenam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit. Statuimus quoque ut cum summo studio linteamina nitida altaribus præparent, et sacerdotalia indumenta cum quibus sacrificatur optima pro viribus et munda habere satagant, et sive nova sive vetustate confecta ad alios usus transire nullo modo sinant.

CAPUT VI.

De Eucharistia.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 155. *Capitulare Theodulfi*,

(*a*) Vide Notas ad Reginonem, pag. 557.

cap. 5.) Ut presbyteri semper habeant paratam eucharistiam, ut quando quisque infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eos communicent, ne sine communione moriantur. Panes enim quos in sacrificio offertis, aut a vobis ipsis aut a vestris ministris ad id agendum idoneis coram vobis nitide ac studiose fiant, et diligenter observetur ut panis et vinum et aqua, sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiose tractentur, et nihil in his vile, nihil reprehensibile inveniatur, et ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni sunt, et honorifice serventur. (Lib. I *Capitular*, cap. 67.) Ab omnibus autem cavendum summopere esse monemus ut non diutius serventur, ne forte putrida et inhonesta appareant, sed tandiu in vase mundissimo custodiantur usque dum ad alia dicata succedant.

CAPUT VII.

De vita et moribus sacerdotum.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 2.) Oportet sacerdotes Dei assiduitatem habere legendi et instantiam orandi; quia vita viri justi lectione instruitur, oratione ornatur, et assiduitate lectionis munitur, juxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc sunt arma, lectio videlicet et oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus beatitudo acquiritur. (*ibid.*, cap. 3.) His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Et si quando a lectione vel oratione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, et antiquus hostis quem a lectione sive ab oratione seu operatione vacantem invenerit facile ad ima rapit. Debet itaque Christi sacerdos compositis moribus, vultu hilari, sermone proficuo, exemplo salubri, placido animo, sine dolo et simulatione, atque omnibus in commune virtutibus clarere, quatenus sibi commissos non livoris atque amaritudinis zelo pertrahat ad ruinam, sed charitatis atque dulcedinis providentia provocet ad salutem.

CAPUT VIII.

De doctrina et observantia sacerdotum.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 66.) Ut presbyteri qui sibi et cæteris prodesse debent summopere studeant ut doctrinam rectam teneant, et baptisma catholicum observent, et missarum preces bene intelligant, et horas canonicas diurnas vel nocturnas custodiant, et ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur, et Dominicam orationem et symbolum atque expositionem ipsi noscant et omnibus prædicent intelligendam, et unusquisque sciat quid a Deo petat; quatenus eorum doctrinis atque exemplis multi pertrahantur ad servitium Dei, sicut ipse Dominus in Evangelio præcepit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

CAPUT IX.

Ut laici seniores domus sacerdotum aliqua occasione cum feminis et canibus habitandi causam non habeant.

Omnes in commune seniores ecclesiarum laicos monemus ut in domibus sacerdotum, quæ mundæ ac castæ et religiosæ debent esse, cum uxoribus vel aliis feminis seu canibus habitare nullatenus præsumant: quoniam illicitum est eum qui soli Deo servire jubetur luxuriosis verbis atque superfluis implicari tumultibus, et commissi officii præfixas psallendi, vigilandi, orandi, aut, si necessitas evenerit, baptizandi, infirmisque et deficientibus subveniendi, corrumpere metas. Hoc vero nefas deinceps fieri vetamus, ne Dei ministri sæculari oppressione lædantur, et Christi grex charissimo pretio comparatus negligentia pastorali morte damnetur æterna. Si autem ab hinc tale aliquid gestum fuerit, ad nostram citius perveniat notitiam, ut auctoritate divina ad corrigendum vel inviti deducantur transgressores.

CAPUT X.

Quo ordine a presbyteris missa celebretur.

(*Capitulare Theodulphi*, cap. 7.) Sacerdos missam solus nequaquam celebret: quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari, esse autem debent duo aut tres qui circumstent, quos ille salutet, a quibus ei respondeatur. Et ut epistolam nullus laicus legere præsumat nec clericus, nisi prius subdiaconatus susceperit officium. Sicut enim missam sacerdotes et evangelium legere diaconi jubentur, ita epistolam pronuntiare inter sacra missarum solemnia subdiaconi noscuntur. Nam si subdiaconus defuerit, aut a diacono aut ab ipso legatur presbytero, ut non vituperetur ministerium sacrum, sed in omnibus honorificetur Deus. (*ibid.*, cap. 6.) Feminæ autem sacerdote missam celebrante nequaquam ad altare accedant, nec vasa sacra contingant, sed in locis suis stent. Memores enim esse debent feminæ infirmitatis suæ et sexus imbecillitatis. Et idcirco sancta quælibet in ministerio ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozan pœnam subeant, qui dum arcam Domini extra ordinari (*sic*) Dei sustentare voluit, sed Domino percutiente interiit.

CAPUT XI.

De hospitalitate.

(*Ibid.*, cap. 15.) Admonendi sunt sacerdotes ut hospitalitatem et per se diligant et cæteris diligendam esse insinuent, et nulli hospitium prohibeant. Et si cui forte hospitium præstiterint, nullum ab eo munus accipiant, nisi forte ille qui recipitur sponte sua aliquid det. Dicendumque illis qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo: *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, angelis hospitio susceptis.* Et iterum: *Hospitales invicem*

sine murmuratione. Et ipse Dominus ad judicium A dicturus est : *Hospes eram, et collegistis me.* Sciant namque quicunque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Esurientes ergo satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi et qui in carcere sunt visitandi, et hospites colligendi, dicente Domino : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere*, et cætera. Nam hæc omnia et in se quisque debet spiritaliter agere et in aliis carnaliter adimplere.

CAPUT XII.
De conciliis observandis.

Secundum priscorum edicta Patrum cuncti sacerdotes per parochias constituti ad concilium venire jubentur, ut ibi omnium quæstionum negotia ab episcopo discutiantur, ut quæ utilia sunt comprobentur, B et inutilia quæque et illicita canonice corrigantur. Unde monemus omnes ut hæc salutaria monita custodire non negligant, et ad synodum omni occasione sublata occurrere indifferenter satagant, qualiter unanimitate servata omnium disceptationum ruinosa tollantur dissidia. Si quis vero his institutionibus contraire tentaverit, et synodalia jura contemnens ad nostrum concilium nostrorumque ministrorum festinare distulerit, nisi justam excusationis protulerit causam, canonice excommunicationis sentiet pœnam.

CAPUT XIII.
De prædicatione sacerdotum.

(*Capitulare Theodulfi* cap. 28.) Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui Scripturas scit, C prædicet Scripturas. Qui vero Scripturam nescit, saltem hoc quod notissimum est plebibus dicat, ut declinent a malo et faciant bonum, inquirant pacem et sequantur eam, quia *oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala*, ut perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit quod non habeat linguam unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest aut valet, aut arguendo aut obsecrando aut increpando ab errore retrahat et ad peragendum bonum opus hortetur. Modus autem prædicationis hic est. (*ib.*, cap. 21.) In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam seipsum. Deinde non occidere, non D adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, et quod sibi quis fieri non vult alii non faciat, abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum, corpus castigare, delicias non amare, jejunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, hospites suscipere, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione positis subvenire, dolentem consolari, a sæculi actibus se facere alienum, nihil amori Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reservare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, charitatem non derelinquere, non jurare, ne forte perjures, veritatem ex corde et ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre, inimicos diligere propter Deum, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem pro justitia sustinere, non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmuriosum, non detractorem, non litigiosum, spem suam Deo committere. Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi : malum vero a se factum sciat et sibi reputet. Diem judicii timere, gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere, actus vitæ suæ omni hora custodire, in omni loco Deum se respicere pro certo scire, cogitationes malas cordi suo advenientes abjicere, eo suum a malo vel pravo eloquio custodire, multum loqui non amare, quoniam secundum Scripturarum, *In multiloquio peccatum non deerit*, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum non amare, lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala præterita cum lacrymis et gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire, præceptis sacerdotis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, quam non oportet agat, memores illius Dominici præcepti. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite;* præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, zelum et invidiam non habere, contentionem non amare, seniores venerari, juniores diligere, cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, et de Dei misericordia nunquam desperare. Hæc sunt enim instrumenta spiritalia; quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta et in die judicii reconsignata, illa merces a Domino recompensabitur quam ipse promisit. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.*

CAPUT XIV.
De presbyteris qui in Cœna Domini pro chrismate veniunt, ut unusquisque tres deferat ampultas.

(Lib. I *Capitul*, cap. 93, 156, et lib. V, cap. 145. Vide notas ad loc. cit.) De presbyteris qui accipiendi chrismatis gratia ad civitates in Cœna Domini venire soliti sunt constituimus ut ex decem unus eligatur, qui acceptum chrisma sociis suis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quam sex aut septem millibus habitant, ad accipiendum chrisma per se veniant. Tres autem omnes secum deferant ampullas, unam pro chrismate, aliam pro oleo ad catechumenos, tertiam pro oleo ad infirmos ungendos. Secundum itaque beati apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo quod ab episcopis benedicitur a presbyteris ungi debent. Dicit enim : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes*

cum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit A *infirmum et allevabit eum Dominus. Et si in peccatis est, remittetur ei* Non est ergo parvipendenda hujuscemodi medicina,quæ corporis animæque medetur languoribus. Presbyteri autem chrisma sub sigillo custodiant, ut nulli sub prætextu medicinæ vel alicujus maleficii dare præsumant. Si fecerint, honore priventur.

CAPUT XV.

De parochianis et de parochia alterius et de clericis alienis.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 14; lib. III *Capitular.*, cap. 198 et lib. I, cap. 147, 148.) Nullus presbyter alterius parochianum persuadeat ut ad suam ecclesiam concurrat,relicta propria ecclesia,nec ad missam recipiat, nisi in itinere fuerit, aut placitum ibi B habuerit,aut aliqua justa ratio intervenerit.Nullusque presbyter in alterius ecclesia missam canere præsumat, nisi in itinere positus, aut ab eo jussus ad quem ipsa pertinet ecclesia. Nec decimas alteri debitas audeat recipere,sed unusquisque sua ecclesia et populo coutentus,quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illud evangelicum: *Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, et vos eadem facite illis.* Hoc quoque modis omnibus prohibemus ut nullus presbyter alterius clericum sollicitet aut recipiat, quia gravis de hac re in sacris canonibus sententia est.Quisquis autem contra hæc statuta venerit, vel his monitis nostris reniti tentaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum. C

CAPUT XVI.

De feminis a presbyteris non suscipiendis.

(*Capitulare Theodulfi* cap. 12.) Nulla femina in domo sacerdotis habitet. Quamvis enim canones matrem et sororem et hujuscemodi personas in quibus nulla sit suspicio cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus,quia in obsequio sive occasione illarum veniunt aliæ feminæ quæ non sunt ei affinitate conjunctæ,et eum ad peccatum illiciunt. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum,et tollendæ omnes suspiciones quibus subtilitas diaboli sub prætextu charitatis et dilectionis incautas animas et ignaras irretire consuevit.Idcirco ad custodiendam vitam eorum vel famam speciali ordinatione præcipimus ut nullus sacerdotum D extraneæ mulieri qualibet collatione aut familiaritate jungatur,et non solum in domo illius femina non accedat,sed nec ipse frequentandi domum feminæ habeat potestatem,nec in cellarium vel in secretum ancillam aut libertam seu quamcunque feminam intromittat. Si quis vero presbyter crimine fornicationis de quacunque femina suspicatus post primam et secundam admonitionem inveniatur fabulari cum ea vel aliquo modo conversari,noverit se a sacerdotii honore et ab officio removendum,nulla ei prorsus recuperationis consolatione relicta.

CAPUT XVII.

Ut nullus presbyter ecclesiam alterius subripere audeat.

(*Ibid.*, cap. 16; lib. VII *Capitul.*, cap. 206,et lib. I, cap. 150.) Si quis presbyter inventus fuertt alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse aut ullo modo quibuslibet factionibus vel fraudibus seu dolositatibus publice vel occulte attentare ut ecclesiam alterius presbyteri subripiat,sciat se pro hac rapina et sæva cupiditate aut gradum amissurum aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum.Statuimus quoque ut nullus sacerdos pro accepta ecclesia munera dare præsumat.Et hoc juxta canonum decreta seu gloriosissimorum Caroli scilicet ac Ludovici decernimus ut unusquisque presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit ad propriam relinquat ecclesiam.

CAPUT XVIII.

Ut pro baptizandis sive pro sepeliendis fidelibus, sive pro pœnitentia danda aut pro sacramentis in ecclesia faciendis nulla pretia exigantur.

(Lib. V *Capitular.* c. 172. et lib. VI, cap. 106, 183. *Capitula Caroli Calvi*, tit. VII, cap. 2. *S.Gregor.* lib. VII, *indict.2,ep.*55.) Audivimus quosdam sacerdotes maligno instinctu agitatos pro baptismatis gratia sive pro sepulturæ loco pretia injusta a nonnullis accepisse : quod nefandissimum facinus in cunctis majorum institutis novimus prohibitum. Gratis enim datur,et gratis dari jubetur.Et ideo nihil deinceps quia gratis est datum,pro baptizandis sive sepeliendis hominibus pretii eyigere præsumant,sed eos quos corporis valitudo sociat saluti,temporibus constitutis sponte baptizent; et si in fine mortis constituti fuerint,eos absque aliqua dilatione sine alicujus pretii munere ad regenerationis baptismum admittant.Cum vero ab hac vita recesserint,cum psalmis et canticis diligenter ad sepulcrum illos deferant, nullum exinde pretium requirentes,nisi ipsi aut parentes eorum seu eleemosynarii sponte aliquid tribuant.Similiter de pœnitentia danda et de sacramento in ecclesia faciendo ecclesiastica vetat auctoritas nullum prorsus exquirere donum.Pœnitentiam autem quærentibus cito succurendum est.Etjurantibus ne in perjurium incidant prædicandum. Peccantes autem ut ad pœnitentiam redeant omni sollicitudine invitandi.Et jurantes ut crimen non incurrant omnimodis suadendi sunt.Quoniam frequenter nonnulli paupertate cogente deterriti baptismum differunt,et absque baptismatis gratia filios mori permittunt.Alii quoque juramenti pretium,quod ab illis illicite a sacerdotibus exigitur,metuentes,perjurium perpetrare non formidant.Si quis vero sacerdotum hæc prohibita deprehensus fuerit admisisse,vel commissa potius spontanea voluntate citius non correxerit,proprii honoris irrecuperabiliter periculo subjacebit.

CAPUT XIX.

A quibus illicitis presbyteri maxime se cohibere debeant.

(*Capitulare Theodulfi* cap. 13; lib. V *Capitular.*

cap. 323.) Observandum est sacerdotibus ut ab ebrietate se abstineant, quoniam secundum Scripturam ebrietas nullum vitium excusat. Et Apostolus commonet dicens : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et neque per tabernas eant bibendo aut comedendo, neque domos aut villas curiositate qualibet peragrent, aut cum feminis vel quibuslibet impuris personis convivia exerceant, neque comessationibus et cæteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus deserviant, et ad forum vel mercatum nullatenus vadant, neque ad sæculare judicium pergant, nisi forte ut pauperibus succurrant, aut de verbo Dei judices admoneant ut justa judicia judicent. Si vero eorum propria causa agenda est, cum licentia episcopi et cum advocato pergant. Prohibemus autem omnimodis ut presbyteri villici et conductores seniorum non fiant, nec chartas scribant, nec ad nuptias pergant, nec arma assumant, nec fidejussores existant. Carnis quoque voluptates et negotia sæcularia et vanas hujus mundi delicias, impudica convivia, vana spectacula, mortiferas hujus sæculi pompas, obscœna jocorum verba, risus inutiles, venationem cum avibus vel canibus, usuras, negotiationes illicitas, pondera iniqua, placita sæcularia, munera injusta, et omnia mortalia peccata, et si qua sunt similia, monemus ut refugiant : quoniam secundum Apostolum *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus ut ei placeat cui se probavit.* Cæteros itaque ad Ecclesiam Christi pertinentes pie et juste prævidere et regere debent tanquam Christi milites, bene agendo et prædicando juxta Domini sententiam, qui ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

CAPUT XX.

Quod statutis diebus et in vicis baptisma celebretur. Et de infirmis baptizandis.

Baptismum certis temporibus celebrari antiqui patres sanxerunt, Pascha scilicet et Pentecosten. Aliis vero temporibus quempiam baptizari canonica vetat auctoritas, præter eum quem in periculo mortis constitutum necessitas summa constringit. His itaque duobus temporibus, Pascha scilicet et Pentecosten, omnes sacerdotes ex cellis ad vicos convenire debent, et ibi officio peracto, cum summa diligentia baptizandos quosque baptizent. Et tunc ad proprias ecclesias cum baptizatis suis et cæteris subjectis remeantes missarum solemnia persolvant, et baptizati, et qui eos a fonte baptismatis susceperunt omnes excommunicent. Et quandiu in albis sunt, quotidie a patrinis ad ecclesiam cum luminaribus deducantur, et corpus et sanguinem Christi usque in diem octavum æquali jure cuncti percipere studeant. Si autem parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum quocunque tempore vel hora baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, et ille parvulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit, noverit se ille qui eum non baptizavit pro ejus anima rationem redditurum.

CAPUT XXI.

De decimis a fidelibus dandis.

Decimas de omnibus rebus juxta modum a beatis Patribus constitutum a cuncto populo cum omni devotione Dei ecclesiis reddendas esse monemus, ut sacerdotes, qui per sacras eorum orationes et oblationes pro pace, pro totius populi Christiani salute, pro frugibus terræ, pro infirmis quoque et defunctis omnipotentis Dei misericordiam implorant, victum et vestimentum et cætera quæ in eis sunt necessaria habeant, et ut hospitibus et peregrinis, orphanis et viduis, debilibus et ægrotis solatium præbere valeant. (*Concil. Cabilon.* II, cap. 19; *Capitula excerpta ex lege Longobardor.*, cap. 41.) Sunt præterea quidam qui decimas suas dare ad ecclesias suas negligunt, ubi et ipsi et eorum servi missas audiunt. Proinde decrevimus ut omnes ibi decimas dent ubi infantes eorum baptizantur, et ubi missas audiunt, et ubi res ipsæ convenire videntur, juxta proprii episcopi decretum. Presbyteri vero ab his qui decimas non dant wadios nunquam accipiant. Sed qui post crebras admonitiones et prædicationes eas dare neglexerint excommunicentur. Juramento autem propter periculum perjurii constringi eos nolumus.

CAPUT XXII.

De oratione Dominica et symbolo. Et de spiritualibus patribus et filiolis.

(Lib. II *Capitul.* cap. 46 et lib. VI, cap. 182.)

Commonendi sunt fideles ut omnes generaliter a minimo usque ad maximum orationem Dominicam et symbolum discant. Et dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias et memoriter tenuerit et ex toto corde crediderit, et in oratione sæpissime frequentaverit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum et orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit. Patrini autem eos quos de fonte lavacri suscipiunt erudire summopere studeant, et orationem Dominicam et symbolum illis insinuent, quoniam eos Domino genuerunt, et pro eis fidejussores existunt. Qui vero in publica pœnitentia sunt constituti, aut criminali peccato tenentur obnoxii, neminem a lavacro fontis suscipere neque coram episcopo ad confirmationem tenere præsumant usquequo pœnitentia peracta satisfactionem condignam percipere mereantur.

CAPUT XXIII.

De honore parentum, et dominis subditorum admonendis.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 65; lib. II, cap. 41, 44.)

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei Ecclesiæ ut filios suos et filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino : *Fili, honorifica patrem tuum et matrem tuam.* Nam et ipsi parentes erga filios suos ac filias modeste debent agere, dicente Apostolo : *Et vos, parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Nam et hoc dicendum est eis ut si illi tali affectu parcere velint injuriis filiorum, non hos impune Dominus sinit, nisi forte digni pœnitentiæ exhibeant : quia levius est filios parentum quælibet flagella suscipere quam Dei iram incurrere. Admonendi sunt etiam domini subditorum ut circa subjectos pie et misericorditer agant, nec eos qualibet injusta occasione condemnent, nec eos opprimant, nec illorum substantiolas injuste tollant, nec ipsia debita quæ a subditis reddenda sunt impie ac crudeliter exigant. Quia ergo constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sint nobiles et ignobiles, servi, coloni, inquilini, et cætera hujusmodi nomina, oportet ut quicunque eis prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant et misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis vel quibusdam debitis; sciantque eos fratres suos esse et unum secum patrem se habere Deum, cui clamant: *Pater noster qui es in cœlis*, et unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima et gubernatio opportuna adhibenda est; disciplina, ne indisciplinate vivendo auctorem suum offendant; gubernatio, in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fatescant.

CAPUT XXIV.

Quod non sit personarum acceptio apud Deum.

(*Concil. Cabilon.* II, cap. 34.) Quia igitur, Apostolo testante, non est personarum acceptio apud Deum, et in omnibus judiciis cavendum est, multo magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet ut nullus sacerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus personæ secus judicet quam quod in canonibus sacris invenerit, aut quod illi secundum sanctarum Scripturarum auctoritatem et ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem his quos sanare cupiunt cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus, parcunt, multo magis his observandum est qui non corporum sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis et mortificatione corporis. Cor autem contritum et humiliatum Deus non spernit.

CAPUT XXV.

De discordantibus.

(*Addit.* IV *Capitular.*, cap. 50.) Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur. Placuit etiam ut sicut plerumque fit, illi qui odio aut longinqua inter se lite discesserint, et ad pacem redire diuturna intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur quoadusque ad charitatem, quæ cooperit multitudinem peccatorum, venire festinent (a).

CAPUT XXVI.

Qualiter dies Dominicus observetur.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 75; lib. VI, cap. 380, et lib. VII, cap. 276.) Diem dominicum apostoli ideo religiosa sanxerunt solemnitate quia in eodem die Redemptor noster a mortuis resurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur ut in eo a terrenis operibus et a mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus. Nam sicut ipse Dominus Jesus Christus et Salvator noster tertia die resurrexit a mortuis, ita et nos resurrecturos in novissimo sæculo speramus. Unde etiam in Dominica die stantes oramus : quod est signum futuræ resurrectionis. Hoc agit universa Ecclesia quæ in peregrinatione mortalitatis inventa est, exspectans in finem sæculi quod in Domini nostri Jesu Christi corpore præmonstratum est, qui est primogenitus mortuorum. Dies autem Dominicus a Christianis post resurrectionem Domini celebratus est, et ex illo cœpit habere festivitatem suam. Tanta ergo hujus diei debet esse observantia ut præter orationes et missarum solemnia et ea quæ ad vescendum pertinent nihil aliud fiat. Videlicet ut nec opera servilia in eo agantur, nec viri ruralia exerceant, nec vineas colant, nec campos arent, nec messem metant, nec fenum secent, nec sepem ponant, nec silvas stirpent, nec arbores cædant, nec in petris laborent, nec domos construant, nec hortum faciant, nec terram moveant, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant, nisi tantum cibi vel frigoris necessitate. Item feminæ opera trextilia non faciant, nec vestimenta capulent, nec consuant, nec vestimenta lavent, nec liniant, nec linum battant, nec lanam carpere præsumant, nec berbices tondeant, ut omnimodis bonorum requies die Dominico persolvatur. Ipse est enim primus dies sæculi. In ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli, in eo manna de cœlo datum est, in ea Redemptor humani generis a mortuis resurrexit, in eo Spiritus sanctus super discipulos descendit. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus ad ecclesiam, conveniendum est ad vigilias sive ad matutinum officium, concurrendum est etiam cum oblationibus ad missarum solemnia. Et dum convenitur, nulla jurgia sunt habenda; sed tota die tantum Deo vacandum est, non in crapula et ebrietate vel in luxuriis et jocularibus verbis, sed in Dei laudibus et eleemosynis cum amicis, proximis, et peregrinis spiritaliter epulandum.

CAPUT XXVII.

De diebus festis anni.

(Lib. II *Capitular.*, cap. 35; Regino, lib. I, cap.

(a) Vide notas ad Reginonem, pag. [illegible].

577) Festos dies in anno celebrare sanximus, hoc A est, diem Dominicum Paschæ cum omni honore et sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus, diem ascensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecosten similiter ut in Pascha, nativitatem sancti Joannis Baptistæ, Petri et Pauli diem unum, sancti Laurentii, assumptionem sanctæ Mariæ, dedicationem sancti Michaelis, natalem sancti Martini, sancti Andreæ, et omnium apostolorum. In nativitate Domini dies quatuor, octavas Domini, Epiphania, purificationem sanctæ Mariæ, natalem sancti Ursicini et sancti Austregisili et sancti Sulpitii. Et illas festivitates sanctorum observare decrevimus quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt vel reliquiæ venerantur. His prædictis diebus ab operi- B bus quiescendum esse diximus. Cæteras festivitates sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, atque virginum congruo honore celebrandas esse censemus.

CAPUT XXVIII.

Qualiter fideles in missarum solemniis offerre debeant vel communicare.

Sacrificium quod a Christianis Deo offertur primum Christus Dominus noster et magister instituit quando commendavit apostolis corpus et sanguinem suum priusquam traderetur. Sic enim legitur : *Accepit*, inquit, *Jesus panem et calicem, et benedicens dedit eis.* Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato, eucharistiam quotidie accipiendam. (Regino, l.b. I, cap. 194.) Hunc enim panem dari nobis quotidie jubente Domino postulamus dicentes : *Panem* C *nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione et devotione et humilitate suscipiunt, nec fidendo de justitia, superba præsumptione id faciant. Cæterum si talia sunt peccata quæ quasi mortuum ab altario removeant, prius agenda est pœnitentia ; ac si deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum, juxta Apostolum probare se debet homo et sic de pane illo manducare et de calice libere. (Lib. II *Capitular.*, cap. 40). Si vero indiscrete accipitur, timendum est illud quod ait idem Apostolus : *Qui manducat et bibit indigne judicium sibi manducat et bibit.* Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat quo debet habere pœnitentiam. Quod si tanta non sunt peccata ut excommunicandus quisque ju- D dicetur, non se debet a medicina Dominici corporis separare, ne dum nimium in longum differtur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Conjugatis autem abstinendum est a coitu aliquot diebus, orationique vacandum, ut ad tantum accedere purificati valeant sacramentum. Relegant regnorum libros, et invenient sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David et pueris ejus antequam interrogaret utrum mundi essent pueri a mulieribus, non utique ab alienis, sed a propriis conjugibus : et nisi eos audisset ab heri et nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes sanctos ad comedendum concessisset. Quapropter eligendi sunt aliqui dies quibus prius homo continentius vivat, quo ad tantum sacramentum dignus accedere possit. Similiter et eos qui in missarum solemniis panem et vinum sacerdotibus ad altare offerunt, a conjugibus aliquandiu abstinere oportet, et postea aqua loti, et vestimentis ablutis, pro suis suorumque erratibus oblationes Deo offerant, et si velint, communicent. Quibus autem sacrificii sumptus negatur, offerendi facultas non tribuitur.

CAPUT XXIX.

De jejunio quadragesimali.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 37, 41, 43). Dies autem quadragesimales cum summa observatione custodiendi sunt, ut jejunium in eis præter dies Dominicos, cui ab abstinentia subtracti sunt, nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione et sanctitate transfigere debemus. Nulla enim in his occasio sit resolvendi jejunii ; quia alio tempore solet jejunium charitatis causa dissolvi. Isto vero nunquam debet, et in alio tempore jejunare præmium acquirere est. In hoc vero, præter infirmos aut parvulos, quisquis non jejunat, pœnam sibi acquirit, quia eosdem dies Dominus et per Moysen et per Eliam et per semetipsum sacro jejunio consecravit. Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a conjugibus, quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur. Ab omnibus ergo fidelibus singulis Dominicis diebus in quadragesima, præter eos qui pro crimine mortali excommunicati sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt, et in Cœna Domini, et in Parasceve, et vigilia Paschæ, et in die Resurrectionis Domini penitus communicandum est. Et ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

CAPUT XXX.

De cæteris jejuniis institutis.

(Lib. V *Capitular.*, cap. 151). De jejunio in quatuor anni temporibus conservando, quando lectiones duodecim in sabbato leguntur, statutum est a sanctis Patribus ut in primo mense in prima hebdomada in Junio in secunda hebdomada, in Septembrio in tertia hebdomada, in Decembrio in quarta hebdomada, tribus diebus, id est quarta et sexta et septima feria, omnes, exceptis infantibus et infirmis, usque ad nonam jejunent et abstineant se a carne. Eodem modo in diebus rogationum jejunandum est, et a carne triduo abstinendum est. Jejunia vero a sacerdotibus indicta sine necessitate rationabili solvenda non sunt. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 38.) In diebus itaque jejunii eleemosyna facienda est, et cibum et potum quo quisque uti vellet, si non jejunaret, pauperibus eroget ; quia jejunare et cibos prandii ad cœnam reservare non mercedis sed ciborum est incrementum.

CAPUT XXXI.

De observationibus jejuniorum.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 40; *Capitular. Caroli Calvi*, tit. 38, cap. 8; *Capitulare Theodulfi*, cap. 42.) Abstinentia in diebus jejunii pene omnium deliciarum esse debet, et sobrie et caste vivendum, ut sanctificato corde et corpore ipsi sancti dies transigantur. Denuntiandum est etiam ministris reipublicæ ut a quarta feria ante initium Quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschæ, mallum vel placitum publicum nisi de concordia et pacificatione discordantium tenere præsumant. Similiter a quarta feria ante nativitatem, Domini usque post consecratos dies observent, necnon et in jejuniis quatuor temporum et in Rogationibus et in cæteris jejuniis constitutis simili observatione eosdem feriatos dies venerari omninodis studeant. In his autem jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus et in opere necessario persistendum. Arguit enim eos qui contentiones et lites jejunii tempore exercent, et qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, ut omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie*,

CAPUT XXXII.

De pœnitentia fidelibus danda.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 36, 31). Hebdomada una ante initium Quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, et omnia jurgia sedanda; et dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et sic ingredientes in beatæ Quadragesimæ tempus mundis et purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant, et per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Confessiones varo dandæ sunt de omnibus peccatis quæ sive in opere sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt vitia principalia sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim primum gastrimargia, hoc est ventris ingluvies, secundum fornicatio, tertium accidia sive tristitia, quartum avaritia, quintum vana gloria, sextum invidia, septimum ira, octavum superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri quomodo aut qua occasione peccatum perpetravit quod peregisse confitetur, et juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi ut de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet ei etiam injungi ut de octo vitiis principalibus faciat confessionem. Et nominatim debet ei sacerdos unumquodque vitium dicere et suam de eo confessionem accipere.

CAPUT XXXIII.

De modis pœnitentiæ vel remediis.

(*Concil. Cabilon.* II, cap. 38.) Modus autem pœ- A nitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos pœnitentiales vocant; quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest: *Mortificabant animas quæ non moriebantur, et vivificabant animas quæ non vivebant.* Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam et inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Sicut enim baptismus peccata, ita et pœnitentia purgat. Septem enim modis peccata dimitti Scriptura sancta demonstrat. B Primo in baptismate, secundo per martyrium, tertio per eleemosynam, juxta illud evangecum: *Verumtamen date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Quarto si remittat quis peccanti in se peccata sua, juxta illud: *Dimittite et dimittetur vobis.* Quinto si per prædicationem quis et bonorum operum exercitium alios ab errore suo convertat, juxta illud Apostoli: *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Sexto per charitatem, juxta illud: *Charitas Domini cooperit multitudinem peccatorum.* Septimo per pœnitentiam, juxta quod ait David: *Conversus sum in ærumna dum configitur spina.* His ergo septem modis et remissio datur et æternæ retributionis præmium acquiritur.

CAPUT XXXIV.

De publica pœnitentia.

C (*Concil. Cabil.* II, cap. 25). Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur. Et ideo qui publice peccat publica mulctetur pænitentia et secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur et reconcilietur. Non enim licitum est presbyteris publicam dare pœnitentiam, sed publice peccantes oportet ut juxta antiquorum canonum decreta per episcopale ministerium publica Deum studeant satisfactione placare.

CAPUT XXXV.

De usuris et fenore.

D Oportet sacerdotes et omnes in commune fideles ut si quando fruges vel quosdam redditus terræ congregant et protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant et thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant; nec ad usuram aliquid dent, quoniam ab ipso Domino in lege omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare. (Lib. I *Capitular.*, cap. 119, 124, 125.) Usura est ubi amplius requiritur quam datur. Verbi gratia, si dederis solidos decem et amplius requisieris, vel si dederis modios frumenti aut vini, et iterum super aliquid quacunque occasione vel quocunque modo exegeris. Quicunque enim tempore messis vel tem-

pore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, et servat usque dum carius venundare possit, hoc turpe lucrum esse dicimus. Fenus autem exercet qui aliquid præstat. Nam justum fenus est qui amplius non requirit nisi quantum præstat.

CAPUT XXXVI.
De perjurio et falso testimonio.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 26, 27). Prædicandum est ut pejurium fideles caveant et ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse et in lege et prophetis sive evangelio prohibitum. Audivimus enim quosdam parvi pendere hoc scelus et levem quodam modo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent talem de perjurio pœnitentiam imponere debere qualem et de adulterio, de fornicatione, de homicidio, et de cæteris criminalibus vitiis : quoniam in lege Domino præcipiente habemus : *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, et ne assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Dicendum est etiam eis ut a falso testimonio se abstineant, scientes et hoc gravissimum scelus esse et ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino : *Non falsum testimonium dixeris*, sive *testis falsus non erit impunitus.* Sciat se etiam quisquis hoc perpetraverit tali pœnitentia purgandum ut superius dictum est de perjurio. Dicendumque est illis quod summa, non dicam stultitia, sed nequitia est pro cupiditate auri et argenti, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod creberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grande scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino : *Quid prodest homini, si lucretur totum mundum, et animæ suæ detrimentum faciat.* Quippe cum aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat. Si quis vero perpetrato perjurio, aut falso testimonio, vel quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive a communione et consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.

CAPUT XXXVII.
De perjurio, furto et rapina.

Quicunque sciens perjurium perpetraverit, annis septem se pœnitentiæ subdat, et ita deinceps ad communionem revertatur. Qui vero cupiditate captus furtum fecerit, quod abstulerit reddat, et annis quinque pœnitentiam agat. Similiter et qui per rapinam alterius res injuste abstulerit, et hoc quod vi illicite extorsit restauret, et totidem annis, id est quinque, reatum suum pœnitentiæ jejuniis diluat. Si autem nescit cui damnum intulit, aut non valet reddere quod violenter subrepsit, asperiori pœnitentiæ se submittat et post septem annos perfectionem plenam consequatur acta legitima pœnitentia.

CAPUT XXXVIII.
De observationibus vanitatum.

(*a*) Quicunque fidelium auguria et auspicia sive somnia vel divinationes quaslibet more gentilium observaverint, sive sortes quas mentiuntur esse sanctorum, quæ clerici vel laici detecti fuerint vel consulere vel docere, aut in domos suas hujusmodi homines introduxerint exquirendi aliquid arte malefica, aut domos suas lustraverint, ab ecclesia quinquennio habeantur extranei pœnitentiam agentes secundum antiquas regulas constitutas. Non enim licet Christianis traditiones gentilium observare vel colere elementa, aut lunas, aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam, pro domo facienda vel segete vel arboribus plantandis vel conjugiis sociandis. Scriptum est enim : *Omnia quæcunque facitis, in nomine Domini facite.* Nec licet in collectionibus herbarum aliquas observationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino et oratione Dominica. Similiter nec Christianas mulieres licet vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit ut in omnibus honorificetur.

CAPUT XXXIX.
De homicidiis sponte commissis et non sponte commissis.

De his qui voluntarie homicidium faciunt gravis sententia in Scripturis sacris est, dicente Apostolo : *Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* Quicunque ergo voluntarie homicidium fecerit, ab Ecclesia Dei est repellendus et a consortio fidelium sequestrandus juxta canonum instituta, ubi ita scriptum reperitur : *Qui voluntarie homicidium fecerit, pœnitentiæ quidem jugiter se submittat, perfectionem vero circa exitum vitæ consequatur.* Et item : *Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad januam Ecclesiæ catholicæ semper jaceat, et communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntate, sed casu aliquo, homicidium fuerit factum, prior canon septem annis agi pœnitentiam jussit, secundus canon quinque mandavit.* Et alibi : (*Conc. Ancyr.*, 22, 23) *: De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septem annos pœnitentiæ perfectionem consequi præcepit. Secunda vero quinquennii tempus explere.*

CAPUT XL.
De homicidiis diversis occasionibus perpetratis.

Si quis servum proprium, licet criminibus multis approbatum, sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit. Si vero domina furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra diem tertium animam cruciatu effundat, et quod incertum sit voluntate per septem annos, si in casu occiderit, per quinquennii tempora a communione

(*a*) Vide notas ad Capitular. 1038.

placuit abstineri. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. Placuit etiam ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoraiio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Similiter et de his placuit qui pro suis sceleribus puniuntur.

CAPUT XLI.

De feminis quæ partus suos necant. et cum duobus fratribus fornicantur.

(*Conc. Ancyr.*, cap. 21.) Si qua mulier fornicaverit, et infantem qui exinde natus fuerit occiderit, et quæ studuerit abortum facere ei quod est conceptum necare, aut certe ut non concipiat elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo matrimonio, has tales mulieres in morte non recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia sive tales sive conscias ipsarum decem annos agere pœnitentiam judicavimus. Et si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, a communione se abstineant usque ad mortem, in morte autem eis communio pro misericordia detur. Si vero supervixerint communione accepta, et de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto, et hoc secundum antiquam definitionem. Humanius autem nunc definimus ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus et humilitati insistant.

CAPUT XLII.

De adulterio.

(*Conc. Ancyr.*, cap. 20.) Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus. Si vero uxorem habens concubinam habuerit, non communicet, donec desinat ab ea et ad pœnitentiam revertatur. Quod si conscio marito uxor fuerit mœchata, usque in finem non communicet. Si autem eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

CAPUT XLIII.

De his qui fornicantur irrationabiliter.

(*Conc. Ancyr.*, cap. 16.) De his qui irrationabiliter versati sunt sive versantur, id est qui se miscent pecoribus aut cum masculis polluuntur, si quis ante vicesimum annum tale crimen commiserit, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem orationis mereatur, deinde quinquennio in hac communione durans, tunc demum oblationis sacramenta contingat. Discutiatur autem et vita eorum qualis tempore pœnitudinis exstiterit, et ita misericordiam consequantur. Quotquot autem peraeta viginti annorum ætate uxores habentes in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communione suscipiantur orationum: in qua quinquennio perdurantes tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si uxores habentes et transcendentes quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

CAPUT XLIV.

De satisfactione et reconciliatione pœnitentium.

Satisfactio autem est causas peccatorum et suggestiones excludere et ultra peccatum non iterare. Reconciliatio vero est quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo quando primum per baptismum a gentilitate convertimur, ita reconciliamur quando post peccatum pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia per tempora quæ episcopi arbitrio pœnitentibus secundum differentiam peccatorum decernuntur; eorumque reconciliatio esse debet ab episcopo sive a presbyteris, jussu tamen episcoporum, sicut canones Africani concilii testantur, ubi ita scriptum est: *Cujuscunque pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam ei manus imponatur.* (Lib. v *Capitular.*, cap. 137.) Si vero pœnitens mortis periculum incurrerit, per episcopi licentiam a presbytero reconcilietur et communionis gratia muniatur, ne desperationis fune ligatus ad æternum pertrahatur interitum. Nulli ergo fidelium ultima pœnitentia vel reconciliatio sive corporis et sanguinis Christi perceptio neganda est. Quorum autem peccata occulta sunt et spontanea confessione soli tantummodo presbytero ab eis fuerint revelata, horum occulta debet esse pœnitentia secundum presbyteri judicium cui confessi sunt, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur videntes eorum pœnas quorum penitus ignorant causas. Quali autem tempore pœnitentium reconciliatio fieri debeat ostendunt decreta Innocentii papæ, ubi ita scriptum reperitur (*epistola ad Decentium*): *De pœnitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenerit ægritudo, quinta feria ante pascha eis remittendum esse Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem et ad fletus atque lacrymas pœnitentis, at tunc potest dimitti cum viderit congruam satisfactionem.. Sane si quis in ægritudinem inciderit, ei est ante pascha relaxandum, ne de hoc sæculo absque communione discedat.* Hoc ergo ante omnia cavendum est, ne in extremis pœnitenti pœnitentia et reconciliatio denegetur, ne in desperatione pereat. Perdidisset enim latro in cruce ad dextram Christi pendens præmium, si illum unius horæ pœnitentia non juvasset. Vera ergo ad Dominum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda quam tempore, propheta asserente: *Cum conversus*, inquit, *ingemueris tunc salvus eris.*

CAPUT XLV.

De pollutionibus nocturnis.

(S. Gregor. *epist. ad S. Augustinum*, cap. 11.) Quærendum est utrum post illusionem quæ per somnium solet accidere corpus et sanguinem Domini quislibet accipere valeat, aut si sacerdos sacra mysteria celebrare debeat an non. Ad hæc respondendum est quoniam in Veteri Testamento pollutum nisi prius lotum aqua usque ad vesperum intrare in ecclesiam non conceditur. Quod tamen aliter populus spiritalis intelligens sub eodem intellectu accipit, quia quasi per somnium illuditur qui tentatus vanis imaginibus immunditiæ in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se usque ad vesperum recognoscat. Sed est in eadem illusione necessaria valde discretio, quæ subtiliter pensare debeat ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, id est ex nimio cibo vel potu, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda ; sed ille qui pertulit, se ipsum ac vestimenta sua aquis emundans, licite misnisterium A peragat et ad sacra mysteria devotus accedat. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere illud officium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacramenti prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus plerumque ita illusio nascitur ut eorum animus B etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus non fœdetur. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio, mentem dormientis radix fœdat coinquinationis. Quia quod cogitavit sciens hoc pertulit nesciens. Iste talis non debet accedere ad percipiendum vel consecrandum corporis et sanguinis Christi sacramentum quousque pœnitentiæ et abstinentiæ biduana vel triduana satisfactione purgatus et aqua ablutus mundetur, et sumente corpore purus ad tam sacratissimum mysterii munus accedere festinet immunis.

ANNO DOMINI DCCCLXVII.

WALTERIUS

AURELIANENSIS EPISCOPUS.

WALTERII CAPITULA (a)

Promulgata in synodo apud Bullensem fundum secundo ordinationis ejus anno, VII Kal. Junii, celebrata.

Cap. I. — *Quomodo archidiaconi presbyteros discutiant.*

(Hincm., *Capit. dat. decanis.*) Ut archidiaconi per C sibi commissas parochias, diligenter (b) discutiant presbyterorum fidem, baptisma, et misarum celebrationem : quatenus rectam fidem teneant; bapti-

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ

(a) Horum capitulorum auctor Walterus, sive Gualterus Aurelianensis episcopus, in concilio nostro Duziacensi cum cæteris judex sedit, et sententiam dixit adversus Laudunensem Hincmarum, subscriptusque in eo legitur « Walterus humilis Aurelianorum episcopus : » quemadmodum postea in Pontigonensi, « Walterus humilis Aurelianensis Ecclesiæ episcopus : » unde viri optimi modestiam, et ex modestia cæterarum virtutum cumulum intelligimus. Ex hac autem synodo pastoralem sollicitudinem et ecclesiasticæ disciplinæ observationem habemus, qua majorem nec Hincmarus ipse, nec Isaac Lingonensis Parduli olim diaconus eodem argumento posteritati transmiserunt : ut ex his capitulis patet, quæ cum aliis aut committi aut conjungi, tibi lector, spero injucundum non fore. Quibus etiam Theodulphum adjiciemus et ipsum Aurelianensem, cujus epistolam ad clerum Ecclesiæ suæ scriptam ex editore Baronio suos in Annales Carolus Sausseius transtulit (*Annal. eccl. Aurel.*, l. VI). Quanquam suo antea loco non defuerat Sirmondus (t. II *Conc. Gall.*)

Ad tempus collectæ diœcesanæ hujus synodi, et latorum capitulorum quod attinet, nihil certum possumus edicere, deficiente in titulo et Dominicæ incarnationis, et indictionis nota, quam religiose ætas illa signavit. « Secundo, » inquit, ordinationis suæ anno. »

(b) *Discutiant presbyterorum fidem.* Non multum discedit.

sma catholicum observent; et missarum preces bene intelligant: psalmos digne secundum divisiones versuum modulentur; (a) et Dominicam orationem cum symbolo et fide catholica ipsi intelligant, et omnibus bene pronuntiare diebus feriatis insinuent ad intel- A ligendum : ut sciat unusquisque quid petat ad Dominum. Et ut *gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto*, (b) et *Credo in unum Deum*, apud omnes ad missam decantetur. Et ut ipse sacerdos cum sanctis angelis et populo Dei una voce, *Sanctus, sanctus*,

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

anno. » De primo quid divinabimus? Agius quem horum temporum frequentissima concilia fecerunt celebrem, non ultra Suessionense III subscriptus reperitur anno 866. Illi successit in Aurelianensi throno Anselmus, solo nomine notus, in nullo concilio, ne Tricassino quidem anno 867 repertus; quandiu sederit, penitus obscurum est. Qui octo annos sedis assignant, et usque ad annum ejus sæculi 76 extendunt: qui Walterum anno 885 affigunt, si de sedis initio volunt intelligi, extra lineam currunt: et utrique ex concilio nostro Duziacnesi manifeste refelluntur, in quo Walterius sententiam dixit. Itaque si justis terminis Anselmi sedem circumscribere volumus, ad investigandum Walterii exordium, faciamus anno sæculi ejus 67 ipsum ad pontificatum adiisse, anno saltem 69 desiisse debuerit. Ut cum Walterus 70 inchoet, et sequente in Duziacesi concilio sedeat. Jam quo Christi anno capitula hæc ediderit, pronuntiare facile est, «Anno secundo ordinationis suæ, » ait titulus : ergo anno Christi 71 ante celebrationem concilii Duziacensis, quæ mense Augusto facta, non ægre Aurelianensi episcopo spatium concessit convocandæ synodi diœcesanæ mense Maio. Et hæc ex conjectura, donec certius aliquid de Anselmi obitu doceat historia.

discedit hoc capitulum ab Hincmariano item primo; atque universe quid archidiaconi a presbyteris exigere debeant, episcopo renuntiare singulis annis quando parochias abeunt visitando, Hincmarus idem articulis 20 complectitur (tom. III *Concil. Gall.*, p. 623). Vult præterea ut « sermonem Athanasii de fide, cujus initium est, Quicunque vult salvus esse, memoriæ quisque commendet, et sensum illius intelligat, et verbis communibus enuntiare queat. » Herardus Turonensis idem præcipit in capitulis (*Herad.*, capit. 16, tom. III *Conc. Gall.*, p, 112), eaque omnia non tantum a presbyteris, sed etiam ab ipso populo memoria teneri cupit, et cani publice. « De oratione Dominica et Symbolo, ut memoriter teneant, et Gloria Patri, ac Sanctus, atque Credulitas, et Kyrie eleison a cunctis reverenter canatur. Psalmi similiter disctincte a clericis. » Quæ sit illa Credulitas, si distinguitur a Symbolo apostolorum, dici non potest alia, meo judicio, quam Symbolum Athanasii.

(*a*) *Orationem Dominicam cum Symbolo.* Apostolorum videlicet, non eo de quo mox in missa recitando. De quo et in Capitulari Caroli Magni præcipitur (l. VI, c. 171, 172). « Ut annuntient presbyteri omnibus fidelibus sibi subjectis symbolum et orationem Dominicam, ut Spiritus ancto illustrante salventur. » Et mox ut nemini liceat infantes de sacra fonte suscipere, nisi qui « memoriter Symbolum et orationem Dominicam tenuerint : » Quod ad eorum explicationem pertinet populo tradendam, vult idem capitulare, « Ut nullus sit presbyter qui in ecclesia publice non doceat lingua. » Vide et Theodulphi Aurelianensis epistolam eadem omnia suadentem.

(*b*) *Et credo in Deum, apud omnes ad missam decantetur.* Est enim æquum, ut ad mysterium fidei conficiendum et percipiendum publica fidei professione animos nostros eomparemus. Ita Christus Dominus beneficium sanitatis rogantes sæpe ad fidei exercitium provocavit, ut in muliere Chananæa, in centurione, in Lazari sororibus videre est, et in patre pueri lunatici, exclamante, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX). Cæterum de Symboli recitatione, ut nova, et nondum apud omnes usu corroborata præcipit auctor capitulorum, quam tamen Walafridus Strabo videtur ut antiquissimam agnoscere (*de Reb. eccles.*, c. 22), et a Græcis ad Romanos, ac deinde ad Hispanos profectam : apud Gallos autem et Germanos Caroli magni tempore, damnata per Hispanias Felicis Urgelitani hæresi, idem symbolum « latius et crebrius in missarum cœpisse officiis iterari. » Antea igitur aliquibus saltem in locis, licet rarius, usurpabatur. Græcos B denique Constantinopolitanos, concilii sui Symbolum, Nicæno prætulisse, quia et aptius est ad modulationem, et « ut contra hæreticorum venena, in ipsis etiam sacramentorum celebrationibus medicamenta apud regiæ suæ urbis sedem confecta fidelium devotio celebraret. » Verum Berno Augiensis in causa ejus canendi cum eo convenit, in tempore longe discedit, cum narrat (l. *de quibusd. Reb. ad miss. pertinentibus*, c. 2), absque ulla Græcorum mentione, Benedicti III tempore ab Henrico I imperatore interrogatos Romanos clericos, cur a symbolo intermissarum solemnia recitando abstinerent? respondisse, « Quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam, in soliditate catholicæ fidei permaneret inconcussa: et ideo magnis his necessarium esse, illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. » Quibus auditis institit, atque impetravit a Benedicto pontifice imperator, ut in posterum Romæ C Symbolum ad publicam missam decantaretur. Id factum est anno Christi 1014, Henrico a coronatione sua adhuc recente.

Itaque cum ex illis auctoribus exploratam habeamus ejus moris causam, non sine ingenti Romanæ Ecclesiæ principis et magistræ ecclesiarum omnium gloria, quam per Liberium et Honorium obscurare conantur hæretici. tempus illius institutionis, aut potius celeberrimæ frequentationis in Ecclesia Gallicana sumendum videtur ex eo congressu legatorum cum Leone III pontifice, quos Carolus Magnus Romam ad eum misit, refertur que a Baronio (*ad Ann.* 809, tom. IX): cujus summa hæc est, toleratam fuisse ab ipso Leone potestatem canendi apud Gallias Symboli, at non addendæ in eo vocis *Filioque*, quæ contentionem crearet. Quamobrem dedisse consilium, « Ut paulatim in palatio, inquit, quia in nostra sancta ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem symboli intermittatur : sicque fiat ut quod in ipsum D ut cantaretur, non quælibet imperantis auctoritas, sed potius audiendi id fecerat novitas, si dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus. » Addunt Annales non tantum eam Symboli recitationem non fuisse tunc a papa probatam, sed etiam publica ejus Græce et Latine in æs incisi testificatione monstratum, non placere sibi quatuor syllabarum additionem, ut intelligamus jam tum retinentissimam antiquitatis fuisse Romanam Ecclesiam, nationem vero nostram novitatis amantissimam. Tam parum enim persuasit nostris hominibus Leo quod optabat, omitti Symbolum, ut potius clarissimi antistites illud ubique ab omnibus cantari jusserint : eventu quidem felicissimo et gloriosissimo, cum utrumque secuta deinde sit et Romana et univesrsalis Ecclesia, ut et symbolum decantetur ad missam, et particula *Filioque* addatur, de qua in concilio Florentino multa disputantur: sed fatendum est periculosam semper esse novitatem, et non raro in ea inducenda peccari.

sanctus (*a*) ad missam decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris (*b*) ut arma non portent; sed magis se confidant in defensione Dei quam in armis.

Cap. II. — *Quomodo per archidiaconos vita et doctrina presbyterorum cardinalium investigetur.*

(*Capit. Car. M.* l. v, c. 112). Ut per archidiaconos (*c*) vita, intellectus, et doctrina cardinalium presbyterorum investigetur. Vita scilicet modestiæ, et sobrietatis, ac studium religiosæ conversationis in cunctis eorum actibus. *Capit. Car. M.*, l. vi, c. 155 et 175.) Intellectus vero, quomodo sit idoneus unusquisque suos fratres in fide sanctæ Trinitatis erudire : ut credant Patrem, et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt : et unam esse deitatem, et substantiam, et majestatem in tribus personis Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et quemadmodum Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, et Maria semper Virgine pro salute, et reparatione humani

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

a Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἅμα εἰπέτω. Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, Κύριος Σαβαώθ.

(*b*) *Ut arma non portent.* « Non enim qui reliquimus sæculum, ut ait Moguntinum concilium (*c.* 17), id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritalia habeamus, sæcularia dimittamus. » Militares igitur animos qui bellis assiduis undique circumstrepentibus in clerum irruperant, episcopi necesse habuerunt infringere, et ex clericorum omnium manibus arma excutere, ut factum Meldensi concilio (*can.* 37), cui Hincmarus recens ad episcopatum evectus interfuit, quo decretum est : « Ut quicunque ex clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant : sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, et religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur : quia non possunt simul Deo et sæculo militare. » Quapropter severe interdictum ne in seditione arma sumant (*Capit. Car. M.* l. vi, c. 248 et 285). « Ut clerici qui in quacunque seditione arma volentes præsumpserint, reperti amisso ordinis sui gradu in monasterio pœnitentiæ contradantur. » Et quoniam per ea tempora episcopis et presbyteris initio non erat prælio interdictum, notabile est laicos ipsos et milites supplicare imperatori Ludovico, « ut episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus, sed quando vos nosque in hostem pergimus ipsi propriis resideant in parochiis, Deoque fideliter famulari studeant. Quosdam enim ex eis in hostibus et præliis vulneratos vidimus, et quosdam periisse cognovimus. Novit Dominus quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, et quidam ex nostris timore perterriti propter hoc fugere et inimicis terga vertere solent, » etc. « Quam formam et de sacerdotibus tenere optamus, id est, ut nec illi in hostem (deest *pergant*), nisi benedicti, et ipsi electione atque permissione proprium episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia; et vita, ac conversatione omnes securi esse possimus. » Vetat igitur Walterius ne quis clericus tutelæ suæ prætextu arma ferat, quibus alteri nocere possit.

(*c*) *Vita, intellectus et doctrina cardinalium presbyterorum investigetur.* Cardinales presbyteri sunt addicti et incardinati ecclesiis, in quibus moventur quidem ut omnibus provideant; sed ita tamen ut ab illis non moveantur. Et quia cardo rerum omnium præcipua pars dicitur, præcipui et primarii earum ecclesiarum presbyteri sunt, quos parochos sive curatos appellamus. In eorum vitam sive mores, et intellectum, atque doctrinam vult episcopus diligenter inquiri. Hæc duo quemadmodum recte distinguat, equidem non video. Nam quod dici potest, intellectus ad propriam scientiam pertinere, quam peritus sit, quam catholice mysteria fidei mente complectatur; doctrina vero, ad erudiendam plebem, quam facile, quam illuminate et aperte animi sui sensa inter concionandum explicet; refellitur ex eo, quod in utroque capite popularem institutionem requirat. Si tamen capituli verba diligenter attendimus, intellectum, speculationi dabimus et fidei mysteriis : doctrinam, virtutum praxi : quæ utræque partes ad docendum populum sunt necessariæ : ut bene credendo, et agendo Christiani nomen quod præfert, expleat. Quæ licet impropria sit verborum significatio, non est tamen in corrupta Latinitate cur meliorem requiramus.

Tria igitur in intellectu parochi indagabit archidiaconus, ut peritus sit, quod habet a libris et studio : ut bene de catholicis mysteriis sentiat, quod a vera theologia accipit : ut quæ bene sentit intelligenter diserteque enuntiet, cujus facultatis potissimam matrem naturam agnoscimus. In paucis presbyteris fuisse primum ut credamus, facit illa, si sic loqui fas est, religionis per ea tempora barbaries, librorum penuria, bellorum assiduæ clades, armorum circumstrepentium, tumultus : quæ omnia nemo non videt quam sint litterarum studiis inimica. In secundo, peccarunt gravissime Colluthus et Arius apud Alexandriam privatarum ecclesiarum rectores, qui præfecturæ suæ abusi potestate, parochianos suos primum schismate ad invicem, deinde hæresibus ab Ecclesia diviserunt. Et Colluthiana quidem factio in ipsis pene incunabulis oppressa parum nocuit. Arius autem pertinacior et furiosior, externa modestiæ specie, pellaci affabilitate, ementita benignitate sacras primum virgines magno numero, tum sacerdotes duodecim, suis dementavit erroribus : demum ad episcopos ipsos penetrans, totam pessumdedit Ecclesiam, quæ omnia fusius narrat Epiphanius (*hæres.* 69). Tertium sine dubio iis defuit de quibus Caroli Magni capitulare sic decernit (l. vi, c. 182) : « Nullus sit presbyter qui in ecclesia publice non doceat lingua quam auditores intelligant, fidem omnipotentis Dei in unitate et trinitate simpliciter credere. Si vere ipse verbis manifeste explicare non poterit, petat sibi ea a doctiore taliter transcribi, qualiter aperte legat, quod qui audiunt intelligant : et qui amplius non poterit, vel his verbis admoneat. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » O stupendam sæculi imperitiam ! ac nisi tum disciplinarum studia in claustris conservassent monachi, atque illustres doctrina episcopos urbibus et provinciis dedissent, qualem habuissent majores nostri ecclesiam ?

Doctrina, qualem vult hic auctor, præcipuum habet in moribus et vita fundamentum. Nemo enim virtutem alios bene unquam docebit, qui prior eam non exerceat : et *tardiores* bubulci et agasones ad quorum animos verba auribus commissa non penetrant, oculis non ægre percipiunt faciendum esse, quod fit a prælatis Qui proinde tenentur pastorem et episcopum animarum nostrarum imitari, qui *cœpit facere* primum, tum *docere*. Hoc pervidit Herardus Turonensis (cap. 107), qui omissa scientia quam in presbyteris alii desiderant, in vera vitæ sanctitate pedem figit, « Ut presbyteri sicut ordine sanctiores; ita verbo, incessu, et actu sint reverentiores : quia celsitudo graduum graviorem peccati facit cumulum. »

generis : passus, sepultus, et tertia die resurrexit, et ascendit in cœlos.: et quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare vivos ac mortuos, secundum merita propria. Et quia una erit resurrectio mortuorum ; et quod impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittantur : et justi cum Christo et sanctis angelis in vitam æternam. In doctrina vero, qualiter eos qui tardiores sunt, de fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus verbo et probabil exemplo eos qui indigent, possit instruere, secundum evangelicam et apostolicam, atque canonicam instructionem, qualiter indeclinabiliter vivant et a quibus vitiis eos oporteat abstinere, ne cum diabolo in æternam damnationem demergantur.

A

Cap. III. — *De mulierum conversatione presbyteris vitanda.*

(*Conc. Nic.* can. 3; Theodulfi *epist. ad cler.*, c. 12). (*a*) Ut juxta sanctorum interdicta Patrum nullus sacerdotum quamlibet sexus muliebris in domo sua cohabitare permittat : neque sine arbitris, vel testibus idoneis cum aliqua solus loqui præsumat : ne forte sibi, aut alicui famulorum derogationis suscipio oriatur.

Cap. IV. — *Ut presbyter omnia munda habeat.*

(*Ibid.*, cap. 4.) Ut unusquisque presbyter, sicut munditiam animæ et corporis habere salubriter admonetur, (*b*) ita quibus Deo ministrandum est indumenta, et altaris ornamenta, c absidamque circa

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

(*a*) *Ut juxta sanctorum Patrum interdicta.* Putidæ fuerit diligentiæ interdicta illa conquirere, et in fascem unum colligere, cum numero sint infinita, et in pervolutandis conciliis quocunque te verteris occurrant canones indebitum feminarum accessum presbyteris prohibentes. Non revoco ἐπεισάκτοις illas tantopere primis temporibus a concilio Nicæno, ab Augustino, Hieronymo, Gregorio, innumeris aliis improbatas. Taceo relictarum post susceptos ordines conjugum periculosam conversationem, cujus exemplum illustre dedit Genebaudus Laudunensis, vir carne nobilis, tamque sacris quam sæcularibus litteris eruditus, » qui, ut præclare narrat Flodoardus (*l.* I *Hist.*, *c.* 17) ; « de anteacta vita nimium gradusque sublimitate confidens, ab uxore quam reliquerat, incaute, quasi pro instruenda ea visitari se permisit. Sed contigit ut frequentes mulieris visitationes blandaque colloquia, durum validumque contra libidinem pectus emollirent episcopi, et quasi rupem de loco sanctitatis ad cœnum transferrent luxuriæ. » Hæreo in nostris. Capitulare Caroli Magni admonet (*l.* I, *c.* 98), « Statutum esse ab episcopis, de presbyteris qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, ut si admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur. De accessu et frequentatione, ac cohabitatione clericorum cum feminis » ait Hincmarus noster (*Capit. an.* 852, c. 21) ; « Unde secundum sacros canones in omnibus synodis specialiter interdiximus, firmiter et expresse atque sollicite a nobis et a comministris nostris est inquirendum. » Quam in rem non pauca subjungit more suo. Et alio in capitulari (*Capit. an.* 874, c. 3) postea queritur ea monita nihili a parochis fieri : « Jam vobis capitulum ex sanctis Scripturis et catholicorum dictis donavi, de inconvenienti accessu, et indebita familiaritate ad feminas. Sed video quosdam vestrum illud parvi pendere : unde iterum in conventu vestro volo recitari. » Et quæ sequuntur. Herardus Turonensis brevius (*Capit. c.* 19) : « Ut conversationem feminarum, earumque accessum et administrationem exsecrentur. Sin alias, velut contemptores canonum ab ordine deponantur. Et quibus ministrare necessaria decernunt, longe eis domos prævideant, in quibus non per se, sed per ministros subsidia porrigant. » Plura vide apud collectionem Antonii Augustini (*l.* VI, *tit.* 30 *et seq.*) et omnia in opere peculiari Theophili Raynaudi viri undecunque doctissimi, qui hoc argumentum religiosis æque ac sæcularibus presbyteris necessarium, totum penitusque nuper exhausit (l. *de sobria frequentat.*, etc.) Inscribitur quippe, *Dissertatio de sobria alteriusque sexus frequentatione per sacros et religiosos homines.*

(*b*) *Ita quibus Deo ministrandum est, indumenta.* Hoc ad decorem domus Dei tanti facit Hincmarus (*Capit. visitat.* a 4 et 6), ut in parochorum per de-

B

canos interrogatione discutiat de [illegible] articulos. « Qualia sint indumenta altaris, quot nova, et quot vetusta, qualiter nitida. » Et mox ; « Qualia aut quot sacerdotalia vestimenta habeat, et qualiter sint nitida, aut in nitido loco collocentur. » Capitulare Caroli Magni eodem honoris divini amore jubet (*l.* I, *c.* 152) : « Ut presbyteri per parochias suas feminis prædicent, ut linteamina altaribus præparent. »

(*c*) *Absidamque circa altare.* Apsidam melius sive chorum ecclesiæ, ut modo vocamus, quo altare continetur et clauditur, vult esse quam mundissimum, tum quia in eo maxime sacramenta tractantur, tum quia sacramentis præsentes angeli semper assistunt. Tertiam rationem possumus addere, quia eo loco sanctorum reliquiæ collocari solent. Sic enim apud Gregorium Turonensem (*l.* X, *c.* 31). Tetricus Lingonensis episcopus præcessori suo S. Gregorio condendo « ante altare basilicæ fundamenta jacit, erectamque apsidem unico opere construit et transvolvit. Ea vero transvoluta disruptoque

C

pariete, arcum ædificat. Quod opus cum esset perfectum atque ornatum, postquam in media apside locum fodit quo corpus beati Patris transferre volebat, » etc. Apsis autem sive apsida, dicitur a fornice et arcu, sive quia in modum arcus erotundatur locus ille, sive quia fornice desuper contegi et concamerari solet. Neque alium credidi semper esse locum qui Constantinopoli Trullus vocatus est, ubi concilium illud famosum celebratum in Trullo. Non est dubium quin fuerit erecta in apside sedes episcopi, ut etiamnum hodie in cathedralibus ecclesiis eminere solet : neque negari debet ad eam apsidem gradibus conscensum fuisse, ut *apsidæ gradatæ* bene nominentur ab Augustino ; sed probare non possum, quod eo Augustini loco sic utuntur plerique, ut credant ipsam apsidem esse cathedram, cum utrumque manifeste distinguat, scribens episcopo Donatistæ Maximino ad infringen-

D

dam schismatici superbiam ex dignitate et sæculari pompa profectam (*epist.* 203) : « Transit honor hujus sæculi, transit ambitio. In futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, et conscientiarum arbiter judicare. » Et alibi ad Albinam religiosam feminam de tumultu in ipsa ecclesia excitato. « Ad nostra subsellia, relicta turba redieram. » Et mox (*epist.* 225) : « Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in apsidem honoratiores et graviores ascenderant. » Certe in cathedram episcopi non ascenderant, sed in locum ubi constituta erat, ut apsis cathedram contineat, neque nisi figurate pro cathedra sumatur. Sic explicandus canon (32) concilii Carthaginensis (III) : « Cujuscunque pœnitentis publicum et vulga-

altare, vel potius, imo totam ædem ubi sacramenta tractantur : et ubi sanctorum semper est præsentia angelorum, nitidissime et reverenter custodienda prævideant : ne forte cum missi e latere nostro una cum archidiacono illuc venerint, aliquid reprehensibile inveniant, unde severius fraternitatem cujuspiam redarguere compellamur.

CAP. V, — *Ut vasa sacra non dentur in pignus.*

(*Capit Car. M.*, l. I, c. 94 ; Herard., *capit.* 20.) (*a*) Ut nullus sacrum vas, aut aliquid Deo sacratum loco pignoris dare præsumat : nisi causa redimendorum captivorum, aut in restauratione sarta tectorum ecclesiæ. Et hoc ipsum ne fiat nisi per licentiam episcopi. Et ut res ecclesiæ quæ a fidelibus sunt oblatæ, nullus distrahere præsumat.

CAP. VI. — *Ut unusquisque presbyter clericum et scholam habeat.*

(Hincm., *Capit. an.* 874, cap. 5.) (*b*) ut unusquisque presbyter suum habeat clericum, quem religiose educare procuret. Et si possibilitas illi est scholam in ecclesia sua habere non negligat : solerterque caveat, ut quos ad erudiendum suscipit, caste sinceriterque nutriat.

CAP. VII. — *De libris ecclesiasticis, et de eucharistia semper habenda.*

(*Capit. Car. M.*, l. VI, c. 227 ; l. I, c. 161.) Ut libros ecclesiasticos, Missalem videlicet, Evangelium, Lectionarium, Psalterium, Antiphonarium, Martyrologium, et Homeliarium, per quos se et alios informare debent, habeant. Et per libros bene correctos emendent, ne opus Dei cum desidia facere videantur. Ut unusquisque capitula de majoribus vel minoribus vitiis, seu etiam virtutibus, per quæ cognoscere possit, vel prædicare subditis suis ut caveant ab insidiis diaboli. (*c*) Et ut semper eucharistiam presbyter habeat paratam, ut quando quis in-

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

tissimum crimen est quod universa Ecclesia noverit, ante absidem ei manus imponatur. » Ut peccato publice noto publica respondeat satisfactio, non descendat ad pœnitentium locum episcopus, quasi verecunde reconciliaturus, sed ad episcopum reus ascendat in apsidem eminentem, ibique spectantibus omnibus e cathedra sua episcopus manum reconciliatoriam imponat.

(*a*) *Ut nullus sacrum vas.* Sic Herardus Turonensis (*c.* 20) : « De vasis et vestimentis ecclesiasticis pro pignoribus absque licentia episcopi non dandis, et datis recipiendis. » Idem vetat aliis verbis Hincmarus (*Capit. an.* 852, c. 11) : « De sacris ministeriis ad wadium non dandis. Ut nullus presbyter præsumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum tabernario, vel negotiatori, vel cuilibet laico, vel feminæ in vadimonium dare. » Idque probat non licere a pari. Sacerdos cum sacris vestibus ad profanum populi colloquium progredi vetatur : non potest per canones tabernas ingredi ad bibendum : vasa sanctificata prohibetur dare immundis ad contingendum : quanto minus in vadimonium? Et hæc omnia ex capitulari Caroli Magni (*l.* I, *c.* 94, *et l.* V, *c.* 172) ducta pravam consuetudinem corrigente. « Quæ transgressio » inquit Ludovicus Pius, « et tempore genitoris nostri, et nostro, in conventibus episcoporum, secundum auctoritatem canonicam, prohibita, sed necdum ad correctionem plene est perducta. » Quid est igitur quod nonnulli historici scribunt a sanctissimo regum nostrorum e Syria in Franciam redeunte, relictam Saracenis hostibus sacrosanctam hostiam in pignus? Scio id a Joinvillæo reticeri, negari præcise ab aliis. Non desunt tamen qui affirment in ejus facti memoriam vulgo in tabernis meritoriis per Palæstinam pictam videri eucharistiam, et ejus figuræ rationem quærentibus, Franci regis factum enarrari ab incolis. Quod in medio relinquimus.

(*b*) *Ut unuscuisque presbyter suum habeat clericum.* Vitæ socium, sacrorum ministrum, scholæ magistrum, successorem futurum. Et hoc quæri vult a parocho Hincmarus (*Capit. ad Decan.*) : « Si habeat clericum, qui possit tenere scholam, aut legere epistolam, aut canere valeat, prout necessarium sibi videbitur. » Ejusmodi clericos, nutritos vocat alibi (*Capit. an.* 874) : « Si vos bene viveretis, et vestros nutritos in bona vita et in bona conscientia nutriretis, non vobis esset necesse et vestra perdere, et vos ipsos in damnationem mittere. » Nec minus Herardus scholas vult a presbyteris institui (*Capit.* 17) « Ut scholas presbyteri pro posse habeant, et libros emendatos. » Theodulfus autem gratuitas vult esse scholas ejusmodi, summa cum charitate conjunctas (*epist. ad cler.*, *c.* 20) : « Cum ergo eos docent, nihil pro hac re ab eis pretii exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua eis voluntate obtulerint. »

(*c*) *Et ut semper eucharistiam presbyter habeat.* Quanto studio curatum sit ut nemo Christianus, quantumlibet antea legitime abstentus, absque viatico moreretur, et canones innumeri docent, et Hincmarus in concilio nostro solemniter repræsentat. Eoque processit Africanorum fidelium simplicitas, ut etiam mortuos eucharistia donarent. Quod concilio Carthaginensi vetatur (can. 5). » Item placuit ut corporibus defunctorum eucharistia non detur. Dictum est enim a Domino : Accipite et edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. » Et quoniam in Græca ejus canonis translatione dicitur ἵνα τοῖς σώμασι τελευτώντων εὐχαριστία μὴ δοθῇ, quæ vox *morientes* significat, monet Balsamo (*in hunc can.* V), illa τοὺς ἤδη τελευτήσαντας, οὐχὶ τὰ ἔσχατα πνέοντας intelligit oportere. Ob eam rem jubet Hincmarus (*Capit. an.* 842.) parochum interrogari, « si habeat pixidem ubi congrue possit recondi sacra oblatio reservanda ad viaticum infirmis. » Addit quoque loco eodem, quod uotandum est, ut « ipse presbyter infirmos communicet per se, et non per quemlibet ; nec tradat communionem cuiquam laico, ad deferendum in domum suam causa cujuslibet infirmi. » Qua lege opus non esset, si contra vulgo non peccaretur. Quod tamen in vetere usu Ecclesiæ usurpari semper non potuit. Serapion enim ille senex Alexandrinis apud Eusebium (*Hist eccl.* VI, 36), imminente morte postulavit quidem sibi sacram eucharistiam ab aliquo e presbyteris deferri, sed oblatam accepit a puero.

Quod autem non tantum infirmis, sed etiam parvulis ægrotantibus vult porrigi eucharistiam, ad opinionem S. Augustini videtur accedere (*de Peccat. merit. et remiss.* c. 24), non minorem in eucharistia, quam in baptismate necessitatem fidelibus omnibus ad salutem consequendam collocantis ; quam existimat magnus doctor ex apostolica traditione ecclesiis insitam esse. Imo communiter in Galliis receptam fuisse tum temporis docet capitulare Caroli Magni (*l.* I, *c.* 161), unde sumpsit Walterius, jubens : « Ut presbyter semper habeat eucharistiam paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur. » Quod universalis Ecclesia

firmatus fuerit, aut parvulus ægrotaverit, statim eum communicet, ne sine viatico moriatur.

CAP. VIII. — *De hospitalitate exercenda.*

(*Ibid.*, l. v, c. 221 ; Theod.; *epist ad cler.*, c. 25.) Ut hospitalitatem in invicem, et in omnes alacriter exerceant : quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei, *Hospes eram, et collegistis me* (*Matth.* xxv). Apostolus inquit hospitalitatem laudans, *Per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis* (*Hebr.* xiii). Quod si quis presbyter pro paupertate hospitalitatem dicit viantibus exhibere non posse, saltem in domo sua eum libenter recipiat, salvamentum, focum, aquam, stramen ad lectum ei præstet, et ad emendum quæ ei necessaria sunt, ei quærere adjuvet. Nam ipsa Veritas per se loquens, ait : *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* x)

CAP. IX. — *Ut presbyteri dotem habeant.*

Ut presbyteri qui necdum dotem, juxta quod in capitularibus domini ac senioris nostri, Caroli videlicet gloriosissimi regis, nec non et avi, et patris illius capitulo octogesimo quinto continetur, ad suas ecclesias consecuti sunt, ad nos referant ; et divino adjutorio nostroque consilio a senioribus suis impetrent : et si aliquid amplius habuerint, debitum servitium suis senioribus impendant.

CAP. X. — *De curis sæcularibus vitandis, et usura.*

(*Capit. Car. M.*, l. ii, c. 37 ; l. v, c. 107, 112 : l. i, c. 125 et 130.) Ut presbyteri sive diaconi fide jussionibus, et venationibus non deserviant, neque conductores existant, nec usuras exerceant., aut fieri permittant. Usura etenim est ubi amplius

A requiritur quam datur. Verbi gratia, si dederis decem solidos, et amplius requisieris : vel si dederis modium vini, frumenti, et iterum super alium exegeris.

CAP. XI. — *De juramentis vetandis.*

(*a*) Ut plebibus suis denuntient ne juramentis assuescant.

CAP. XII. — *De vitandis excommunicatis et facinorosis.*

(*Ibid.*, l. iii, c. 25, 42, etc.; Isaac., tit. 9; *conc. Nic.*, can. 5.) Ut nemo cum excommunicatis et prædonibus manifestis, sive raptoribus seu homicidis et sacrilegis communicet, nec missam cantet, nec Ave in via eis dicat : sepulturam non præbeat,
B nec ullo modo, nisi corrigendi causa cum eis loquatur. Et omnibus in suis parochiis morantibus diebus Dominicis ad missam pronuntient, ne talibus se conjungant. Si quis aliter fecerit, sciat se damnatum, nisi pœnitentia interveniente, ab omnibus conciliis canonice institutis : nec non et a trecentis decem et octo pontificibus in Nicæna synodo Spiritu sancto præordinante congregatis. Nam et de his Paulus, vas electionis, protestatur dicens : *Quia rapaces regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* vi). Joannes quoque apostolus de hoc ipso loquitur : *Quia qui dixerit ei Ave, communicat operibus ejus malignis* (*Joan.* iii). Scimus enim quia nulla pars Christo cum Belial : quia unusquisque cujus opera agit, ejus filius appellatur.

C CAP. XIII. — *De observatione jejuniorum.*

(*Capit. Car. M.*, l. vii, c. 98, et l. vi, c. 183, 184.) (*b*) Ut jejunia a pastoribus injuncta diligenter

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

nunquam recepit, licet infantem puellam Carthagine Christi corpori et sanguini participasse narret sanctus Cyprianus libro de Lapsis, referatque Augustinus, absque nota novitatis (*epist.* 23).

(*a*) *Ut plebibus suis denuntient.* Idem præcipere videtur qnod Herardus Turonensis (*Capit* 22.) : *Ut Christiani a verbo otioso, et a juramentis se caveant.* Ne temere jurent, ne cum perjurio. Quod tam frequenter inculcat Chrysostomus homiliis suis ad populum Antiochenum, neque tacet capitulare Caroli Magni (*l.* vi, *c.* 2 ; *l.* iii, *c.* 8, 10), cum auctoritate sacræ Scripturæ vetat *assumi nomen Domini Dei in vanum.* Sunt et in eodem capitulari alia juramenta vetita, hominibus videlicet, præterquam regi, et, ut vocant, senioribus. « De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, et unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem, et sui senioris : exceptis his sacramentis, quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur. » Subjiciuntur paulo post alia juramenta, quæ a testibus fiunt in judicio, quod capitulum refert Isaac Lingonensis (*tit.* 8, *c.* 2), in quo vetatur omnino quemquam *nisi jejunum ad juramentum, vel ad testimonium admitti.* Idem jubet Herardus *Capit.* 12 : *Ut testes jejuni jurent, ac prius de perjurio moneantur.* Imo et judices ipsos lex jubet esse jejunos : *Nec placitum comes habeat*, inquit capitulare (*l.* iii, *c.* 38), *nisi jejunus.* Theodulfus postquam perjurii scelus graviter amplificavit (*epist. ad cler.*, c. 26, 27), reprehensis presbyteris qui illud « parvipenderent, et levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponerent : » admonet et a falso testimonio abstinendum, « scientes et hoc gravissimum scelus esse, quia summa ne dicam stultitia, sed nequitia est, pro cupiditate argenti et auri, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod celeberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grave scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab ecclesia repulsus. »

(*b*) *Ut jejunia a pastoribus injuncta.* Quæ sint illa, docet capitulare (*l.* vi, *c.* 183, 184), primum minora, videlicet « Quatuor temporum, hoc est mense Martio, Junio, Septembrio, et Decembrio. » Deinde ma-
D jora, « ut legitima tria jejunia in anno agantur, id est quadraginta dies ante nativitatem Domini, et quadraginta ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, et post Pentecosten quadraginta dies. Quanquam enim nonnulla ex his canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis, et parentum nostrorum, morem hunc observare, ut superius comprehensum est, convenit. » Præterea stata per hebdomadam adduntur : « Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni sexta feria propter passionem Domini jejunetur. Sed et Sabbati dies a plerisque, propter quod in eo Christus jacuit in sepulcro, jejunio consecratus habetur. » Ex his omnibus quid Ecclesia in usu suo retinuerit superfluum est dicere : sed omnino probrosum et a majorum nostrorum religione perquam alienum, pauca illa quæ supersunt, tantopere a Christianis negligi, et videntibus scientibusque pastoribus propalam violari.

observent, ne, quod absit, propter inobedientiam calpabiles inveniantur.

Cap. XIV. — *De operibus misericordiæ exercendis.*

(Theodulf. *epist. ad cler.*, c. 32.) Ut operibus misericordiæ, hoc est eleemosynis et orationibus, subditos assuescere doceant : quoniam his duabus aliis propitiatio Dei obtinetur.

Cap. XV. — *De opere servili diebus Dominicis prohibendo.*

(*Capit. Car. M.*, l. i, c. 15; l. vi, c. 186; Theodulf. cit. c. 24; Herard., c. 2.) Ut mercata diebus Dominicis, aut carrigationes fieri permittant : sed a vespera usque ad vesperam resurrectio Domini honoretur.

Cap. XVI. — *De tabernis et scurrilitatibus fugiendis,*

(*Capit. Car. M.*, l. i, c. 14, *ex conc. Laodic.* can. 24, et *Carth.* iii, can. 27.)

Ut presbyteri, vel reliqui ordinis ecclesiastici in tabernis non bibant, nec scurrilitatibus cachinnum moventibus consuescant : scientes quod de omni verbo otioso rationem reddent, hi maxime quorum sermo omni tempore sale debet esse conditus : ut verbo et opere exemplo sint, et forma cunctis cernentibus, præstentque gratiam audientibus.

Cap. XVII. — *Quomodo in consortiis et conviviis gerere se debeant.*

(Hincm., *Capit.* an. 852, c. 14; Herard., c. 108.) Ut quando ad conventum, quod ipsi consortia appellant, ...

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

Quomodo autem sint observanda, vel potius tum temporis fuerint observata, in cibis, et in esus tempore, narrat Theodulfus, distinguendo jejunia quæ vidimus ex traditione per Ecclesiam imperata, ab iis quæ moribus publicis inducta, magis pendent a voluntate singulorum (Theodulf. *epist. ad cler.*, c. 57). « Quadragesima, » inquit, « cum summa observatione custodiri debet, et jejunium in ea nullatenus resolvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri. Alio tempore solet jejunium charitatis causa dissolvi : isto vero nullatenus debet : quia in alio jejunare, præceptum Dei transcendere est. » Vocat autem non jejunare, ante vespertinum officium cibum solvere. Sic enim inferius (*c.* 39) : « Solent plures qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad nonam, mauducare. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint antequam vespertinum celebretur officium. » In eo comestionis tempore majus jejunii momentum ponit, quam in cibis ipsis (*c.* 38, 39, 40) : « Qui ovis, caseo, piscibus et vino abstinere potest, magnæ virtutis est : qui autem his aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, utatur : tantum et jejunium usque ad vesperum solemniter celebret; et vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. » Itaque « concurrendum est ad missas, et auditis missarum solemnibus, sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. » Facienda eleemosyna ex cibo et potu « quo quisque uti debuit si non jejunaret : quia jejunare et cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum. » Et hæc universe de junio.

Ibid., c. 36, 41, 42, 43). De quadragesima, quod sanctissimum est Christianæ abstinentiæ tempus, hæc præcipit quæ referre non tantum ad imitationem, sed etiam ad novantium quorumdam revincendos errores conducit : « Hebdomada una ante initium quadragesimæ, confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, et omnia jurgia sedanda, et dimittere debent debita invicem de codibus suis. » Qualis autem ea pœnitentia est? an ea quæ a sacro altari removeat, et abstinentiam a sacra communione imperet? « Singulis diebus Dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt, et in Cœna Domini, et in Parasceve, in vigilia Paschæ, et in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum. » Eo tempore cessare debent lites omnes et contentiones. « Arguit enim eos qui contentiones et lites quadragesimæ tempore exercent, et qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam, dicens : *Ecce in diebus jejunii vestri* (*Isa.* ii), etc. » Illis etiam sacratissimis diebus « abstinendum est a conjugibus, et caste et pie vivendum : ut sanctificato corde et corpore, isti sancti dies transigantur. Quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur, et quod orationes, vigiliæ, et eleemosynæ non commendant. » Hæc ex uno Theodulfo ad nostram utilitatem descripsimus, quorum pleraque per capitulare sparsa sunt.

(*a*) *Ut quando ad conventum.* Nonnulla hic breviter perstringenda. Privatum est, quod de tabernis non adeundis edicit, post infinitos et canones, et ejus vitii censores. Publicum, quod in conventibus presbyterorum et confratriis desiderat hoc loco. Consortia vocantur, quia virorum consortium, et eadem vitæ officiique conditione parium congregationes sunt. Gildonias pro iisdem habet Hincmarus, « ut de collectis quas Gildonias, et confratrias vulgo vocant, » quæ fiunt collata a singulis pecunia et symbola. Hæc convivia canon Laodicenus vetat tam a laicis quam a clericis celebrari (*Conc. Laod.* cap. 55), ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς ἐκ συμβολῆς συμπόσια ἐπιτελεῖν, ἀλλ' οὐδὲ λαϊκούς, ebrietatis metu, quam consequuntur petulantia et insolentia, inquit Balsamo. Malunt Latini agapes illas permittere. Sed quia secundum Cassiodori dictum (*l.* vii, *ep.* 3), « inter consortes assolet indisciplatio nasci, » eam ob rem legibus quibusdam regendi et constringendi sunt. Eas decernit Nannetense concilium in calcem tomi III Conciliorum Galliæ conjectum (*Conc. Nannet*, c. 15) ex quo sine dubio et Hincmarus, et noster Walterius hauserunt. Spectantque omnes ad temperantiam, modestiamque sacratis hominibus dignam commendandam. « Pastos, pastellos et comessationes » in illis multum improbat Hincmarus (*Capit. ann.* 852, c. 14, 15, 16), « quia inhonestum est et onerosum. » Vetat invitare se poculis, « et precari in amore sanctorum; vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere : quia in talibus comessationibus et potationibus, sicut irreligiosi faciunt, semper se immiscet diabolus. »

Rusticas cantilenas, turpes ludos, saltatrices ab illis conviviis abesse jubet Walterius, primum ex veteris Ecclesiæ disciplina, clericos ab spectaculis quæ in conviviis nuptialibus exhibentur, removentis canone Loadiceno (*can.* 54); sed « priusquam ingrediantur thymelici surgere et secedere. » Quem renovat synodus in Trullo posteaquam ludos omnes curules, et scenicos spectari vetuit a clericis (*syn. in Trullo*, c. 24. Balsam. ibi.). Eum scribit Balsamo sic explicari a quibusdam, ut a minis et ludis scenicis abstinere omnino cogantur, non autem ab equestribus omni ex parte, cum eorum aliqui permissione ecclesiastica fieri videantur. Sed eum tractatum concludit patriarcha memorabili sententia. Plures et longe religiosiores, quibus et ipse assentitur, distinctiones ejusmodi non ad-

pellant, veniunt, religiose equitent : juniores prioribus fratribus debitum honorem impendant. Si quando autem in cujuslibet anniversario ad prandium presbyteri invitantur, cum omni pudicitia et sobrietate a procaci loquacitate et rusticis cantilenis caveant. Nec saltatrices in modum filiæ Herodiadis coram se turpes facere ludos permittant. Sed in unum convenientes, sicut reliquos cibi et potus ministros, ita lectorem sanctæ ædificationis constituant : quatenus sacerdotalem reverentiam laudabili maturitate exhibeant, et in eorum sanctis A moribus honorificetur Deus per Jesum Christum.

CAP. XVII. — *De sanctorum festivitatibus indicendis et observandis.*

(*Capit Car. M.*, l. I, c. 164; l. II, c. 35; l. VI, c. 186.) (*a*) Ut celebres sanctorum festivitates solemni cultu observent, et observandas suis plebibus antea cognitent. Hoc est, (*b*) natale Domini, B. Stephani, S. Joannis evangelistæ, Innocentium; octavas Domini, Epiphania, (*c*) nativitatem S. Mariæ, purificationem S. Mariæ, assumptionem S. Mariæ; (*d*) Sabbato sancto, (*e*) Paschæ dies VIII (*f*) litania ma-

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

mittere, cum dicant ὀφείλειν τοὺς κανόνας πρὸς τὸ ψυχωφελέστερον ἑρμηνεύεσθαι, οὐ μὴν πρὸς τὸ ἐκλελυμένον καὶ ἀδιάφορον. « Debere canones juxta id quod magis animæ conducit, non autem secundum id quod dissolutius et indifferens est exponi (*Capit.* B an. 852, c. 14). » Deinde ex nimia temporum illorum licentia hæc omnia prohibentur a piis episcopis, quæ fusius prosequitur Hincmarus. « Nec plausus et risus inconditos, et fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat : nec turpia joca cum urso, vel tornatricibus ante se facere permittat : nec larvas dæmonum, quas vulgo talamascas dicunt ibi anteferre consentiat, quia hoc diabolicum et a sacris canonibus prohibitum. »

Ei malo medebuntur qui ex illorum consilio sacra lectione cibos condient. Quod cum Walterio nostro suadet Hincmarus eodem loco :« Aliquis de illorum clericis aliquid de sancta lectione legat. » Quod et placet Herardo, « ut presbyteri et clerici ante se joca turpia fieri non permittant, sed pauperes et indigentes ad mensas secum habeant, et legatur eis lectio. » Sic Augustinus « in ipsa mensa magis lectionem aut disputationem, quam epulationem potationemque diligebat; contra pestilentiam humanæ consuetudinis (Possid. *in Vita Aug* c. 22). » C Sive pestilens illa consuetudo fuerit in ciborum lætitia, et edendi bibendique immoderata cupiditate : sive in convivalium sermonum pravitate et nequitia. « Ideo omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis, et detractionibus sese abstinere debere admonebat. » Sed mos ille, ut et plerique alii apud ecclesiasticos viros olim usitati, modo septis religiosorum claustrorum continetur, neque in publicum prodire audet. Theodulphus, conventus istos ne nominat quidem, sed modestiam tamen et temperantiam a presbyteris exigit (*epist. ad cl.*, c. 13). « Neque cum feminis, aut cum quibuslibet impuris personis convivia exerceatis. Nisi forte paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, et cum conjuge sua et prole velit vobiscum spiritali gaudio lætari, et verborum vestrorum refectionem accipere, et vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur D epulis spiritualibus. »

(*a*) « *Ut celebres sanctorum fesivitates.* Festorum dierum quos publice celebrari necesse est, duos facit ordines; publicos, toti Ecclesiæ vel regno communes; et privatos, suæ diœceseos peculiares : priores habet a capitularibus regum, posteriores in usu Ecclesiæ Aurelianensis. Utrosque percurro. Diei Dominici nulla denuntiatio est, summa religio; quia cum sit ejus aperta cognitio, non docetur populus quando recurrat, sed quomodo transigendus sit : quod capitulari Caroli Magni (*l* VI, *c.* 202, et in Theodulfi epistola egregie traditur (Theodulf., *ep ad cler.* c. 24). Videndus est et Barnabas Brissonius vir eruditissimus ad legem Dominicam.

(*b*) *Natalem Domini* diem, cum tribus sequentibus omnes denuntiari jubent, atque eis est unus ex tritus celeberrimis, quibus episcopus judices publicos monere debet (*Capit. Car. M.* l. VI, c. 106), « ut quicunque miserrimi vinculis detinentur, relaxari debeant : et judex, si pastorem commonentem despexerit, quandiu loci illius episcopo visum fuerit, ab ecclesiæ liminibus arceatur. » Alii duo æque noti sunt Pascha et Pentecoste *Octavas Domini.* quem diem nomine suo *circumcisionem Domini et Kal. Jan.* appellat uno loco capitulare (*Ibid.* c. 186); solemni cultu celebrant Christiani, ex quo postrata idololatria orbem totum occupavit Christi religio, cum antea jejuniis et silentio transigeretur, ut pluribus in Martyrologio docet Baronius (*ad Kal. Jan.*)

(*c*) *Nativitatem S. Mariæ.* Unus ex omnibus nominat noster Walterius. Nam ex silentio concilii Moguntini sub Carolo Magno, et capitularium inde eductorum, judicat Baronius ætate Caroli et Ludovici imperatorum eam festivitatem in Ecclesia Gallicana fuisse ignoratam (*in Martyrol. ad* 8 *Sept*). Quod si diligentissimo rerum ecclesiasticarum investigatori credimus, huic certe auctori debemus primam ejus celebritatis apud Francos notitiam, ut ea laus Ecclesiæ Aurelianensis sit, quod sub Carolo Calvo, instituente Walterio episcopo incœpit in Galliis, unica diœcesi primum contenta, quando neque Turonensis Herardus, neque Rhemensis Hincmarus, neque Isaac Lingonensis, neque Theodulfus et ipse Aurelianensis ejus meminerunt. Nominat quidem Ado Viennensis non uno loco, sed ut celebrem non jubet indici.

(*d*) *Sabbato sancto.* Ab aliorum quoque catalogis abesse video : nisi forte quando Capitulare jubet solemnitatem paschalem a vespera sabbati inchoari (*Capit. Car. M.*, l. VI, c. 187) :« Sicut vesperascente sabbato sanctum Pascha celebratur. » Apud auctores ecclesiasticos celebrius est ejus diei jejunium, imo et tridui totius, quod paschalem festivitatem præcedit : fuitque apud Græcos usitatissimum. Sed in his non immoror.

(*e*) *Paschæ dies* VIII. Miror imprimis in Herardi catalogo reginam hanc Christianorum solemnitatum prætermitti : quod sola amanuensium incuria potuit evenisse. Hoc deinde annoto, apud plures octo dierum ferias adjungi magnæ dominicæ, quod Walterius exprimit. Et apertissime capitulare Caroli Magni (*l.* I, *c.* 35), ubi legimus, « diem Dominicum paschæ cum omni honore et sobrietate venerari : simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus. » Quod ex antiquo jure, et lege Theodosii servatum voluit Carolus Magnus. Quid est ergo quod in eodem capitulari legimus (*Ibid.* l. VI, 186). « In pascha Domini, usque in octavas paschæ, post Dominicam dies III? » An jubet integram paschæ hebdomadam feriari, ac præterea sequentis hebdomadæ dies tres Dominicæ in albis subditos ? Minime gentium : sed hoc vult dies illos octo qui communi jure, ut diximus, olim festi erant, præsenti lege contrahi ad tres paschatis dominicæ vicinos. Quod etiamnum quibusdam in locis observatur. Et utique duos saltem admodum solemnes habemus. Ita

(*f*) *Letania majore.* Quid Letaniæ nomine majores

jore; (a) ascensio Domini, (b) Pentecosten, S. Joannis Baptistæ, S. Petri, S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ. (c) Nostrorum præterea patrum, quorum piis apud Dominum patrociniis vicinis juvamur, B. Evurtii de A transitu, B. Aniani de transitu, B. Benedicti, B. Maximini, B. Lifardi similiter de transitu; de Inventione salutiferæ crucis, de Exaltatione ejusdem vivificæ crucis.

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

Ita pro temporum, pietatisque ratione, veteres leges aut antiquantur, aut constringuntur. Ea tamen dispensatio semel ubique recepta non est, quando in Herardo Turonensi legimus (*Capit.* 97), « de octo diebus paschæ quomodo feriari debeant. » Qua in re cum Aurelianensi nostro rite convenit.

nostri significarint, docet Moguntinum concilium sub Carolo Magno (*c.* 32): Litaniæ Græco nomine appellantur, quæ Latine dicuntur rogationes. Inter litanias autem et exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione aguntur : litaniæ vero indicantur propter rogandum Deum, et impetrando in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur, » cum et litania ad pœnitentiam agendam sit composita, ut mox videbimus.

In appellatione *majoris* plusculum difficultatis occurrit. Nam litaniam majorem Ordo Romanus (*l.* I) nuncupat eam quæ auctore Gregorio Magno VII Kalendis Maii celebratur ad festum sancti Marci. Minorem vero illam quæ per triduum rogationum a Mamerto Viennensi episcopo instituta, « apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus devotissime recolitur, » ut ait idem ordo. Non assentientibus nostris scriptoribus, qui priorem simpliciter Romanam nominant, et in Galliæ usu ægræ retentam subindicant : ut in Herardo videre est (*Capit.* c. 94) : « De litania Romana VII Cal. Maii, ut rememoretur. » Ut videlicet ejus commemoratio fiat, quæ nisi studiose commendata, dilaberetur. Majorem autem litaniam non aliam habent, quam triduum rogationum : et manifeste hanc nominat capitulare Caroli Magni ex concilio Moguntino (*c.* 33) : « Placuit nobis, ut litania major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus (*Capit. Car. M.*, l. V, c. 85). » Walafridus autem Strabo, utrique, tum Romanæ, tum isti Gallicanæ *majoris* nomen attribuit (l. *de Reb. eccles.*, c. 28).

Sed hoc leve et indifferens, modo debita religione servetur. Concilium Moguntinum citatum monet ut eam celebremus : « Sicut legendo reperimus, et sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere et cilitio induti, nisi infirmitas impedierit. » Videtur concilium ad Ordinem Romanum respectare (*l.* I), a quo per id pœnitentiæ tempus omnia sæcularis lætitiæ signa prohibentur. « Nullus autem his diebus vestimenta pretiosa induatur : quia in sacco et cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates et comestiones quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ ducant choros : dies enim abstinentiæ sunt, non lætitiæ. » Similia præcipit et Herardus (*Capit.* 95).

(*a*) *Ascensio Domini.* In capitulari scribitur (*Capit. Car. M.* l. II, c. 35) : « Diem ascensionis Domini pleniter celebrare. » Fuerunt olim festi dies media tantum parte culti, ac post meridiem laboribus externis profanati : de quorum numero videtur fuisse dies ascensionis : quam pravam consuetudinem antiquare satagit Carolus imperator, et totum, atque integrum vult rite celebrari.

(*b*) *Pentecosten.* Nulla alia peculiari ratione Pentecostes celebritatem auget Walterius, quam tamen paschali æquandam constituunt alii, jubente Caroli capitulo (*Capit. Car. M.* l. VI, c. 187) : « Ut annuntient presbyteri eodem modo, sicut vesperascente sabbato sanctum Pascha celebratur, et ipsum diem Pentecostes similiter celeberrimum habeant, ut sanctum Paschæ, et jejunium, et missam, et baptismum. » Unde jejunii illius antiquitas apparet, quod adolescentibus nobis apud sæculares exoletum, revocata pietate, religiosorum maxime exemplo instauratum est, et nunc communiter viget in Ecclesia. Repugnabat nihilominus per ea tempora nonnullorum explicatio dicti evangelici : *Non possunt lugere filii sponsi quandiu cum illis sponsus est* (*Matth.* IX) : ad quam respexisse mihi videtur ordo Romanus (*l.* I), cum in commendatione rogationum, notavit expresse, servari abstinentiam a carnibus, non autem jejunium. B

Inter singularia autem sanctorum festa, omittit noster dedicationem sancti Michaelis, et natalem sancti Remigii, quæ quidem in aliis nominantur, quanquam non constanter. Ex adverso Herardus, et quidem omnium solus, festum sanctorum omnium adjicit, quod Ludovici Pii tempore a Gregorio IV pontifice maximo in Gallias illatum est, ut refert Ado Viennensis (*in Martyrolog. Kal. Nov.*) : « Monente sanctæ recordationis Gregorio pontifice, piissimus Ludovicus imperator omnibus regni et imperii sui episcopis consentientibus, statuit ut solemniter festivitas omnium sanctorum in prædicta die annuatim perpetuo ageretur. »

(*c*) *Nostrorum præterea patrum.* Sequuntur peculiares diœceseos Aurelianensis festivitates, episcoporum qui præcipua sanctitate, et pastorali sollicitudine illam ecclesiam illustrarunt : vultque illas *in transitu*, sive in obitu illorum constitui, non autem C in translatione : cujus rei causas expendere necessarium non videtur. Hic autem mirum mihi accidit, inter eximios illos antistites, omitti Aurelianensium apostolum; et nobilis ecclesiæ fundatorem Altinum, ne sua quidem in ecclesia, martyrem scilicet et apostolicorum virorum discipulum nominari, et ab Evurtio sive Evortio commemorationis ejusmodi duci exordium : longe autem Altino inferior fuit Evortius, et medios habuit præcessores non celeberrimos. Isti debet urbs clarissima templi sanctæ crucis structuram, eoque celebrante dedicationem, emissa e nubibus Christi Domini manu, et figuram crucis ter deformante, ut referunt historici Aurelianenses (card. Sauss., *Annal. eccl. Aurel.* l. II; Herard, capit. 61; *Capit. Car. M.* l. II, c. 39).

Respondet autem hæc additio, illi conclusioni Turonensis Herardi : « Et eorum quorum corpora et debitæ venerationes in locis singulis peraguntur. » Quæ expressior est in Capitulari, « et illas festivita- D tes martyrum vel confessorum, observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt. » Nam cum regum nostrorum pietas multis sanctorum pignoribus Galliam universam locupletaverit, æquum esse censuerunt, eos illic venerari, quo transire dignati sunt. Neque aliam ob causam sancti Benedicti festum hic memoratur, nisi quia ejus corpus per translationem in Floriacensi monasterio in diœcesi Aurelianensi conditum est, ut narrat et probat Carolus Sausseius in Annalibus ecclesiasticis Aurelianensibus (*lib.* IV, Marculph. form. solemn. 33). Hinc est quod apud Marculphum in formulis, Tractoria monachis aut clericis peregrinantibus concessa, sic præfert : « Ego in Dei nomine, episcopus, vel abba de civitate illa, vel de monasterio illo, ubi pretiosus martyr, sive confessor Christi humanitus corpore requiescit. »

CAP. XIX. — *Quod convenientes ad synodum litigare non debeant.*

(*Conc. Nic.* can. Arab. 7; *Antioch.*, can. 20.) Ut quando ad synodum bis in anno, sicut sacri canones imprævaricabiliter docent, convocantur, sæculares querelas et altercationes debitorum ita coram prioribus fratribus, aut coram archidiaconibus suis sopitas et rationabiliter diffinitas habeant : quatenus tunc non litigia, aut quasi forenses querimoniæ accusantium et defendentium actitentur : sed solummodo quæ ad sacrum ministerium pertinent eo tempore tractentur, ut aut discamus aliquid, aut doceamus in alterutrum.

CAP. XX. — *De ritibus sacramentorum, et gradibus ecclesiasticis memoriter discendis, et coram episcopo recitandis.*

Ut singuli sacerdotum sacramenta quæ circa initiandum baptismate Christianum agenda sunt, et quæ ad visitandum et reconciliandum infirmum pertinent : et quæ defunctorum exsequiis impendenda sunt, et canones (*a*) memoriter coram nobis recitare et exponere valeant. Gradus quoque ecclesiasticos similiter memoriæ commendatos habeant. Et unde unicuique gradui in Veteri Testamento origo fuerit. et quomodo Novum in idipsum concordet : et quemadmodum Salvator eosdem gradus in se compleverit, sano intellectu, noverint explanare.

CAP. XXI. — *Ut alumnos nonnisi dignos ad gradus offerant.*

Ut quouscunque presbyteri de suis alumnis in quolibet gradu promovendos obtulerint, sicut probabilis illorum vitæ testes idonei esse debent, ita in suprascriptorum tenore sacramentorum et graduum edoctos exhibeant, quatenus et memoriter ea tenere, et intellectuose sciant explanare.

CAP. XXII. — *De computo discendo.*

(*Capit. Car. M.*, l. VI, c. 226.) (*b*) Ut omnes presbyteri calculandi peritiam habent, et suos in idipsum studiose erudiant.

CAP. XXIII. — *Ut canones non ignorent.*

(*Ibid.*, l. I, c. 55.) (*c*) Sacros præterea canones

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ.

(*a*) *Memoriter coram nobis recitare et exponere valeant.* Duo a presbyteris exigit : alterum ut necessaria quælibet ad rite conferendum sacramenta memoriter ediscant, et in specimen memoriæ, coram episcopo recitent. Idem Hincmarus (*Capit. an.* 852, *c.* 3, 4), sed apud episcopum recitandi necessitatem non imponit : « Distincte et rationabiliter memoriæ commendet. » Item mox : « Orationes quoque eidem necessitati competentes memoriter discat. » Alterum, ut has cærimonias aperte et ad popularem captum dilucide interpretentur, et explicent, ejusque rei specimen coram episcopo exhibeant. Theodulphus autem Aurelianensis, quasi hæc omnia omnibus parata esse existimet, alia quædam a convenientibus postulat, et ipsa suo illorumque gradui valde congruentia (*epist. ad cler.*, c. 28) : « Cum vero Domino opitulante ad synodum in unum convenerimus, sciat nobis unusquisque dicere, quantum Domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum acquisierit. Et si quis forte nostro indiget adjutorio, nos cum charitate admoneat, et nos cum charitate nihilominus ei pro viribus adjutorium ferre non differemus. » Herardus quoque præclarum synodi ordinem constituit in causis primum Ecclesiæ toti communibus, ac deinde privatis, quæ personales esse solent, examinandis (*Capit.* 1) : « Ut in synodo primum generales causæ, quæ ad normam totius Ecclesiæ pertinent, finiantur : postea speciales ventilentur. » Felicia tempora quibus illi tractatus materiam synodorum *cum charitate* faciebant.

(*b*) *Ut omnes presbyteri calculandi peritiam.* Dici vix potest quanta cum sollicitudine curatum sit per ea tempora, ut presbyteri notum haberent computum ecclesiasticum, pene non minus quam orationem Dominicam, et symbolum apostolicum. Unde strictum capitularis imperium (*Capit. Car. M.*, l. VI, c. 228). « De computo, ut veraciter discant omnes. » Breviter et Herardus (*Capit.* 125) : « Ut presbyteri compotum discant. » Quod non omittit Hincmarus (*Capit. an.* 852, c. 8) : « Compoto etiam necessario, et cantu per anni circulum plenissime instruatur. » Hinc laudata illa computi peritia in Beda, in Rabano Mauro, aliisque, quæ magnam scientiæ partem eo sæculo facere visa est.

(*c*) *Sacros præterea canones.* Non omnes profecto canones Ecclesiæ in memoriam cogentur mittere parochi, sed ad bene perfecteque regendum commissam plebem necessarios, ut opifici cuilibet nota esse debent suæ artis instrumenta. Sic explicandum est, quod in capitulari (*Capit. Car. M.*, l. I, c. 55), episcopis et sacerdotibus edicitur, ex Innocentii primi decretalibus, « ut nulli sacerdoti liceat ignorare sanctorum canonum instituta. » Quamobrem periti antistites, ut labori sumptuique suorum parcerent, ex infinita canonum segete, manipulos quosdam collegerunt, qui memoriæ commendati sufficerent. Capitulare quidem plenum est iis conciliorum et pontificum Romanorum decretis, quæ in usum præcipue ex omnibus revocata voluerunt imperatores Christianissimi. Sic Herardus Turonensis (*præfat.*) : « Quoniam auctoritas sacra canonum, nulli sacerdotum canones ignorare permittit, decrevimus, inquit, pariterque injunximus, excepta per nostri laboris studium, hæc modica succinctaque capitula unumquemque habere in posterum. » Sic in civitate Rhemensi, « inter cætera monita saluberrima, dum de legibus atque rebus ecclesiasticis ab Hincmaro præsule tractaretur (*Capit. ar.* 852), hæc in ultimo prolata sunt, memoria commendanda et summopere observanda. » Isaac Lingonensis, exemplo Bonifacii Moguntini excitatum se dicit, ad epitomen canonum suorum concinnandam. Suos quoque Theodulphus obsedrat (*epist. ad cler. præfat. Hincm. cit.* c. 8), « ut hæc capitula quæ ad emendationem vitæ breviter digessit, assidue legant, et memoriæ commendent. »

Jubet Hincmarus præterea presbyterum quemque « studiose legere et intelligere homilias quadraginta Gregorii, ut et cognoscat ad formam septuaginta duorum discipulorum, in ministerio ecclesiastico esse promotum, sermonem prædicti doctoris de septuaginta duobus discipulis a Domino ad prædicandum missis plenissime discat, et memoriæ tradat. » Neque liberi sunt ab illa cura episcopi, si consilium salubre audiunt synodi Turonensis III, sub Carolo Magno (c. 3) : « Nulli episcopo liceat canones, aut librum pastoralem a B. Gregorio papa editum, si fieri potest, ignorare : in quibus se debet unusquisque quasi in quodam speculo, assidue considerare. » O tempus! o mores quibus in sacerdotum concessibus hæc sancta querebantur!

nulli sacerdotum ignorare permittitur, nec quidquam facere quod Patrum regulis possit esse contrarium.

Cap. XXIV. — *Ut contra canones nihil agatur.*

Ut nullus contra canonum statuta quidquam agere permittatur: quoniam sicut in decretalibus Zosimi papæ, capitulo habetur secundo (*epist.* I) : *Si quis* A *interdicta despexerit, gradus sui periculo subjacebit.*

Itaque, beatissimi Patres, et charissimi filii, in omnibus vigilanter, auxiliante divina gratia, cavete ne per istorum seriem capitulorum aliquam reprehensionis noxam incurratis, qua interdicti laqueo, quod absit, impediamini.

ANNO DOMINI DCCCLXVII.

ROTHADUS II

SUESSIONENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA IN ROTHADUM.

(Ex Gallia Christiana, tom. IX.)

Rothadus II ordinatus fuit episcopus anno Christi 822 vel sequenti, triginta videlicet annis ante depositionem; quod patet ex epistola 27 Nicolai summi pontificis : successit igitur Rhotado hujus nominis primo, non Absaloni, vel Berthario, qui nec suo loco, imo in melioris notæ catalogis recensentur. Regebat is Ecclesiam Suessionensem, cum S. Sebastiani martyris reliquiæ Roma allatæ anno 815 ad Hilduino abbate in templo B. Medardi collocatæ sunt. Cæterum cum Rothado et Hincmaro Rhemensi metropolitano graves intercessere inimicitiæ; de cujus gestis plura apud Sirmondum tomo III Conciliorum. Interfuit synodo Belvacensi anno 845, Parisiensi 846, Carisiacensi 848, Turonensi iv, 849, Suessionensi ii, 853, Vermeriensi ii, eodem anno, apud Saponarias 859, Tuciacensi denique subscripsit anno 860. At congregato concilio Silvanectensi anno 863 coram plurimis episcopis, præsidente Hincmaro, qui in Rothadum vetere odio infensus erat, propterea quod presbyterum quemdam in stupro deprehensum immerito, ut arguebat, deposuerat, Rothadus ipse damnatus et ejectus fuit ab episcopatu; cumque Romanam sedem confestim appellasset contra canonicas regulas, alio in ejus locum subrogato in monasterium detruditur, prohibitus ab eodem Hincmaro variis artibus ne Romam pergeret. Idem præsul, vir venerandæ senectutis, officium episcopale semper laudabiliter exercuerat, quod testatur Nicolaus pontifex verbis hujusmodi, epist. 29 ad Hincmarum. « Multorum dolentium auditu veraci cognovimus quod Rothadus frater et coepiscopus noster Ecclesiæ Suessionicæ, pro quodam presbytero, qui pro facti sui qualitate honoris proprii ante triennium fuerat privatus officio, a vestra sanctitate fuit impetitus, et adhuc, quod nefas est, sedem apostolicam appellans, juxta quod sibi a Patribus constat esse permissum episcopatus etiam absens exspoliatus honore, et in exsilium deportatus, hactenus in monasterio retrusus existat. Unde gemimus, valdeque dolemus. Namque cum debuerat honoribus pro sua senectute multiplicibus ampliari, et pro tot laboribus ac obsequiis in Ecclesia Dei, pariter et principibus mundi, fideliter ac utiliter impensis, majori dignitate frui, et jam tandem sine cujusquam impulsione quietus existere : nunc econtra dehonestatus, et ad injuriam B. Petri apostolorum principis, cujus sedem appellaverat, fame et siti, ac innumeris maceratus miseriis ac depositus pariter et abjectus existit : B hoc autem expresse decernimus ut, post triginta dies postquam hæc nostra epistola ad vos delata fuerit, præfatum Rothadum omnino restituatis pristinæ dignitati. » Porro synodi Silvanectensis præsulibus etiam rescripsit Nicolaus, ejus acta adversus Rothadum auctoritate apostolica rescindendo, de cujus calamitate sic loquens ep. 33 : « Cognoscat, inquit, experientia tua, frater charissime, de tuis tribulationibus multum apostolatum nostrum doluisse, imo dolere ; sed credimus Dei misericordiam tibi proxime adfuturam, quæ te et sicut Danielem educat de lacu leonum : nunc autem metropolitani, et cæteri episcopi qui circa te sententiam protulerunt, nobis multa sub gestorum serie de te, vel contra te intimaverunt; sed nos præcepimus eis ut te de monasterio educerent, et tecum venientes honorifice præsentarent : unde, frater charissime, stude, quantum potes, ut cum tibi rex et episcopi quemadmodum statuimus, licentiam dederint Romam properandi, C mox utcunque venire non differas.» Hincmarus igitur cum cæteris episcopis qui Sylvanectensi concilio adfuerant, et Rothadum, in monasterium detrusum, injusto judicio episcopatu suo amoverant, Nicolai pontificis monitis ac jussu excitati, tandem obtemperantes ipsum Rothadum vinculis solverunt : hinc Nicolaus varias epistolas legitur eam ob rem scripsisse ad Carolum regem, Hincmarum, Ecclesiam Suessionensem, et alios : ipse autem sic loquitur ep. 34, ad sanctissimum Rothadum : « Sciat sanctitas tua quoniam misimus increpatoriam epistolam pro te, Hincmaro, sanctæ Rhemorum Ecclesiæ venerabili archiepiscopo, eo quod post appellationem ad sedem apostolicam, in te depositionis intulerit sententiam : nunc autem venit Liudo religiosus diaconus, secum epistolas regis (Caroli) et Hincmari ferens, quæ te jussu ipsius regis de monasteriali custodia eductum, et cuidam episcopo familiari tuo commendatum esse fatebantur. » Rothadus ergo Romam pergens, in concilio Romano D per pontificem restitutus est xii Kal. Febr., anno 865. Rem gestam prosequitur Anastasius Bibliothecarius in Vita Nicolai, cujus verba operæ pretium est adducere : « Hincmarus, Rhemorum archiepiscopus, Rothadum Suessionicæ urbis episcopum, sedis apostolicæ judicium appellantem, contra Sardicensis concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit. Cujus videlicet depositi ter beatissimus papa libellos cum innocentiæ suscepisset, ad

ipsum archiepiscopum scripsit, monens litteris et præcipiens ut depositum Rothadum Romam dirigeret, cum suis missis audiendum : sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum B. papæ ad urbem, et per novem circiter menses ibi commorante, nunquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderent. Tunc in die vigiliarum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, qui secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul, cum clero et populo in basilica Dei genitricis ad Præsepe missarum officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus papa benignus fecit in ambone publice de ipso Rothado sermonem significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit, et in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurreret. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum et diaconorum, omnium conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, et ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, ne honore privaretur. Ubi vestitus episcopali Rothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum. Rursus exspectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalium sacræ virginis Agnetis, qui est XII Kal. Februarias, sed nec sibi quisquam adA fuit adversus Rothadum, jam restitutum episcopum aliquid altercans. Conveniente ergo beatissimo præsule cum omnibus in basilica ipsius virginis foris muros Urbis, via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis et promissionis suæ qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum summo pontifici tradidit. Qui coram multis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus, ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est. Et post omnium consensum in ecclesia B. Constantiæ, juxta eamdem S. virginis basilicam, decreto beatissimi hujus præsulis supradicti Rothadus, jam restitutus episcopus missarum solemnia solemniter celebravit. » Totius porro controversiæ suæ cum Hincmaro series disertim expressit Rothadus libello proclamationis contentam, quam Romæ degens obtulit summo pontifici, in quo vitæ ipsius acta continentur tomo III Conciliorum Sirmondi. Dein apostolicis litteris munitus, ad suam sedem regressus est : pro eodem Nicolaus ad B Carolum Calvum scripsit, ut legitime restituto faveret, resque ipsius Ecclesiæ reddi mandaret qua episcopus « conscientia purus, conversatione innocens columbarum simplicitate, ac prudentia serpentis » insignis prædicatur. Post restitutionem vero adfuit concilio Suessionensi III anno 866 : item Tricassino, 867. Obiit rebus gestis in episcopatu clarus circiter anno 868.

ROTHADI EPISCOPI

LIBELLUS PROCLAMATIONIS

QUEM

Nicolao papæ cum Romæ sextum jam mensem exspectasset.

(Conc. Gen., tom. VIII, col. 785.)

Ego Rothadus peccator, Suessionensis Ecclesiæ, sedem appellans apostolicam, irregulariter episcopatu privatus, calamitatum mearum suggero lugubrem historiam, non omnia quæ passus sum retexens, quod impossibile forsitan erat, et ne nimis fastidiosa narratio tuis, piissime præsul, auribus importuna videretur. Venerabilis igitur metropolitanus Hincmarus, sanctæ Rhemensis Ecclesiæ antistes, quibusdam occasionibus exortis, acri circa me infestinatione certans, diu multis ac variis laboribus meam vexabat exiguitatem. Ego autem, quantum poteram, illum tolerans, in his ei nequaquam pro suo libitu acquiescere volui quæ sacris perpendebam auctoribus esse contraria. Dumque ad synodum, jussu gloriosi regis Caroli, pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ convocatam, episcopi conve- D nissemus, et ipse quasi omnium dominus præsidens ac prævalens, sententiam in me damnationis violenter ac præcipitanter jaculari acceleraret, hanc ego apostolicam sedem, atque apostolicum præsulem, universalis Ecclesiæ summum provisorem, appellare maturavi. Cumque mihi hoc denegare non præsumeret, sancta synodo decernente, ægre tamen eundi præbebat assensum, constituens dinumeratos dies ultra quos omnino non retardarem C iter. Inde ego festinato cursu ad nostram civitatem reversus, de instanti itinere moras non patiebar, quam lætus, si ad apostolorum limina contendere meruissem, ut ad domini mei tanti pontificis et piissimi patris, omnium ad se confugientium tutissimi defensoris ac protectoris, sacram pervenirem præsentiam. Cumque jam e vicino parati itineris immineret egressus, litteras domino meo regi, et meo archiepiscopo dirigere curavi, nostram illis Ecclesiam committens, multumque postulans ut juxta suum uterque officium eam dirigere procurarent, donec de me excellentissimus Romanæ urbis præsul finem determinaret legitimum. Misi et litteras ad illum olim presbyterum, pro cujus ego regulari depositione, qui in stupro fuerat deprehensus, et abscissus a meo judicabar metropolitano, ut et ipse mecum huc ante tuam, domine papa, audientiam examinandus adveniret. Quarum exemplaria præ manibus habeo, et si vobis placet, apostolatui vestro offeram. Aliqua quoque capitula conscripta cuidam nostro confratri et coepiscopo transmisi, sub eodem temporis articulo per easdem manus deferens, quæ ut præmissum est memorato regi et antistiti destinaveram. In quibus sane capitulis mea talis postulatio continebatur, aliis episcopis qui in meam dam-

nationem participare nolebant insinuanda, ut ipsi parati essent, sicut fraternitatis amatores et sectatores charitatis, juxta beatissimi apostoli sanctionem (*I Tim.* VI), meam defendere ac tueri salutem. Sed ille meus unanimis frater, cui hanc mei curam committebam, tunc defuit. Hincmarus tamen continuo causam persensit. Adhuc dominus rex, et isdem meus prælatus, in eodem loco manebant, ubi sub una eademque mora meæ parvitatis epistolæ, et illa capitula, uti relatum est, præsentabantur. Moxque Hincmarus ipse archiepiscopus scriptorum portitorem diligenter jussit inquiri, cur illis non ostenderet apices quos sigillatim detulerat. Qui confiteri compulsus respondendo subjunxit: Quia ille, inquiens, ad quem mihi crediti sunt perferendi, non hic modo apparet. Nec cessavit ille, donec persuaso B rege subito quasi collecta synodo ex ipsis qui supererant episcopis presbyterum introduci fecit invitum, ipsum videlicet litterarum latorem. Cœperunt hinc et inde in medio positum movere, pulsare, et perurgere, sicuti hoc callide per insidias argumentatum erat, ut litteras, quas Rothadus per eum suo ad synodum metropolitano direxerat, citius præsentaret. Neque ad synodum missus sum, ait, neque à Rothado episcopo, cujus nec ego sum clericus, litteras accepi Hincmaro reddendas. Cumque nullomodo presbyter ipsa vellet capitula prodere, jubente tamen rege, coactus reddidit: moxque Hincmarus regem postulavit ut Transulfum abbatem ad me dirigeret: qui ad nostram civitatem celerrime perveniens, me jam paratum ut nostrum iter arriperem invenit. Tunc ipse abbas in atrio ecclesiæ C assistens, publica voce ex verbo regis, et Hincmari archiepiscopi auctoritate, prohibere curavit, ut nullus omnino ab ipsa civitate mecum egrederetur, ac ire volentem Romam me prosequeretur. Nequaquam ita faciam, ego subintuli: sed sicut primum Romanum appellavi pontificem, iter dispositum, Deo auxiliante, minime differam. Hinc ego mirabar, et stupebam, quid sibi vellet talis immutatio, aut cur me a meo itinere retardarent. Sed prius aliquot dies fama vulgabat quod Hincmarus archiepiscopus dicere volebat; quasi ego per aliqua capitula scribens renovari mihi judicium petiveram. Quod certe falsissimum est, eum nec illa capitula ad eum direxi, neque de aliquo tali judicio ibi mentionem egi, nec electorum judicum, secundum sacros canones, aut nomina, aut certe numerum expressi. Testor Deus creatorem omnium, quia nec in cogitatione mihi subripuit, ut appellationem hujus eminentissimæ sedis ad aliam aliquo modo rationem diverterem. Proh dolor! ablata est migrandi facultas, et circumseptus custodia in eadem sum civitate retentus. Acceleratur itaque de convocanda synodo: qua in suburbio nostræ civitatis congregata, rex inclytus a concilio est invitatus. Tunc tres Hincmarus archiepiscopus episcopos ad me misit, mandans ad synodum ipsam ut sine mora venirem. Quibus ego respondi quod non mihi ita liceret,

A neque ego hoc ullatenus auderem, ut in præjudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris, ejusque excellentissimi rectoris, circa posito cuicunque præbeam aliquo modo assensum. Ad illam summam auctoritatem sine intermissione appello, cui nullus potest contradicere, quæ a Domino Jesu Christo per beatum Petrum apostolum tantum meruit principatum. Judicium ergo illius ad quam proclamavi expeto, nec alibi nisi Romæ judicari consentio, quia præposterus ordo est inferiorem superiori anteferri. His auditis, qui missi fuerant synodo renuntiaverunt. Iterum secundo et tertio me continuatim invitantes, in eadem invenerunt ratione persistere. Novissime vero industriose persuadebant, suam offerentes fidem, nihil incommodi perpessurum, aut saltem domino regi in proximo loco synodi locuturus occurrerem. Quod etiam mihi nostri fratres Ecclesiæ nostræ filii jam suadere cœperunt, ut pio principi meæ parvitatis exhiberem præsentiam. Annui ego, et ad locum quo me ducebant transivi, sacerdotalibus vestitus indumentis, sanctum Evangelium et lignum sanctæ crucis circa mea pectora gerens. Cumque me in quoddam diversorium pro foribus synodi a nostris omnibus separatum introduxissent, obnixis precibus postulavi per Leudonem diaconum, ut dominus rex locum mihi indulgeret secum loquendi. Qui mox pro sua pietate ad me indignum venire dignatus est, meque benigne audivit, sed exaudire non est permissus. Nam cum illum valde suppliciter anxieque rogarem, ut mihi Romam eundi libertatem, sicut ipse concesserat, non tolleret, sanctamque apostolicam sedem in suis privilegiis honoraret, respondit hoc ad meum specialiter metropolitanum, sanctumque pertinere conventum; se tantum sacris episcoporum monitis ac dispositionibus humiliter obediturum profitebatur: et illico recedens in synodum abiit, ibique resedit. Rursus tres consequenter episcopos ad me miserunt, qui multum fortiter ad synodum ut introirem hortabantur, meque impellebant, nunc blandiendo, nunc minando, me subvertere volentes. Sed ego toto annisu juxta votorum meorum primam intentionem perseverare contendi. Porro cum me perspicerent suis nolle studiis acquiescere obseratis ostiis in eadem sum cella inclusus; neque egredi omnino poteram, donec de me peccatore, sicut D quibusdam tunc placuit, diffinirent. Meus etenim archiepiscopus voluntatis suæ propositum, quantum poterat, implere curavit: factusque est gratis meus ipse accusator, ipse testis, ipseque judex: et sicut me absentem prout voluit culpabat, sic et temere judicare nec timuit, nec retractavit. Sed inter alia quæ mihi mendaciter objiciebat, hoc unum specialiter ingessit, quod presbyterum, cujus supra feci mentionem, injuste deposuissem. Quod procul dubio falsum est, ut multi idonei testes et episcoporum, et cæterorum clericorum, sive laicorum, et noverunt et noscunt. Quem tamen ipse jam tribus annis transactis, absque meo consensu, seu consultu,

in suam receperat communionem, eique sacerdotali officio, quo cum triginta trium episcoporum judicio legaliter privatus erat, contra canonum statuta fungi præcepit: illum vero presbyterum, qnem in locum damnati per tres etiam circiter annos substitutum habebam, per violentiam, me ignorante, sibi fecit adduci. Nam cum in dominicorum die ipse presbyter paratus esset in ecclesia missarum solemnia populo celebrare, jussu archiepiscopi repente ibi homines adfuerunt, qui presbyterum extra basilicam dolo educentes subito rapuerunt, et infatigabili cursu citius ad ejus præsentiam pertraxerunt. Quem ipse mox excommunicatum in carcerem retrudi jussit, illumque depositum genitalibus truncatum in meæ parœciæ ecclesia restituit. Hinc quoque mihi contumaciæ et obstinationis imputabat reatum, quoniam sibi in talibus inobediens existerem: hoc a me exigere volens, ut non quasi confrater et coepiscopus, sed ut proprius clericus, ad sua vota famularer. Similiter quod propter indebitam appellationem ad apostolicam sedem suis obtemperare precibus contemnerem; imo, quod ego non opinabar, canonicis institutionibus contrairem. Hæc autem et alia mihi pari modo falsa ascribebat, quæ, divina favente gratia, et misericordia opitulante, quaai favilla ad nihilum redigentur, et quasi fumus evanescent, te quidem, domine clementissime et coangelice papa, cum apostolorum meritis cooperante ac suffragante. Non enim meipsum a multis meis excuso peccatis, aut de bonis justifico cum sciam quod innumera de me dici possint non bona. Verumtamen illa, quæ malitiose ad meam video damnationem esse reperta, Deo teste et judice, qui judicaturus est vivos et mortuos, non vera esse pronuntio. Denique sæpefatus archiepiscopus meus in eodem concilio tanquam imperator triumphans, et tanquam summus ecclesiæ pontifex decernens, subjugata suo potentatui, et oppressa fratrum humilitate jam mihi intrepide, et, ut reor impie, judicium depositionis emisit: parvipendens quod ulli ulterius inde esset rationem redditurus, et quasi hoc nulli deberet, in seipso confidens: et illud satis innotuit, quando me, quia ipsum solum offenderam, nullius posse alterius sublevari auxilio demonstare conabatur, totumque mihi noceret, quod aliud sperabam petebam præsidium. Et ecce tres episcopi, quos Hincmarus hujusmodi simplicitatis esse noverat, sententia excommunicationis, imo conspirationis ab ipso meo damnatore accepta, ad me violenter inclusum properabant, et sicut illis injunctum fuerat, lacrymosis suspiriis mihi propinabant. Mox ego in terra provolutus orabam, et adjurabam per nomen æterni Dei, ut ab isto judicio cessarent, mihique, ut assidue petebam, Romam proficiscendi licentiam non adimerent. Tunc e vestigio, tanquam in latronem, more satellitum homines in me manus injecerunt, meque rapaciter ad carceralem duxere custodiam. Quantis postea sim affectus injuriis, ac per diversa loca distractus, quanto fuerim labore fatigatus, tædet me, pudetque referre. Ad hoc namque coarctare satagebant, interdum aliquos honores, id est, unam abbatiam repromittentes atque spondentes, tantum ut in meam damnationem ego subscriberem. Interea ordinatur episcopus in cathedra viventis, quamvis ne unquam post appellationem Romani pontificis hoc fiat, sacri canones evidenter vetare noscantur. Neque enim, sancte pater, tua mandata per apostolicas epistolas debita reverentia, moreque solemni, sive auditu congruo, fuerunt observata. Denique requirere dignetur vestra sancta pastoralis sollicitudo atque diligentia, quale mihi immerito testimonium nostra perhibuit Ecclesia, quando vestris venerabilibus legatis, Radoaldo atque Joanni, obvia fuit turba civitatis nostræ, ac circumjacentis regionis; et quid ab eis expetere magnis clamoribus, multisque precibus circa suum pastorem satagebant; licet ab Erchanrao episcopo, meo condiœcesano, magnis minis atque percussionibus admodum prohiberentur, regis atque archiepiscopi mei interdictione denuntiata, ne omnino aliquid hujusmodi clamare præsumerent. Et nunc ego omnium episcoporum minimus, qui tamen apud quosdam non episcopus, sed juxta paternitatis vestræ beatitudinem episcopus vocor, in Domino valde confidens, ad præcellentiam vestri præsulatus, piissime domine, confugere elegi, et de magnificentissima bonitate vestra auxilium sperans, ad sanctorum apostolorum sacratissima limina, opem suffraginis impetraturus, decenter accessi. Ecce jam per dimidium annum ante januam apostolicæ pietatis pulsans assisto, rationem de omnibus, quæ mihi falso et injuste sunt objecta, reddere paratus: nullusque est qui in præsenti aliquam adversus me vocem proferat accusationis. Et quoniam ante vestram dignationem, neque me falsum exhibere, neqne negotii mei causas exponere, vel preces meas, ut decuerat, scio perorare: restat ut ipsi de me, secundum sapientiam cœlitus vobis donatam, misericorditer quod cœpistis perficiatis, ne se jactitent temeratores, propter meam vilitatem et indignitatem, apostolica jura et canonica prævaluisse infirmare statuta.

ANNO DOMINI DCCCLXVII.

NICOLAUS I

PONTIFEX ROMANUS

NICOLAI PAPÆ I VITA

(Apud Mansi, Conc., tom. XV, pag. 144.)

Nicolaus (*a*) natione Romanus, ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignes beatissimi actus omnibus a primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Tanta enim sacrorum comptus erat pulchritudine operum, ut nihil ludi, nihilque, ut pueri solent, inhonesti delectaret illum. Vacabat autem patientiæ et sobrietati, flagrans humilitate puritateque præcipua. Pater vero ejus liberalium cum fuisset amator artium, et nobilissimo polleret stemmate, castis [*forte* cunctis] eum elementis, almificisque ritibus imbuens, litterarum studiis, et optimis artibus perornabat, ita ut nulla sacrarum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus, suæque cognitioni traductam non haberet. Crescit autem membris, crescit et sapientia, clarus modestia, spiritu et scientia decoratus: probabilium nempe morum si quoscunque viros conspiceret, illico concitus adhærere studebat, illisque congratulabatur optime.

Cumque cum prudentissimo patre ad quemdam beatissimum crebro virum accederet, qui sancti per illustrationem Spiritus plura fidelibus prædicabat, amplo eum asserebat in culmine ascensurum. Decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentisque dulcedinem coruscare, hujus ordinatione ac clericatus perductus est ordinem, ut quod divino senserat nutu, futuris temporibus impleretur. Sergius porro præsul in summæ actionis cum fastigia conscendisse cum audiret, parentum illum deducens ab ædibus in patriarchio locavit, et in subdiaconatus per benedictionis gratiam constituit gradum. In quo mirificis observationibus degens, cœlesti fruebatur ardore. Sergio vero papa ab hac corruptibili vita subtracto, A Romanæ Ecclesiæ Leo gubernacula præsul suscepit.

Qui in eo sæpissime videns perseverantiæ fructus, ingenti illum diaconum consecravit dilectione. Hoc quippe eo in ordine ministrante, tanta illi desuper concessa fuerat gratia, ut summæ actionis a cunctis cerneretur perfectionibus rutilare. Amabatur autem a clero, a nobilibus laudabatur, et a plebe magnificus amabatur.

Leone scilicet papa defuncto Benedictus miræ beatitudinis vir, et sacratissimus pontifex, superno protectus auxilio Romanæ præponitur sedi, suæque illum administrationi conjunxit, eo quod magis illum, quam suæ consanguinitatis propinquos dilexit, ita ut per nullius horæ momentum sine illo esse delectaretur. Quidquid ecclesiasticarum rerum utilitatibus intuebatur congruere, cum eo promulgans diffinitioni tradebat, prudentissimas sui contemplans arbitrii opes, sensusque clarescere virtutem: utriusque enim semper observantia utiliora suo conamine faciebat. B Ad extrema tandem vitæ Benedictus perductus, pretiosæ mortis calicem sumpsit, suisque eum humeris, cum adhuc diaconus esset, usque ad apostoli beatissimi Petri basilicam cum aliis diaconibus gestans, propriis manibus tumulo collocavit, dilectionis præmium pandens quod circa eum habebat, et amoris integritatem.

Eo autem tempore invictissimus Roma Ludovicus Cæsar discesserat. Qui ejus cum transitum cognovisset condolens, concitus ad eam reversus est. Romani quippe tanto pastore amisso mœstissimo gemitu lacrymas effundebant.

Cumque clerus, proceres et optimatum genus congregarentur, jejuniis et orationibus, atque vigilis insistebant, incessabili Dominum conamine obse-

(*a*) *Nicolaus*. Anno Redemptoris nostri 858, temporibus Ludovici secundi, et Michaelis imperatoris, evectus est in sedem apostolicam Nicolaus, quem Ludovicus imperator, postquam Benedictum papam ejusve sedem per schismaticum antipapam Anastasium plurimum exagitasset, magna omnium admiratione, Deique singulari providentia summopere est veneratus. Ad Bulgaros nuper ad Christi fidem conversos legatos misit, qui ut eorum rex petierat, eos catholicis erudirent præceptis. Cum autem Ignatius Constantinopolitanus patriarcha Bardæ Cæsari Michaelis imperatoris avunculo ob incestum cum nuru commissum excommunicationem esset minatus, ob in Bardæ opera, Michaelis imperatoris auctoritate, sede dejectus fuit, in ejusque locum Photius, qui patriarchatus honorem jam ante affectaverat, et episcopis schismaticis contra Ignatium se conjunxerat, eductus ex foro et sæculari militia, subrogatus, et a Gregorio Syracusano episcopo, qui prius ab Ignatio depositus fuerat, consecratus est. Qua de causa Constantinopoli et finitimis in civitatibus ortum est schisma, aliis quidem Photii promotionem defendentibus, aliis autem eam impugnantibus. Quocirca imperator dedit operam, ut ipse pontifex legatos ad schisma sedandum et Ignatii depositionem confir- C mandam mitteret. Pontifex legatos quidem misit, tum ut Ignatii causam investigarent et ad se referrent, tum etiam ut Iconomachos, qui tunc Constantinopoli vigebant impugnarent. Legati contra pontificis mandatum Photii electioni assensi fuerunt, et cum Romam reversi essent, pontifex, cognita causa synodoque coacta, eos deposuit; injustam Ignatii depositionem, et nullam Photii ordinationem esse decrevit. Imperatoris autem repressit audaciam, qui ægre ferens quod Photium damnasset, et Bulgarorum rex a Romana Ecclesia legatos qui se in fide instruerent, mitti petiisset, litteras ad eum contumeliosas scripserat, et conciliabulum Photio auctore contra ipsum pontificem coegerat. De Photio aliisve rebus sub Nicolao præclare gestis, agemus infra in notis conciliorum sub Nicolao et Adriano habitorum, ne scilicet cum nausea lectoris bis eadem dicamus. SEV. BIN.

crantes, ut qualem amiserant talem illis dignaretur A ostendere virum, quem pontificatus culmine sublevarent. Hæc vero dum gererentur, in basilicam beati Dionysii confessoris atque pontificis cum universo populo convenerunt.

In qua per aliquod spatium confabulantes horarum, sidereo accensi fulgore unanimes illum apostolicæ sedis præsulem esse sanxerunt, et celeri gressu ad principis apostolorum Petri continuo aulam properaverunt, in qua ipse confugiens, latitabat. Dicebat enim indignum se tanti regiminis gubernacula esse suscepturum. Impetum vero qui aderant facientes, viribus illum de eadem basilica abstrahentes, sacris acclamationibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, apostolicoque solio imposuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri apostoli deductus, præsente Cæsare consecratus est, apostolicaque sublimatus in sede factus est pontifex, et missarum solemnia supra beatissimum corpus B apostoli beatifice celebravit. Qui densis optimatum populique agminibus cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique, Urbs exsultat, clerus lætatur, senatus et populi plenitudo magnifice gratulatur, VIII Kalendas Maii.

Tertio igitur consecrationis ejus die cum Augusto convescens ophistico [*l.*, sophistico] famine resplendebat, charitateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, Cæsaremque specialem, et veluti charissimum deosculans filium, immenso circumdedit amore.

His itaque gestis serenissimus imperator inde discessit, sedemque in loco qui Quintus dicitur collocavit. Beatissimus autem præsul hoc audiens dilectionis ejus compulsus plenitudine atque amoris, ad eumdem cum proceribus et optimatibus Romani nominis locum properavit. Excellentissimus quem cum vidisset Augustus, obvius in adventum ejus occurrit, C frenumque Cæsar equi pontificis suis manibus apprehendens, pedestri more, quantum sagittæ actus extenditur traxit.

Imperiale cum quo ingressus tentorium salubribus adinvicem fruebantur colloquiis, mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate. Satiati scilicet mensisque remotis, plura serenissimus Cæsar beato præsuli contulit dona. Quibus susceptis, equum conscendens, unde discesserat conabatur reverti.

Augustus ejus amore fretus imperialis equi superscandens cathedram, ovanti cum eo incedebat animi voluptate. Ad quemdam quidem cum pervenissent spatiosissimum itineris locum, imperator equo descendit, equumque pontificis iterum, ut meminimus supra, traxit, dulcissimisque osculis ad invicem propinquantes latiflue [lucifluc] gratulati sunt.

Cæsar vero ad tentorium remeans cœptum arripuit iter. Præsul autem nobilissimorum cœtibus, D quibus prosecutus fuerat, septus Romam ingressus, almificaque est comitatione magnificatus. Erat enim aspectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu præclarus, jejuniisque et divino cultui intentus, pauperibus largus, orphanorum protector, et viduis fautor, populique cuncti defensor. Sed quia cuncta quæ sacri operis gessit, huic tradere scripturæ non possumus, ad ea quæ sanctis locis obtulit redeamus.

Hic beatissimus præsul divina inspiratione repletus, in diaconia sanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ quæ vocatur Cosmedin, fecit holosericam unam de stauraci, habentem historiam, leones majores duos.

Ibi ipse fecit velum album rosatum unum, ornatum in circuitu de Tyria miræ magnitudinis. Obtulit vero in jam dicta diaconia gabatham saxiscam de argento purissimo unam deauratam, quæ pensat libras duas et uncias quatuor. Fecit autem in basilica Salvatoris, quæ Constantinianæ nomen sumpsit a nomine Constantini, cruces de argento purissimo, quæ pendent ante figuram substantiæ carnis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. In quibus ad laudem ipsius ecclesiam festis diebus cerea figura solitis, quæ pensant libras numero quatuor et semis.

Item in basilica quoque semper virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ vocatur ad Præsepe, fecit cantharum de argento sessilem parium unum, pensans libras octo et uncias quatuor.

Ipse quidem a Deo protectus et beatissimus pontifex superno favore plenus obtulit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui gabatham de auro purissimo unam pretiosissimis gemmis pensantem libras numero tres, uncias octo.

Fecit etenim in confessione ipsius sacratissimæ basilicæ jugulum de auro mundissimo unum, pensans libras numero duas. Similiter vero in jam dicta ecclesia fecit cruces de argento mundissimo numero sex, pensantes simul libras tredecim et uncias quinque. Eo autem modo in basilica doctoris gentium beati Apostoli cruces ex argento purissimo duas, pensantes simul libras numero quarto; nam et in basilica sancti Laurentii martyris, quæ sita est foris muros, ferit cruces duas de argento purissimo, pensantes simul libras numero quatuor.

Primo quidem pontificatus sui anno aurea quædam ipsius beatitudini pretiosissimis compta gemmis corona perducta est librarum habens pondera numero octo et unciarum quatuor, ad gloriam supra sacratissimæ ejus altare basilicæ aureis ingenti exaltavit amore catenulis. Verum etiam in jam dicta ecclesia beati Petri apostoli nutritori suo gabathas ex argento purissimo numero novem quæ pensant simul libras numero duodecim, et semis.

Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Stephani et Silvestri, quam noviter fundavit sanctæ recordationis dominus Paulus quondam papa. in ecclesia majore, quæ vocatur sancti Dionysii ad honorem et gloriam sacri altaris, vela quatuor de stauraci. Hujus præclari pontificis, id est mense Octobri, die trigesima, indictione octava, fluvius qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est, et per campestria se dedit; intumuit etiam inundatione aquarum multarum, et ingressus est per posterulam, quæ appellatur sanctæ Agathæ, in urbe Roma quam hora diei transcendit, interea aliquibus locis, et ingressus est in ecclesiam beati Laurentii, quæ appellatur Lucinæ. Inde se extendit, et ingressus est in monasterium sancti Silvestri, ita ut ex gradibus qui ascendunt in basilicam beati Dionysii præ multitudine aquarum ne unus videretur, excepto uno qui superius erat. Et exinde expandit super plateam, quæ vocatur Via Lata, et ingressus est in basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ibidem est : tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius ecclesiæ non viderentur præ altitudine aquarum. Et inde ascendit per plateas et vicos usque ad clivum Argentarii. Exinde redundans ingressus est per porticum, quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci. Inde impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Ab ipso die cœpit et deinceps paulatim aqua se minuere, et fluvius post multo damno facto in suum alveum reversus est.

Nam domos et muros evertit, agros desertavit, evellens segetes et eradicans arbusta. Simili modo in mense Decembrio, die vigesima septima, natali sancti Joannis evangelistæ, indictione supra scripta, ingressus est alia vice fluvius ipse qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est ut supra in civitate Romana; omnia ut supra.

Similí modo præclarus et beatissimus pontifex fecit in monasterio sancti Valentini, quod est posi-

tum in territorio Narniensi, juxta Interamnem, vestem de fundato unam habentem historiam leonum, et in circuitu myzinum. Item venerabilis et præclarus pontifex formam aquæ, quæ vocatur Tocia, at vero jam per evoluta annorum spatia nimis confractam existentem, per quam decurrebat aqua per centenarium in urbem Romanam, a fundamentis ad fabricandum atque restaurandum, eadem forma præparavit. Verum etiam et in ecclesia ejusdem Dei genitricis, et Domini nostri Jesu Christi, quæ vocatur Cosmedin, fecit hospitium largum ac spatiosum satisque præciquum ad opem atque utilitatem pontificum, ubi obediens opportunum fuerit cum omnibus qui eis famulantur amplissime hospitetur.

Simili modo et in ecclesia beati Petri principis apostoli nutritori suo obtulit vela in arcus presbyterii cum chrysoclavo, habentem historiam, leonum figuras numero quadraginta. In eadem vero strenuo catenam opere factam contulit ex argento mundissimo, quæ pensat libras numero quatuor. Nam et in oratorio sanctæ crucis, quod infra basilicam beati Petri apostoli constitutum est, fecit gabatham de argento unam pesantem libras duas. Ipse quidem sacratissimus pontifex fecit in basilica doctoris gentium beati Pauli apostoli candelabrum argenteum unum, pensans libras numero duas, et uncias sex. Verum etiam in titulo beati Eusebii confessoris Christi fecit super ciborium crucem cum velo de argento purissimo pensantem libras quatuor.

Hujus temporibus Michael filius Theophili imperatoris Constantinopolitanæ urbis imperator ob amorem apostolorum misit ad beatum Petrum apostolum dona per episcopos, quorum hæc sunt nomina, Methodius metropolitanus, et Samuel episcopi, et alii duo depositi ab honore episcopatus, quorum nomina hæc sunt, Zacharias et alius Theophilus, et alius imperialis laicus nomine Arsavir (Lasavir) protospatharius, id est patenam ex auro purissimo cum diversis lapidibus pretiosis albis, prasinis, et hyacinthinis. Similiter calicem de auro ex lapidibus circumdatum, et in circutu pendentes hyacinthos in filo aureo, et repidis duobus in typo pavonum cum scutis et diversis lapidibus pretiosis hyacinthis albis, quæ pensant simul libras numero....

Similiter vero vestem de chrysoclavo cum gemmis albis habentem historiam Salvatoris, et beatum apostolum Petrum et Paulum, et alios apostolos, arbusta et rosas, utraque parte altaris legentes de nomine ipsius imperatoris miræ magnitudinis, et pulchritudinis decore. Et alia multa dona porrigentes pontifici, legationis verba sibi injuncta protinus ediderunt. Porro fatus imperator Græcorum, inventa pro imaginum depositoribus occasione sacrarum, missos apostolicæ sedis per supra fatos suos legatos Constantinopolim dirigi postulavit, intentans scilicet causam Ignatii patriarchæ, et Photii Constantinopolitanæ Ecclesiæ pervasoris : cupiens hic eumdem sanctum virum Ignatium judicio sedis apostolicæ callide per invidiam, ut postmodum patuit, condemnare, Photiumque neophytum ipsi Ecclesiæ subrogare.

Tunc pontifex summus imperatoris adhuc pessimæ cogitationis ignarus, duos episcopos illuc, Radoaldum scilicet et Zachariam, direxit : præcipiens ut quidquid de sacris imaginibus quæstio afferret, synodice diffinirent, et ipsius Ignatii patriarchæ, Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, et sibi renuntiarent.

Qui sancti pontificis parvipendentes statuta, quæ vel quanta insana pecunia illic corrupti more Vitalis, atque Mesini (Miseni) peregerint, inferius succincte transcurram. Interea multi Ravennatum, qui a Joanne ejusdem urbis archiepiscopo in rebus, et juris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ad hunc beatissimum papam, ut a tantis oppressionibus eruerentur, veniebant. Quorum pie clamores audiens

A ipsum legatis suis litteris sæpius archiepiscopum, quatenus talibus cederet actibus, commonuit. Sed ille mente confusa monita pii Patris obtendens (contemnens), pejora prioribus addere minime metuebat. Quanto autem benigna inspectio summi præsulis illum, ut resipisceret admonebat, tanto magis ad deteriora sæculi vertebat. Et super iniquitatem addere non desinebat.

Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam autem a visitatione sedis apostolicæ avertebat. Et quorumdam res sine legali judicio occupabat. Necnon et sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurima prædia auferebat. Missos illius spernebat, et gloriam beati Petri apostoli, quantum in se erat, evacuabat. Præcepta etiam juris sancti Petri, si apud quoscunque inveniebat, frangebat, et ad jus sancti Apollinaris transferebat. Nam presbyteros et diaconos non solum sibi subjectos, sed etiam per Æmiliam constitutos ad apostolicam sedem pertinentes, sine cano- B nico judicio deponebat, et alios carceri, alios autem fœtidis ergastulis retrudi faciebat.

Alios crimen, quod non fecerant, scriptis confiteri cogebat. Constituta præterea ecclesiastica absque sedis apostolicæ consensu deprimebat. Et vocatus a summo pontifice Romam, se ad synodum non debere occurrere jactitabat.

Nec mirum cur postea ista fecerit, qui cautiones, et indiculos qui soliti sunt ab archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri, in initio consecrationis suæ more Felicis decessoris sui falsavit, et quædam barbara scripta, quædam vero falsa composuit.

Eodem tempore papa prædictus ter ad synodum suis litteris eum vocavit, et ille venire contemnens a sancta synodo communione privatus est. Deinde Papiam pergens, imperatoris auribus Ludovici Cæsaris molestiam intulit, solamenque mundanum quæsivit. Tunc largiente ei Augusto legatos præcipuos, cum illis superbiæ repletus tumore Romam C pervenit.

Sed pontifex almus, quia contra sacrorum canonum regulas excommunicato ipsi legati communicaverunt, benigne eos redarguit. Illis autem quæ egerunt deflentibus, eidem archiepiscopo a Deo conservandus papa mittebat, ut in Kalendis Novembris ad synodum a qua fuerat excommunicatus occurreret, plenamque satisfactionem ostenderet, necnon et tantis prævaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, sed retrorsum abiens recessit. Et ecce Æmilienses ac senatores urbis Ravennæ cum innumero populo ad vestigia præsulis hujus beati Romani cum lacrymis properantes, rogabant ut ad imitationem Domini nostri Jesu Christi pro recuperatione eorum non dedignaretur proficisci Ravennam, quatenus inspectis omnibus ad summam eos perduceret libertatem.

Itaque per semet beatissimus papa Ravennam profiscens, cum de ejus adventu Joannes archiepiscopus cognovisset, usque Papiam continuo ad impe- D ratoris aures denuo molestandas iter arripuit.

Tum præsul optimus omnibus Ravennensibus, Æmiliensibus, et Pentapolitanis, res quas Joanne archiepiscopo et Gregorio fratre ejus rapientibus amiserant, clementer restituit ex præceptionis suæ decreto, quod tradidit et confirmavit. Prælato autem archiepiscopo, ut prædictum est, perveniente Papiam, concives ejusdem urbis una cum Luithardo episcopo suo a Romano pontifice consecrato cum audivissent quod a summo pontifice excommunicatus idem esset archiepiscopus, in tanta se custodiæ circumspectione dediderunt, ut nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus ejus paterentur aliquid venundari, ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent.

Potius autem cum de assistentibus ipsius archiepiscopi aliquos per plateas incedentes vidissent, clamabant : Isti de illis excommunicati sunt, non licet nobis

cum illis misceri. Tunc videns se idem archiepiscopus voluntatis suæ per hæc non posse machinamenta perficere, identidem se ab imperatore adjuvari poposcit. Cui hæc per internuntium mandat Augustus dicens : Vadat, et fastu elationis deposito tanto se humiliet pontifici, cui et nos et omnis Ecclesiæ generalitas inclinatur, et obedientiæ ac subjectioni colla submittat, quia quod cupit aliter minime consequi poterit.

Cumque archiepiscopus hæc audivisset, anxiari cœpit, et iterum importunis precibus legatos imperiales expetens Romam pervenit. Quem contra beatissimus papa hæc cognoscens, omnem illius arrogantiam tanquam aranearum telam despiciens, in qua prius sententia fuerat perseveravit, atque immobilis fuit. Tamen eisdem Augustalibus missis papa sanctissimus magna cum mansuetudine hujusmodi agens locutus est :

Si dilectus filius noster domnus imperator istius Joannis archiepiscopi actus et mores bene cognosceret, ipse non solum pro illo nos minime flagitaret ; sed etiam, ut se corrigeret, ad nos eum etiam eo nolente dirigeret. Tunc, sicut ipse egregius papa decreverat, multis in unum episcopis provinciarum convenientibus eidem archiepiscopo destinavit, ut coram veniens de se plenissimam satisfactionem ostenderet, et quæ prævaricatus fuerat satius emendaret. Quod archiepiscopus per teraudiens, et se a nemine adjuvari posse conspiciens, in angustiæ lamenta et nimiæ tribulationis se contulit intus, et quos poterat cum lacrymis implorabat dicens : Misereminí mei, peto, miseremini mei. Et clementiam summi præsulis ut mei misereatur exposcite : quia ecce paratus sum ad omnia quæ præceperit peragenda. Quod nonnulli videntes et audientes summo referebant antisti, et responsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus papa, Dominum qui mortem non vult peccatoris imitatus, misericordia motus præfatum archiepiscopum ad utilitatis viam tandem conversum suscipere decrevit. Tunc ille confestim apprehensa charta repromissionis et juramenti sui scripturas, quas tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus, propria manu scribens juxta consuetudinem antecessorum suorum composuit.

Et domum, quæ dicitur Leoniana, in qua beatissimus præsul cum episcopis, presbyteris, proceribus, et optimatibus multis astantibus residebat, conscendit, prædictasque scripturas, quas fecerat, super vivificam crucem Domini nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, et super sacrum quatuor sanctorum Evangeliorum codicem posuit, et has manu tenens, innumeris qui convenerant audientibus, clara voce sponte juravit, se omnibus diebus vitæ suæ observando integriter tenere atque perficere sicut in ipsis suis (suæ) responsionis continebatur atque legebatur scripturis.

Quas etiam in conspectu omnium ore proprio legit, summoque præsuli tradidit. His ita peractis ipse insignis et præcipuus pontifex in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, cum omnibus episcopis, et cuncto clero altero die descendit. Ubi a summo pontifice jussus prænotatus archiepiscopus adfuit, et de crimine hæresos, quo impetebatur, se expurgavit.

Quem communioni ipse papa restituit, et ut sacrarum missarum solemnia celebraret licentiam ei benignus indulsit : sequenti vero die, præsidente eodem summo et universali papa in eadem domo Leoniana, et juxta morem residente sanctissimo sacerdotum et coepiscoporum collegio, adfuit archiepiscopus, et jussu summi præsulis resedit.

Tunc Æmilienses astiterunt episcopi, dantes querimoniam in libellis super eumdem Joannem archiepiscopum, dicentes se multa præjudicia et superimposita ab ipso archiepiscopo sustinere. Nam et nonnulli Ravennenses et Æmilienses eadem fatebantur, sicut in gestis, quæ in bibliotheca rejacent, quisquis investigaverit, poterit reperire.

Quæ audiens a Deo protectus pontifex una cum sancta synodo, contra ecclesiasticæ regulæ normam talia esse prædixit, ut et omnes istæ transgressiones corrigerentur, acclamante sancta synodo ita debere fieri, dulci affatu statuit, ne sibi principaliter grex commissus dominicus per desidiam lupinis lacerandus morsibus relinqueretur.

Verumtamen, o Joannes archiepiscope, egregius inquiens præsul, ut cuncta quæ dicuntur speciali possint correctione amodo facilius corrigi, præcipimus tibi, ut remota omni excusatione, præter gravem corporis molestiam, quæ te venire omnino prohibeat ad sedem apostolicam semel in singulis properare audeas annis, nisi forte remorandi licentiam ab apostolica sede percipias. Item, sancimus ut episcopos uer Æmiliam non consecres, nisi post electionem ducis, cleri, et populi per epistolam apostolicæ sedis præsulis acceperis eos consecrandi licentiam. Ipsos autem episcopos quotiescunque ad apostolicam sedem accedere voluerint nequaquam prohibeas. Sed et nullam dationem, quam sacri canones non præcipiunt, ab eis aliquando exigas. Præcipimus etiam, ut ipsos episcopos illam malam consuetudinem, quæ a quibusdam tricesimalis dicitur, nullo modo Ravennati exhibere, aut exercere compellas ecclesiæ, nec ullum morem, qui contra episcoporum privilegium sit, ab eis exigere quoquo modo tentes. Nihilo minus præcipimus tibi ut nunquam res cujuscunque personæ, qualicunque ingenio vel chartula acquisitas et possessas olim, modo occupes, aut titulum superimponas, donec in præsentia apostolica, vel missi ejus, aut vestrorum Ravennæ legali ordine illos in judicio convincas. Cumque hoc a papa beatissimo observandum archiepiscopo Joanni fuisset injunctum ac imperatum, surrexit sancta synodus, et tribus vicibus acclamavit : Rectum judicium summi præsulis, justa definitio totius pastoris Ecclesiæ, salubris institutio Christi discipuli omnibus placet : omnes eadem dicimus, omnes eadem sapimus, omnes eadem judicamus. Tunc tam eodem archiepiscopo, quam omni sancta synodo sacri verbi pabulo refectis, dulcissimique saporis a beatissimo præsule nectare satiatis, unusquisque ad propria, licentia accepta pontificis, exivit.

Eodem tempore hic egregius et a Deo conservandus papa in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ vocatur Cosmedin, fecit scalpi...de argento purissimo pensant, libras quinque et uncias duas. Necnon in titulo Vestinæ expressæ figuræ beati Vitalis martyris fecit iconam habentem quatuor libras et semis.

Fecit quo etiam in basilica beati Christi martyris Anastasii in circuitu sacri altaris cum periclysi de blattin vela quatuor. In basilica vero beati Petri apostoli in oratorio sancti Gregorii papæ vestes fundatas per circuitum ornatas de olovero obtulit tres. Qui beatissimus et præcipuus pontifex in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli miræ pulchritudinis vestem auro textam in circuitu gemmas habentem hyacinthinas, albas, ac prasinas, simulque et carbunculos lapides, mente obtulit pura. Ubi etiam et duo vela pari modo auro texta fecit cum gemmis et obtulit. Ecclesiam autem Dei genitris semperque Virginis Mariæ, quæ primitus Antiqua, nunc autem Nova, vocabatur, quam domnus Leo quartus papa a fundamentis construxerat, sed picturis eam minime decorarat, iste beatissimus præsul pulchris ac variis fecit depingi coloribus, augens decorem, et plurimis corde puro ornavit speciebus.

Igitur, ut paulo superius protuli, quoddam in sancta Constantinopolitana schisma adoleverat Ecclesia, scilicet quia ejecto ex ejusdem sede Ecclesiæ Ignatio reverendissimo patriarcha, Photium ex laicis, et ex militia tonsuratum contra reverendorum canonum statuta, neophytum subito inibi subrogarunt antisti-

tem. Verum quia Michael imperator Græcorum super his Ignatium patriarcham Constantinopolitanum, quem tempore domni Leonis IV papæ laudum præconiis extulerunt, vituperando et invasorem Photium collaudando Romanam sedem, ut illuc iste beatissimus, et insignis papa missos suos ad invenienda quæ dicebantur dirigeret, humiliter per Arsavir spatharium scilicet legatum, et apices suos, consuluit.

Porro eo quod vigorem ecclesiasticum desiderabat intemeratum consistere, id fieri summus præsul minime recusavit. Cupiens zizaniorum cumulos usque ad radicem evellere, ne in sancta Dei Ecclesia per desidiam in aliquo macula pullularet.

Tunc e latere suo duos episcopas Radoaldum, sicut prædictum est, Portuensem, et Zachariam Anagninum. quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit, præcipiens, et mandans eis, ut causam ejectionis ipsins Ignatii, et subrogationis Photii solummodo inquirerent, et sibi renuntiarent : et interim Pbotii neophyti communionem vitarent, quousque revertentes certum de omnibus responsum reddere studuissent. Illi autem abeuntes, quod in mandatis acceperant contemnentes, non solum Photio neophyto contra sibi interdictam sententiam communicaverunt, sed etiam corrupti muneribus ipsi, et consecrationi ejus favendo, convocata generali synodo, eumdem virum Ignatium patriarcham denuo deposuerunt; sicut in gestis Constantinopoli ab illis compilatis facile reperitur, et per legatos, scilicet Leonem a secretis, ac alios, necnon et epistolam prædicti imperatoris veraciter mansit compertum.

Revertentibus autem legatis, quod in Photio egerant nonnullis præconiis extollebant, et qui in Ignatio patriarcha nequiter operati fuerant, multis oppositionibus vituperabant. Rector ergo et totius Ecclesiæ princeps, apostolicæ sedis eximius et discretus præsul. Romæ hæc sancto considerabat intuitu : sed audita quæ contra suam dispositionem fuerant perpetrata, donec secundum mysticum suæ intellectum sophiæ cuncta srcutaretur, minime credebat. Interim sacræ suæ auctoritatis tam ad Michaelem Græcorum imperatorem quam ad eumdem Photium litteras, quæ in hujus sedis scrinio habentur, componens, dansque illas eidem Leoni a secretis et mandans nec in depositione Ignatii patriarchæ, nec in subrogatione Photii se fore consensurum, quousque veritate agnita coram se legitimum causa finem acciperet.

Ubi aliis aientibus ipsius præsulis in hoc fuisse decretum, et aliis acclamantibus Ignatium injuste exstitisse depositum, supernum arbitrium idem summus jugiter pontifex precabatur, ut per ejus clementiam, quem nulla latent absconsa, Dei patefieret Ecclesiæ suæ voluntatis in talibus non fuisse consensum.

Tunc vocavit zelo fretus divino episcoporum concilium, in quo luculentius patefactum est in depositione Ignatii illum minime consensisse, et legatos apostolicæ sedis in talibus deviasse. Denique decernente eodem piissimo cum sancta synodo præsule præfatum Zachariam episcopum, qui tunc aderat; sicut beatus papa Felix Vitalem et Misenum episcopos, qui Petro Alexandrino hæretica fæce coinquinato coacti consenserant, sacerdotali gradu, imo ecclesiastica communione privavit, eo quod in pluribus apostolica interdicta excessisse inventus est. Et Radoaldi episcopi causa, quem postea cum sancta synodo pariter papa pius, mandata ejus etiam in Galliis violantem, et excommunicationem frangentem, judiciumque canonicum subterfugientem damnavit, suspensa est.

Igitur ipse præclarus vir, sanctique studii pontifex quemdam Pomponem diaconum a Pandulpho episcopo sedem apostolicam appellantem injuste depositum, officio suo restitui jussit. Et quia sine certo numero episcoporum, imo sine criminis approbatione, et ipse diaconus sine oris professione fuerat judicatus, omnem illam judicii sententiam cassavit, et ad rectitudinis tramitem apostolica causam pietate reduxit.

Ipso etiam præstantissimo præsule culmen apostolicum gubernante Ludovicus Augustus hæc sancto Petro apostolo contulit dona, videlicet(*a*). Erat autem clementissimus idem pontifex in exhibendis Dominici gregis vigiliis adeo curiosus, ut cum aliquod scandalum in sancta Ecclesia oriebatur, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori, quousque per missos aut litteras suas pax reformaretur, et tranquillitatis populus resumeret lucrum.

Nam Lotharius rex relicta Theutberga regina, et Waldrada concubina in matrimonium sumpta carnaliter, licet super his Romanam sedem eumdemque pium consuluisset pontificem, in putredine luxuriæ, carnisque petulantia volvebatur. Cumque hoc summus pontifex malum qualiter ab Ecclesia Dei pelleret, ne alios hujus morbi peste rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissime cœpit affligi, et intimo corde dolens, valde super istis gemebat erroribus. Præsertim cum Theutgaudum Treverensem et Guntherium [*al.*, Thiergaudum et Guntharium] Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos cum Haganone Bergomensi et cæteris episcopis talem eidem regi auctoritatem dedisse audierit, ut Theutbergam liberius posset rejicere, et Waldradam concubinam in matrimonium adjutores habere atque ductores, ipsos habere præsul beatissimus compererat, hanc dando pro auctoritate perpetuo igni, traditores. Unde sine mora continuo missos suos in Franciam destinavit, præcipiens et monens ut in Metensium urbe, aggregato synodali conventu, requirerent cur idem rex Theutbergam [*al.*, Tietbergam] rejiceret, aut Waldradam sibi in conjugium copularet. Quo requisito et invenlegitimum finem imponerent.

Sed pervenientes illuc sedis apostolicæ legati scrutari cœperunt hujusmodi causam, et id ab Lothario inter cætera audierunt: Quidquid ego feci, istorum episcoporum consilio usus feci. Erant autem ibi præcipui prædicti Theutgaudus, et Guntherius archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere sanctus jam papa compererat, astruentes et dicentes, legitimum illud fuisse connubium quod de Waldrada concubina rex construxit Lotharius, et quæ dicebant, coram domino eximio papa venientes se defendere posse spondebant. Cumque legati apostolicæ sedis, licet in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent, quæ a rege ac a Theutgaudo et Guntherio archiepiscopis audierant ac cognoverant, summo retulerunt pontifici. Piissimus autem præsul adventum archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce superna dirigente clementia, idem Theutgaudus et Guntharius archiepiscopi Romanam urbem adeuntes, vestigiis hujus præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benigne a præsule præstantissimo susceptis, libellum ei obtulerunt, dicentes se nihil plus vel minus egisse, nisi sicut libellus ipse cantabat. Quo diligentissime scrutato, non pauca in eo reperta sunt profani et multis inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ episcopalem excedentia ordinem ipsos sicut phenetícos ligaverunt archiepiscopos Denique convocata synodo in Lateranensi post hæc palatio sub apostolis, inventi sunt iidem, ut dictum est, archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent, præcipue, quia auctores se tanti divortii fuisse clamabant, et sententiam quam in Ingiltrudem uxorem Bosonis papa tulerat, quæ eumdem virum suum Bosonem per septenne tempus reliquerat (ut quæ excommunicata etiam, et a summæ sedis pio papa ligata, et anathematizata exstiterat, et ad eum reverti curaverat) communicantes ac conversantes cum ea, imo loquentes, dissolvisse se non negabant, sed altisone publicabant, et epistolam pii pontificis, sicut in illis male compositis gestis in scrinio hujus sedis repositis delaratur, ad libitum falsaverant.

Tunc judicante et eodem sancto præsule cum

(*a*) Hic aliquid deesse videtur.

synodo decernente sacerdotali honore privati sunt. Et depositionis censuram merito incurrerunt.

In hac quidem synodo benignus præsul Metensem synodum, ubi gesta illa contra voluntatem Dei et suam digesta fuerant, illico cassavit, et quædam necessaria in sancta Ecclesia capitula promulgavit.

His ita peractis una cum jam dicto Haganone episcopo, qui, sicut quidam episcoporum eidem coangelico præsul scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis profanis gestis a Teutgaudo et Gunthario oblatis sonabant, Heliu nominatus est, eo quod ipse Hagano auctor illorum fuerit, et talia cum eisdem archiepiscopis inconvenientibus, mendacibusque loquelis composuerit, Joanne, de cujus superius memoria textus eloquitur, ascito archiepiscopo cum Gregorio germano fratre illius, qui multarum prævaricationum juramenti quod præstiterant obliti, obnoxii habebantur. Iidem depositi pœnitentiæ lamenta non requirentes, et tantum facinus, quod in uxorem Lotharii regis gesserant, adhuc non condolentes cum eisdem, Haganone scilicet et Joanne Ravennate archiepiscopo, et Gregorio fratre ejus contra sedem Romanam, imo specialiter contra summum pontificem, et populum illi subditum, a Domino Jesu Christo per beatum Petrum apostolum regni cœlorum clavigerum commentatum multa nefanda, multa contraria, multaque sacrilega, et Christianitatis modum excedentia palam et clam fraudulenter atque procaciter operari cœperunt, ita ut eorum nequitiæ montes transirent et maria et in cœlum os suum ponentes populum Domini crudeliter discerperent, et innocentes animas viperea factione deciperent. Et quibus non sufficiebant mala præterita, nova et inaudita alia deteriora prioribus diabolo suadenter facere non recusabant. Quia et quod sigillatim utriusque prohibitum, et synodice secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audacter contingere præsumpserunt, et quæ tentanda nemini, Deo contempto, heu proh dolor! peregerunt.

Hic Christi amicus omnium nomina claudorum, cæcorum, atque ex toto debilium in urbe Roma consistentium scripta apud se retinens quotidianum illis victum ministrare studiose curabat. Nam reliquis pauperibus gressum, aut vires habentibus hujuscemodi, ut vicissim eos pasceret sapienter, reperit modum, scilicet bullas suo nomine titulatas fieri jussit, et has eis dari præcepit. Ut quanti prima feria, quanti secunda, quanti tertia, vel cæteris aliis feriis prandere debuisseut, per signum bullarum facilius nosceretur, et in illis quidem bullis, quæ eis datæ sunt, qui prima feria refici debeant, fecit per singulas duos nodos, et sic per omnes usque in Sabbatum, ut quot feriæ essent, tot essent nodi per singulas bullas, includens, in eis nuces, ubi nodi fiebant, quatenus nullus pauper haberetur in Urbe, qui vel uno die per hebdomadam de suis eleemosynis non esset refectus. Interea Carolus rex sancto apostolo Petro obtulit ex purissimo auro et gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthinas, et albas. Sanctissimus autem et fulgidissimus pontifex dolens populum tot oppressum calamitatibus, Deum tantummodo innumeris invocabat precibus, et infinitis laudabat præconiis, non tamen Ecclesiarum Dei curam relinquens, sed potius in tribulatione, et temporali tentatione decenter adaugens. Nam renovavit in basilica Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur Cosmedin, secretarium, ibique pulchri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem et decorem ejus.

Pari modo juxta idem secretarium porticum renovans, illic construxit atque ædificavit oratorium in honorem sancti Nicolai, et plura dona ibi contulit almus pontifex. Renovavit etiam ipse pastor benignus cœmeterium beati Felicis martyris, ac conversionem in via Portuensi. Necnon et cœmeterium eadem via ad Ursum pileatum, ubi corpora sanctorum Christi martyrum Abdon et Sennen requieverunt, jam in ruinis positum pulchro ac miro restauravit honore. Via autem Appia in cœmeterio sancti Christi martyris Sebastiani in Catacumba, ubi apostolorum corpora jacuerunt quod multis annis ruerat, meliori illud fabrica renovans, monasterium fecit, et monachos sub abbatis regimine undecunque potuit aggregavit, victuique necessaria dari, cæteraque stipendia ministrari præcepit.

Hujus igitur tempore cum multi ad sanctitatis ejus nomen accurrerunt, quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in oratorio beati Gregorii papæ et confessoris Christi, intra principis apostolorum ædem sacram Frascatæ constructo, unam tabulam argenteam posuerunt habentem lib....

Prædictus clementissimus pontifex in ecclesia cœlestis regni clavigeri beatissimi Petri apostoli vela numero quinque de fundato, quæ ad decorem ipsius basilicæ sursum in trabibus intra tantæ ædis vestibulum appenduntur ornata in circuitu olovero optimo fecit, et pro æternæ vitæ contulit palma. Hujus beatissimi temporibus præsulis tot tantæque diversarum provinciarum, cognita luce clatius doctrina præclari dogmatis ejus, ad sedem apostolicam consultationes directæ sunt, quantas nunquam penitus quis reminiscitur a priscis temporibus pervenisse: qui præsagus sacri verbi pabulo præsul ubertim singulos reficiebat, tradens eis præcepta juraque mystica, beatificis illos institutis satiabat, docebat, et ad propria benedictos et eruditos remittebat. Et quidquid quoquo modo perperam fieri cognoscebat, audiebatve per aliquos, Dei tantum respectu corrigere illud malens, gravibus lamentis orationibusque infinitis vacabat, ut Deus omnipotens per suam clementiam tale quid, tanquam non esset, bonis ac præcipuis immutaret exemplis. Sicuti veniente de insula Sardiniæ relatione, quod etiam et per domesticos suos genere Sardos agnoscens, hujuscemodi verbis ei relatum fuit quod judices ipsius insulæ cum populo gubernationibus suis subjecto cum proximis ac sanguinis sui propinquis incestas et illicitas contraherent copulas, velut temporibus domni Gregorii quarti papæ facere consueverant. Tunc enim mellifluos, et prævaricantibus, a sancto Spiritu doctus, terribiles suæ prædicationis, quæ in universo orbe micabat, componens apices, missos etiam strenuos Paulum, Populoniensem episcopum, et Saxum, venerabilem monasterii sanctorum Joannis et Pauli abbatem, accersiens misit eos illuc, ut eamdem gentem Sardorum a tanto revocarent errore. Quibus euntibus, valde quosdam ex eis invenerunt adversos, disciplinæ monita recipere contemnentes. Verumtamen secundum præceptionis summi præsulis auctoritatem Sardos excommunicaverunt ac anathematizaverunt auditores, quousque malum incestarum effugerent copularum, pœnitentiæ medicamina requirentes, sicut in epistolis quas idem legati in Sardiniam deportaverant regesto ipsius præsulis continetur insertis. Et sic Romam post affluentes prædicationes datas reversi sunt.

Quidam præterea Hincmarus Rhemorum archiepiscopus Rothadum Suessonicæ urbis episcopum sedis apostolicæ judicium appellantem contra Sardicensis concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit: cujus videlicet depositi iter beatissimus papa libellos cum innocentiæ suscepisset, ipsum archiepiscopum monens litteris, et præcipiens ut depositum Rotadhum Romam dirigeret cum suis missis audiendum Sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum beati papæ ad urbem, et per novem circiter menses hic commorante nunquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderet, aut illum accusaret. Tunc in die vigiliarum nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul cum clero et populo in basilica Dei genitricis ad præsepe missarum officia celebrare con-

sueverat, conveniens cum omnibus, papa benignus fecit in ambone publice de ipso Rothado sermonem, significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit, et in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurrerit. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, omniumque conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, et ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, nec honore privaretur. Ubi vestitus episcopali Rothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum, rursus exspectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalitium sanctæ virginis Agnetis, qui est duodecimo Kalendas Februarii : sed nec sic quisquam adfuit adversum Rothadum jam restitutum episcopum aliquid altercans.

Conveniente ergo beatissimo præsule cum omnibus in basilicam ipsius Virginis foris muros urbis via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis et promissionis suæ, qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum summo pontifici tradidit, qui coram cunctis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus : ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est. Et post omnium consensum in ecclesia sanctæ Constantiæ juxta eamdem sanctæ virginis basilicam decreto beatissimi hujus præsulis sæpedictus Rothadus jam restitutus episcopus missarum solemnia solemniter celebravit. Sequenti vero die congregata in domo quæ nuncupatur Leoniana denuo synodo, excusatoque ipso (sicut in libellis ab eo recognitis, duobusque quaternionibus insertis atque diverso tempore missis et oblatis, in archivo hujus sedis repositis continetur) Rothado, ne talia sacerdotes, et maxime sedem apostolicam appellantes, ultra discrimina paterentur, sicut prænotatum est, in gradum pristinum est restitutus, et ad propriam sedem cum apostolicis sanctionibus remissus, quatenus vestitus episcopalibus infulis, si provocatus fuisset, de cætero suis accusatoribus coram sedis apostolicæ præsule responderet. Cum quo et sanctissimus et a Deo conservandus præsul, tam pro restitutione illius, quam pro abolenda regis Lotharii copula, et pace etiam et concordia regum Galliarum conservanda, Arsenium episcopum hujus almæ sedis apostolicæ apocrisiarium et missum illico destinavit, quatenus reformata pace sanctæ eos Ecclesiæ sinibus sine refragatione conjungeret, et quædam necessaria in Galliarum Ecclesia ex apostolica traditione statuta diligentius et affluentius peragerct.

Nihilominus Seufredum Placentiæ sedis antistitem, a sede propria cujusdam Pauli diaconi perfidia, per legatos suos idem papa sedi suæ restituit, et eumdem diaconum, qui sedem illam proprio rectore superstite præsumpsit invadere, competenti cum suis sequacibus increpatione corripuit.

Pro cujus etiam infausta nefariaque præsumptione penitus amputanda sanctitatis studio jussit, et pro pace Dei Ecclesiæ ipsi jam fato præcepit diacono, ut nec tale quid unquam tentaret peragere, nec eamdem sedem Placentinam, sive viveret Seufredus, sive moreretur episcopus, repetere præsumeret vel recipere. Omnium namque insignis idem atque præclarus pontifex pietate magistra miserias et necessitates prævidens, cunctis clementer compatiendo celeri subveniebat egenis intuitu, et imitatione Domini nostri Jesu Christi, qui ad redimendum humanum genus e sublimi descendit ad infima, pro populo labores sustinebat ingentes.

Claudorum quapropter atque cæcorum, necnon et diversis pœnis affectorum in porticu beati Petri apostoli jacentium, ad oram Tiberini fluminis ad sitim auferendam non posse gressus tendere conspiciens, ac diversarum gentium, quæ undique pro sceleribus apostolica limina propriis expetebant, utilitatem divinitus attendens, minime corpori suo parcens, jussit formam aquæductus qui multis ante temporibus fuerat, et ob hoc ad beatum Petrum apostolum aqua non ducebatur, in meliorem quam fuerat conamine quamplurimo revocari statum : ita ut non solum hominibus profuerit debilibus, sed etiam omnibus ecclesiam beati principis apostolorum adeuntibus præcipuum opus exstiterit, sicut et hactenus ad decorem Leonianæ urbis luculenter conspicitur ac habetur.

Præterea Ostiensem urbem, quam divæ memoriæ beatus papa Gregorius, ne gens iniqua Saracenorum populum Domini in circuitu caperet aut interimeret, ad salutem multorum construxerat, in ruinis jacentem inspiratione superna tactus fortiori firmiorique fabrica reædificari iste sanctissimus præsul jussit, et in melius restauravit, portisque etiam in turribus fortissimis muniens promptos ad bella in ea homines collocavit, ita ut nullatenus alienæ gentis incursio de cætero illi posset dominari, aut concivibus ejus damna in aliquo absit, quod absit, per desidiam operari.

Interea meritis beatissimi hujus in orbe prorsus exuberantibus, operante potentia summi Dei, qui quotidie per famulos suos signa et mirabila magna facit, rex Bulgarorum Michael Christianitatis et fidei sanctæ doctrinam agnoscens, meruit baptizari, et qui prius creaturæ serviens sæviebat crudelitate, hujus temporibus creatori colla submittens ampla cœpit religione jubere, magnaque usus est pietate. Tunc ad hunc catholicum et vere præsulem orthodoxum legatos suos mense Augusto, indictione XIV destinavit, donaque non parva tam sanctis locis quam eidem summo pontifici contulit, suggerens ejus apostolatui quid se facere salubrius opporteret, vel quid erga reliquum Bulgaricum adhuc baptismo sacro carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, agi deberet.

Quod beatissimus audiens papa magna repletus lætitia laudes Christo reddidit amplas, et cum omni sibi divinitus commissa Ecclesia gratulans infinita præconia Deo nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota mente, supplici quoque voce [voto] persolvit. Porro legatis ejusdem jam nomine Michaelis Bulgarici regis a sancto papa receptis, honorifice apud se eos retinuit. Et interim sedis apostolicæ missos. Paulum scilicet Populoniensem, et Formosum Portuensem magnæ sanctitatis episcopos statuens, hosque monitis mellifluis atque doctrinis instituens, ad prædicandum genti illi eos ire decrevit. Cum quibus quoniam per Bulgaricum regnum iter usque Constantinopolim terra tenus tenditur, ut quidquid de sancta Constantinopolitana Ecclesia (licet jam per Orientem hoc ipsum idem papa semel et his apostolicis litteris divulgatum habuerit) apud se decretum existeret, eidem per suos legatos Ecclesiæ notum faceret, Donatum episcopum Ostiensem, Leonemque presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon Marinum sanctæ sedis apostolicæ diaconum missos idoneos æque direxit, ut illi Bulgariæ populum ad fidem converterent, et iste quid vel qualiter apostolica sedes de eadem Constantinopolitana deliberatum habuisset Ecclesia modis omnibus nuntiaret. Quod in nomine Domini cum adjutorio sancti Petri factum est. Sed præfatis Paulo et Formoso venerabilibus episcopis in Bulgaria morantibus Donatus reverendus episcopus, Leoque presbyter, et Marinus apostolicæ sedis minister, dum Constantinopolim ire vellent; ecce inter fines Bulgariæ Constantinopolitanorumque quemdam Theodorum marcam illam custodientem invenerunt qui eos ultra non dimisit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis, adeo tantæ sedis legatis abusus est, ut etiam equorum, in quibus sedebant, capita percuteret, diceretque : Imperator noster vos necessarios sane non habet.

Sed idem imperator legatis regis Bulgarorum ita fertur dixisse : Nisi per Bulgariam missi sedis apostolicæ venissent, nec faciem meam, nec Romam

diebus vitæ suæ viderent. Illi vero per quadraginta dies illic residentes ut cognoverunt quia hoc imperator Græcorum fieri jusserat, terga verterunt, et Romam hæc eadem nuntiantes coacti reversi sunt. Porro a prænominato rege Bulgarorum apostolici missi mente alacri magnaque suscepti devotione cœperunt salutaribus edocere populum monitis, et a minimo usque ad maximum sacro fonte cum Dei gratia abluerunt,omnemque ritum Christianæ fidei, sicut a sanctissimo papa instructi fuerant, in consuetudinem Bulgarorum tradiderunt.Gloriosus autem Bulgarorum rex fidei tanta cœpit flagrare,monitis hujus pii patris illectus constantia,ut omnes a suo regno pellens alienigenas, præfatorum apostolicorum solummodo prædicatione usus missorum, pascuis vitæ æternæ jugiter refici nempe decreverit, unumque ex his Formosum vita et moribus episcopum sibi dari archiepiscopum expetierit. Tunc iterum legatos suos Romam direxit,et inter alia beatissimo papæ idipsum suggerens,ab ejus sanctitate pro instructione gentis illius presbyteros postulavit. Ipse vero talibus papa compertis valde gavisus est. et infinitas Deo laudes rependens, non paucos numero coram se probavit presbyteros,et quos dignos reperit prædicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivensem,et Grimoaldum Polimartiensem episcopos destinavit.Ut quia ipsum Formosum plebem dimittere sibi creditam non oportebat episcopum, ex his presbyteris ad archiepiscopatum qui dignus inveniretur in nomine Domini tandem eligeretur, et sedi consecrandus apostolicæ mitteretur.

Inter hæc quidem statuit beatissimus papa, solertissimusque vitiorum corrector, et Dei cultor, ut penetrantibus ipsis Bulgariam episcopis,Paulus, cujus superius memoriam fecimus, Populoniensis, ipseque Grimoaldus episcopi in Bulgaria quidquid ad divinum ministerium pro instructione gentis illius pertineret efficerent, et sæpius dictus Formosus, atque Dominicus venerabiles episcopi,iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto,de quo jam late disserui proficiscerentur.

Sed dum hæc agerentur, Dei judicio, Michaelem Græcorum imperatorum ultio digna perculit,et nefanda nece peremit. Imperante autem Basilio in Constantinopoli, quoniam voluit Deus ipsius sancti pontificis juges labores, quos pro sancta Constantinopolitana passus fuit Ecclesia, cum fine boni operis consummare, sicut fama se habuit, Photius neophytus ac invasor ut mœchus pellitur, et juxta decretum sedis apostolicæ patriarchæ Ignatius Constantinopolitano redditur throno. Neque enim hic divinorum exsecutor operum piissimus et catholicus papa quæ sua sunt,sed ea quæ Dei sunt,primo loco posuit et quæsivit. Et cum adjutorio sancti Petri bella Domini summo dispensationis libramine spiritaliter præliari curavit.Prælatos siquidem quosque, ne subditos læderent, magna provisione moderans, ut pater commonuit. et ut subjecti prælatis subsessent,juxta uniuscujusque privilegia pastoraliter quoque decrevit.Cujus qui sanctum studium vult agnoscere,in epistolis suis,quas bene libratas per mundi partes direxit, luce clarius invenire valebit. Quippe qui animam suam in manibus posuit,qui nulla nisi cœlestia cogitabat,et qui jejuniis,vigiliis, et orationibus nocte ac die vacans,nec requiem corpori,nec membra dabat sopori. Nam si cuncta, quæ Christi gratia plenus,virtutibus atque fide sanctitatis opera gessit,et moribus vitaque docuit et implevit,chartis inserere volumus, prius fortasse membrana quam sermo deficiet. Tamen antequam ad finem vitæ illius stylum vertamus, primum ad ea quæ sanctis locis contulit redeamus.

Hic igitur egregius papa ob amorem principis apostolorum Petri apostoli nutritoris sui fecit in basilica ejus pannos tam scilicet de stauraci, quiam et de fundato, vel aliis pulchris variisque coloribus numero quatuor.Qui trabes majores in presbyterium respicientes omnes in gyro complevit, quæ illud luculenter ornant,decusque augent,etamplius mira sua magnitudine dant honorem. Ubi etiam, quod nullus post devastationem Saracenorum agere nixus est, arcum feci, argenteum, et melius quam olim fuerat superexcelsiorem trabem, quæ est ante ciborium,in medio posuit pensantem libras...et tres imagines argenteas,una figuram Domini salvatoris, duabus vero angelorum sculpit effigies,ac illis novem libras auri deaurans superposuit,quarum una pensat libras octoginta, alia libras septuaginta. Tertia vero pensat libras similiter septuaginta. Fecitque ibi crucem auream unam pretiosis gemmis ornatam pensantem libras.... et in summitate ejusdem arcus locavit, ubi pro amplitudine decoris ejus, atque speciminis appendit coronam auream unam,cruces argenteas duas,calices argenteos duos, et staupos [scyphos] argenteos duos.Porro in purpureis marmoribus, quæ ante corpus beati Petri apostoli rugas argenteas retinent, dextra lævaque duas cruces argenteas offerens posuit pensantes libras...

In patriarchio siquidem Lateranensi domum pulcherrimam nimisque decoram fieri jussit.Et oratorium sanctæ Dei Genitricis illis construens, vestes et competentes ornatus pro æternæ vitæ amore lucifluis votis ipse beatissimus pontifex obtulit.Idem etiam a Deo protectus, et cœlesti gratia circumvallatus multa casum minantia renovavit loca sanctorum, et diversis ecclesiis diversa munera contulit, et commoda luculenter adauxit. Et in ciborio Constantinianæ basilicæ optimos de sifori, et de fundato quatuor pannos appendit. Deinde regni cœlorum clavigero paris in ciborio numeri pannos optimos obtulit.

In ecclesia doctoris gentium similiter fecit. In ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe pari modo æternæ pro retributionis præmiis egit.Et in ecclesia sancti Laurentii Christi martyris foris muros urbis æque pannos optimos quatuor in ciborio dedit.Hujus quippe beati temporibus præsulis tanta ubertas, et victuum copia exstitit,ut omnem memoriam famis decessoris sui factæ diebus hæc oblivioni traderet abundantia.Hic fecit ordinationem unam per mensem Martium,presbyteros septem,diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero sexaginta quinque. Postquam autem sedem apostolicam victoriosissime,et ut verus Dei athleta catholice ac principaliter rexit, ex hac luce idibus Novembris indictione prima migravit ad Dominum. Porro, quid dicam, cum non solum ejus exitum diversæ hominum nationes plena ratione utentes,verum etiam, quantum ad intemperantiam aeris,ipsa mundi elementa diu fleverunt,et de morte tanti viri in tristitia permanserunt. Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores basilicæ beati Petri apostoli.

NICOLAI PAPÆ I
EPISTOLÆ ET DECRETA
ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA

I.

EPISTOLA NICOLAI AD WENILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM ET COEPISCOPOS EJUS,

(Anno 858.)

De Herimanni episcopi Nivernensis infirmitate.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis ac sanctissimis confratribus nostris, WENILONI Senonensi archiepiscopo, et coepiscopis ejus.

Epistolam sanctitatis vestræ, qua apostolatus nostri super causa Herimanni episcopi non immerito expetere studuistis responsum, vel qua more universalis Ecclesiæ auctoritatis nostræ efflagitare instructionem curastis, accipimus. Sed antequam ad consulta vestra mentis oculum inclinemus, parumper in laudibus vestris stylum operæ pretium B duximus immorandum: qui quos vobis eundum, quove in rebus dubiis, atque in magnis ecclesiasticis negotiis esset accelerandum, serenitatis visibus prævidistis, humilibusque devotionis vestræ passibus cucurristis. Contra illos nimirum, qui beatissimi apostolorum principis Petri ejusque successorum luculentissimam doctrinam sedemque spernentes, quem Dei Filius in sancta Ecclesia sua, tanquam luminare majus in cœlo constituit, veluti quidam scorpiones palantes incedunt in meridie, et cum adhuc dies est, occidit eis sol. Revera ii et per scientiam Dei more Balaam apertos habent oculos: cadunt tamen, quia obcæcati instar ipsius avaritia, quo gressum tendere possint justitiæ non aspiciunt: sed per abrupta et avia incedentes, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia demer- C guntur. Vos autem, fratres charissimi, qui sancto utique Spiritu revelante, apostolicæ sedis auctoritatem sensu capere, et ad splendorum luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum illa semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum consentiatis. Quos illa recipit et vos quoque recipite, et quos illa respuit, abigere ipsi sicut ipsi mementote. Non enim illa respuit nisi membra quæ sibi non hærent, nec a se recidit nisi quos in scandalum multis positos comprehendit. Non, inquam, recidit vel eruit a se, nisi membrum quod sanis membris in offensionem et perniciem noscitur exstitisse. Verum ad propositum redeamus. Suggerit sanctitas D vestra Herimannum episcopum morbum incurrisse, quo diu impeditus est episcopale recte implere officium. Sensus enim, ut vestra ipsa verba ponamus, aliquoties integritate privatus, quædam insano si- A millima admittebat. Atque subinfertis quod ad provinciales synodos evocatus venire distulerit. Ubi attente considerandum est, quoniam hoc ipsum quo venitur ad synodum, sacerdotale officium est: et cum dixeritis illum sacerdotale non potuisse implere recte officium, sensusque integritatem amisisse, miramur reverentiam vestram eum venire ad synodum coegisse: præsertim cum ipsi testemini insano hunc similem, et in eadem adhuc infirmitate manere: quem, si ita gravatur, magis convenerat sanctimonium vestrum sublevare, quam pondus ejus ponderi superaddere, charitatemque in eo confirmare potius, quam ei pietatis viscera obserare. Indicatis autem illum super quibusdam excessibus fuisse frequenter accusatum. Pro quibus, quia ex B parte ipsius persona deest, nos uni parti ad alterius discrimen credere procul dubio non possumus, quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeritis, nec utrum sana erat mente idem antistes, necne, cum ipsos excessus perpetrabat evidenter ostenderitis: satiusque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, et compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum. Admonitio præterea, vel conventio beatitudinis vestræ, quam ei fecisse vos perhibetis, valde placet: si tamen ex charitate non ficta, sed ex simplici mentis oculo prodiit id quod suave et dulce in auribus nostris sonuit: vel si coram summi arbitri oculis ita placuit, quemadmodum ante hominum visus, quod placere sit satis abundeque C conspicitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

II.

BULLA NICOLAI PRO MONASTERIO FULDENSI.

(Anno 859.)

De hujus monasterii statu sibi identidem rationem reddi mandat.

[Apud Schannat, *Hist. Fuld.*, pag. 139.]

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, THEOTONI religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribus in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privile- D giis præstandis minime denegetur. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris a S. Bonifacio archiepiscopo constructum in loco qui vocatur Boconia, erga ripam fluminis Fuldaha privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, et

ut sub jurisdictione sanctæ nostræ cui, Deo auctore, A deservimus ecclesia constitutum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur; pro qua piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio dictionem quamlibet habere et auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ firmitate privilegii consistit inconcusse dotatum permaneat, locis et rebus tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ divina pietas voluerit augere ex donis, et oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius personæ contra- B dictione, firmitate perpetua perfruatur. Cæterum vero, hoc deliberantes, statuimus ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur, concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur; constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam, ut quicunque cujuslibet ecclesiæ præsul, vel quacunque dignitate prodita persona, hanc nostri privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens, a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata per- C maneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Petri notarii, scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Junio, indict. VII, Bene valete.

Datum II Idus Junias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ. Imperante domno piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, inductione septima. Amen.

III.

AD ADELOVINUM SALZBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 860.)

Pallii usum concedit.

[Apud Kleinmayern, *Nachrichten vom Zustande der Gegenden und Stadt Juvavia.* Anhang 92.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reve- D rentissimo et sanctissimo confratri nostro ADELOVINO episcopo sanctæ Juvavensis Ecclesiæ.

Diebus vitæ suæ tantummodo solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt (*a*), ut neque ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur, attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum solemnia celebranda concedimus. Quod tamen non aliter Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus uti largimur, nisi solummodo in die sanctæ ac reverendæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu in natalitiis sanctorum apostolorum, atque beati Baptistæ Joannis, nec non in assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ, simul in Dominicæ navitatis Domini Dei nostri die, pariterque in solemnitatis ecclesiæ tuæ die, verum etiam et in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicut a beato prædecessore nostro Domino Gregorio hujus almæ sedis præsule sancitum est. In secretarium vero inducre tua fraternitas pallium debeat, et sic ad missarum solemnia proficisci; et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripiatur, ordinate etiam quæ licere poterant amittantur. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut et cuncta ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo rector ubique possis esse conspicuus.

Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa si qua fortitudo illis injecta est, dirigantur, in ea quod imitentur aspiciant; in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum, post Deum, videatur esse quod bene vixerint. Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odium, nullum favor indiscretus inveniat. Districtum te mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat; nocentem gratia non excuset: remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et judicis severa districtio, unum quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendos a pravitate compescat. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correptio, iram judicio refrena, et censura disciplinæ sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum quas corrigis non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe; oppressis defensio tua subveniat; opprimentibus modesta ratio contradicat; nullius faciem contra justitiam accipias [aspicias]; nullum querentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos ex rabie [extra viam] suadet rationis audere, nec pauperem de se sua humilitas faciat desperare: quatenus Deo miserante utilis possis existere, qualem sacra lectio præcepit dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus uti salubri-

(*a*) Deest aliquid. Epist. 87, ad Rembertum: *Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ut.* etc.

ter poteris, si magistram charitatem habueris; quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii; quasi si studiose, servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet. Atque ita in timoris sui via dirigat, ut post hujus vitæ amaritudinem ad æternam simul dulcedinem pervenire mereamus. Amen.

Scriptum per manum Soronii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione VIII.

IV.

AD MICHAELEM IMPERATOREM (*a*)

(Anno 860.)

Conqueritur synodum Constantinopoli injussu sedis apostolicæ ausum fuisse Ignatium honore privare, et in ejus locum Photium substituere. Ostendit multis rationibus laicum ad pontificalis dignitatis gradum conscendere non posse. Promotionem Photii non vult comprobare, nisi prius causa a legatis examinetur, et ad se integra deferatur. His adjungit nonnulla de imaginum adoratione; estque epistola prima missa ab apostolica sede ad imperatorem Michaelem per Rodoaldum et Zachariam episcopos.

[Apud Mansi. *Conc.* tom. XV, col. 162-167.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio MICHAELI glorioso imperatori Græcorum.

Principatum itaque divinæ potestatis, quod omnium conditor electis suis apostolis largitus est, super solidam fidem apostolorum principis (Petri videlicet) soliditatem constituens, ejus egregium, imo primam sedem deliberavit. Nam voce dominica ipsi dictum fuerat: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Petrus denique a firmitate petræ, quæ Christus est, structuram universalis Ecclesiæ inconcussam, et fidei robore solidatam, ita precibus suis munire non cessat, ut errantium vesaniam rectæ fidei norma reformare festinet, necnon intrepide eam consolidantes remunarare procuret: quatenus portæ inferi, malignorum utique spirituum suggestiones, atque hæreticorum impetus, non prævaleant ejusdem Ecclesiæ unitatem refringere. Quapropter Deo omnipotenti multiplices referimus grates, qui vestro pectori hoc infundere dignatus est, ut fautores Ecclesiæ Dei effecti, concordiæ ipsius desideretis favere, ne quavis rubigine erroris consumatur pulchritudo fidei, et frangatur intellectus apostolicæ traditionis. Ad cujus enim (sicut ipsi scitis) integritatem observationis multoties conventus factus fuerit sanctorum Patrum, a quibus et deliberatum ac observatum existit, qualiter absque Romanæ sedis, Romanique pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis Constantinopoli congregatum concilium (ut vestris apicibus nostris intimatum est auribus) hujus tenoris seriem parvipendens, ab institutis supradictis manum considerationis suæ reflectere non trepidavit; adeo ut Ignatium supra jam nominatæ urbis patriarcham, sine Romani consultu pontificis, ibidem cœtus conveniens proprio privasset honore. Quod quam sit reprehensione dignum, testes illi qui ei oppositi fuerant, manifestant: quia tales quos in epistola vestra legimus, canonica institutio prohibet: et invidiose datos manifeste claret, quoniam nec ipse proprio ore manifestavit (ut directionis vestræ asserunt litteræ) illa quæ ei objiciebantur, neque accusatores illius secundum sacrorum canonum instituta probaverunt. Cæterum his etiam sic injuste peractis, ad detestabiliora inconsiderationis suæ votum, supradictam populi catervam dirigendo, de laicorum habitu qui ei præesset eligit pastorem. O quam præsumptuosa temeritas! ille præponitur ovili divino qui nescit adhuc dominari spiritui suo. Nam qui ignorat disponere, quomodo corrigere quibit vitam alienam ductus, quomodo corrigere quibit vitam alienam susubito electus? Latuisse vos non credimus, quid apostolorum egerit cœtus post acceptum donum sancti Spiritus. Ecce etenim ipsi visione Domini, et locutione illius assidua, ejusdemque resurrectione lætificati, atque gratia spiritalis descensus consolidati, non præsumpserunt de electis septuaginta duobus eligere tam audacter duodecimum, qui Judæ prævaricatoris suppleret locum: sed per gradus quosdam (ut ita dicatur) de septuagenario binariosque numo elegerunt duos, Joseph qui vocabatur Justus, et Matthiam (*Act.* I). Et sic ex his, quem alteri præponerent interim ignorantes, divinum examen postulavere, electioneque data, qui humanis obtutibus justior videbatur, coram Divinitatis conspectu inferior est inventus. Igitur illius congregationis conatus, nihil horum studentes exercere, visi sunt a recto itineris tramite declinasse, cum in custodiam Dominici gregis non taliter, ut decuit, studuerunt pastorem præponere. In notitia siquidem sæcularium litterarum nemo magistri nomine merito censetur, nisi per gradus disciplinarum procedens fuerit doctus. Verum iste Photius videlicet antea doctor prorupit quam doctus exstiterit; prius magister videri cupit quam discipulus audiri: prius auditor esse debuit, ac deinde institutor. Sed hic doctoris e contrario cathedram eligens, docere prius elegit, ac deinde cœpit doceri: prius sanctificare curavit, ac demum sanctificari: prius illuminare voluit, et postmodum illuminari.

Hæc itaque catholicus ordo prohibet: et sancta nostra Romana Ecclesia talem electionem semper prohibuit per antecessores nostros catholicæ fidei doctores. Quorum nos tenorem observantes, instituta ipsorum esse inviolabilia censemus. Sardicense denique consilium, ut de laicis non eligeretur antistes, in decimo tertio capite per omnia prohibuit ita inquiens: Si forte aut dives, aut scholasticus de toto, aut ex administratore episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante lectoris munere, et officio diaconii, aut presbyterii fuerit perfunctus, ut per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Et reliqua.

(*a*) Est hæc epistola integra Latine in VIII synodo œcumenica, actione 4, ex Anastasii versione.

Cœlestinus itidem sanctissimus doctor, et nostræ Romanæ sedis præsul egregius, in decreto suæ sanctionis (*epist.* II, *cap.* 21) asserens dicit : Audivimus quasdam propriis destituta rectoribus civitates, episcopos sibi petere velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc illis, qui non Deo, sed sæculo militaverunt, æstiment nos posse conferre : non solum male de suis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes, sed de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere sentientes : quod nunquam auderent, si non quorumdam illic his consentiens sententia cohiberet. Ita nihil quæ frequentius sunt decreta proficiunt, ut hoc quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. Quid proderit per singula clericos stipendia militasse, et omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex laicis requiruntur? Qui vacantes sæculo, et omnem ecelesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere : et in aliud vitæ genus calcata reverentia ecclesiasticæ disciplinæ transire.

Talibus itaque, fratres charissimi, qui juris nostri (id est canonum) gubernacula custodimus, necesse est obviemus; hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus, ne quis laicum ad ordinationem clericatus admittat, et sinat fieri : unde et illum decipiat, et sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat. Leo denique sanctissimus doctor, et apostolicæ Romanæque sedis pontifex egregius, cujus laus in quarta synodo magnificatur, hoc ipsum in Decretalibus suis prohibuit, cap. 33 *epist.* 88 *ad Anast. Thessal. episc.*) : In civitatibus, quarum rectores obierint, de substituendis episcopis hæc forma servetur, ut is quis ordinandus est, etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundæ conjugis sit maritus, et reliqua.

Gelasius autem supradicti doctoris, Leonis videlicet, meritis non impar, sanctissimus Romanæ Ecclesiæ præsul, non solum episcopos de laicis fieri prohibuit, sed etiam presbyteros, ne talia præsumerent, vetavit in decretalibus suis, cap. 3 (*epist.* 6), ita inquiens : Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto sollicitius in singulis, quæ superius comprehensa sunt, hujusmodi decet examinare personam, quantum inter mundanam, religiosamque vitam, constat esse discreminis : quia utique convenientia ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda : tantoque magis, quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis, quanto de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur, ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit : ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis, vitia potius divinis cultibus intulisse, non legitimæ reputemur procurasse compendia, quorum promotionibus super anni metas sex menses nihilo minus subrogamus.

Quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter A personam divino cultui deditam, et de laicorum conversatione venientem : quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis, quibus infestatione bellorum, vel nulla penitus, vel exigua remanserunt ministeria, renoventur; quatenus his Deo propitio restitutis in ecclesiasticis gradibus subrogandis, canonum paternorum vetus forma servetur : ne contra eos ulla ratione prævaleat. quod pro occidentis defectus remedio providetur. Non adversus scita majorum nova lex proponitur, cæteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam in faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam.

Quo magis hac opportunitate commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus : singulorum graduum conscientias admonentes B ne in illicitos prorumpere moliantur excessus, ne fas esse confidat quisquam pontificum, bigamos, aut conjugia sortientes, aut ab aliis derelicta, sive quoslibet post pœnitentiam, vel sine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ, publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis exspectatione discussos, divinis servituros applicare ministeriis; neque pro suo libitu jura studeant aliena pervadere, absque sedis apostolicæ justæ dispositionis mandato.

Prædecessor itaque noster hujus almæ sedis, Adrianus videlicet sanctissimus præsul, in epistola quam Constantinopolim pro venerandis imaginibus destinaverat (*epist.* 5 circ. fin.), ita instituit ut amplius de laicis nullatenus in eadem vestra C Constantinopolitana Ecclesia ordinaretur antistes : cujus textum si scire vultis, in concilio quod ejus tempore in supradicta urbe celebratum est, invenire potestis.

His itaque paulisper prælibatis in supradicti viri consecratione consensum apostolatus nostri præbere non possumus, donec per missos nostros, quos ad vos destinavimus, cuncta quæ in jam prænominata sæpius urbe de ecclesiasticis causis, seu ordinibus peracta sunt, vel agentur, nostris intimata fuerint auribus. Et ut in omnibus rectus ordo servari queat, volumus, o clemens Auguste, ut Ignatius, quem sedis supradictæ gubernacula propria spontaneaque voluntate deseruisse, et totius plebis congregato concilio depositum esse vestris apicibus nobis intimare curastis, in conspe- D ctum veniat nostrorum missorum, et universi concilii, vestris quidem imperialibus institutis, quatenus perquiratur, quamobrem spreverit traditam sibi plebem, et instituta antecessorum nostrorum, sanctorumque pontificum, Leonis videlicet papæ, atque Benedicti, parvipendendo contempserit, et in hoc agendum subtili examine a nostræ jussionis legatis depositionis ejus censura perquiratur : quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem observatus fuerit, vel non, manifestum existat : ac deinde cum nostro præsulatui significatum fuerit, quid de eo agen-

dum sit, apostolica sanctione diffinimus : ut vestra Ecclesia quæ tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps et inconcussa permaneat.

De imaginibus autem, earumque observationibus, licet nulla necessitas esset scribere, eo quod nostrorum antecessorum venerabilium pontificum sancta sollicitudo catholico ardore succusa, multa et valde utilia Ecclesiæ Dei profutura instituit : tamen quia frequens iteratio informationis solet venerabiliorem intentionem reddere audienti : ideoque de eisdem pro conservanda unitate populo Dei aliquid exponere curamus. Pristinam itaque sanctorum Patrum traditionem, quam a prædecessoribus nostris beatissimis et orthodoxis pontificibus, qui post beatum Petrum in ejus apostolica sede resederunt, nobis observandam suscepimus, et hactenus immutilatam hæc sancta catholica et apostolica tenet ac defendit Ecclesia. Oportet ergo tota mentis intentione, summique desiderii conamine venerandas tam Domini nostri Jesu Christi, quam suæ sanctissimæ genitricis, et beatorum apostolorum, atque omnium sanctorum imagines venerari et colere : ut eo quo valemus annixu contra hæreticorum vesaniam, qui ab earum veneratione populum prohibent, resistere studeamus.

Nam in pace Ecclesiæ constitutus nil contrarium esse potest, si sanctorum effigies propriæ depictæ fidelibus augeant incrementi amorem. Revera quia dum eorum vultus aspicitur, et operis actio recolitur, Deus, cujus habitatio in eis esse dignoscitur, perfecte laudatur. Certe si Deus, qui est invisibilis et incorporeus, non per propriam substantiam deitatis, sed per subjectam creaturam mortalium apparuit oculis et credentibus summum esset culmen honoris : quare animæ sanctorum, quæ manentes in corpore vultus uniuscujusque habuisse noscuntur, secundum dispositionem Dei dicit ipsi placentia operatas esse, non venerentur a nobis magno honore? Cur eorum exsecremur effigies, per quos agnovimus fidei veritatem?

Apparuit nempe Deus Abrahæ patri nostro, non in carne, neque in anima, sed in specie trium virorum : quibus ille aliud cernens, et aliud esse intelligens, pronus in terra adoravit, et dixit : *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, afferam aquam, ut laventur pedes vestri* (*Gen.* XV). Credidit illico Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatns est. Apparuit denique Jacob per subjectæ creaturæ speciem, unde et dixit : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). Ecce incorporeus Deus et invisibilis per speciem subjectæ creaturæ ita se mortalium voluit videri obtutibus, ut credentibus esset ad gratiam : cur nobis sanctorum icones, quos corporeos et visibiles fuisse credimus, si illos ut vere Christi veneremur amicos, poterunt esse ad culpam? Nam si eorum effigies exsecrabiles esse

A crederentur, profecto et ipsarum reliquiæ, quorum caro corruptionem sensit in tumulo pro neutro (quod absit) haberi deberentur. Verumtamen si ad eorum consortium venire optamus, profecto hic omnia in honore sanctorum, id est tam reliquias non solum corporum, sed et vestimentorum, seu etiam imagines vultus illorum in quolibet loco depictas, celeberrimo honore venerari debemus, reminiscentes illud, quod Isaias speciem subjectæ creaturæ se vidisse testatur, dicens : *Vidi Dominum sabaoth sedentem super solium excelsum, et ea quæ sub ipso erant implebant templum* (*Isa.* VI), etc.

Accedit itaque Moses et Aaron, ut viderent thronum ubi steterat Deus, et erat sub pedibus ejus tanquam opus lapidis sapphiri, et velut firmamen-
B tum cœli in claritate fulgoris, et stabant cherubim ex auro mundo. Quæ omnia, secundum quod Salomon postea in templo instruxit, in monte cum Domino loquens, imaginata et præsignata vidit.

Hæc et his similia præcedentes Patres sciendo, iconas Salvatoris nostri Jesu Christi, ejusque sanctissimæ Genitricis semperque Virginis, omniumque sanctorum in parietibus ecclesiarum, secundum quod tempus hodie probat, depinxerunt, et pingere pro congruis locis omni dilectione usque in præsens non prohibuerunt. Quid Christiano verissimo nocet, si quod amat et diligit, non ad adorandum deificet, sed ad tremendum terribiliter, in pariete vel ligno depingit?

Verum, quid officit, si aspicimus imagines Christi in templo Ecclesiæ, et in arcano cordis præme-
C ditamur eum venturum, cujus imaginem cernimus, citius vivorum et mortuorum judicem adventurum? Quid fidei nostræ contradicit, quod in centro cameræ super altare, ejus figuram quod Verbo caro factum est, et habitavit in nobis, animæ nostræ affectando desiderant, cujus imago nominis titulum retentat, et quia per naturam Filium adoramus, quare per adoptionem nomen novum scriptum in calculo, vel gemmis non adoremus? Altare itaque sanctum, in quo Deo omnipotenti sacrificiorum vota persolvimus, lapsis est naturaliter communis, nihil differens ab aliis tabulis, quæ parietes nostros et pavimenta adornant. Quia vero sacratum est Dei adjutorio, et benedictionem suscepit, unde et mensa sancta efficitur, panis iterum, qui super eum of-
D fertur, panis est quidem communis; sed quando ipse sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fit, et dicitur. Sic et vinum modicum aliquid digna existentia ante benedictionem (*a*) post sanctificationem Spiritus, sanguis Christi efficitur. Ipsa enim crucis imago antequam suscipiat ejus formæ figuram, lignum ab omnibus commune est. Suscipiens autem omnimodo venerandam similitudinem, sacra est, et dæmonibus terribilis, propter quod in ea figuratus est Christus.

Hæc brevi stylo transcurrentes, cum multa dicere quivissemus, vestræ serenitati transcripsimus;

(*a*) Locus mendosus.

quia Adrianus sanctissimus præsul antecessor noster multa de his in epistolis, quæ hactenus apud Constantinopolitanam habentur Ecclesiam, scribens contradidit, in quibus quidquid hujus rei necessitas coegerit, invenire poteritis. Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illiricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam ripensem, Daciamque mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, Prævalim, B. Petro apostolorum principi contradicere nullus præsumat; quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, atque Hormisdæ sanctorum pontificum, sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros missos, ut rei veritatem cognoscere queatis, vestræ Augustali potentiæ dirigere curavimus.

Præterea Calabritanum patrimonium, et Siculum, quæque nostræ Ecclesiæ concessa fuerunt, et ea possidenda obtinuit, et disponendo per suos familiares regere studuit, vestris concessionibus reddantur, quoniam irrationabile est ut ecclesiastica possessio, unde luminaria et concinnationes Ecclesiæ Dei fieri debent, terrena quavis potestate subtrahantur; sed domui Dei restituta meritum redditoris multiplicent, et suscipientis votum spiritalis desiderii lucris exerceatur. Inter ista, et superius dicta volumus ut consecratio Syracusano archiepiscopo nostra a sede impendatur, ut traditio ab apostolis instituta nullatenus nostris [*edit. Rom.* vestris] temporibus violetur.

Destinavimus autem vestræ serenitati reverendissimos et sanctissimos episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis Ecclesiæ, atque Zachariam Anagninæ sanctæ Ecclesiæ, fungentes legatione apostolatus nostri, quos ut honorifice suscipiatis, vestram amplitudinem deprecamur : quibus etiam frequens colloquium tribuatis : et eis quæ de ecclesiastico statu irreprehensibiliter dixerint, credere non ambigatis. Et cum in conventu ecclesiæ sederint pro ecclesiasticis diffinitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum sentiant. Et cum fas illis fuerit revertendi, vestros concedite missos; et tales, qui in dromonibus congruis esse Romam incolumes, favente Deo, apostolorum precibus studeant referre, quatenus pro omnibus vestris bonis devotionibus gratias Deo omnipotenti Patri, atque ejus unigenito Filio Domino nostro Jesu Christo, et Spiritui sancto devotius agere valeamus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Data mense Septembrio die 25, indictione IX.

Explicit epistola ab apostolica sede ad imperatorem Michaelem per Rhadoaldum, et Zachariam episcopos missa.

V.

AD PHOTIUM.

(Anno 860.)

Reservat totam causam Photii in adventum legatorum; estque epistola prima ad Photium per Rhadoaldum et Zachariam episcopos Constantinopolim declinata.

[Apud Mansi, *ibid.*, col. 168.]

Omnis utilitas et profectus animarum catholica fide munitur et dilectione Evangelii tuetur : quæ omnes intra se conclusos salvat et extra se positos suos non existimat. Unde directionis vestræ sumptis apicibus lætificati sumus, quia vos catholicum in eis cognovimus. Nam ibi prudentiæ vestræ utilitatem intelleximus, ideoque multas gratias Deo omnipotenti retulimus, quia vestrum scire de catholico fonte manare experti sumus. Sed rectum vos ordinem minime continuisse doluimus : eo quod non per gradus Ecclesiæ ductus ad tantum honorem de laici [*edit. Rom.* laicali] habitu vos prosiluistis, cum oporteret vestram prudentiam ita canonice vixisse in clericali ordine, ut nihil extra canonica instituta agentes, tempore congruo, ascensu legitimo constituereris Ecclesiæ pastor. Vos itaque hoc permittentes [præmittentes], contra statuta Patrum egisse manifestum existit. Nam Sardicense concilium per omnia tantæ temeritatis præsumptionem vetuit (*can.* 13), pariter et sanctorum pontificum Romanæ sedis, Cœlestini doctoris egregii, Leonis sanctissimi, cujus laus in quarta synodo clara existit : seu Gelasii doctrina, et meritis æque beatissimi, horum videlicet instituta, hoc prohibuerunt, ut talis ordinatio fieri non præsumeretur. Quapropter vestræ consecrationi consentire modo non possumus, donec nostri, qui a nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestræ observationis actus, et ecclesiasticæ utilitatis constantiam, et quo studio circa catholicæ fidei defensionem vosmet exerceatis. Et tunc, si dignum fuerit, ut tantæ sedis præsulem, ceu convenit, honorabimus, et fraterna dilectione amplectemur. Data mense Septembrio, die 25, indict. IX.

VI.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 860.)

De Ingeltrude, Bosonis comitis uxore fugitiva; ut illam excommunicent, si ad virum redire contemnat.

[Apud Mansi, *ibid.*, col. 326.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo ac sanctissimo et confratri nostro HINCMARO archiepiscopo, et omnibus archiepiscopis seu episcopis in regno Caroli constitutis.

Canonica auctoritas hoc omni in loco prædicare non cessat, ut populus divino cultui mancipatus irreprehensibilis existat : quo enim mediante fieri melius potuerit, quam illorum sollicitudine, qui pa-

storum loco curam Dominici gregis susceperunt? A Quapropter vestram commonemus fraternitatem, imo et sanctitatem, ut vestram diœcesim non sinatis pollui fornicariis. Ecce jampridem direximus vobis de uxore Bosonis comitis, quæ relicto viro fugit, ut eam revocare fecissetis viro suo, sed quod occasione mergente minime factum conspicimus; unde forsan vos negligentes, nos judicare possumus. Quapropter præcipimus vobis auctoritate apostolica fulti, quatenus eam faciatis reverti ad proprium virum, concessa sibi negligentia, qua in eum deliquit; et si vobis inobediens contempserit repedare, corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et societate omnium fidelium citius tam illam, quam cæteros qui ejus facinori favere videbuntur, excommunicare festinetis, ut domus Dei talibus rectoribus dirigatur, quales catholicus ordo delegisse cognoscitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. B

VII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 860.)

Monet eum diligenter procurare ut Lotharius Ingeltrudem uxorem adulteram Bosonis comitis regno suo ejiciat; et ad virum suum redire compellat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, CAROLO glorioso regi spiritali filio nostro.

Vestram regiam dignitatem concedet de pietatis fonte justitiæ discretionem haurire. Nemo itaque justius operari debet, quam cui commissa videtur legum ordinabilitas. Ecce etenim reges regibus suadere [favere] solent Sed convenit, ut his quæ ratio docet justitiæ, invicem alternent: quæ (*a*) autem improbitas, vicaria vice subtrahere non cessent. Unde vestram exhortamur regiam magnitudinem, uti corrigatis Lotharium regem, nepotem vestrum, ne tantum placulum permittat manere in regno suo: hoc est non consentiat fugitivam uxorem Bosonis comitis tandiu remanere, ut non reddatur viro suo, remissa quidem negligentia, quam ei fecit. Cæterum vos etiam monere volumus, ut si in vestro regno contigerit devenire, similiter peragatis; quoniam jussimus omnibus archiepiscopis seu episcopis regni vestri, ut eam, indulta sibi culpa, si noluerit reverti ad supradictum virum suum, excommunicent a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et societate omnium fidelium; quoniam condecet, ut in regno vestro tantum malum non oriatur, et si ortum fuerit, citius exstinguatur. Adeo ut omnes consentientes malo ipsius, supradicta excommunicatione nodamus [nectamus]. Optamus excellentiam vestram in Christo bene valere.

VIII.

ACTA CONCILII ROMANI ANNI DCCCLXI.

De Joanne Ravennate archiepiscopo.

(Vide Patrologiæ tom. CVI, col. 787, appendice ad pontificale Agne.

IX.

AD HUNTFRIDUM MORIENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 861.)

In persecutionibus episcopus Ecclesiam suam non deserat.

[Mansi, *ibid.*]

Sciscitaris itaque per Guldagarium presbyterum, utrum cum a Nortmannis de episcopio depellaris, debeas de cætero in monasterio conversari. In quo scias, charissime frater, quod si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus. Ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus, maxime paganorum, insidias, cum ad tempus sæviunt, et ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur: præsertim cum eis prodire ultro non debeamus; et multos prophetas et apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet. Sed quod præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus imo qui et horum pastores sumus, Deo auctore cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem perquirere, et in unum colligere, et ejus animos cœlestis patriæ pace potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus. Et tandiu super eorum cautela oportet nos esse sollicitos, ut si Dei judicio præsentis temporis commoda fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent gaudia absque ambignitate percipere sempiterna. C

X.

AD THIETGAUDUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

(Anno 861.)

Illum et clerum ejus absolvit a juramento.

[Apud Hontheim., *Hist. Eccl. Trevier.*, tom. I.]

Auctoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, et nominatim beatissimi papæ et martyris Alexandri quinti a beato Petro, ab omnibus juramentis et cujuscunque modi obligationibus, quibus illi sese, coacti violentia impiorum, obligaverunt, absolvimus; et ne illa serventur, vetuimus, tam prælatum archiepiscopum Trevirensem, quam ejus præpositum, et omnes qui tunc temporis capti, se illis quoquo modo obligaverunt, neque ullam eos proinde D infamiam, aut calumniam, aut a suis bonis sequestrationem unquam, auctore Deo et sanctis apostolis, et nostris prædecessoribus sustinere permittimus; sicut per prophetam Dominus dicit: *Dissolve colligationes impietatis.* Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Trevirensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus hæc in mandatis damus ut spirituali simul et materiali gladio tam diu malignos illos illorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones vel quæcunque res ecclesiasticæ, hoc facto, vel quocunque pacto distractæ, seu direptæ sunt, revocentur (*b*).

(*a*) Locus subobscurus.

(*b*) Civilium bellorum motibus, et deprædatorum injuria, adactus Thiedgandus una cum clero suo jurata fide, gravi metu extorta, sese hostibus devinxerat,

XI.

AD OMNES FIDELES.

(Anno 852.)

Docet Orientalem Ecclesiam sine ullo suo consensu a legatis sedis apostolicæ Ignatium depositum, Photium substitutum.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ.

Quod igitur generali notitia exstat universæ plebi Dei vulgatum, minime vestræ sanctitati habetur incognitum, qualiter præterito jam tempore sancta Constantinopolitanæ urbis Ecclesia, imo Græcorum inclytus imperator cum christianissima plebe suæ ditioni subjecta pro quibusdam prævaricationibus in eadem Ecclesia pullulatis, ac variis dissensionibus in eodem populo super Photio invasore, et Ignatio patriarcha nequiter obortis, legatos proprios ad hanc sanctam, et omnium ecclesiarum matrem miserunt Ecclesiam, discretissima videlicet protulatione consulentes, qui diffinitionis calculus super hujusmodi prævaricationibus nostro judicio deberetur imponi. Sancta scilicet ac salubri discretione perducti ab hac principali Ecclesia, quam veraciter intelligunt a Christo Salvatore percepisse sui principatus privilegia, non immerito ob ædificationem religionis et recuperationem pacis atque concordiæ sub canonica diffinitione sibi dari poscentes judicia. Quorum saluberrimæ petitioni cedentes, dirigere, ut omnibus claret, illuc studuimus ex latere pontificatus nostri legatos, qui nostra apostolica auctoritate muniti, errata corrigerent, depravata quæque ad rectitudinis tramitem perducerent. Super Photio quoque et Ignatio patriarcha rei gestæ veritatem diligenter inquirerent, nostroque apostolatui, Deo auctore, legitime diffinienda ad liquidum nuntiare studuissent, quatenus missorum nostrorum fieret tantum inquisitio, et vera examinatio, nobis tamen remaneret reservata diffinitio, utrum vera esset, an falsa super Ignatii patriarchæ criminibus accusatio. Sed legatis nostris, qui super hoc opere missi fuerant revertentibus, imperialem ab eisdem partibus epistolam nostro apostolatui per ipsius legatum directam nihilominus recepimus. In cujus serie et eorum actionibus cognovimus, quia dissensionis et invidiæ inter illos crebrescentibus malis absque ullo nostro consensu, vel nostra omnino conscientia, Photium indiscrete subrogarunt, et Ignatium patriarcham deposuerunt. Quod utique indiscretissimum factum nobis, et universæ Ecclesiæ nostræ omnimodis habetur contrarium: quia contra sacros canones qui absque verissima probatione neminem damnari, nec alterum prius in ejus loco subrogari præcipiunt, Ignatium patriarcham damnarunt. Et iterum, cum dicente Domino: *Non sit discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum* (*Matth.* X), memoratus antistes Ignatius a sibi subjectis, et ministris sui ordinis, proprii gradus sustinuit præjudicium: et contra doctore egregio Paulo dilecto discipulo suo Timotheo præcipiente, ut nemini cito manus imponeret; et *Non neophytum*, inquit, *ut in superbiam elatus in judicium incidat diaboli* (*I Tim.* III): Photium subito ex laicali militia tractum indiscrete ordinare præsumpserunt episcopum. Quæ causa contra ordinem divinum nequiter acta, valde nostro apostolatui, et universæ (ut dictum est) Ecclesiæ nostræ omnimodis manet contraria. Unde generaliter agnoscat omnis Ecclesia sanctorum, quia nec nostra fuit conscientia, nec jussio, nec voluntas, super Photii subrogatione, vel Ignatii patriarchæ depositione: et super hujuscemodi prævaricationibus omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo verissime denuntiamus; quia post verissimam nostri examinis deliberationem, nec Photium recipimus, nec Ignatium patriarcham damnamus, nec jussimus, nec consensimus, nec ratam hujuscemodi ordinationem, vel indiscretam depositionem manere judicamus, neque firmam absque justæ definitionis libramine ullo modo consentiemus, nec Ignatium videlicet patriarcham inter depositos reputamus, neque reputabimus; sed nec Photium in episcopali ordine annumeramus nec annumerabimus.

Igitur, dilectissimi fratres, sanctitati vestræ, qui catholicas Alexandrinorum, Antiochenorum, vel Hierosolymorum gubernatis Ecclesias, seu cunctis orientalibus metropolitis atque episcopis, luce clarius expressiusque significamus, quoniam sedes apostolica nullo pacto venerabilem Ignatium patriarcham dignitatis propriæ privilegio nudari tam improvide patitur; sed magis repulso a sanctæ catholicæ et apostolicæ sacro Ecclesiæ viscere pervasore conjugis, ut ita dixerimus, viri viventis, scelestissimo videlicet Photio, sanctissimum patriarcham Ignatium in sui sacerdotii dignitate manere, sicut olim decreverit; iterum quoque canonico ac legali examine judicat et decernit. Et ut vos hujus sedis privilegium rite servantes, pati religione catholica, pari etiam nobiscum super venerabilis Ignatii

BROWER. *Annal. Trev.*, lib. VIII, n. 124. A cujus juramenti vinculo eos solvit Nicolaus pont. præsenti ad episcopos Galliæ directa decretali, quam Decreto suo inseruit Gratianus caus. 15, quæst 6, C. 2. Quanto autem eo tempore his in partibus in motu fuerint rapinæ et deprædationes, ex eo facile colligitur quod in conventu quem anno 860 Confluentiæ habuere reges Carolus Calvus et Ludovicus Germanicus fratres, eorumque nepos Lotharius, inter reliqua hæc sancita fuerint: « Volumus, ut ecclesiæ et casæ Dei, ut episcopi et Dei homines, clerici et monachi, et nonnæ, tale mandiburdium et honorem habeant sicut tempore nostrorum antecessorum habuerunt... Sed de istis rapinis et deprædationibus, quas jam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ad hoc die et deinceps de Dei banno et nostro bannimus, ut nemo hoc amplius præsumat: sed unusquisque inter patriam cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistat, et in hostem, et ad placitum, sed ad curtem veniens de suo Sicwarintus, et de domo sua moveat, ut cum pace venire, et nobiscum stare, et ad domum suam redire possit. »

patriarchæ sacerdotii recuperatione, et Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, apostolica auctoritate vobis injungimus atque jubemus. Et ut hujus præsulatus nostri paginam in cunctis parochiis vestris ad omnium faciatis notitiam pervenire, atque de hac re juxta apostolicæ sedis definitionem prædicare curetis aliis, ipsisque similiter incommutabiliter teneatis paterno more præcipimus. Quid præterea, fratres charissimi, et filii dilectissimi, eidem imperatori Græcorum, et universæ generaliter sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ super hujuscemodi prævaricationibus, et de his, pro quibus nuper illas in partes nostros cum apostolicis epistolis direxeramus missos (sicut omnibus vobis manifestum est) respondendo nostri apostolatus remandat auctoritas, omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo in subsequentibus relegi jubemus. Data mense Martio die 18, indict. x.

XII.

AD PHOTIUM.

(Anno 862.)

Diluit argumenta Photii, qui exemplo Ambrosii, Nectarii et Tarasii se merito ex laicorum gradu ad episcopalem dignitatem pervenisse affirmabat, eumque tum quod laicus esset, tum quod Ignatius adhuc viveret, injuste ad eum dignitatis gradum conscendisse demonstrat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, prudentissimo viro PHOTIO.

Postquam beato Petro principi apostolorum Dominus, ac Redemptor noster Jesus Christus ex utero Virginis pro nostra redemptione, ut erat verus Deus ante sæcula, verus homo in fine sæculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in cœlo et in terra potestatem tribuit, et januas regni cœlestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis : *Amen dico tibi, tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Ad quam promissionem sanctæ apostolicæ institutionis cæmento cœperunt hujus fundamenta ex pretiosis succrescere lapidibus et, annuente divina clementia, per studium structorum, et apostolicæ auctoritatis sollicitudinem usque ad culmen insolubiliter perducta perpetualiter mansura sine sinistræ auræ impulsu consistere : cujus primatum (sicut omnibus orthodoxis manifestum est viris, et ut in superioribus præmodicum declaratum est) beatus Petrus princeps apostolorum, et janitor regni cœlestis merito promeruit. Post quem et hujus vicarii sincerissime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, quæ recto ab itinere impedire assolent, dignius perceperunt, et in cura regiminis quam pro dominicis ovibus susceperant, sollicite permanserunt. Inter quos et nostram parvitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignatus est : pro quibus tantum consistimus pavidi, quantum consideramus in æterno examine pro omnibus et præ omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia universitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium est ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt, et gratia Dei redempti exorant : oportet nos quibus commissa est, sollicitos esse, et ad speculationem Dominici gregis tantum ferventius anhelare, quantum hunc avidi [*edit. Rom.*, avidi lupi] ad dilaniandum hinc inde patenti ore [patentia ora] exquirunt : quod et audiendo cognoscimus, et experiendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia, aut tumentes marinos fluctus, nequimus visitare præsentiam : saltem series apicum quasi viva voce declarent, ut nec a nobis silentii exquiratur culpa, nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas : quia et illud a nobis cavendum est, quod per Prophetam dicitur : *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LIX). Nam et Apostolus ait : *Insta opportune, importune* (*II Tim.* IV). Constat enim sanctam Romanam Ecclesiam per beatum Petrum principem apostolorum, qui Dominico ore primatum ecclesiarum suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse, et ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis utilitatibus, et ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas, sanctorumque Patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere, ac sectari. Et ideo consequens est ut, quod ab hujus sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur. Nam in hoc quo noster apostolatus vestram prudentiam commonuit, quia ex laicali ordine sine canonica approbatione ad patriarchatus dignitem subito transcendere contra Patrum promulgationes non recusastis, sed temere atque impudenter ad tanti honoris culmen accedere præsumpsistis, assumentes vobis quasi a sanctissimo viro Nectario occasionem, quem sancta secunda synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere, atque ordinare ex laicali ordine voluit dignitatem, nisi quia magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in sancta Constantinopolitana Ecclesia, nullus clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæresos nimbosa caligine non fuerit impeditus : et ob hoc ne diu jam dicta Ecclesia sub destitutione pastoris quasi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem hæreticorum, et defensorem, atque gubernatorem ecclesiarum ad ecclesiasticam curam et dignitatem sacerdotalem jam dicta secunda synodus elegit; sed ut hoc iterum fieret non confirmavit, neque sanxit, aut instituit. Et ideo licet contra Patrum, atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est; sed

ne iterum talis preveniat necessitas, magis magisque cavendum : quia omne quod ab aliis reprehendi poterit, convenientius ac decentius videtur existere, si antequam fomes reprehensionis accrescat, emendationis cura succedat [*pro*,, succidat, *H*.].

De Tarasii siquidem promotione, qui similiter ex laicali cœtu ad patriarchatus extemplo culmen promotus est, quam et vos quasi in auctoritatem vestræ defensionis assumere vultis, si sanctam, quæ apud vos tempore sanctissimi viri domini [domni] Adriani papæ celebrata est, synodum diligentius scrutati fueritis, atque attentius intenderitis, invenietis quid in ea idem sanctissimus vir consultus decreverit; et quod, dum ejus consecrationis reprehenderet actus, et mœrorem se pro tam præsumptiva factione nimirum [nimium] sustinere profiteretur. Dicit enim : Quod nisi in erigendis imaginibus ferventius contra illarum depositores, atque conculcatores, ut verus miles Christi resisteres, nequaquam vestræ consecrationi assensum præberemus, aut in ordine patriarchatus vestram dilectionem susciperemus : quæ tantum declaratur inordinate promota, quantum comprobatur contra apostolica decreta enormiter præsumpta. Beatissimum quoque Ambrosium [*de S. Ambr. Paul. in ejus Vita*], clarissimam et splendidissimam lucernam Ecclesiæ, qui ex catechumeno, divino præsagio ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem, cur nobis pro vestro tutamine opponitis, et ad vestram illicitam promotionem antefertis? qui non instinctu hominum, sed divina vocatione, per miraculorum prodigia electus est! Nam cum in infantiæ cunis sub nutricis cura dormiens sollicite verteretur, aperto ecce ore examen apum subito adfuit, quod faciem ejus, et ora complevit, ita ut ingrediendi [ingrediendi, atque egrediendi] vices frequentarent. Quod pater cum matre, vel filia deambulans, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibebat. Sollicita enim erat, ne infanti nocerent; exspectabant tamen patrio affectu quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ post aliquandiu volitantes in tantam aeris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime viderentur; quo facto territus pater ait : Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.

Post hæc vero adultus puer liberalibus artibus imbutus Mediolanum perrexit, ubi Auxentius Arianorum episcopus cathedram non regendam sed dilaniandam tenebat episcopalem. Quo defuncto, dum ad electionem episcopi popularis fieret in Ecclesia conglobatio, ecce quidam infans acclamabat, dicens Ambrosium episcopum : ad quam vocem et omnis illa conventio similiter acclamabat Ambrosium episcopum. Quod non humanis id fieri credendum est voluntatibus, sed divinis, ad salvationem et ereptionem fidelium de adversarii nostri faucibus, qui tanquam leo rugiens, quærit quem devoret (*II Petr*. v), inspirationibus. Qui dum se multis ac variis voluisset occultare argumentis, et a tanto honore delite-

A scere, tandem superatus ad sacerdotalem ab omni populo et clero divinitus est dignitatem electus, et a catechumeno per singulos gradus ecclesiasticos proficiscens [*melius* proficiens, *H*.], octavo die ab omni catholicorum, divina annuente clementia, consensu est consecratus episcopus. Attendat igitur prudentiæ vestræ dilectio, et intimo cordis prospiciat oculo, si debentur ea, quæ per miraculorum signa fidelibus proveniunt, his æquari, quæ proprio tantum libitu ad dignitatis gloriam percipiendam peraguntur : et sic ad auctoritatis vestræ excusationem præfatos assumite viros. Ecce propter necessitatem et inopiam clericorum Nectarius; ecce propter ecclesiastica dogmata, et hæreticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines præsumpserunt, Tarasius; ecce per miraculorum signa Ambrosius ad regendas B Ecclesias promoti sunt. De vobis autem, quibus perplures auctoritates conciliorum, atque decreta sanctissimorum pontificum resistunt, quid aliud est sentiendum, nisi inopinatam a vobis consuetudinem adolevisse credendum? Et secundum sanctorum Patrum sententiam non solum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam Constantinopolitanam Ecclesiam subito transvolastis, sed etiam quia vivente viro, et incolumi persistente (videlicet religiosissimo Ignatio patriarcha) cathedram illius (scilicet Constantinopolitanam Ecclesiam) ut mœchus subripuistis, et invadere præsumpsistis : postponentes illud, quod scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Matth*. VII) : et ideo vestræ consecrationi æquitatis libramina tenentes, C assensum præbere (quia enormiter et contra sanctorum Pstrum institutiones peracta est) minime præsumimus. Quod vero dicitis neque Sardicense concilium, neque decretalia vos habere sanctorum pontificum, vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur : maxime cum Sardicense concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, et omnis Ecclesia recipit, qua ratione convenerat, ut hoc sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret, et, ut dignum est, non retineret?

Decretalia autem, quæ a sanctis pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cujus auctoritate, atque sanctione omnes synodi, et sancta concilia roborentur, et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis? nisi quia vestræ D ordinationi contradicunt, et ex laico subito ad culmen patriarchatus transvolare resistunt? contra illud apostolicum : *Nemini cito manum imposueris* (*I Tim*. v). Quod si ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si habetis, et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi. Quod violenter vos ad sacerdotalem dignitatem promotos asseveratis atque protestamini, vestræ consecrationis tempore non ita esse declaratur. Qui postquam in patriarchatus throno stabiliti estis, non ut pater in filiis blandus, sed ut immitem in depositione archiepiscoporum et episcoporum per severitatem vos demonstrastis, et in damnatione innocentis Ignatii,

quem vos ut depositum habetis, immoderate exarsistis : in cujus depositione, nisi prius veracissime illius cognoverimus transgressionem, vel culpam, inter depositos illum non numeramus neque damnamus, quia valde cavendum est ne sine causa innocens damnetur ; et sicut illum in pristino honore mansurum, si ei damnationis crimina non comprobantur, sancta Romana retinet Ecclesia, sic vos, qui incaute et contra paternas traditiones promoti estis, in patriarchatus ordine non recipit ; et neque ante justam damnationem Ignatii patriarchæ in ordine sacerdotali vobis [*forte*, vos, *H.*] manere consentit. Quod non ideo vestra arbitretur dilectio contra vos invidiæ causa, aut exosos vos habendo id agere, atque incongrue contra vestram ordinationem exardescere ; sed ducti zelo paternæ traditionis volentes sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam, quæ pro sui stabilitate atque firmitate censura sanctorum Patrum ad hanc sanctam Romanam Ecclesiam solito more percurrit, sine macula, sine reprehensione, aut aliqua transgressione illæsam consistere, et ea, quæ ecclesiasticis regulis obviant, resecare : et maxime hoc, quod omni auctoritate canonice [canonica] revincitur, et tali consecrationi contraitur, quod jam per longam consuetudinem quasi regulariter actum defenditis, omnimodis amputare. A qua (quia vos sicut nos diligimus) per increpationem paterni affectus providentiam vestram procul dubio volumus revocare, imitantes Apostolum dicentem : *Filium quem diligit pater, flagellando castigat et corripit* (*Hebr.* XII.)

De consuetudinibus quidem, quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil judicamus, vel eis resistimus : tamen cavere volumus ne hæc vestra consuetudo quæ omnium sanctorum Patrum promulgatione convincitur, ut ex laico non subito ordinetur episcopus, vires accipiat ; aut in vestra ecclesia magis pullulet, operam dare minime cessamus. Quam etiam nostra apostolica tantum abigit censura, quantum hanc temere recognoscit præsumptam.

De missis siquidem nostris, quos petitos in servitio beati Petri principis apostolorum pro utilitate sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ contra depositores imaginum, vel alias necessitates ingruentes, necnon et pro causa solummodo depositionis sæpefati viri Ignatii inquirenda, illas in partes direximus, silendum non est : qui cum eis, sicut dicunt per centum dierum spatia, omnium, nisi suorum alloquendi facultas fuisset denegata, ut apostolicæ sedis missi non digne suscepti sunt, atque, ut decuerat, retenti. Quod non pro alia gestum putamus re, nisi ut inquirendi locum de depositione præfati viri non invenirent ; quia ceu in apostolica nostra insertum fuit epistola, quæ nescimus cujus illusione (sicut in synodo a vobis missa reperimus) fraudata exstitit, non illius promotionem, aut ingressionem, sed tantummodo depositionis exitum per nostros audire, vel cognoscere, sicut nunc volumus, missos volebamus ; quibus secundum horum relationem longa exsilia, et diuturnas pediculorum comestiones si in tali intentione persisterent, quibusdam nuntiantibus, quod illis a nobis injunctum fuit clam vobis cum sequacibus vestris resistentibus perficere minime potuerunt, aut depositionem jam dicti Ignatii utrum justa an injusta fuerit, invenire valuerunt. Qua cognita secundum sui modum canonica atque apostolica in eo censura extenderetur. Data mense Martio, die 18, indict. x.

XIII.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 862.)

Hanc epistolam per Leonem a secretis, imperialem videlicet legatum, post reversionem missorum apostolicorum imperatori Michaeli direxit [edit Rom. *direximus*] *cum epistola ad Photium. Improbat depositionem Ignatii et promotionem Photii a legatis temere approbatam. Affert multa pro Ignatio et contra Photium, cujus electionem cum Nectarii et Ambrosii promotione, aut concilium in quo Ignatius fuerat damnatus, cum Nicæno conferendum non esse demonstrat. Monet imperatorem, ut Ecclesiæ perturbatores compescat. Epistolam suam depravatam fuisse queritur.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, piissimo et gloriosissimo filio MICHAELI magno imperatori.

Serenisssimi imperii vestri gloria, quæ super orthodoxæ fidei intregritatem firmata constare cernitur, dum aliqua in sancta Constantinopolitana Ecclesia, quæ sub vestræ defensionis tutamine consistere videtur, inconvenientia provenerint, hanc sanctam catholicam et apostolicam, caput omnium ecclesiarum, Romanam scilicet Ecclesiam, quæ semper sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur, consulere decrevit. Et ejus consultu [*forte*, Et si ejus, *H.*], quæ ecclesiasticis conveniunt negotiis, agere curaverit, procul dubio quæ agenda, aut abigenda fuerint, irretractabiliter cuncta disponere, ordinare atque definire poterit. Quod vos fecisse in epistolis nuper ad hanc sedem missis recolimus : pro quibus etiam et nostros, secundum vestram petitionem illas in partes pro quibusdam præsumptionibus, quibus vestram asserebatis fatigari Ecclesiam, seu ob dissensiones, quæ propter religiosum virum Ignatium patriarcham, et Photium emerserant, subtiliter investigandis et nobis renuntiandis missos direximus. Sed cum ad nos reversi fuissent, nihil nobis, ut illis et in nostris institueramus, de reverendissimo viro Ignatio renuntiaverunt apicibus ; sed verbis tantum, quæ de eo contra nostræ voluntatis peracta sunt observantiam, retulerunt. Post aliquot tamen dierum [*deest* spatium, *H.*] vestrarum partium prudens et fidelis legatus, nomine Leo, a secretis, apostolatui nostro imperialem cum actis apud vos gestis detulit epistolam, quam legi jubentes, cognovimus de memorati viri Ignatii patriarchæ negotio, contra præceptum nostrum improvide illatam sententiam, et nihil

omnino nostris jussionibus saltem similem,sed magis contrarie perpetratam [*rectius*, simile,et perpetratum,*H.*]. Etenim,quia dudum in epistolis vestris quas tenemus præ manibus, illum multis accusationibus affirmabatis obnoxium,ob idque hunc ejectum, Photium elegisse [*pro* electum fuisse, *H.*],necessario nostræ sedis legatos apostolica auctoritate fultos de pluribus prædicti viri Ignatii patriarchæ criminibus intentatis indagandum,et nobis renuntiandum direximus, suspendentes videlicet sententiam expulsionis reverentissimi viri Ignatii, vel Photii receptionis,non in legatorum nostrorum,sed specialiter in nostro examine.Atquia nunc Photium retinentes,prudentissimum virum Ignatium patriarcham absque nostri apostolatus ejecistis judicio, nosse vos omnimodis volumus,nullatenus nos Photium recipere, vel Ignatium patriarcham damnare. Denique considerare libet quid sibi vult hoc, quod per duodecim fere jam annos regiæ urbis vestræ innocue sacerdotium agere,et sanctis virtutibus pudicitiæ, castitatisque florere dictum Ignatium, non solum ipsi per vestras innotuistis epistolas, velut etiam synodicis vocibus ejus sub tempore habitis, magnis honoribus epistolæ vestræ fatentur, quas præ manibus tenemus, laudastis jugiter et extulistis, minime eum ad apostolicam sedem invasoris, vel alicujus criminis opinione notantes,nunc invide damnatis. Quod utique indiscretissimum factum sanctæ nostræ generaliter Ecclesiæ,nostroque apostolatui, ac sanctorum Patrum priscæ definitioni omnimodis exstat inconveniens.

Nos quidem de nobilissimo viro Ignatio patriarcha non tantum hæc, verum et illud comperimus, quod non solum genere claruit, verum etiam a primævo suæ ætatis per singulos ecclesiasticæ gradus ascendens ex monastica vita,omni ecclesiastico cœtu consentiente (sicut in apibus, quos sanctissimo Leoni præsuli prædecessori nostro destinaveratis, comperimus) episcopatus culmen promeruit.Photium autem novimus per nullos ecclesiasticos gradus ascendentem, sed tantummodo ex laicali militia episcopum pertinaciter ordinatum.Quamobrem necessario in sententia nostra qua stetimus,persistimus,et neque venerabilem Ignatium patriarcham in aliquo damnatum, neque Photium modo quolibet suscipimus.Verum,quia omnibus accusationibus remotis, quibus strenuum virum Ignatium patriarcham ad apostolicam sedem asserebatis notabilem,unum opponentes tantummodo,qnod potentia sæculari sedem pervaserit,vestro speciali deposuistis, damnastis et expulistis arbitrio, Photium [et Photium] ex laicali agmine improvide in ejus loco subrogastis episcopum,æquanimiter ferre omnino non possumus,maxime cum horum duorum negotium investigari, et nobis renuntiari,non definiri,mandaverimus. Quapropter,ut diximus,nullo modo prudentis viri Ignatii patriarchæ depositioni, vel Photii subrogationi assensum præbemus, quousque veritas omni falsitatis fuco nudata in præsentia nostra educat. Quia A consuetudinem vestram novimus in regia urbe minime apicem archieraticæ potestatis aliquem posse habere sine ecclesiasticæ plebis consensu,atque imperiali suffragio, et ob id Ignatium patriarcham damnare nolumus, nec debemus.

Præterea Photii, quem ex militia subito ad tanti culmen regiminis consecratis, ordinationem ratam haberi decernitis, eo quod Nectarius non solum ex laico habitu,verum etiam ex pagano sancta synodo secunda ordinante meruerit fieri [episcopus fieri]: qui tamen Nectarius veræ religionis catholicus, nullius depositionis catholici conscius sedis gubernacula sine scandalo,sine vi,siue omni schismate suscepit: quem Spiritus sancti auxilio,et talento sibi credito, hæreticorum perfidiis restitisse, eorumque dogma, quod jam ex longo tempore pullulaverat,et plurimos B sui contagione infecera, destruxisse, ipsi recolitis: et idcirco bene et optime sanctæ secundæ synodo apostolicæ sedis auctoritate fultæ ita de Nectario placuisse testamur (*de Nect.* Theod. *l.*v *Hist. eccles.c*, 8).

Sed beatus nihilominus fulgidissimus doctor Ambrosius (*de S. Ambr.* Paul. *in ejus Vita*), quem similiter ex militia et catechumeno asseveratis episcopum cum divinitus per miraculorum signa ab ipsis cunabulis usque ad consecrationis suæ tempus fuisset evocatus,et ad regimen a dissidentibus populis subito in unam sui concordiam provocatis, compelleretur ecclesiasticum suscipiendum,minime seditioni, vel schismati studuit; quin potius eas, quas reperit, semetipsum non ultro, sed coacte populo offerens, repulit et removit. Neque damna- C tionem molitus est alicujus,quam nunquam omnino ob sui culminis consentiret incrementum sed coactus atque compulsus,votis eorum consentiens, ecclesiasticarum regularum normam toto vitæ suæ tempore custodivit, omnes hæreses debellans verbi Dei telo succinctus,pro quo æque hæc sancta Romana Ecclesia eos rite suscepit. Ideoque hoc tempus necessitas probe suscepit, quia contra canonum privilegium sibi concessum nihil novit temere perpetratum.Vos autem non ita horum illustrium virorum comparationem perpendistis,ubi sæpe dictum virum Ignatium patriarcham juste a vobis ordinatum,injuste de patriarchatu ejicientes,Photium subito ex laicali militia in episcopali dignitate elevastis, et ob id nihil valere patimur: quia sanctæ Romanæ D Ecclesiæ nunquam exstitit mos improvide vel injuste unum ejicere, et alterum subrogare; sed magis studuit æqua lance omnium librare et juste definire negotia. Igitur, quia ad Nicæni venerandi cœtum concilii vestrum,qui in depositione Ignatii patriarchæ affuistis totidem numeri fere dicitis,miramur. Et quid prodesse consideramus ejusdem numeri collegium præesse,ubi ipsius sententiæ prævaricantur,cujus et numerus [*rectius* nnmerum, *H.*] imitatur? Quod non laude magis quam reprehensione ducimus dignum, quia omnino magis peccatis est cumulus, ubi multipliciter fuerit agmen prævaricatorum.Nos quidem non numerosum tantum sancto-

rum episcoporum collegium Nicæni et Chalcedonensis conciliorum,cæterorumque sanctorum Patrum synodicas constitutiones sequimur,sed eorum liberales veneramur justas divinitus inspiratas sententias ; et non tantum pro suorum multitudine observantur a nobis, quia revera multi in personis fuere, sed in validissimis sententiis eos perpendimus plures

Quod autem asseveratis fatos fuisse legatos nostros post damnationem religiosissimi viri Ignatii patriarchæ, omnis ejus consecratio [*pro* omnem ejus consecrationem, H.) debere cassari, damnat atque evelli; absit, ut hoc fieri patiamur : ut quia neque [*rectius* ut qui neque, *H.*) Ignatium patriarcham damnamus, neque Photium mœchum suscipimus, qui sedem viventis viri et pudice servantis [*forte* conservantis,*H.*],temere sibi usurpare præsumpsit, B atque, ut ita dicamus,quia [*forte delenda vox* quia, *H.*]contra ordinem in ea conversari non erubescens, Ecclesiæ vestræ scandala multiplicari consentiamus. Quin potius, serenissime fili Auguste, dilectionem vestram monemus,suademus, atque apostolica auctoritate denuntiamus,ut tandem aliquando resistatis illis qui pro libitu suæ voluntatis contra Constantinopolitanæ Ecclesiæ se præsulem erigentes sine examinatione canonica ignorantibus nobis crebro deponentes,alterum inopinate consecrare nituntur. Unde hæc discussio in orientalibus vestris Ecclesiis, heu! plurimum agitatur; sed magis studeatis, quando aliqua emerserint, unde schisma possit oboriri, nostræ Ecclesiæ consultu peragere : quatenus sicut jam facto pro sanctis imaginibus novimus, quod juste deliberatum est,maneat apostolicæ sedis C auctoritate firmatum. Quod autem tantummodo æmulatione voluntatis, contra canonicas vel synodicas censuras, inconsulta Romana Ecclesia,perpetrari conatur,vestræ religionis brachio arceatur,ne videlicet sanctæ Dei Ecclesiæ,ac regiæ urbi gloria vestra,quod absit,sub tempore in aliquo minuatur.

Liceat ergo sanctam Ecclesiam, quam Christus sacro suo sanguine a servitute corruptionis redemit, orthodoxam fidem servantem vestro certamine manere ab omni inquietudine infestatorum tranquillam atque pacatam. Denique Ecclesiæ Constantinopolitanæ hortamur statum,ut tales alere omni religione eruditos studeat viros, qui ad honorem cardinis ipsius sanctæ Ecclesiæ suis præsulibus mortuis vel quolibet casu amodo discedentibus valeant subrogari : quod non solum in tanto patriarchatu observari D omnino debet, verum etiam in singulis quibusque civitatibus ex consuetudine canonica magna cum cautela servatur et custoditur. Sed et hoc vestræ clementiæ intimare curavimus,quia sicut in vestris actis apostolicæ sedi et nostro pontificio directis insertum invenitur,nescimus cujus fraude vel dolositate epistola nostra ad vos directa fraudata est. Et non solum quia in vestra præsentia secundum illius textum vel ordinem relecta non est,sed plura A excerpta,quibus intellectus ipsius epistolæ continebatur, aliud pro alio, ignoramus, quis temerarius coram vestra imperiali conspectu legendo percurrere vel interpretari præsumpsit, quam si coram vestræ majestatis præsentia scrutari jusseritis, in aliquibus eam mutatam atque fraudatam locis reperietis.

Nos autem volentes, clementissime triumphator, excellentiam vestram ab omni labefactionis crimine illæsam consistere, et per diuturna tempora tranquillissima imperii vestri sublimitatem in Dei sincerissime manere servitio, ut spiritalis pater spiritalem filium commonentes, et ea, quæ Deo placabilia sunt apostolicis adhortationibus adimplenda commonentes : et sicut vestri soliti sunt prædecessores, qui in culmine imperiali consistebant, hanc sanctam Romanam Ecclesiam pleno devotionis venerari affectu, ita et vos apostolicis perficere oraculis obsecramus, quia ea quæ in præsenti negotio ecclesiasticis procuravimus sancire institutionibus, non invidiæ causa, vel aliqua dolositate peregimus, sed volentes vestram imperialem dignitatem, et sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam illæsam servare, et ab omni reprehensione, ducti ferventissimo zelo charitatis custodire, sicut in epistolæ serie ad vos missæ reperitur, Deum timentes ordinare decrevimus, et cuncta observanda præoptamus.

Omnipotens autem Deus,qui vos ad reprimendas multarum gentium feritates in imperiali culmine eligere dignatus est; piissimum imperium vestrum ad statum et defensionem sanctæ suæ Ecclesiæ per multa annorum conservet curricula, et sospite vita semper vos ea, quæ illi sunt placita, vobis velle concedat : quatenus ut in præsenti vobis sæculo feliciter imperandi potestatem tribuit,in futuro pro bonis actibus, et justitiæ observantia, quæ sub vestro libramine ponderari debetur,præmia æternæ felicitatis habere permittat. Data mense Mart. die 19, indict. IX.

XIV.

SUPPLEMENTUM CONCILII ROMANI ANNI DCCCLXII.

[Apud Mansi, *ibid.*]

I. — *De Joanne archiepiscopo Ravennate.*

Joannem archiepiscopum Ravennatem,quem pro quibusdam necessitatibus ecclesiasticis et diversis præsumptionibus ad synodum convocavimus ;et quia a Nandeciso (*a*) Polensi episcopo nostro præsulatui contra eum libello porrecto,pessimo hæreseos errore irretitus dicitur, et viva voce profertur, venire distulit atque contempsit,et pro illato crimine purificare se noluit; secundum sanctionem decimi noni capituli Cathaginensis concilii, sacrarum missarum solemniis,corpore etiam et sanguine Domini nostri Jesu Christi separamus, atque in præsenti synodo excommunicamus, usque dum in nostra præsentia veniens hic Romæ purificationis ipsius videamus

(*a*) Ignotus fuit episcopus iste Ughellio,ac proinde in Italia sacra adjungendus catalogo Polensium episcoporum.

integritatem. Si qui vero lli communicare præsumpserint pari subjaceant excommunicatione constricti.

II.— *Quia Dominus Jesus Christus carne tantummodo passus est.*

Veraciter quidem credendum est, et omnimodis profitendum, quia Dominus noster Jesus Christus Deus et Dei Filius passionem crucis tantummodo secundum carnem sustinuit, deitate autem impassibilis mansit, ut apostolica docet auctoritas, et sanctorum Patrum luculentissime doctrina ostendit.

III. — *De his qui divinitatem passibilem dicunt.*

Hi autem qui aiunt quia Redemptor noster Jesus Christus et Dei Filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit, quoniam impium est et catholicis mentibus exsecrabile, anathema sint.

IV. — *De his qui dicunt quia in baptismate originale piaculum non omnibus dimittatur.*

Omnibus enim qui dicunt quod hi qui sacrosancti fonte baptismatis, credentes in Patrem, et Filium, Sanctumque Spiritum, renascuntur, non æqualiter originali abluantur delicto, anathema sit.

V. — *Statuta concilii beatissimi Leonis IV papæ inviolata permaneant.*

Omnis enim qui a præsenti statuto concilio sacra statuta venerandi concilii beatissimi Leonis(*a*)prædecessoris nostri IV præsulis violare tentaverit,ut post discessum beatæ memoriæ sanctissimi Benedicti pontificis antecessoris nostri actum recolimus,anathematis vinculo innodamus.

VI· — *Ut electionem Romani pontificis nullus contradicere præsumat,*

Si quis sacerdotibus(*b*),seu primatibus,nobilibus, seu cuncto clero ejus sanctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani pontificis contradicere præsumpserit, sicut in concilio beatissimi Stephani(*c*)papæ statutum est, anathema sit.

VII.—*De his qui episcopum percutere præsumpserint.*

De his autem qui episcopum percutere,verberare aut cædere præsumpserint, ut anathematis subjaceant periculo, sancimus, et inviolabili promulgatione statuimus.

A

XV.

EPISTOLA NICOLAI AD ADONEM ARCHIEP. VIENN.

(Anno 862.)

Pallium novo archiepiscopo mittit, ad quem Acta synodi a se Romæ celebrati transmittit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo Adoni Viennensi confratri nostro archiepiscopo.

Sanctioni et institutioni canonicæ obtemperantes, vestræ dilectionis apices destinare curastis; quibus cordi apostolico lætitiam dedimus,licet eisdem perlectis, mærore affecti fuerimus, eo quod quatuor synodos observantes, quintam,et sextam prætermiseritis. Nam in petitione pallii vobis annuimus.Verumtamen istiusmodi occasione nacta,non fuerat po- B stulatio vestra implenda, nisi recensita intentione directæ scripturæ cognovissemus vos per omnia tenere velle quod sancta dogmatizat Ecclesia.Ideoque volumus,pariterque sanctitatem vestram rogamus,ut sub omni celeritate dirigatis qualiter vos de ipsis quinta et sexta synodis sentiatis. Gratia sancti Spiritus adhortante atque adjuvante, in mense Martio pro diversis Ecclesiæ utilitatibus synodum Romæ celebravimus.Ubi etiam quædam capitula statuimus, ipsaque vestræ sanctitati custodienda,seu confratribus vestris archiepiscopis per vos transmittenda direximus, et suffraganeis vestris, ut hoc instruatis, observare hortamur.

XVI.

AD EUMDEM.

(Anno 862.)

C *De divortio inter Lotharium regem et uxorem ejus Theutbergam, satisfaciens consultis Adonis.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni archiepiscopo.

Quia sanctitatis vestræ pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ ferventius invigilare constantiam cernimus, et contra delinquentium, imo prævaricatorum et sanctarum legum violatorum, mores et actus per zelum rectitudinis vos erectos consideramus,omnipotenti Deo gratias agimus,et vestram sanctitatem, ut in talibus illo adjuvante proficiat,ea auctoritate, quæ nobis per beatum Petrum principem aposto-

(*a*)Cujus concilium ab Holstenio editum rursus in suam Collectionem intulit Labbeus tom. IV.

(*b*) Ad quos eo tempore spectaret electio Romani pontificis, animadverte.

(*c*) Gratianus c.8, dist. 33, decretum Stephani IV papæ, quem alii quintum appellant, refert, ubi statuitur quæ ratio adhibenda in posterum foret in electione Romani pontificis. Atqui Baronius, Binius, Papebrochius, Natalis Alexander,aliique catholici, figmentum hoc et imposturam putarunt hominum impense faventium auctoritati imperatorum, quo tempore fervebant bella inter sacerdotium et imperium. Contra Pagius in Crit. Baron. ad an. 897 germanum fetum esse decretum illud contendit,non quidem Stephani IV,qui anno 817 vivere desiit,sed Stephani V appellati VI, qui anno 896 papa electus est.Verum Acta concilii Romani nunc mihi evulganda famosam hujusmodi controversiam dirimere D posse videntur.En ut Nicolaus I,de electione Romani pontificis agens, ac turbas in ea exoriri solitas eliminare cupiens,confirmat et observandum decernit quidquid in conciliis beatissimi Stephani papæ statutum est.Ergo decretum Stephani,procul dubio IV, eam in rem præcesserat. Hoc autem vix aliud esse potuerit quam quod Gratiano laudatur; cui tamen si velis aliquid superadditum a subsecutis pontificibus non repugnabo.In concilio quoque Romano, habito sub Lamberto imperatore, atque adeo anno 904,ut putavit Baronius, et post eum Labbeus tom. IX Conc., sed quidem anno 898, roboratur *antiqua consuetudo* observata in electione pontificis. Si *antiqua* tunc erat *consuetudo*, ergo ad tempora usque Stephani IV papæ illius initia non immerito deducantur.

rum concessa est, modis omnibus commonemus, et quantum illos, sicut in vestris nobis innotuisis litteris, prave atque incaute agere conspicitis, tantum illius, freti auxilio divinæ legis, per sacerdotalem et pontificalem auctoritatem, nullius personæ habendo acceptionem, et prædicationis verbo nova et vetera proponendo, ne sanguis eorum de manibus vestris requiratur, hortamur resistatis. Forsitan benignissima ac largiflua omnipotentis Dei clementia a proprio libitu eos revocare dignabitur, et infra gremium Dominici gregis vestro studio atque labore recepti. de lucratione fraterna mercedis lucrum recipere mereamini : quia ecce instat tempus, ut ascendatis ex adverso, et opponatis vos pro domo Israel murum, et stetis in prælio in die Domini. *Et post alia.* De capitulis, quibus nos vestra beatitudo consulere studuit ita rescribere nostra apostolica sollicitudo curavit secundum Patrum sanctiones.

1. Requiritis enim, si dimissa uxore, quam legtime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis synodi, liceat ei aut aliam accipers contra auctoritatem evangelicam, aut, illa superstite, pro uxore concubinam habere. Quibus nos apostolica auctoritate fulti secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus, et nec aliæ uxoris copulam eis qui talia agunt, dimissa superstite, habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus.

2. De eo, si desponsata nesciente sponso corrumpatur, et postmodum dote facta maritali more cum eadem idem sponsus jacuerit; si postmodum intercepto [*edit. Rom.*, interjecto *utrinque*] tempore liceat ei ipsam, quasi prius ab alio corruptam, dimittere, et sic aliam ducere, quasi ista non fuerit uxor, aut concubinam pro ea tenere. Nec hoc consentimus, ut hi qui legitimo nuptiarum fœdere conjunguntur, et unum corpus per aliquod temporis spatium efficiuntur, divortium faciant. Sed quod prius initio conjunctionis corruptæ percipiendo voluntarie tacuerunt, postmodum intercepto tempore sustinendo, et si non voluntarie, inviti custodiant, etiam a concubinis omnimodo se abstineant.

3. Si hi qui sacras res ecclesiis datas, et a fidelibus oblatas, quasi a principibus sibi indultas invadunt, vastant, diripiunt, retinere præsumunt, auctoritate episcopali excommunicandi et anathematizandi sint. De his quidem rebus, quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur [*edit.*, *Rom. addit* atque diripiuntur] sancimus, ut prius consulto principe, ad resecandam tam præsumptivam factionem, cognoscendum utrum illius sit concessio, an invasoris præsumptio. Quod si principis inordinata fuerit largitio, ipse sit princeps pro emendatione redarguendus : si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus. *Et post alia.* Joannem archiepiscopum Ravennatem sciatis paterne ab apostolica sede receptum, et de errore quo accusabatur, sacramento purgatum, ac ut Romanæ sedi dignam reverentiam exhibeat, tam ipse, quam successores ejus, super corpora sanctorum nobis juratum fore. Libellos quos mandastis nobis dirigendo, quando ad nos iterum miseritis, vestræ sanctitati dirigemus. *Et post alia.* Ut mala, quæ in regno Galliæ fiunt, zelo pietatis corrigantur, et per vos, et per alios confratres nostros, instantissime elaboretis exhortamur, ut fortissime in tot malis præparati resistatis.

XVII.

AD LOTHARIUM REGEM.

(Anno 852.)

Legatos ad synodum cogendam mittit, ad quam præcipit duos de Caroli regno episcopos accedere sicut de Ludovici patrui, et Caroli fratris ejus regno binos uloe convenire jusserat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, LOTHARIO regi (*a*) pro synodo).

Regalis excellentia vestra nuper apostolatui nostro direxit, ut pro perficienda synodo missos e latere nostro dirigere dignaremur: quod nos, et ante litterarum vestrarum preces, et postmodum facere desiderio ardenti cogitavimus. Sed quia multi sanctarum ecclesiarum Dei utilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter ut volebamus eos destinare nequivimus. Nunc autem, Domino nostro Jesu Christo favente, legatos sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, duos reverentissimos [*edit. Tom. addit.* et sanctissimos] episcopos, Rhadoaldum sanctæ Portuensis Ecclesiæ, et Joannem sanctæ Ficolensis [*edit. Rom.*, Fundensis] Ecclesiæ deliciosos nostros, quorum adventu atque præsentia Dei sacerdotum synodus congregetur, transmittimus sicut nostris vobis jampridem dreximus litteris, quibus magnitudini vestræ intimatum est, binos episcopos de regno Ludovici regis patri vestri, et Caroli regis fratris vestri, ad ipsam synodum convenire debere. Nunc autem volumus, atque litteris nostris directis jubemus, similiter duos de regno Caroli gloriosi regis patrui vestri ibidem sine aliqua ambiguitate adesse. Quas sane litteras nobilitati vestræ dirigentes, petimus ut eas ipsi Carolo regi de præsenti per vestrum fidelem hominem transmittatis : quatenus et duo regni ejus episcopi, ut diximus, ad præfatam synodum, quæ auxiliante Domino congreganda est, cum nostris pariter legatis valeant convenire. Quos sane apostolatus nostri legatos excellentia vestra digno honore suscipiat, et familiaritatis eis locum concedat, ut Domino auxiliante, cum ad nos fuerint reversi, digna nobis de parte vestra nuntiantes, maximas Deo gratias referre, et apostolicæ vos benedictionis munere ditare possimus, congaudentes sane in vestræ humilitatis devotione fideli. Dextera vos supernæ majestatis illæsos conservare per tempora longa dignetur. Data IX Kalendis Decembris, indictione XI.

(*a*) Sic reformavi hanc salutem ex edit. Rom.

XVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 862.)

Ut duo de ejus regno episcopi ad synodum Metis cogendam proficiscantur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, CAROLO glorioso regi [pro synodo].

Sedes hæc sancta atque præcipua, cui Dominici gregis est sollicitudo curaque commissa, in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salubri cuncta ordinare perficereque divino freta procurat auxilio, et quod singulari pro auctoritate perficere valet, multorum sæpe sacerdotum decernit definire consensu, et justitiæ censura ea scilicet emendanda deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commissa. Unde vestræ regali Deoque amabili excellentiæ notum esse volumus, quia ad futuram synodum, quæ Metis civitate Lotharii regis nepotis vestri pro (a) Teutberga sorore Hucberti clerici, et Waldrada congreganda est, duos de regno vestro episcopos, quos prudentes atque veraces vos esse cognoscitis convenire jubemus, qui una cum sanctæ sedis nostræ legatis, quos illuc Domino auxiliante nunc destinamus, et aliorum venerabilium episcoporum cœtu, qui ad eamdem synodum eonveniendi sunt, subtili cuncta indagatione, rectaque valde inquisitione, secundum Deum, et venerabiles sanctorum Patrum institutiones, examinare ac definire decertent. Nam et Ludovico glorioso regi, fratri vestro, simili modo litteras nostras direximus, duos regni sui episcopos ad ipsam synodum convocantes, quatenus in omnibus, quæ ibi statuenda sunt, rectitudo vigeat, justitia polleat, et falsitate fugata veritas splendeat : ut venerabili sacerdotum Dei certamine Christi Ecclesia ab omnibus inconcussa consistat adversis. Quos sane in veniendo episcopos, et ad jam dictam synodum jussione nostra volentes occurrere, vestra non retardet nobilitas ; sed pro Dei amore ipsos absque temporis protelatione ad præfatam synodum sinatis occurrere. Data non. Kalendas Decembri, indictione XI.

XIX.

AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Commendat legatos pro causa Lotharii fratris ejus in Franciam missos.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, LUDOVICO imperatori [pro synodo].

Augustæ serenitatis magnitudini vestræ, imperiali fulgenti decore, his apostolatus nostri litteris innotescimus, quia multis et quotidianis ecclesiarum Dei sollicitudinibus et utilitatibus, quibus nos vigilanter insistere decet, præpediti, missos nostros pro perficienda synodo, quam pro causa Lotharii gloriosi regis, fratris vestri, nostra apostolica fieri auctoritate A decrevimus, tam celeriter, ut inter nos statutum, est, in Franciam destinare nequimus. Et quoniam ecclesiasticæ rectitudinis et utilitatis zelo, quo nos semper fervere oportet, accensi, legatos nunc, sicut diximus, nostros duos venerabiles episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis Ecclesiæ, et Joannem sanctæ Ficolensis [*edit.*, *Rom.*, Fundensis] Ecclesiæ antistites, deliciosos nostros, illuc pro ejusdem rei qnam scitis negotio canonice definiendo direximus. Quos clementia vestra benigne suscipiat, eisque fidelem atque prudentem tribuat hominem, qui eos usque ad locum, quo a talibus suscipiantur hominibus, quorum comitatu ad prædictum regem Lotharium fratrem vestrum illæsi valeant pervenire, securos et quietos, omnique B suavitate deducat [*edit.*, *Rom. addit.* cognoscat præterea clementia vestra]. Quia pro communi Ecclesiæ pace atque consensu, duos episcopos de regno Caroli regis, patrui vestri, ad ipsam synodum, quæ Domino auxiliante in Metis civitate congreganda est, sedis apostolicæ missa vocatione convenire præcepimus : qui una cum missorum nostrorum præsentia, et aliorum sacerdotum Dei conventu, quod definire oportet, juste canoniceque decernant. Data IV Kalendas Decembres, indictione XI.

XX.

AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

(Anno 862.)

Ut ad synodum Metensem cum legatis accedant, ubique audito Lothario, ejus divortii causam cognoscant et canonice definiant.

C [Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis per Galliam et Germaniam constitutis [pro synodo].

Incognitum vobis esse non credimus, qualiter pro duadus feminis Lotharii regis, Ecclesiæ Dei facies illiciti connubii nævo aspersa sit, vel qualiter una repulsa idem rex alteram sibi sceleratissime copulaverit. Quarum prior Theutberga nomine, pro sui repudio acriter dolens, per emissam legationem super hoc negotio sedis nostræ expetivit judicium. Ex qua re unius partis causam sine altera judicare, canonicum fore minine duximus. Statuimus ergo fraternitatem vestram Metis collectam, pariter cum legatis nostris ejusdem Lotharii causam audire et D canonice communi sententia definire. Itaque juxta statutum nostrum, cum duos alias in partes fratres nostros destinaremus episcopos, accidit ad nostram notitiam pervenire, quod Lotharius, legitima et prima repulsa muliere, secundam sibi ascivit conjugem, neque sedis nostræ petitum ac promissum judicium exspectans neque canonico judicio uspiam succumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, nisi quia ubi plurimorum judicium prævenit, ibi suo judicio prævaricatorem se indicavit ? Et ideo universaliter hanc fraternitati vestræ apostolicæ au-

(a) De Theutberga et Waldrada vide Vitam S. Deicoli tom II. Actorum ord. Benedicti, pag. 114. HARD.

ctoritatis epistolam destinavimus, ut Christianæ religionis zelo accensi, pariter cum missis nostris Metim proficiscamini, illucque Lotharium convocantes audiatis,et in eum canonicum judicium proferatis. Quod si venire distulerit, et a præsentia se synodali præsentibus legatis nostris subduxerit, et ad pœnitentiam ac satisfactionem repedare minime curaverit, ita ut præsentialiter ad synodum coram missis nostris satisfacturus, et a scelere recessurus occurrat; illum de cætero excommunicatum reddemus, et quandiu in hoc permanserit, a totius Ecclesiæ consortio faciemus exsortem.

XXI.

AD EPISCOPOS IN CONCILIO METENSI RESIDENTES.

(Anno 862.)

Ut Theutbergæ causam examinent ac definiant, conciliique Acta ad se mittant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis archiepiscopis confratribus nostris, et episcopis in concilio residentibus quod Metis celebratur.

(*a*) Reverentiæ sacerdotali tunc debitus honor impenditur, cum eos in omnibus, quæ ab illis sub æquitatis libramine geri debent, trutinam misericordiæ cum lance rectitudinis tenere conspicimus, et tenendo nullius favore retenti, aut quorumcunque terroribus permoti, vel etiam numerosis pecuniis, aut honorum amplitudinibus a tramite justitiæ quoquomodo inclinati permutantur. Sed quantum eis erga proximos in discutiendo cura conceditur, tantum his sine personarum acceptione ad sui custodiam pavor cum zelo rectitudinis procul dubio adhiberi debet,ne immemores illius apostolicæ sententiæ videantur dicentis : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*I Cor.* III). Nam cum inter multarum ecclesiasticarum rerum, quæ ad salutem et fidei soliditatem populi Dei pertinere videntur, noster apostolicus animus causas extenderetur, de quarumdam feminarum controversia, Theutbergæ scilicet atque Waldradæ, admodum sicut quorumdam referentium, quia pastoralis nos cura ad audiendum commoverat,relatio intentos reddidit, et ne aliquo violentiæ morbo per desidiam grex fatigetur Dominicus, ad medelam recuperandæ sanitatis ardore charitatis ferventius invitavit. Prædicta quippe Theutberga multis vicibus sedem apostolicam lacrymosis litteris studuit appellare : in quibus affatu flebili puram se quo accusatur crimine,inquit,atque insontem. Ad quod negotium et judicii discretionem,sicut jam vestram fraternitatem nuper per apostolicos apices commonere decrevimus, apostolico vos hortamine adesse volumus, quatenus a pontificii nostri latere venientibus missis, synodicam illic celebrationem, apostolica fulti auctoritate, cum fraternitate vestra præsidentibus adunare debeatis, et una cum eis vigilantius, sine dolositatis macula, vel fomento invidiæ, aut odii nutrimento,quæ possunt homines a via veritatis pervertere, et a calle rectitudinis, proh dolor! declinare, semper Deum præ oculis habentes, personas principum, et terrores, qui ad tempus insurgunt, et in tempore finiuntur,contemnentes, quid in his justius, quidve veracius cum fatis missis nostris invenire valueritis, horum consensu definire et statuere procul dubio studeatis, caventes hoc quod per prophetam dicitur : *Væ his qui dicunt bonum malum, et malum bonum : qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras : qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce* (*Isa.* V). Nam et evangelica inter cætera,quæ nos ad bene vivendum instruit, sententia admonet dicens : *Nolite judicare secundum faciem,sed justum judicium judicate* (*Joan.* IX). Psalmista quoque ait : *Si vere utique justitiam loquimini, justa judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII). Igitur cum multa sint,quibus vestram fraternitatem, non oblivionis aut ignorantiæ causa de vobis judicantes, sed charitatis studium amplectentes, commonere possimus : hæc ideo sufficere credimus, quia ad plura vos et evangelicæ, atque apostolicæ, propheticæque lectionis dogmata in talibus memoria transcendere non dubitamus.Tantum est,ut cum æquitatis justitia in præsenti examinatione, sine aliquo dolo vel invidiæ macula,sicut præfati sumus, quia Deo præsente assistitis, proximorum causas, cum jam dictis missis nostris, ita juste et irreprehensibiliter cum Dei timore definire satagatis, ut illorum omnibus vestræque sanctitatis consensus atque judicium æquitate fulgere videatur. Nam si vos vel illos in aliquam partem, pro cujuscunque favore,a canonicis et sanctorum Patrum institutionibus,quod non optamus,declinare perspexerimus, arguere non dubitamus. Si vero aliarum ecclesiasticarum utilitatum in eodem concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas cum Dei timore definire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitionis ponere nequiveritis fortasse censuram, nostro eam judicio reservare sancimus.Statuimus autem,ut cuncta quæ in eodem concilio peracta fuerint ac definita, nostro præsulatui gestorum serie incunctanter significetis : ut si ea, justitiæ pulchritudine, probabilique sanctione definita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus : si vero injustitiæ,quod nolumus,et contrarietatis fuerint acta intentione,ea renovare summopere jubeamus. Missos quidem nostri pontificii, ut in prima epistola vestræ dilectioni significavimus, pro quibusdam ecclesiasticis utilitatibus, quibus fuimus occupati, destinare nequivimus. En Christo juvante,strenuitatis pollentes scientia atque doctrina, reverentissimos nunc dirigere missos decrevimus, Rhadoaldum scilicet atque Joannem episcopos, deliciosos et consiliarios nostros, qui

(*a*) Hanc epistolam in editis conciliorum mendis hinc inde scatentem emendavi ad normam editionis Rom. epistolarum Pontificiarum an. 1591 : quod etiam et in cæteris præstitum est. Mansi.

prædictum cum vestra sanctitate concilium, ut protulimus, studeant celebrare. Omnipotens Deus, qui vos sacri regiminis culmine perornavit, vestræ beatitudinis corda rectitudinis et justitiæ claritate repleat atque decoret,ut in omnibus vestris actibus æquitatis videamini plenitudine rutilare. Data IX Kalendas Decembris, indictione XI.

XXII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

[Anno 862.[

Petit ut Balduino parcat,qui filiam ejus rapuerat, et in uxorem acceperat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus,servus servorum Dei, CAROLO glorioso regi majori [pro Balduino].

Beato ac pretioso Christi Dei nostri cruore Ecclesia sancta redempta, et sacro ipsius Domini super solidam veræ fidei petram fundata eloquio,pietatis suæ viscera omnibus, non solum quos ex aqua regeneravit et spiritu, delinquentibus, verum etiam quotquot sacri necdum lavit unda baptismatis, patet,atque gremio gratulatur fovere salubri.Unde ab ipso institutionis ejus exordio,ad eam omnes, velut ad pium charissimæ genitricis gremium,confugere digna devotione procurent, qui se in aliquo flagitii scelere jacere cognoscunt : ut per spiritualem gratiam,quæ rite ignoscit pœnitentibus, a peccatorum nexibus absolvantur. Et quoniam ad hanc sanctam Romanam,cui Deo auctore deservimus, Ecclesiam, quæ ob sui privilegii principatum, quo cæteras Dei Ecclesias orbe universo diffusas excellit divinitus, de diversis mundi partibus quotidie multi sceleris mole oppressi confugiunt, remissionem scilicet, et venialem sibi gratiam tribui supplici et ingenti cordis mœrore poscentes : a qua vero ob insigne dilectionis meritum,et debitæ compassionis gratiam,recti libraminis auxilium cunctis fida petentibus intentione tribuitur atque largitur.Idcirco ad beatissima sanctorum apostolorum principum Petri ac Pauli confugere limina, nostrumque pontificium Balduinus,vasallus vester,ardenti animo accedere studuit : qui vestram se habere indignationem, eo quod Judith filiam vestram, illum præ cæteris diligentem, sine vestræ voluntatis consensu in conjugium elegerit, eamqne volentem accepit,ore proprio retulit. Quamobrem præsulatui nostro preces multimodas fudit,orans et petens obnixe,ut magnitudinis vestræ per nostram interventionem adipisci gratiam mereretur.Cujus nos crebris petitionibus,et misericordiæ largitate commoti,vestram regalem excellentiam his apostolatus nostri apicibus,præsentibusque legatis, Rhadoaldo videlicet et Joanne, reverentissimis et sanctissimis episcopis,deliciosis nostris, valde precamur, ut pro Jesu Christi Domini nostri amore, et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, quorum auxilium ipse Palduinus,megis quam regum terræ, fide devota quæsivit,nostraque dilectione,quam vos luculenter habere agnoscimus,jam dicto Balduino, quia et tale jam olim aliis evenisse regibus scitur indulgentiam pariter,et plenariam gratiam largiamini,ut vestræ amplitudinis fretus benignitate consistat, maneatque inter cæteros vobis fideles securus. Cui sane ideo vestræ sublimitatis gratiam ut tribuatis deposcimus, non solum quia pio amore omnibus,qui aliquo fuerint sceleris contagio maculati,hujus apostolicæ sedis opem, atque misericordiam,et præsidium postulantibus,humilique devotione quærentibus,pro qualitate facti subvenire debemus : verum etiam metuentes ne propter iram indignationemque vestram ipse Balduinus impiis Northmannis,et inimicis Ecclesiæ se sanctæ conjungat,et in populo Dei, quem,prudenti consilio menteque sollicita,salvum et incolumem regere et gubernare debetis,aliquod iugerat periculum,et scandali fomitem, qui fidelium cœtus depopuletur, immittat; et ob hoc animæ vestræ quod absit,contingat discrimen.Dextera vos supernæ protegat majestatis, et ab omnibus semper adversitatibus illæsos custodire dignetur. Data IX Kalendas Decembris, indictione XI.

XXIII.

AD HERMENTRUDEM REGINAM.

[Anno 862.)

Intercedit pro Balduino, qui ad opem implorandam in Urbem venerat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HERMENTRUDI reginæ [pro Balduino].

Fidelium universitas gentium ex variis mundi partibus, cujuscunque sint ordinis, vel ætatis, si qua forte criminis noxa, vel seniorum suorum formidine detinentur, ad hanc sanctam omnium terrarum matrem Romanam Ecclesiam, ut salutare percipiant remedium,recurrunt,et ab ea non solum animæ, sed et corporis salvationem, ut omnibus patet, humili prece suscipere precantur. Quibus multis divinitus fulta auctoritatibus, et sanctorum Patrum roborata documentis,materno amore solamina subministrat,et sugenda ubera consolationis compatiendo inferre minime recusat. Et quia hic Balduinus, qui charissimam filiam vestram contra divinarum legum sanctiones rapuit, de his se esse recognovit,liminibus sanctorum apostolorum lacrymosis mœstisque precibus lugubriter se obtulit,et ut pro tanto crimine apostolicam opem acciperet, nostro apostolatui nihilominus flendo se præsentare quæsivit. Cujus cum lamentabilem,et tanto scelere plenam cognovissemus petitionem,ad mentem rediit quod per prophetam Dominus dicit : ***Misericordiam*** *volui, et non sacrificium* (*Ose.* VI), miserti fuimus, et hos vestræ in Christo dilectæ industriæ apostolicæ sollicitudinis apices fieri statuimus,missosque etiam Rhadoaldum et Joannem reverentissimos et sanctissimos episcopos, deliciosos nostros, pro eo vestræ claritati direximus,per quos obnixius deprecamur,ut præfatus Balduinus, quam apud vestram

per apostolorum intercessiones desiderat magnificentiam obtinere, pro Dei amore gratiam percipere valeat, et de sui affectione nostræ præsulatus oraculis consolationem resumat, quatenus qui se per infelicem culpam a norma æquitatis declinasse non ambigit, medelam apostolorum agnoscat, et apud seniorem vestrum venialem, vobis juvantibus, vigorem obtineat. Dextera vos supernæ protegat majestatis, et ab omnibus semper adversitatibus maculisque custodire dignetur.

XXIV.

AD STEPHANUM COMITEM ARVERNORUM.

(Anno 862.)

Jubet ut Sigonem Arvernensem episcopum Ecclesiæ suæ dejecto pervasore restituat, et synodo legatorum de objectis satisfacturus se sistat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei STEPHANO comiti.

Quæ et quanta contra canonicas et ecclesiasticas regulas, imo contra naturalia jura pertinaciter egeris, sedis apostolicæ, quæ ubique ex ministerio sibi credito spiritaliter præsto est, cognitionem omnino non latet. Et licet tanto sint odio a nostris mentibus repellenda, ut in te eorum auctoritatem merito mittere in virga cogamur: ut tamen adhuc te resipiscere a tantis malis sperantes, has nostri apostolatus litteras tibi dirigimus, ut submissa pertinaciæ tuæ cervice, sanctorum sacerdotum præceptis pareas, de præteritis pœnitudinem geras, et a futuris te, ne perseverando in talibus in diaboli laqueos sempiternos incidas, circumspecte ac solerter custodias. Cæterum quia, quod his nequius exstat, contra omne quod Christianæ religioni convenit, dejecto sanctissimo Sigone Arvernensi episcopo, in locum ejus pervasorem Adonem clericum substituisti; præcipimus tibi auctoritate Dei omnipotentis, beatorumque apostolorum principum Petri ac Pauli, ut nullam passus moram, sanctissimum Sigonem episcopum, dejecto pervasore, ecclesiæ suæ restitutas, et in omni sacerdotii dignitate eum manere amodo dimittas. Nam quia nonnulla impudica ac scelestissima de te inculcantur, apostolica auctoritate sancimus, ut de his plenissime satisfacturus, in nostrorum legatorum præsentia, qui constitutæ a nobis synodo præesse debebunt, in loco præfixo occerrure studeas. Quodque si neglexeris, et præsentiam tuam a synodico examine defraudare tentaveris, scias te præsulatus nostri auctoritate a vini et carnium participatione omnino excommunicatum, quoadusque Romæ in nostra speciali præsentia districtam positurus rationem assistas. Pervasor vero sanctæ Arvernensis ecclesiæ, si post hanc nostram definitionem illic remorari tentaverit, et aliquod impedimentum sanctissimo Sigoni episcopo facere quacunque argumentatione præsumpserit, sciat se pari modo non tantum a vini et carnium, verum et a corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione penitus esse sejunctum, quandiu nostris jussionibus obstinate in præsentiam apostolicam venire distulerit. Bene vale.

XXV.

AD SALOMONEM REGEM BRITTONUM.

(Anno 862.)

De renovando ejectorum episcoporum examine apud archiepiscopum Turonensem, vel apud sedem apostolicam : et de jure metropolitani apud Britannos.

(Apud Mansi, *ibid.*)

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei (*a*), SALOMONI regi Brittonum.

(*b*) Benedictus Deus et Pater Domini mei [*ms.*, nostri] Jesu Christi qui per magnæ misericordiæ suæ gratiam adeo tuæ cor sublimitatis illustrare dignatus est, ut merito pro sapientiæ tuæ fulgore ubi habitas, non jam occidens, sed oriens habeatur. Ortus enim est in vobis sol justitiæ, quod ipse Christus est, et infidelitatis tenebræ defecerunt. Sed rogamus eumdem omnipotentem Deum, ut sicuti rectæ fidei agnitionem pie concessit, ita quoque bonæ operationis benignus largiatur effectum. De cætero [*ms. add.* fili] sciat prudentia tua, nos de ejectis et in locis illorum aliis subrogatis episcopis, diligenter in archivis sanctæ Romanæ, cui magna omnipotentis Dei miseratione deservimus, ecclesiæ requisisse, et multo aliter in exemplaribus epistolarum, quæ a decessoribus meis, beatæ videlicet memoriæ Leone ac Benedicto pontificibus, atque a me, Nomenoio, et tibi, nec non archiepiscopo Turonico datæ sunt, papam Leonem [*Ms. Turon.*, et regni tui episcopis missæ sunt, invenisse, quam tu in litteris tuis perhibes, quamvis nec discas in apicibus tuis, sanctæ recordationis papam Leonem, etc.] Nomenoio consilium vel auctoritatem deponendi episcopos tribuisse, quippe quem constat multifarie multisque modis, ne hoc ab

(*a*) Contulit hanc epistolam Harduinus cum ms. archivi Turonensis, unde varias lectiones adnotavit, quas in textu habes.

(*b*) *Salomoni regi Brittonum.* Tertio et ultimo, ut est apud Gratiarum 3, qu. 6, *Hæc quippe est.* Sed male ibidem Joanni papæ tribuit hanc epistolam, cum sit Nicolai. Profert et Hincmarus Laudunensis in priori defensione sua locum, ex altera ejusdem argumenti ad Salomonem eumdem epistola Adriani papæ nond edita : *Sed et præsens*, inquit, *domnus papa Adrianus hæc ex epistola nuper ad Salomonem ducem Brittannorum destinata sui suorumque officii non immemor mandavit :* Sacerdotes vero vobis vicinarum diœceseon super se alios deplorant superpositos sacerdotes Britannicos, si tamen sacerdotes, et non magis pervasores et sacrilegos tales dixerimus. Qui etiam, si quædam habent negotia, non ad concilia episcoporum occurrere permittuntur, sed contra sacros canones, et venerabiles leges, ad sæcularium tribunalia pertrahuntur, nec suscipiunt episcopale institutum, sed illatum contra regulas populare incurrunt judicium; et ipsis morte præventis, rapitur si quod remanserat subsidium. Judicantur etiam episcopi a lectoribus et laicis hominibus quos non oportuit nisi canonicis legibus, et metropolitanis aut nobis præsentibus, saltem examinari, dicente Domino per prophetam : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV); et iterum : *Qui vos tangit, quasi qui tangat pupillam oculi mei* (*Zach.* II). SIRM.

aliis quam a certo episcoporum numero fieret, præcepisse. Nam Nomenoio consulenti quid de Spiritus sancti gratiam venundantibus oporteret fieri, respondit nihil inquiens præter quod sancti canones super his præcipiunt, ipsas regulas apicibus suis interserens. Nam qualiter, et a quot, vel a quibus sanxit episcopos condemnari, scribens eodem tempore Britannicæ regionis episcopis evidenter inter cætera, ut eadem ipsa verba ponamus, decrevit, æque præcipiens ut omnia sint in conciliis episcoporum. Nam nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante [*ms.*, nisi in ante] legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certe probata sententia per septuaginta idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester, et sancta Romana tenere videtur Ecclesia. Quam secutus decessor meus, sanctæ memoriæ Benedictus, quia contra decessoris sui decretum, non ab episcopis, sed a laicis, episcopos in regione tua cognoverat esse dejectos, multa mœstitia et indignatione repletus, scripsit quod nulla ratio sineret episcopos a sedibus suis pelli, quos duodenarius numerus non ejecisset. Quorum vestigia et ego quoque secutus eadem censui, imo et censeo, nec ullam posse episcopos sui honoris sustinere jacturam, quos non constat fuisse a duodecim episcopis, præsente primamque sententiam metropolitano episcopo obtinente, cum examinarent auditos. Qui etsi crimen aliquod confessi esse dicuntur, potest credi quod vi vel formidine fassi tantum, et non confessi fuerint quod non fecerant, quia videbant laicos et sæculares quosque una cum rege contra se conspirantes, quod nec saltem audierant. Siquidem qui ore tantum, et non corde profert quod dicit, non confitetur, sed loquitur : quamvis non videatur justa confessio, quæ non legitimo provocatur examine. De Gislardo autem et Actardo [*ms.*, Aitardo *et sic ubique*] episcopis [Nannetensibus], de quibus scripsisti, multo aliter, quam tua referebat epistola, in scrinio nostro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo consecrat quos Gislardus in eo gradu dignoscitur ordinasse : tamen Actardus invenitur ante Gislardum episcopatus officium suscepisse. Denique sanctissimus Leo papa Nomenoio scribens, inter cætera præcipuum virum Actardum appellat, et hunc sanum sapere, et sanum docere, vivere ac permanere denuntiat : Gislardum vero tanquam prædicti Actardi sedulum invasorem denotat. His ergo ac hujusmodi controversiis, ac difficultatibus enumeratis, et ita repertis, habitis, ac compertis, non possumus a regula sanctorum patrum, aut a sedis hujus institutionibus indebite [*ms.*, ut a sedis tuæ institutionibus quoque indebite, etc.] declinare. Sed si vis Dei omnipotentis benedictionem percipere, vel si veraciter nostra consequi præcepta desideras, consilium meum accipe, et quod tibi per hanc paginam indico

A libenter attende. Hortamur enim gloriam tuam, et cum æquivoco tuo sapientissimo Salomone dilectionem tuam admonemus, dicente : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ* (*Prov.* I). (3, q. 6. *Hæc quippe :* ubi hæc epistola Joanni papæ tribuitur.) Hæc quippe sunt præcepta Dei patris tui, et hæc est lex Ecclesiæ matris tuæ. Videlicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse enim est metropolitanus, omnesque episcopi regni tui ejus suffraganei sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt, qui prædecessores tuos, quia illos ab ipsius cura subtraxerant, forti invectione corripere studuerunt : quamvis nec

B nostra scripta super hac re missa deesse videantur. Cumque coram præsignato Tuaonensis Ecclesiæ præsule, et integro numero collegarum, id est duodecim episcoporum celebrato conventu, fuerint ejecti episcopi regulariter examinati, apparueritque quod canonice fuerint ejecti, ipsis in sua dejectione manentibus, quicunque in locis eorum consecrati sunt, poterunt utique episcopatus honore potiri. Quod si ejecti episcopi insontes fuerint declaratii his amotis qui illis subrogati sunt, Ecclesias suas ipsi recipiant. Nam cum antecessores mei [*ms. add.* Romani] præsules ejectionem eorum episcoporum, qui ab Ecclesiis suis expulsi sunt, non admiserint, nec approbaverint [*ms.*, admiserunt nec approbaverunt], nec ipsos, qui eis subrogati sunt, viventibus illis, legitimos episcopos dixerunt. Sane si forte ad

C Turonensem archiepiscopum mittere dedignaris, stude duos episcopos de expulsis, et duos de subrogatis, una cum gloriæ tuæ legato, ad apostolicam sedem beati Petri transmittere, ubi digna examinatione præmissa, qui legitimi episcopi sint appareat, et suas Ecclesias irregulariter non amittant. Nihil enim aliud est quod in præsenti negotio penitus definiri possit. Quia vero magna quis sit metropolitanus apud Britannos contentio est, licet nulla memoria sit, vos in vestra regione ullam habuisse metropolitanam [*ms.*, metropolim] ecclesiam, tamen si libet, postquam Deus inter vos pacem et dilectum filium nostrum Carolum gloriosum constituet, facile hoc poteritis advertere. Quod si adeo [*ms.*, ideo] contentiosius agendum creditis, ad nostrum aposto-

D latum destinare contendite : quatenus nostro libramine, quæ fuerit apud vos antiquitus archiepiscopalis ecclesia, luce clarius innotescat, et deinceps omni ambiguitate recisa, quem sequi episcopi vestri debeant, incunctanter agnoscant. Neque enim Ecclesias Domini per discordiam regum divisiones aliquas pati vel damna [*ms.*, per discordiam regum divisiones aliqua pati damna] necesse est : cum quantum ex se est pacem, quam prædicant, servare studeant invicem, et in omnes. His ita prælibatis, per nos tuam scire volumus excellentiam, quia si nostris paternis monitis obedieris, et tam de jure metropolitani, quam de renovatione examinis ejectorum episcopo-

rum nos audire studueris, erit pax et concordia et omnis legitimus ordo in regno tuo. Quod si nos tantum interrogare et non auscultare decreveris, scandala, et discordia et omnis confusio non deerunt tibi in vita tua. Porro legatos tuos, quos ad nostrum pontificium destinasti, dilectioni tuæ commendare curamus : quorum prudentiam et fidem circa vos considerantes, plurimum in Domino gratulati sumus. Deus omnipotens gloriam tuam, et claram conjugem tuam, cum nobilibus natis, atque cum omnibus qui sub tuo regimine sunt, omni gaudio et omni benedictione pie circumdet.

XXVI.

AD CAROLUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM EJUSQUE SUFFRAGANEOS EPISCOPOS GERMANIÆ (a).

(Anno 863.)

Declarat se nullam sententiam protulisse in Salomonem episcopum ; Abbonis matrimonium, in quarto consanguinitatis gradu contractum, esse dissolvendum, variasque variis peccatis assignat pœnitentias.

[Apud Mans., *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Carolo archiepiscopo, ejusque suffraganeis Altfrido, Salomoni, Hiltigrimo, Theodrico, Guntoni, Gebehardo, Arn. Wingario, Egiberto reverentissimis episcopis, atque Grimalto, Egilberhtto Thiotoniamali, Adalgario religiosis et venerabilibus abbatibur.

Divinorum fulgentes dogmatum diffinitiones scienti e sacro sedis nostræ alvo procedunt, semperque descendunt, quia rectitudinis et æquitatis species gignere novit, et instituta dilectionis dispositione administrare. Pacis enim ac justitiæ amatrix cognoscitur et benignitatis amica. Cujus consuetudine fulti atque industria, vestræ beatitudini apices destinavimus, rectitudinis fundentes dulcedinem, et probabili sanctione ornatos. cum Abbonis causam de quo fertis, vestra præsentia episcoporum subtili inquisitione examinare decrevimus, ut de ea certitudine per vos maluissemus scire cognitionem. In Salomonem quippe episcopum nec criminis, neque facinoris sententiam certe protulimus, nisi et commissam sibi a Domino plebem, sicut audieramus, non constringeret juramentis. Epistola vero, quam vobis quasi a nobis missam, Grimoldus obtulit abbas, nunquam nostro est scrinio scripta, neque a nobis edita, neque a nostra sede directa, sed omnimodis falsitatis argumento plena, et mendacii constructa demonstratur tenore. En quia Abbonis jam dicti causam atque intentionem secundum nostræ institutionis deliberationem, synodali examinatione inquirere studuistis, nobisque gestis rei veritatem significastis, ingentes vestræ agimus beatitudini gratias, et quia tantæ claritatis erga sedem polorum clavigeri habetis devotionem, ovantes vestram spiritalibus ulnis amplectimur almitatem. Et quia ipsi Abboni veridicis, ut fertis, testibus in vestro concilio comprobatum est, quod contra sanctorum canonum sanctiones uxorem accipere præsumpsisset, in quarta etiam generatione sibi copulasset, sancimus et apostolica promulgatione decernimus, hujus infausti conjugii omnimodis copula dissolvatur, quæ propriæ consanguinitatis et cognationis demonstratur atque cognoscitur esse. Et hoc vobis interrogantibus statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere usque dum generatio recondatur, cognoscitur, aut memoria retinetur. Lætamur autem, vestramque laudamus industriæ observantiam, quia in hac re beatissimorum antecessorum nostrorum Gregorii et Zachariæ pontificum hactenus in vestris parochiis, ut vestris protulistis in litteris, observando tenetis (decreta). Dixistis enim in quota generatione sibi fideles jungantur. Nos autem generationum in hac re numerum non definimus, sed ut supra retulimus, incunctanter observare monemus. Sacerdotes vero si in fornicationis inciderint laqueum et criminis, et manifestus sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem, secundum canonicæ institutionis auctoritatem. Sacerdotes illi, qui in crimine fornicationis fuerint accusati, et crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipsi non manifestaverint, quid aliud agendum est, nisi quod in Neocæsariensis sancti concilii capitulo legitur, ac demonstratur? Tamen si ipsi juramento se voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter autem et diaconi si fuerint accusati, peragant. Feminæ scilicet quæ sacro sunt velamine consecratæ si fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præsumant sed pœnitentiæ jugo submissæ summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ et remissionis valeant gratiam pervenire. De patricidis et fratricidis præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo vero anni circulo introducantur ecclesiam, tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur. Stent cum ad missarum solemnia vel ad alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspiciuntur, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos, et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ, in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversionem illorum aut extendere, vel minuere valeatis. Ne uxoribus, si habuerint, non separarentur ; si autem non habuerint, et se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne

(a) Hæc epistola ante annum 858, quo Nicolaus I papa creatus est, non est scripta; sed neque post annum 863, quo Carolus Moguntinus archiepiscopus obiit.

fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur. Si quis cum duabus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, et tamen non maluerit continentiam sustinere, liceat legitimam conjugio uxorem accipere. Similiter et mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis ad chaos non perducatur perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus. Si quisquam cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis crimen perpetravit: legitimam autem si habuerit non dimittat uxorem. Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ac divinum; non occidit, sed vivificat. De his qui non sponte homicidium commiserunt, in vigesimo secundo capitulo Ancyrami concilii, qualiter agere debeant, definitum habetis. Homicidæ post unius anni spatium liceat ecclesiam intrare. Vidua quidem quæ sacrum capiti velamen imposuerit, et inter cæteras relatas feminas in ecclesia oraverit, et oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, religionis observantia discedere non præsumat. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

XXVII.

AD EUMDEM.

(Anno 865.)

[Primus hanc epistolam edidit Wassarschleben, *Beitrage zur Geschichte der vorgratianischen Kirchenrechtsquellen*, Leipz. 1839, p. 165, e cod. Darmstad.—Ad fidem ejusdem cod. Darmst. 2117, olim Colon. 118 fol., ubi exstat p. 49 sqq., recognovit et errata Wasserschlebii corr. D[r] Ploss Bonnensis.]

Incipit epistola Nichalai papæ ad Charolum archiepiscopum sanctæ Mogonciacensis Ecclesiæ (a).

NICHALAUS episcopus, seruus seruorum Dei, reuerentissimo et sanctissimo confratri nostro CAROLO archiepiscopo sanctæ Mogontiacensis Eclesiæ.

Qui sacrorum dogmatum nitore intacto capiunt certamine rutilare, superni luminis (b) cernuntur fauoribus procul dubio coruscare, quia perfectæ actus normæ exquirunt et beatificæ sanctionis augmentum. Quibus, utremur, compulsi apicum uestrorum nectare nos pro quibusdam salubribus maluistis causis interrogare, ut gregis nobis commissi integritatem salutari ualeatis gubernaculo perornare, et delinquentium temeritates et criminosæ perpetrationis insidias sollerti corrigere censura possitis, probabilisque promulgationis effectui mancipare. In his enim magis letamur et alacribus cumulati apostolico instituimus famine. Qui sacerdotem morti uoluntate tradiderit, uel parricidium perpetrauerit, omnibus diebus uitæ suæ carnem non comedat, nec uinum bibere præsumat. Ieiunet autem usque ad uesperum, exceptis festis diebus atque Dominicis. Arma non sumat, et ubicunque ire uoluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrorum orationum officia uel missarum solempnia celebrantur, ante foras basilicæ perseueret, orans et deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum uero quinquennii tempus ingrediatur eclesiam, nondum uero communicet, sed inter audientes tantummodo stet, uel dum facultas conceditur, sedeat. Cum autem duodecimi anni fuerint (*sic cod.*) cursus finitus, communicandi ei licentia concedatur, et equitandi tribuatur medela. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per ebdomadam, ut perfectius purificationis mereatur peruenire ad culmen. Illi scilicet qui diuersis erratis uel quibuscumque piaculis pœnitentiæ fuerint iugo submissi, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne fornicationis uoragine demergantur, et dum ad alta subleuari sperantur, corruantur in cœno. Homicidæ post peractam pœnitentiam arma non sumant, nisi contra paganos. De non sponte homicidium perpetrantibus promulgamus: Per triennii temporis spacium non communicent, ieiuniis et orationibus assiduis uacare omni sollicitudine studeant: carnem non comedant tres dies in ebdomada; neque uinum bibere præsumant usque dum decennii tempus expleverint. Mulieres autem quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes uoluntate excutiunt, ut homicidæ procul dubio iudicandæ sunt. Illæ uero quæ dormiendo filios suos suffocare uidentur, leuiter de his iudicare oportet, quia nolentes et nen sentiendo ad hunc deuolute sunt casum. Si uir uiduam duxerit in coniugium ex priore habentem marito filiam, et cum eadem filia postmodum concubuerit, coniugium modis omnibus matrimonii dissoluatur, et uir ille pœnitentiæ subiaceat sanctionibus, ita ut per triennii tempus sacro corpore Domini nostri Iesu Christi suspendatur a sanguine: carnem non manducet, abstineat autem a uino atque pulmento, et singulis diebus ieiunium cælebrare festinet, exceptis diebus festis atque Dominicis: orationibus omni insistere sollicitudine studeat. Cum uero trium annorum finis peruenerit, sacræ consors communionis efflitiatur, aliorumque per trium annorum curricula, ut protulimus, integriter obseruare atque perficere summopere curet. Similiter autem de mulieribus quæ se clanculo patri in concubitu substernerunt et filio obseruandum est. Aliter quidem de his sancimus, qui duabus se absconse sororibus pollutas (*sic cod.*) cognocunt (*sic cod.*)

(a) Tituli verba in codice *miniata sunt.*

(b) Cod. *Lumilis.*

Hæc breuiter pro celeri uestræ exposuimus portitoris epistolæ necessitate, qui festinus uestros remeare cupiebat ad fines; et pro quibusdam ecclesiasticis utilitatibus, in qnibus occupati eramus. Congruo pro quibus tempore idoneum uestræ legatum beatitudinis atque apices nostro præsulatui destinare satagite; et tunc plenius perfecti usque de his omnibus, superna inuante gratia, promulgare studemus, uestræque sanctitati dirigere procuramus. Optamus sanctltatem uestram in Christo nunc et semper bene ualere.

XXVIII.

NICOLAI I PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA BELLOVACENSI.

(Anno 863.)

Eeclesiæ Bellovacensi confirmat monasteria Oratorii et Flaviaci, a Carolo Calvo rege concessa.

[Ex Gallia Christiana, tom. X, inter *instrumenta*.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo ODONI episcopo, et per te charissimæ Bellovacensi Ecclesiæ, salutem in perpetuum.

Quicunque in hujus labentis sæculi fuerint in aliquo detenti discrimine, ne velut in fiuctuantis maris pelagus viribus infirmitati infeliciter demergantur, nullum melius suæ possunt infirmitatis invenire salutiferum portum quam sedem illius, cui divino oraculo dictum est: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Unde quia nos vicem illius per abundantiam supernæ gratiæ in tota Christi universali Ecclesia gerimus, debemus omnium infirmantium imbecilllitatibus subvenire, et manum confirmationis nostræ omnino libenti porrigere. Sed quoniam sanctitas tua retulit ac suggessit apostolatui nostro quod ecclesia Bellovacensis provinciæ Rhemorum, cui, divina favente gratia, venerabilitas tua præesse dignoscitur, rerum facultatibus quibus prioribus temporibus fruebatur, per terrenam potestatem privata mansit, et modernis quoque diebus paganorum incursione pariter et deprædatione valde attenuata fuerit, pro qua re sollicitus pastorali cura, pii principis clementiam sanctitas tua adiit, auxilium petens ut sibi grex commissus rerum inopia non deperiret, quam vel violentorum manus intulerat, vel hostilis vastitas irrogasset; et si non aliud consolationis subsidium ferret, saltem de rebus eidem ecclesiæ sublatis aliquod restitutionis auxilium pietas gloriosi regis Caroli non denegaret, cujus precibus religiositas regis mota, res quidem sublatas ex integro non restituere se posse dixit, ne suæ reipublicæ militiam defraudare videretur: conferre tamen solatium sanetæ Bellovacensi ecclesiæ benigne spopondit. Quamobrem concessit ei duo monasteria in eadem Bellovacensi Ecclesia constituta, Oratorium videlicet quod fuit olim puellare cœnobium, et Flaviacum, in quo canonici habitaverunt, pro recompensatione Fontaneti monasterii, quod quidem monasterium veracium testium et irrefragabilis auctoritatis Scripturarum assertione præfatæ matris Ecclesiæ Bellovacensis juris fuisse omnimodis probatur. Quæ tamen monasteria, et prius quidem quam sæcularibus collata fuerant, propter civilis discordiæ seditionem non parum fuerant destructa, et nunc propter barbaricam incursionem penitus sunt eversa, adeo ut non solum rebus privata sint propriis, verum canonicorum sacrarumque virginum chorus, qui prius illic habitaverant, ex maximo inde sit ablatus, et ecclesia totaque ædificia simul sint destructa, nec spes ulla restat restitutionis illorum, si vel reposita fuerint, in sæcularium manus, vel si absque pastore ecclesiastico degerint, ut hactenus fuerunt. Unde tua petiit venerabilitas, ut de iisdem sibi monasteriis ecclesiæ tuæ privilegium nostræ auctoritatis fieret, et nec tuis nec successorum tuorum temporibus auferri ab ecclesia Bellovacensi possit. Insinuavit quoque super eadem re nobis petitiones gloriosissimi et charissimi fiiii nostri Caroli regis similiter efflagitantis. Quapropter considerantes justam piamque fore petitionem, quatenus et ecclesia Bellovacensis devastationis subsidia non deessent, et præfata monasteria religionis ordine penitus exspoliata non manerent, decrevimus fieri quod postulabatur, et apostolica auctoritate statuimus ut præfata monasteria, scilicet Flaviacum et Oratorium, benignitate Caroli gloriosi regis Bellovacensi ecclesiæ collata, cum omnibus quæ possident ecclesiæ præfatæ perpetuis et futuris temporibus perpetuo manere subjecta, nec ab ulla deinceps vel regali vel judiciali potestate, sive de potestate tua qui impræsentiarum ejusdem ecclesiæ episcopus esse dignosceris, sive successorum tuorum antistitum ecclesiæ ipsius ullo modo auferenda, eo tamen ordine ut de rebus eisdem monasteriis collatis sive conferendis ecclesiæ Bellovacensis necessitatibus subveniatur, prout voluntas et judicium episcopi qui præfuerit eidem ecclesiæ decreverit, et monasteria ipsa nec in ædificiis domorum, nec in restauratione ecclesiarum, nec in necessitate Deo illic servientium subsidia defraudentur, sed ita rerum dispositio fiat ab episcopo Bellovacensis ecclesiæ, ut et ipsa monasteria juxta modum facultatum sibi collatarum restaurentur, et conserventur, et illic Deo militantium sive feminarum sive virorum sexus fuerit, subsidiis necessariis adjuventur, quatenus loca Deo dicata et res illis ecclesiis collatæ ibi potissimum deserviant, ubi Deo fidelium oblationes esse collatæ cognoscuntur, quia nec pium nec justum esse cognoscitur, ut ecclesiæ præfatæ ita suis rebus spolientur, et alterius ecclesiæ necessitatibus deserviant, ut earum necessitatibus nulla videatur cura impendi. Unde sollicitus videat episcopus Bellovacensis, ut sive de feminis illic Deo deservientibus, sive de cujusque ordinis viris, sive de monasteriorum restauratione et conservatione eam curam suscipiat, quatenus et Deo dicata domus dignum se habere procuratorem gaudeat, et ipse qui præfuerit rector supernæ censuræ judicium propter negligentiam non incurrat. In sæcularium vero manus atque potestatem ipsa mo-

nasteria nulla deinceps ratione vel occasione perveniant, quia non est leve ante oculos summi judicis discrimen religiosis locis et monasteriis Deo dicatis, sæcularem præficere potestatem, et ei contradere pastoralis curæ sollicitudinem qui quid sit pastor ignorat, nec quærit lucrum animarum, sed pecuniæ censum, non ut divinis cultibus servitium impendatur, sed ut suis usibus ad dominationis votum deserviatur. Nullus itaque regum, nullus judicum, nullus sæcularis potentiæ fultus dignitate in rebus præfatorum cœnobiorum, vel in villis et aquis, vel mancipiis, et quidquid ad eadem monasteria collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi, vel excipiendi, vel auferendi, præter episcopum ecclesiæ Bellovacensis, sed quidquid vel in auro vel in argento, vel in quacunque supellectile, vel in omni facultatis substantia ipsis est hodie monasteriis delegatum, et futuris temporibus fuerit collatum, episcopi Bellovacensis distributioni et ordinationi fiat subjectum, nec alterius potestatis jus, vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum divina auctoritas, et lex et justitia permittit, obtineat. Si quis autem temerario ausu sive magna sive parva persona fuerit, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni supplicii incendio condemnatum. At vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi merebitur.

Scriptum per manum Petri notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione undecima. Bene valete. Amen. Quarto Kalendas Maii, per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino nostro piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno decimo quarto.

XXIX.

AD TRASULFUM ABBATEM CORBEIENSEM.

(Anno 863.)

Privilegium monasterii Corbeiensis.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, TRASULFO religioso abbati, et per te venerabili monasterio beatorum principum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini, quod beatus Petrus apostolorum eximius, per attributam et revelatam sibi divinitus gratiam, licet suis longe imparibus meritis, nobis tamen singulari prærogativa, ut in totius Christianæ religionis universitate principaliter excelleremus, contulit : quatenus sicut dignitate et auctoritate per ipsius singulare privilegium omnibus præeminemus, ita universarum Ecclesiarum Dei sollicitudinem habeamus, et singulis quibusque fidelibus, atque piis locis, in quibus jugi Deo famulantium sedulitate placatur divinitas, opportuna suffragia conferamus. Unde quia non multis intercedentibus annis monasterium beatorum apostolorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, venerabilis qui tunc fuerat abbas Odo, et gloriosus dilectus filius noster rex Francorum Carolus, decessorem nostrum sanctæ recordationis Benedictum pontificem, directis ad eum tam litteris quam missis postulaverant, ut prædicto monasterio, et rerum suarum liberam concederet dispositionem, et in eligendo de semetipsis abbate regularem daret canonicamque licentiam. Quorum petitionem ille gratanter accipiens, petita concessit, et ut concessionis ejus perpetuitas servaretur, privilegium monasterio jam dicto fecit. Nunc vero adveniens venerabilis Odo Belvacensis episcopus, qui prius abbas monasterii Corbeiensis fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipsius benigni principis, quam postulationem tuam, qui præfati monasterii Corbeiæ abbas esse dignosceris, qua postulasti, ut quæ prius monasterio illi a decessore nostro beatæ recordationis papa Benedicto concessa fuerant, auctoritatis nostræ promulgatione firmare non abnueremus. Nos itaque considerantes religiosam esse petitionem tuam, et nihil novi nos constituturos, si prædecessorum decreta sequamur, pastoralis quoque pariter esse officii, servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere : decernimus ut monasterium Corbeiæ, quod ad laudem Dei, in honorem sanctorum apostolorum Petri ac Pauli constructum esse dignoscitur, et a Balthilde regina Francorum, filioque ejus Clothario, a principio fundatum, et donariis rebusque necessariis locupletatum, quod est in pago Ambianensi super fluvium Summa situm, rerum suarum liberam in omnibus habeat disponendi regulariter potestatem, ut quæcunque eidem monasterio in auro vel argento, in agris vel famulis, seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in tua tuorumque successorum abbatum fratrumque maneant dispositione : ut quidquid secundum Dei timorem, ad Ecclesiæ ipsius utilitatem, regulariter et canonice disposueritis agere, liberam in omnibus habeatis faciendi potestatem. Episcopus vero Ambianensis nullam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem ; neque vel in abbate, vel in fratribus, vel in ipso cœnobio potestatem obtineat, neque in cellis ipsius monasterii denominatione potiatur ulla, neque in clericis, neque in famulis, et in omnibus, quæcunque ad monasterium illud videntur habere possessionis respectum, sicut jam olim concessum illi monasterio cognovimus ab episcopo Ambianensi [Bertefrido], et ab aliis episcopis Galliarum, et privilegio cessionis firmatum, tam temporibus dilecti filii nostri Caroli, præsenti tempore regnantis, quam antiquis temporibus Baltchilde, Clotharioque Francis principantibus ; nisi quantum canonicus ordo permittit. Nec ad monasterium, seu cellas ejusdem, vel ipse per se episcopus, vel œconomus ejus, vel archipresbyter, vel archidiaconus illius, aut quælibet ex ejus agentibus persona, potestatem habeat acce-

dendi, nisi forte ab abbate monasterii, vel fratribus, necessitatis causa, vel dilectionis gratia, vocatus advenerit; ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquietudine, fratres vel abbates sustineant ullam molestiam. Neque in ecclesiis prædicto monasterio subjectis, vel in presbyteris eisdem ecclesiis ordinatis, aliquam tentet facere perturbationem, vel abbati, vel fratribus, novam constituendo, et antiquam consuetudinem violando; sed sicut regulariter et canonice disposita sunt, et longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa. Nec potestate episcopalis fastus abutens, violenter contra constituta majorum disponere velit aliquid adversus voluntatem abbatis, et fratrum in ipso cœnobio Deo quocunque tempore militantium. Ordinationes quæ necessariæ fuerint in monasterio, sive de monachis, sive de canonicis, et quas petierint abbas et fratres, agere non differat. Altaris quoque et basilicarum benedictiones, sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipso monasterio, vel in agris ipsius monasterii libenter concedat: chrisma quoque, oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat: et pro his omnibus nullum munus accipiat, ne Spiritus sancti gratiam vendere conatus, Simonis damnationem, quod absit, sustineat. Hoc constitutum non solum episcopum Ambianensem, verum etiam omnes per Galliæ Germaniæque provincias episcopos, ubicunque præfatum monasterium vel ecclesias, vel agros, vel famulos habere dignoscitur, observare sine cunctatione, seu contradictione decernimus, ut nullus potestatis jure, de rebus præfati monasterii, sine voluntate abbatis fratrumque ipsius cœnobii abutatur; sed maneant omnia quæ collata sunt, fuerintque, in rectoris ipsius monasterii potestate, et regulari dispositione, neque sit aliquis vel regum, vel ullius potestatis, seu dignitatis fultus gradu, qui de monasterii præfati rebus, vel violenter, vel potenter invadat aliquid, vel diripiat. Abbatem vero fratres ipsius monasterii de se ipsis eligendi semper habeant potestatem, et eam personam eligant, quæ monachi propositum et habitu et moribus profiteatur, non canonicum, aut laicum, neque alterius monasterii monachum: quoniam monachico ordini præficere vel laicum, vel canonicum, non est servare ordinis professionem, sed evertere, quod unusquisque præpositus cujus est ordinis, ejus quoque erit et propagator: nec bene disponet aliquando cujuscunque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmulator. Sed neque rex, neque potestas aliqua, ullam monasterio Corbeiensi præponat personam, quam non fratres ipsius elegerint monasterii. Debent enim mundi principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari a Deo, videlicet ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet, neque justum videri poterit, ut sibi militantibus, de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant, et quod de republica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo. Qua de re præcipimus omnino, ut monasterio beatorum Petri ac Pauli, quod Corbeiæ dicitur, nullam præficiant personam, vel ex sibi militantibus, vel ex alienos monasterio sumptam, quæ non per electionem sumatur probabilem, sive de laico, sive de canonico, sive de quocunque fuerit ordine. Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, et necesse est semper adversarii tela clypeo protectionis repellere, decernimus ut abbas, postquam electus fuerit et ordinatus, nulla potestate prævalente dejiciatur, nisi in criminis causa fuerit deprehensus, cujus merito rectoris non debeat administrare officium. Infamiæ vero maculis, seu criminis alicujus denotatione si fuerit appetitus, non præter canonicam et regularem deponatur examinationem. Hoc vero constitutum si fuerit ab aliquo prævaricatum, per episcopum Ambianensem, quisque ille fuerit, ex nostra conveniatur, auctoritate, ut eum qui hujus sedis constituta convulserit, conveniat, et iniquitatis suæ culpam commoneat, cuique periculo subjiciatur, notum faciat. Quod si vel ipse neglexerit, vel despexerit, vel timuerit perficere, metropolitanus episcopus conventus a fratribus ipsius cœnobii, personam hujus sanctionis violatricem adire non differat, et hujus nostri decreti testificationem innotescat, utque ab eo quod prave gessit recedere non moretur, ex sua nostraque auctoritate contestetur. At si ille contumaciter in sui facti perpetratione permanere decreverit, et non quod inique gessit corrigere maluerit, licentiam habeant fratres monasterii prædicti Romanam apostolicamque sedem adire, et necessitatis suæ causas ante papam, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, et præsentis præcepti constitutionem manifestare: sicque Romanus pontifex, cognita causa, justæ damnationis sententia reum mulctare non cunctetur. Si quis vero sacerdotum vel clericorum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, ordinis sui dignitate careat; laicus vero, cujuscunque sit potestatis, vel dignitatis, si hujus privilegii decreta in aliquo violaverit, reum se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi vel ea quæ ab eo sunt mala ablata restituerit, vel digna [*edit. Rom.* vel legitima] pœnitentia illicite acta defleverit, Dei et beatorum apostolorum Petri ac Pauli auctoritate atque nostra sententia anathematis vinculo innodatus, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus existat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem venerabili monasterio justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ quietis inveniant. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione XI. Data IV Kalendas Maias, per manum

Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, an. XIV, et post ejus annum XIV [*forte*, et post consulatum ejus anno XIV, HARD.], indictione XI.

XXX.

NICOLAI PRIVILEGIUM PRO SANDIONYSIANO MONASTERIO.

(Anno 863.)

[Apud Felib., *Hist. de l'abbaye de Saint-Denis* inter *probat.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus ac filiis nostris in venerabili monasterio sancti Christi martyris Dionysii sub regula sancti Benedicti religiosa conversatione degentibus, nunc et futuris temporibus.

Quando ad ea quæ catholicorum regum corda pontificalibus sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio divina proveniente gratia succeduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri et læto sunt animo concedenda, quanto et ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde, juxta scripta petitoria filii nostri præcellentissimi regis Karoli, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto eidem monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus atque firmamus, ut sicut ipse gloriosissimus filius noster divino ductus amore, de villis ac facultatibus, seu stipendiis specialiter monachorum, et ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, ac matriculariorum, seu hospitum, atque pauperum usibus servata, vel emeliorata, seu aucta, ordinatione quæ tempore piæ memoriæ genitoris sui Ludovici Augusti, et Dagoberti quondam regis, atque aliorum regum, necnon et Pepini inclyti regis atavi ipsius, et Karoli imperatoris divæ memoriæ avi ipsius, exinde fuerat facta constituit, et præcepto suæ auctoritatis firmavit, privilegiumque venerabilibus fratribus ac filiis nostris episcopis illarum regionum fieri et confirmari fecit, ita sicut in eodem privilegio, atque præceptis regiis filii nostri Karoli exinde fatis continetur, perpetuo inconvulsa permaneant. Constituimus etiam auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum, vel abbatum, seu quilibet quacunque præditus dignitate, de his quæ in præfato privilegio, seu in præceptis ipsius filii nostri Karoli, ex his quæ præmisimus factis continetur, vel in futuro ab eo, vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata sub cujuslibet causæ occasione, sive specie, quidquam minuere vel auferre, et sive suis usibus applicare, vel aliis (quasi piis causis) pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere, sed cuncta quæ præfatis usibus monachorum, et ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, matriculariorum, hospitum, et pauperum oblata sunt, vel offerri contigerint, perenni tempore illibata et inconvulsa, ac sine aliqua inquietudine eorum usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura permaneant. Hæc igitur omnia quæ hujusmodi præcepti decretique nostri pagina continet, tam vobis quam cunctis qui in eo quo estis ordine locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerint, in perpetuum conservanda decernimus, salva in omnibus quæ hujus decreti pagina continentur auctoritate, et honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et sedis apostolicæ privilegio. Si quis autem temerario ausu magna parvave persona contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum : at vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Sophronii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione undecima. † Bene valete. Datum quarto Kal. Maias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo Augusto Ludovico, a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno quarto decimo regni ejus, indictione undecima.

XXXI.

EPISTOLA NICOLAI AD CAROLUM CALVUM.

(Anno 863.)

[Apud Dublet., *Hist. de Saint-Denis*, pag. 456.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, excellentissimo CAROLO regi Franciæ.

Supernæ miserationis respectu ad hoc regiminis curam suscipimus, ut pie precantium votis faveamus, et ad stabiliendam sanctorum firmitatem, in quibus laus divina die noctuque per universam Dei Ecclesiam per orbem diffusam Deo persolvitur, aurem accommodemus. Pro hoc enim præmium piissimum apud misericordem Dominum recipere credimus, si venerabilia loca opportune ordinata, et ad meliorem statum perducta, nostris fuerint privilegiis roborata. Igitur, quia litteris tuæ celsitudinis, fili charissime, nobis innotuisti de monasterio sancti Christi martyris Dionysii, speciali, ut scripsisti, patroni tui, quondam a Ludovico filio Dagoberti regis Franciæ, de potestate sedis Parisiacæ episcopi, cum consilio pontificum ejusdem patriæ quod fuerit ereptum, et abhinc sub regimine regum, vel clarissimorum abbatum semper dispositum, a nobis postulasti ut privilegium episcoporum de eodem monasterio factum nostro privilegio, imo magis apostolorum principis, roboraremus auctoritate, quod licentissime secundum tuam benevolentiam petitionem fulcimus : auctoritate siquidem beati Petri apostolorum principis qui potestatem ligandi atque solvendi a Domino accepit (*Matth.* XVI), cujusque nos vicarii existimus, stabilimus ut ipse sanctus locus sicut regum præceptis, et privilegiis apostolicis est fultus, per omnia tempora, sine repetitione cujuscunque episcopi Parisiacæ sedis, aut alicujus judiciariæ potestatis, vel cujuscunque præpotentis hominis, semper sicut præoptat et expetit benevo-

lentia tua, ratus futuro tempore permaneat, quatenus abbas et fratres ejusdem loci venerabiles, pro statu regni vestri et ablutione scelerum vestrorum, et filiorum vestrorum, Deo grates et vota solvere delectat. Si quis autem magna parvaque persona temerario ausu causa cupiditatis vel potestatis hoc nostrum decretum violare præsumpserit, si non resipuerit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei penitus alienum, et cum Juda traditore, vel cum omnibus impiis, æterni incendii pœnis damnatum; causa vero infractionis nostri privilegii ad posteros nostros perveniat. Observator autem hujus firmitatis gratiam et misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo consequi mereatur.

Scriptum per manus Sophronii notarii ac scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione undecima. Bene valete. Data quarto Kalendas Maias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo perpetuo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno 14 regni ejus.

XXXII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 863.)

Confirmatio synodi Suessionensis anni 853, *cum privilegio Hincmari archiepiscopi et Ecclesiæ Rhemensis.*

[Apud Mansi., *Conc.* tom. XV.]

NICOLAUS, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO Rhemorum archiepiscopo.

Pastoralis sollicitudinis cura constringimur, et loci sublimitate, qua nos superna providentia totius domus suæ generalitati præposuit, provocamur, ut apostolatus nostri apex in ea tanquam lapis positus angularis, ad imitationem ipsius, fidelibus quidem et humilibus tutissimum et firmissimum refugium, quo cuncti frangantur tumentes hostium fluctus, exhibeat; his autem qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt, sit lapis offensionis, et petra scandali. Proinde, quia dilectio tua, sequens instituta majorum, ea quæ possunt aliquam recipere quæstionem, ad nos, quasi ad caput et apicem episcopatus, referre episcopaliter [specialiter] studuit, (quod nos libenter accepimus, quia hinc dilectionem tuam memorem canonum comprobamus) synodum illam, quæ a te et cæteris venerabilibus archiepiscopis atque episcopis in urbe Suessionum [Suessorum] anno Incarnationis dominicæ 863, indictione prima, v Kalendas Maii fuerat celebrata, et a decessore nostro beatæ memoriæ Benedicto papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis pontifex illam confirmavit, ita et nos eam confirmatam, et irrefragabilem, perpetuoque mansuram apostolica auctoritate decernimus, salvo tamen Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicis. Præterea quidem et sancimus, ne quilibet ex Rhemorum Durocortorum

A provincia regionis Belgicæ regulariter subjectus Ecclesiæ, te contempto, vel posthabita coepiscoporum ipsius diœceseos provinciali synodo, impune audeat, seu valeat aliena expetere aut exspectare judicia, aut alienas contra canones ordinationes suscipere, vel ad alias provincias irregulariter convolare; sed ita ut Nicænorum et cæterorum conciliorum canonicis definitionibus est promulgatum, et beatorum Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Bonifacii, Leonis, Hilarii, Gelasii, Gregorii, ac cæterorum Romanæ sedis pontificum constitutionibus est decretum, salvo in omnibus jure apostolicæ sedis, velut ab ipso Christo et sacris est cautum canonibus, cuncti sive in prælatione, sive in subditione [subjectione] debita, ordinem ab ecclesiasticis regulis traditum observantes, metropolitanæ tuæ auctoritati, B honeste tamen et canonice præcipienti, obediant, et studiosius obtemperare procurent. Et hoc promulgamus, atque apostolica auctoritate statuimus, ut te, quem primatem ipsius provinciæ sanctæ memoriæ præsules prædecessores nostri, Leo scilicet in largitione usus pallii, et Benedictus privilegio suæ corroborationis, ut et antecessores eorum tuos prædecessores, canonica auctoritate et antiqua consuetudine, pro metropolis Ecclesiæ [Rhemensis] genio confirmaverunt, et nos primatu beati Petri Dei voce percepto pariter confirmamus. Nullius unquam infestatio contra canonica apostolicaque decreta sive judicia opprimat, aut ab Ecclesia tibi commissa virtute vel facultate nudare, aut ante audientiam Romani pontificis, quia nec regulæ hoc permittunt ecC clesiasticæ, judicare te vel condemnare præsumat. Quod etsi temerarius quisquam forte præsumpserit, nullius excommunicationis, vel obligationis, seu condemnationis sententia sine decreto Romani pontificis tenearis astrictus. Sed si a quocunque vel undecunque fueris compellatus ut debeas judicari, apostolici papæ judicio te reservari, nostra, imo beati Petri apostoli auctoritate decernimus; nec alterius cujuscunque juri, vel judicio te subjici, excepta potestate sedis Romani pontificis, nec ad alterius primatis provinciæ synodum, nisi ex communi placito, posse convocari mandamus. Ita tamen, si in nullo negotio, apostolicæ Romanæ sedis jussionibus inventus fueris inobediens. Et hoc constituimus, ne quilibet ex provincia metropoli tuæ tibique subjecta, jus secundum D ecclesiasticas constitutiones primatui Ecclesiæ tuæ et tibi debitum, et secundum sacros canones, et decreta Romanorum pontificum, ex antiqua consuetudine traditum ac constitutum, quoquomodo per contemptum convellere, aut provinciam dividere, aut tibi, vel Ecclesiæ tuæ, quamcunque violentiam contra eadem canonica constituta, et decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præsumat. Quæ omnia suprascripta violari a quoquam, cum anathematis interpositione, beati apostolorum principis auctoritate, et nostra apostolica sententia prohibemus. Eo duntaxat tenore et conditione hæc per hujus præcepti decretique paginam tibi omnibus vitæ

tuæ diebus habenda concedimus,ad tuæque securitatis quietudinem ac decorem valere disponimus : si tam in præsenti,quam semper,dum tamen in hac vita superstes exstiteris,in nullo ab apostolicæ sedis præceptionibus quoquomodo discrepaveris.Quod si a sanctæ Romanæ Ecclesiæ constitutis, vel ab ejus præsulum jussionibus, quolibet tempore inventus fueris segregatus,eorumque sive per epistolam,sive per verba,mandatis obedire neglexeris,hujus privilegii atque præcepti tenor nullius momenti penitus judicetur,et cuncta quæ in eo continentur, irrita in perpetuum atque inania prorsus existant. Si quis autem temerario ausu,magna parvave persona,contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. At vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Zachariæ notarii regionarii, et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione XI. Bene vale. Data IV Kalendas Maii, per manus Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ,imperante piissimo domino imperatore Augusto Ludovico, a Deo coronato, magno, pacifico,imperii anno XIV, indictione XI.

XXXIII.

AD EUMDEM.

(Anno 863)

De Rothado iterum præcipit ut Romam mittatur juxta litteras ad synodum rescriptas, et de privilegiis,quæ Hincmarus Ecclesiæ suæ confirmari postulabat, differt assensum.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HINCMARO archiepiscopo.

Beatitudinis tuæ lectis apicibus, quia fraternitatem tuam circa sanctam Romanam sedem,cui auctore altithrono præsumus, ergaque nostrum pontificium,in eadem qua solita erat [edit.Rom., *persistere*]devotione respiremus,lætitia multa repleti, debita omnipotenti Domino gratiarum officia persolvimus, sanctitatemque vestram ad sedem apostolicam, de his quæ sibi visa sunt referentem, ac pro Ecclesiæ sibi commissæ necessitatibus, atque utilitatibus,apostolatum nostrum postulantem laudavimus ; et nihil esse quod fraternitati tuæ denegare oporteret penitus judicantes,ut annueremus petitis confestim corde concepimus, menteque deliberavimus. Cumque lectis monumentis gestorum,quibus cum cæteris coepiscopis tuis visa est tua quoque venerabilitas subscripsisse, invenimus sanctissimum fratrem Rhotadum apostolicam appellantem sedem, vobisjudicantibus,gradu episcopatus dejectum valde doluimus ; et cordis nostri gaudium,quod fratris et coepiscopi nostri Odonis adventus fecerat,cognito a veneratione tua contra spem hujusmodi commisso mœror continuus pepulit. Præsertim cum tanta fuerit apud sedis apostolicæ præsules circa reverentiam tuam ex longo jam tempore confidentia,ut tibi præsentia tuæ dilectionis existeret,nunquam appellantem aliquem apostolicam sedem, quodvis sustinere detrimentum credere aliquo modo quivissemus, etiamsi de hujusmodi re in sacris canonibus quid observandum esset nihil prorsus inveniretur. Præcipue cum tantæ sapientiæ te virum esse non nesciremus, tantæque familiaritatis fiduciam apud dilectum filium nostrum regem Carolum comperissemus tuam habere sanctimoniam,ut si qua in illis partibus mala in Ecclesia Domini pullularent, per tuæ sollicitudinis industriam resecare radicitus,meditaremur. Debuerat certe beatitudo tua, cum Rothadum toties examinaveras, scribens sancti Petri memoriam honorare, ejusque judicium, etiamsi nunquam appellasset idem Rothadus,modis omnibus præstolari.Et si id agere noluisses, saltem post appellationem,cathedræ ipsius, qui videbatur ejectus,alterum non ordinasses, priusquam ejus causa juxta sacros canones in nostro judicio fuisse terminata.Verum de Rothado,viro venerabili, secundum indultam nobis a sanctis regulis potestatem,quæ præcipiunt id observandum, quod nostro qualicunque consilio visum exstiterit,in epistola nostra,quam ad communes fratres et coepiscopos nostros in regno gloriosi regis Caroli charissimi filii nostri constitutos transmisimus, inter quos et tua connumerata sanctitas cernitur,decretum atque definitum a nobis esse dignoscitur.Ad quam fraternitas tua recurrens, quid de te censuerimus facile cognoscere poterit. Cui definitioni nostræ bene facies attendendo,ne si diutius contra interdicta præsumpserit, canonicis legibus augustetur.Privilegia præterea ab apostolica sede vestræ Ecclesiæ confirmanda deposcitis, qui tamen nostra privilegia quantum in vobis est,infirmare satagitis.Portum salutiferum sanctam Romanam Ecclesiam appellatis,qui tamen in eo ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quomodo, rogo, privilegia tua stare poterunt,si ita privilegia illa cassentur,per quæ tua privilegia initium sumpsisse noscuntur? aut cujus momenti erunt tua,si pro nihilo nostra pendantur? si namque sal infatuatum fuerit, in quo salietur? (*Matth*.. V.) Verumtamen sanctitati ac dilectioni tuæ injungimus atque præcipimus,ut lecta sanctionis nostræ pagina, quam per Odonem communem fratrem et coepiscopum beatitudini tuæ,atque cæteris comministris tuis direximus, quæ de sæpe nominato Rothado decrevimus,una cum eis studeas consummatione perficere: quatenus et charitati nostræ et amicitiæ atque gratiæ particeps semper inveniaris,et ad amputanda noxia hostium sanctæ Dei Ecclesiæ germina, atque ad salubria serenda sanctitatem tuam consociam, de cætero familiariter habeamus : sicque demum tanto studeamus,etiam non postulati,contra omnes malevolos tuos, tuæque Ecclesiæ adversarios, tibi privilegia promulgando, et arctius inhærendo, for-

titer expugnare, quanto senserimus fraternitatem A tuam contra beati Petri apostolorum principis ejusque sedis privilegia nullo argumento, nulla prorsus adinventione anhelare; sed in eorum veneratione, et defensione, atque excusatione, totis viribus, tota intentione velle persistere. De reliquo, frater charissime, hortamur ut dilectissimum filium nostrum Carolum, excellentissimum regem, ad divina præcepta semper erudias, semper accendas, et ut in ea qua cœpit devotione, atque dilectione erga sanctam Romanam Ecclesiam, apostolicamque sedem permaneat, studio curioso decertes, solertioque prudenti semper invigiles. Cætera vero, quæ hujus paginæ tenoris inserta non sunt, communis frater et coepiscopus Odo qui de tuæ sanctitatis virtutibus nostrum animum plurimum exhilaravit, viva voce poterit B enarrare. Sane postremo ad memoriam tuam reducere volumus, nos ecce jam secundo, ut virum venerabilem Rothadum apostolicæ sedi destinasses, sanctitati tuæ misisse. Quod providendum est, si tertio dilectioni tuæ dirigere pro hoc ipso coacti fuerimus, ne in contemptorem sacrorum canonum diffinitivam ac peremptoriam, quod non optamus, sententiam proferamus. Dextera te supernæ majestatis protegat semper, et ab omnibus adversitatibus illæsum custodire dignetur.

XXXIV.

AD EUMDEM.

(Anno 863.)

Ut Rothadum episcopum Suessionensem dejectum sedi suæ intra dies triginta restituat, aut Romam cum C *eodem ad causam dicendum veniat.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo fratri nostro HINCMARO Rhemorum archiepiscopo.

Sanctitatem vestram, quam semper in virtutum exercitiis conversantem comperimus, et in doctrinis ecclesiasticis proficientem, fama crebrescente didicimus, aliter apostolicam reverentiam præ oculis habere sperabamus, quam frequens dictat opinio. Denique fidelium multorum exinde dolentium auditu veraci cognovimus, quod Rothadus frater et coepiscopus noster Ecclesiæ Suessionicæ pro quodam presbytero qui pro facti sui qualitate honoris proprii ante triennium fuerat privatus officio, a vestra D sanctitate fuit impetitus, et adhuc, quod nefas est, sedem apostolicam appellans, juxta quod sibi a patribus constat esse permissum, episcopatus etiam absens exspoliatus honore, et in exsilium deportatus, hactenus in monasterio retrusus existat. Unde gemimus, valdeque dolemus. Nam cum debuerat honoribus pro sua senectute multiplicibus ampliari, et pro tot laboribus et obsequiis in Ecclesia Dei, pariter et principibus mundi, fideliter ac utiliter impensis, majori dignitate frui, et jam tandem sine cujusquam impulsione quietus existere: nunc e contra dehonestatus, et ad injuriam beati Petri apostolorum principis, cujus sedem appellaverat, fame, et siti ac innumeris maceratus miseriis, ac depositus pariter et abjectus existit. Unde valde miramur, ac vehementissime obstupescimus, quomodo luminum vestrorum serenitatem tam repentina potuerit obtenebrare caligo, adeo ut privilegia apostolicæ sedis, quæ intemerata a tota Christi servantur Ecclesia, contemplari despexeritis, atque ipsos paternos canones nescimus qua auctoritate disruperitis. Quod omnino inultum manere non patiemur, ut qui prohibita præsumpsit, minime quæ sit censura canonica experiatur. Ita ut omnibus manifestum faciamus, quod nullum fratres nostros aliquo modo patiamur sui sustinere dispendium, neque sanctorum Patrum statuta vilescere permittamus. Verum interim Dei summi sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli, et nostra per eos auctoritate, fraternitati vestræ injungimus, ut si nostræ charitatis et communionis, sicut hactenus voluistis videri participes, jam dictum fratrem nostrum Rothadum episcopio partier et pristino honoris sui officio restituatis: ita ut tali per omnia decoretur honore, et omnibus ita reddatur integer officiis, qualem illum eo constat fuisse tempore, quando expellendus apostolicæ sedis memoriam fecit Et ita demum, si qui videntur illius esse calumniatores, cum presbytero illo qui dejectionis ipsius causa exstitit, Romam pariter cum sæpe nominato Rothado, omni remota occasione, indesinenter occurrant. Hoc autem expresse decernimus, ut post triginta dies, postquam hæc nostra epistola ad vos delata fuerit, aut præfatum virum Rothadum omnino restituatis pristinæ dignitati, aut, si juste vos in eum egisse putatis, Romam eum eodem vos, vel vester legatus vestram invlcem in omnibus ferens, ut utriusque partis causam ad liquidum sciamus, adveniat. Quod si post præfixos triginta dies, quæ in hac apostolica auctoritate plena continentur epistola minime obedire ac perficere studueritis, decernimus ac promulgamus, ut missarum solemnia tandiu celebrandi non habeatis licentiam, quandiu quæ definimus perducta ad consummationem non fuerint. Qua sententia non solum vos, sed et omnes episcopos obligare decernimus, qui vobis in depositione præfati viri Rothadi consensisse noscuntur. Idipsum vero illos per vos scire præcipimus.

XXXV.

AD EPISCOPOS SYNODI SILVANECTENSIS.

(Anno 863.)

Rescindit acta synodi contra Rothadum: jubet ut ab exsilio revocetur, Romamque ad retractandum judicium cum synodi legatis dirigatur. Respondet etiam sub finem de Balduino, et de causa Lotharii ac Theutbergæ.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, reverentissimis confratribus nostris, metropolitanis, episcopis et cæteris diversarum provinciarum ac urbium præsulibus, qui in Convicinum villam publi-

cam secus civitatem Silvanectensis concilii [*Legendum videtur*, concilii causa, *ex Grat. dist.* x, c. 4], convenistis.

Scriptis dilectæ fraternitatis vestræ susceptis, et inspectis attentius in eis omnis scientiæ et sapientiæ sanctitatis vestræ fluentis, quæ non aliunde in pectora vestra utique nisi ab ipso fonte vitæ poterant emanare, cognita devotione et summi amoris affectu, quem circa hanc sanctam Romanam Ecclesiam, apostolicamque sedem vos retinere monstrastis; et quoniam ex amore secundum constitutionem majorum, ut eadem ipsa verba ponamus, non solum de omnibus quæ possunt aliquam recipere dubitationem, vel quamcunque incurrere quæstionem; verum de cæteris atque majoribus negotiis ecclesiasticis exsequendis, ad apicem episcopatus, id est ad magni Petri sedem debere vos referre cognoscitis: horum auctori ac omnium bonorum largitori Deo, et Domino nostro gratiarum multimodas retulimus actiones. Qui ideo in sancta Ecclesia vos rutilantes, tanquam splendidas stellas verbum vitæ continentes, et morum ac virtutum vestrarum lumine longe lateque proximus illustrantes voluit collocare, ut merito eamdem sanctam Ecclesiam, juxta ipsius magisterii dictum, cœli nomine, ubi talia nimirum fulgent luminaria, valeamus veraciter appellare. De cætero vero, fratres charissimi, dicentes in provinciis vestris paganorum crebris vos laborare infestationibus, insuper et Ecclesias Christi in illis partibus constitutas ab intestinis, id est a suis multa incommoda tolerare, plurimum lamentamur, et vobis oppido compatimur, et contristamur. Quamvis, dilectissimi, non adeo super his contristari ac mœroribus affici debeatis, scientes quoniam tribulatio, secundum Apostolum, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundetur (*Rom.* v.) Siquidem locus hic est afflictionis, hic convallis lacrymarum, donec videamus Deum deorum in Sion. Hic est ubi in lacrymis seminamus, ut postmodum in gaudio metamus. Hic est, inquam, Ægyptus, hic est fornax ferrea, ubi spiritalem Israelem diris oportet lateribus fatigari, donec terram promissionis ingrediamur, id est, donec Dominus cum ei perfecte placuerimus, in regione vivorum se nobis promissum ostendat. Hic opus est, ut quæ ad templi sancti structuram pertinent, summi artificis manu et provisione aptentur: ut cum tonsiones, sonitus, pressuræ, ac persecutiones sæculi præsentis transierint, sine aliqua tortitudine vel inæqualitate in cœlesti fabrica, tanquam lapides vivi idonei, in omnibus comprobemur. Quapropter hæc scientes, dilectissimi, spei vestræ anchoram in cœlesti statione figentes, hujus mundi procellas despicite: quia protector noster omnipotens jam non dormit, qui imperat, et mare et venti obediunt ei, fitque tranquilitas magna. Propterea de Rothadi damnatione apostolicæ sedi referre jure studentes, petistis ut nostra etiam auctoritate rata esse probarentur, quæ de eo apud vos in concilio acta fuisse perhibuistis. Quod agere penitus recusamus, quoniam nos, ut eadem ad Flavianum sancti Leonis dicta ponamus, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus cujusque partis præjudicio diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. Sed fortasse dicetis, vos universa quæ de eo gesta sunt nobis per scripturæ seriem veraciter retulisse, et per fratrem et coepiscopum nostrum Odonem, qui pene conciliis vestris semper affuerit, cuncta pleniter intimasse. Quibus scitote nos satis credere, et ad custodiam disciplinæ ecclesiasticæ consensum præbere potuisse, nisi excusationes et defensiones illius, suggestorumque series innocentiam ipsius, et vestram nocentiam demonstrantium, a vicinis vestris compluribus apostolatui porrectæ apud nos haberentur, et frater coepiscopus noster Odo nihil accusationis publicæ voluerit a nobis interrogatus ei objicere. Quanquam si objecisset, nihil ad damnationem jam dicti Rothadi proficeret, cum neminem partis illius, qui objectis vel annueret, vel remueret, nostram constaret adiisse præsentiam (nam accusatores quæcunque voluerint dicunt) et sciamus juxtum mediatorem non esse, qui sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reservet. Præsertim cum Dominus pro absente, et non audito, per Moysem, præcipiat, *jam non maledices*, inquiens, *surdo, nec coram cæco pones offendiculum* (*Levit.* xix). Ignorare autem fraternitatem vestram non patimur, animum nostrum non mediocriter læsum, eo quod secundum gestorum tenorem et vestrarum suggestionum, quas ad sedis apostolicæ direxistis, cognitionem, appellantem eumdem Rothadum apostolicam sedem deposueritis, ac in monasterio retruseritis: quod nonnisi in contemptum beati Petri, cujus judicium expetivit, et in contumeliam sacrorum canonum, et ecclesiasticarum traditionum præsumptum, ac temere admissum minime dubitatur. Insuper autem, et ad imminutionem apostolicæ et summæ sedis privilegiorum, quibus vestrarum quoque ecclesiarum privilegia firmare deposcitis, imperatorum leges proponitis, quibus quasi prohibentibus, astruere non habuisse appellationis vocem Rothadum nitimini, cum constet constitutionibus mundanarum legum, et imperatorum, non omnibus [*forte*, non in omnibus. Hard.] ecclesiasticis controversiis utendum esse, præsertim cum inveniuntur ecclesiasticæ (*edit. Rom.*, evangelicæ) ac canonicæ sanctioni obviare. Ad quod ostendendum duorum heroum, Innocentii scilicet et Gregorii, satis sufficiunt testimonia. Sanctus Innocentius quidem in decretali epistola sua ad Alexandrum Antiochenum episcopum, ait: Nam quod sciscitatis, inquiens, utrum divisis imperiali, judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari. Non ergo visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque ac divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator. Beatus autem Gregorius scribens ad Theoctistam patriciam, inter cætera: Si enim, inquit,

religionis causa conjugia debere dissolvi dicunt, sciendum est quia, etsi hoc humana concessit lex, tamen divina prohibeat. Ecce quemadmodum imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi : ecce qualiter quod lex humana concessit, lex divina prohibeat. Non quod imperotorum leges, quibus sæpe Ecclesia circa hæreticos utitur, sæpe circa tyrannos, atque circa pravos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas : sed quod eas evangelicis, apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præjudicium asseramus. Quanquam scripseritis appellationes ejus frustratorias, excusationes ac dilationes fuisse tantum querentes, quod quibus argumentis firmetis, præsertim cum annuentibus sibi canonibus apostolicam sedem appellasse solemniter videatur, non facile patet. Quippe cum nemo sciat, secundum veritatis attestationem, quæ sunt in homine, nisi spiritus ejus qui in ipso est. (*I Cor.* II). Quis autem nesciat constituta Sardicensis concilii ? quæ præcipiunt post aliquot capitulo quarto : Si quis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putaverit se bonam causam habere, ut iterum concilium [judicium] renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices : si autem probaverit talem causam esse ut non refricetur, præsertim quæ acta sunt si decreverit, confirmata erunt. Item capite octavo, Osius episcopus dixit : Placuit autem, ut si quis episcoporum accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri, si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his ecclesiis dignetur, quæ in finitima et proxima provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem charitatis diffiniant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, quid velit, et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. Sed sicut in suggestionum vestrarum invenimus scriptis, non habuisse Rothadum appellationis vocem affirmare conamini, eo quod non habuerit bonam causam : cum constet sæpefatum Rothadum usque hodie bonam se habere causam putare, et venerandum concilium, non solum eum qui causam habet, sed et illum pui se bonam causam habere saltem putaverit, sedem apostolicam appellare permiserit, et hujus ab ea renovandum judicium decreverit. Maxime cum juxta constitutionem sanctæ hujus synodi, etiamsi nunquam reclamasset, nunquamque sedis apostolicæ mentionem fecisset, a vobis, qui causam ejus examinastis, memoria sancti Petri honorari debuerat, atque ei præscribi, ut si judicaret renovandum esse judicium, renovaretur, et daret judices. Verba certe [*forte*, vel certe. HARD.], sicut superius commemoravimus, ex ejusdem concilii sanctione, quod si probata viderentur, statueret. Sed quid mirum sit, hoc in despectu apostolorum principis vos contempsisse, cum ad injuriam sacrorum canonum, et venerabilium Romanorum pontificum decretorum, perpetrasse adhuc pejus inveniamini? scilicet, ut post appellationem et reclamationem Rothadi, in cathedra ipsius alterum consecraretis [*edit. Rom.* consecraveritis] : cum id manifestissime a sacris regulis constet esse alienum, ut loco depositi omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata. Sed dicitis, post appellationem apostolicæ sedis illum vocem mutasse, et episcoporum concilium expetisse. Quibus cum pace vestra fatemur, quamvis vestris assertionibus fidem adhibeamus, et ita fecisse illum. quoniam non est quod possit non credi sanctimonio, veraciter teneamus : tamen qua hoc intentione egerit (*a*), vel quod si interrogetur a nobis, respondere penitus non ignoramus, ut sicut in aliis, et incertæ rei dubium usque [*forte*, ob incertæ rei dubium usque, HARD.] ad utriusque partis examinationem procul dubio remeetur. Præterea fraternitatem vestram non credimus ignorare, ante ad fratrem nostrum Rhemorum episcopum apostolatus nostri nos misissæ apices, ut aut sæpefatum Rothadum venerabilem infra triginta dies post litterarum nostrarum sibi missam epistolam pristino gradui restitueret, aut eum cum idoneo suo legato, si ipse venire non posset, una cum accusatoribus ejusdem viri, si tamen essent, atque cum presbytero, qui causa dejectionis ejus fuit, misisset. Quod si neutrum agere voluisset, post triginta dies præfixos, nec ipse, nec quilibet episcoporum, qui in depositione præfati episcopi consenserant, licentiam missarum solemnia celebrandi penitus habuissent, quousque quæ salubriter decreta nobis essent, obedienter ac pleniter ad effectum consummationis perducerent. Sed ad scripta vestra tendentes, quæ nunc per fratrem et coepiscopum nostrum Odonem ad sedem apostolicam destinastis, invenimus jam dictum sanctissimum virum judicio ac consensu vestro, et episcopatu privatum, et in monasterio hactenus esse retrusum : insuper et in cathedra ipsius alterum episcopum ordinatum. Quod quam sit exsecrandum, quamque a nobis nulla penitus patientia tolerandum, dici non prævalet, etiamsi cuncti corporis artus vertantur in linguas. Certe dum suggestiones, relationes, preces, consulta vestræ sanctitatis scriptis atque verbis nostris fuissent auribus inculcata, mox mente concepimus, et pene cuncta ut annueremus atque indulgeremus disposuimus. At ubi injuriam sancti Petri, sedis apostolicæ privilegiorum immunitiones, sacrorum canonum conculcatio-

(*a*) Locus obscurus.

nem perspeximus; nihil potuimus vobis propinare dulcedinis, qui toti nimirum repleti sumus amaritudine. Siquidem e contrario pro tanti contemptus mole digna vos animadversione canonica severitate merito puniremus, nisi apostolica moderatio paululum nos ad magnanimitatem, et vestra dilectio provocasset. Quod autem qualiter in vos competenter et regulariter exerceremus, ipsi nos litteris vestris affatim, et manifestissime docuistis, quæ, si opportunitas fuerit, colligi et ostendi facilius possunt. Sane interim apostolica atque canonica auctoritate vobis duntaxat episcopis, qui in depositione et exsilio supradicti Rothadi vel judicium dedistis, vel consensum præbuistis, præcipimus ut eum mox ab exsilio revocetis. Et quia secundum indultam sibi a scriptis regulis licentiam, hactenus appellare sedem apostolicam dicitur, Romam illum ad suam causam in nostra apostolica præsentia peragendam ac determinandam destinare, imo dirigere nullo modo postponatis. Dignum quippe est ut, qui vestro omnium judicio in exsilium deputatus est, vestro sit e contrario communi studio beati Petri memoriæ, et sedi ejus honorifice præsentatus. Ex vobis vero præcipimus, ut duo, vel tres, aut certe si libet plures mittantur, qui ita cunctis vestrum omnium præsentiam præferant, ut quidquid agendum est, vel experiendum fuerit, refricata quæ acta sunt vestra omnium vice prorsus sciscitentur. Quod si vos occurrere nequiveritis, vicarios vestros mittite : et ita una cum præfafato religioso fratre vestro Rothado pariter veniant, in omnibus, sicut superius diximus, ad cuncta exsequenda, vel certe experienda quæ ventilata coram nobis exstiterint, vicem vestram et personam habentes. Quod si postposito nostro judicio, quod auctoritate apostolica promulgavimus atque decrevimus, occurrere contemnitis, Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui divina dispositione præsumus, est Domino consecrata, atque sanctorum canonum, quorum vos contemptores scriptis propriis ostenditis, necnon et nostræ mediocritatis auctoritate a missarum solemniis celebrandis estote prorsus, quousque nostris diffinitionibus obediatis, extorres : ita sane, ut si post lectum hujus paginæ tenorem, infra triginta dierum spatium, quæ de Rothado viro venerabili sanximus agenda fore, minime studueritis perficere. Scientes profecto, quoniam si post hæc in sanctarum regularum et [*forte*, nostrum, Hard.] nostrarum contemptum fueritis diutius conversati, ipsum quidem Rothadum a nobis, apostolicæ sedis more, a damnationis vinculo fore solvendum, atque convocato episcoporum cœtu, foveam quam ei parastis, vobis procul dubio præparandam. Vos autem, dilectissimi, nolite nostra decreta moleste ferre : quia sicut beatus Innocentius Macedonibus scribit, grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris, cujuscunque retractari judicium : quia veritas exagitata sæpius magis splendecit in luce, et pernicies revocata in judicium gravius et sine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus justitia recens erit, fratres charissimi, præsertim cum nihil nobis amplius sit cum Rothado quam cum omnibus Christianis. Verum privilegia sedis nostræ usque ad mortem, divina annuente gratia, vestigia patrum nostrorum sequentes defendemus. Sed et vos illa quatenus illibata, utpote totius Ecclesiæ Domini remedia, custodiantur, toto conamine, et omnibus votis operari ac suadere debeatis. Quoniam privilegia sedis apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius Ecclesiæ catholicæ, privilegia, inquam, hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, unde scitis quod cras cuilibet non eveniat vestrum? Sic Apostolus admonet dicens : *Qui putat se stare, videat ne cadat* (*I Cor.* x). Quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium? Hæc quidem de Rothado satis dixisse sufficiat. Cæterum de Balduino, de quo multa jam scripsitis, sciat beatitudo vestra, non nos regulas atque sancta decreta velle corrumpere : sed quia ad limina apostolorum veniens a nobis se petiit ajuvari, quanquam nossemus, quod filius noster Carolus gloriosus rex legaliter posset ei, si vellet, et filiam suam in uxorem dimittere, et misericordiæ suæ gratiam impartiri : tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus. Quod textus epistolarum nostrarum, quas ad jam fatum excellentissimum regem, et filiam nostram reginam, ad id obtinendum direximus, vobis satis poterit indicare. Nam pro tam præsumptuosa temeritate ipsius viri, maxime cum consideremus dilectissimi filii nostri Caroli sublimis regis contrinionem cordis, et pectoris naturalem affectum, et nos valde doluimus, et ei tota mentis affectione usque hodie compatimur. Sed vestra fraternitas prævideat, sicut ait Apostolus : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v) : et jam, sicut ipsi in vestra pagina testamini, periculosa tempora instant. Ne ergo pejus adhud aliquid oriatur, intervenientes apud eumdem gloriosissimum regem, filium nostrum charissimum, quo et ipsius cordis mærorem pellatis, et eidem Balduino non usquequaque inflexibilis perseveret; præcipue quoniam apostolorum auxilia deprecatus est, et divina præsidia requisivit. Nulli etenim regum grave esse videri debet conservo suo debitum centum denariorum dimittere, qui fortasse suo a summo regum, et Domino dominorum decem millia talentorum sibi dimitti desiderat. Porro quid de Lotharii uxoribus censuerimus, quando et de hoc nostro scripsistis præsulatui, in epistolarum nostrarum, quas per fratres et coepiscopos nostros Rhadoaldum et Joannem in Galliam misimus, poteritis exemplaribus reperire. Quæ videlicet exemplaria una cum commonitorio, quod præfatis fratribus nostris pro hac eadem causa ad Lotharium regem missis dedimus, per fratrem et coepiscopum nostrum Odonem vestræ sanctitati transmisimus. In quibus patenter animadvertere atque scire potestis, nobis omnino non opus esse, ut

sentiam, quemadmodum nos hortari voluistis, melius [*in edit. Rom. deest* melius] commutemus. Quoniam divina favente gratia, tantum cupimus hujusmodi scelus, secundum creditum nobis cœlitus ministerium, ab Ecclesiæ facie radicitus amputare; ut si hac vice idem Lotharius monitis salubribus, ac diffinitionibus nostris prælatis [*forte*, præfatis, HARD.], et epistolis nostris regulariter sibi missis noluerit obedire, nec ad pœnitentiam competenti satisfactione præmissa quantocius repedare a nobis, atque a totius Ecclesiæ corpore, canonica atque apstolica sententia efficietur, una cum omnibus fautoribus et communicatoribus suis, penitus alienus, Præcipue vero quoad eum quem perhibetis die natalis Domini super adulteros benedictionem, quæ maledictio potius credenda est, protulisse [*in edit. Rom.* petivisse]. Ne vero simplices quique adulteris aliquatenus cessisse falso nos opinentur, non incongrue nostri super hoc animi votum omnibus fratribus et coepiscopis nostris intimantes, et concionando in ecclesiis vestris publice, cunctis id ad liquidum subditis exponite. De vocandis autem ex singulis provinciis pro congreganda synodo episcopis, unde scripsistis, sciat sanctitas vestra, misisse nos duos e latere in Galliam fratres et coepiscopos nostros, quorum superius memoriam fecimus, qui synodum pro examinanda causa Theutbergæ et Waldradæ feminarum convocarent: ubi et binos ex vobis præsules, sicut de aliis regnis, adesse præcepimus. Qui nisi antea reversi fuerint, et quæ egerint noverimus, nequaquam de concilio faciendo aliquid deliberare concite possumus. Licet postquam a nobis sunt separati, audivimus Lotharium a sede apostolica petitum non exspectasse consultum, nimirum quod præviderat suo detestando minime pariturum piaculo. Postquam vero præfati fratres nostri reversi fuerint, et nobis quæ gesserint enarraverint, legatos idoneos ad concilium, quod petitis, convocandum mittere ad locum designatum Deo opitulante curabimus. Omnipotens Deus ad profectum et custodiam sui gregis, super quem vos rectores ponere voluit, et hic illæsam sanctitatem vestram conservare dignetur, et post certaminis coronam in cœlesti patria faciat percipere gloriosam.

XXXVI.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Intercedit pro Balduino, et de Rothado indicat quid scripserit ad Hincmarum, et reliquos episcopos: hortaturque illum Romam dirigat. Tum de acrioribus litteris suis satisfacit, quibus Carolus fuerat offensus.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilicto filio CAROLO glorioso regi.

O quam vera est, fili charissime, illa sententia, quam, Salomone attestante, de se Sapientia profert, cum perhibet, dicens: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt!* (*Prov.* VIII.) Quod nisi verum esset, nunquam omnino vestra sublimitas tantæ humilitatis poterat decore vestiri. Quod nisi verum esset, nunquam privatarum legum apostolicæ sedis decreta tam facili potuissetis capere mentis intuitu. Nam cum de quodam contra Deum se efferente dicatur: *Ipse rex super universos filios superbiæ* (*Job* XLI), et vos e diverso summa videamus humilitate præditum, quid nisi vestram regalem excellentiam imitatione filium esse illius poterimus advertere, qui ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde?* (*Matth.* XI.) Per sapientiam ergo reges regnant, quia sapientia Patris, juxta Apostolum, Christus est (*I Cor.* I), qui est rex regum, eorum scilicet qui omnes motus corporis, omnesque mentis illicitos appetitus competenti regere moderamine norunt: de quorum numero per divinam gratiam, vos etiam perspicimus et lætamur, et Deo omnipotenti gratias, ex quo regnatis, multiplices exhibemus. Interea noverit dilectio vestra (a), Balduinum, ut nobis intimastis, qui natam vestram sibi furto in uxorem contra fas sociavit, quem ideo venerandi præsules, Ecclesiam Domini in regno vestro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina apostolorum accessisse, et ut a vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, sedem adiisse apostolicam. Nos autem non solum eum a vinculis minime absolvimus, aut in communione nostra recepimus; sed potius tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus, atque vestri pectoris naturalem affectum considerantes doluimus, vestræque mœstitiæ participes effecti, vobis hodieque compatimur. Verum quoniam ad divina sese præsidia contulit, amatorumque vestrorum Petri ac Pauli apostolorum principum, sibimet expetiit affore subsidia, non potuimus omittere quominus, ut gratiam vestram perciperet, apud piam excellentiam vestram interveniremus. Verum vestram in omnibus præ oculis habentes dilectionem, quanquam sciamus et filiam vestram, si libet, posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, et pietatis vestræ clementer gratiam impertiri, non tamen jussa misimus, sed preces obtulimus. Sed quoniam dicit Apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* V), et ab eo prædicta periculosa novissima ecce jam imminent tempora, provideat solers vestra sublimitas, ne ex hoc deterius adhuc forte aliquid oriatur. Et ita vos cauta provisione undique temperate, ut mœror cordis vestri procul abigatur, et circa jam dictum Balduinum usque in finem nequaquam inexorabilis vel inflexibilis [*al.*, inexorabiliter, vel inflexibiliter,

(a) *Balduinum, qui natam vestram.* Furtivæ primum, postea legitimæ inter Balduinum et Judith actæ sunt nuptiæ, Hincmarum in eadem epistola apud Flodoardum: « Dominus etiam noster rex, filus vester, huic desponsationi et conjunctioni interesse non voluit: sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges sæculi eos uxoria conjunctione adinvicem copulari promisit, et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit.» IRM.

HARD.] persistatis. Non quo vos hæc dicendo terminos, quos posuere patres nostri, transgredi cupiamus, quos per gratiam Dei immotos perseverare semper optamus; sed quo gloriam vestram ultra quam dici possit diligentes, nullum velimus locum dare occasionem quærenti [*forte*, quærenti, *vel* quærendi. HARD.]. Præcipue cum idem Balduinus divinum postularit auxilium, et sanctorum Petri ac Pauli, intercessorum vestrorum, quemadmodum prætulimus, ut gratiam plenam a vestra clementia consequeretur, legationem atque interventionem petierit. Non plane immemor, quod ante aliquot annos quidem, qui in hujuscemodi noxam incurrerat, memoriam et sedem adiisset cœlestis clavigeri, ejusque vicarii interventu apud piæ memoriæ imperatorem Lotharium, non perdita conjuge, plenissimam indulgentiam simul et gratiam percepisset. Nulli præterea regum grave esse videri debet (quod tamen cum pace vestra dixerimus), conservo suo debitum centum denariorum dimittere, qui fortasse a summo regum et Domino dominorum decem millia talentorum sibi laxari desiderat. Porro dilectio vestra noverit, misisse nos ad Hincmarum confratrem nostrum Rhemorum episcopum, et ad cæteros metropolitas atque episcopos regni vestri, ut venerabilem virum Rothadum ab exsilio revocarent, Romamque ad ipsius causam in nostra præsentia examinandam dirigerent. Dignum quippe est, ut quorum judicio in exsilium est deportatus, eorum sit communi studio beati Petri memoriæ, sedique ipsius honorifice præsentatus. Ex illis autem præcepimus, ut duo vel tres, aut certe quotquot voluerint, veniant, qui ita in cunctis reliquorum, qui occurrere non potuerint, præsentiam præferant, ut quidquid agendum est, vel experiendum, dum fuerint refricata quæ gesta sunt, ipsorum omnium vice prorsus utantur. Quod si postposito nostro judicio, quæ auctoritate apostolica promulgavimus atque decrevimus, perpere contempserint, Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui divina dispensatione præsumus, est Domins consecrata, atque sanctorum canonum quorum contemptores propriis scriptis esse liquido demonstrarunt, necnon et nostræ mediocritatis auctoritate, a missarum solemniis celebrandis sint, quousque diffinitionibus nostris obediant, prorsus extorres: ita sane, si post lectum paginæ sibi a nobis missæ tenorem, infra triginta dierum spatium, quæ de Rothado viro venerabili agenda sanximus, minime consummare studuerint. Scientes profecto, quoniam si post hanc [*forte*, posthac, HARD.] in sanctarum regularum et nostro contemptu fuerint diutius conversati, ipsum quidem Rothadum a nobis, apostolicæ sedis more, a damnationis vinculis fore solvendum: atque convocato episcoporum cœtu foveam, quam paravere, semet penitus incidendos. Quamobrem vestram nihilominus suavissimam pietatem monemus, et quantis possumus viribus exoramus, vel etiam tanquam devoto filio præcipiendo fidenter mandamus, ut jam dictum Rothadum vestro adjutum solatio ad nos usque misericorditer dirigatis: quatenus juxta decreta sanctorum pontificum Romanæ Ecclesiæ, atque statuta sacrorum canonum, nostro sit ipsius causa judicio terminata. Nam mihi credite, supra modum in damnatione prælati viri, et noster est animus læsus, et totius Ecclesiæ filiorum, ad quorum notitiam pervenit, vehementer offensus. Maxime quod ante et post damnationem suam, sedis apostolicæ idem venerabilis vir appellaverit judicium, nec impetraverit, et per talem præsumptionem summæ sedis videantur privilegia temere violari. Quæ tamen privilegia usque ad mortem, ope freti divina prædecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minime patiemur. Sed et vos, charissime, ut ea quibus potestis cultibus veneremini, summopere incitamus. Nam quomodo putatis, si opportunitas exegerit, ut vestro regno, vestris nisibus [*edit. Rom.*, jussibus], vestri regni Ecclesiis aliquod præstemus solatium, aut contra adversarios protectionis clypeum conferamus, si quantum in regni vestri partibus est, quoniam illa omnino scindi non possunt, ea vos aliquatenus minorari sinatis, quibus usi patres vestri, omne suarum dignitatum incrementum, omnemque gloriam perceperunt? Privilegia namque Romanæ Ecclesiæ totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiæ catholicæ. Privilegia, inquam, Petri arma sunt contra omnes impetus pravitatum, et munimenta atque documenta Domini sacerdotum, et omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, imo cunctorum qui ab eisdem potestatibus diversis afficiuntur incommodis. Turbati autem estis, et multo mœrore affecti, sicut in scriptis vestræ dilectionis reperimus, eo quod forti vos invectione convenerimus, et duris increpationibus vestram celsitudinem cumulaverimus. Qua de re vestra profecto non debuit usquequaque tristari sublimitas; quoniam etsi nulla erat culpa, sicut astruere humiliter contenditis, unde vestram oportuerit pietatem durius castigari: tamen discretus pater tunc aliquoties studet dilectum filium diversis terroribus, vel etiam flagellis competentibus erudire, quando nihil in eo quod reprehendat penitus intuetur. Sic Dominus beatum Job frustra se percussisse perhibet (*Job.* II), cum nihil omnino quod tantis verberibus puniri debuisset invenit, sed tamen frustra non percutit, quia hæc, quatenus per patientiam augeantur ei merita, ut discretus pater exercet. Sic nimirum, sic et vos, charissime fili, vestram sublimitatem tacita fortasse cogitatione frustra læsam a nobis querimini. Scimus tamen nos, ex qua radice contra dilectionem vestram hæc virga processerit: quæ utique non ut funditus interimeret, absit, sed quæ ad sempiterni regni gloriam felicius erudiret: scilicet quam paterna disciplina, ut apertius dicamus, ex interni affectus ramo protulit, non quam malitia ex odii radice produxit. Percuteris ergo, imo pulsaris, fili, etiam ubi te cor tuum non reprehendit, ut cautior et sollicitior, atque tutior, in

quibus delicturus eras, Deo auctore, valeas inveniri. A Itaque, charissime, cum vestræ regiæ potestati ab apostolica sede interdum duriora fuerint missa, non modeste feratis, nec vos a nobis odio habitos esse putetis, quoniam aut manifeste justa sunt nostræ correptionis jacula, aut certe occulta sunt, et aliquam habentia rationem. Quapropter in utroque vestræ salutis semper invenire ne diffidatis antidotum. Nos quippe semper quidem vos in visceribus dilectionis nostræ strictos habuimus, et pro vobis Dei omnipotentis misericordiam imploravimus. Sed postquam frater et coepiscopus noster Odo, pariter et Primus fidelissimus noster, quem ad vestram gloriam miseramus, de vestra vestræque eminentissimæ ac dilectissimæ conjugis devotione erga sedem apostolicam, ac dilectione, quam circa Domini sacerdotes habetis, B nobis tot retulerunt præconia, tanto arctius vos diligimus, tanto vestri pro statu regni, et vestra vestrorumque salute, Dominum Jesum Christum instantius deprecamur, tantoque de Northmannorum vobis subacta rabie grates auctori exsultantes rependimus; quando hæc non ad tumorem elationis, nec ad humanæ cupiditatis ardorem profutura, sed ad exaltationem Ecclesiarum Dei, et ad libertatem populi Christi, atque ad laudem ipsius credimus incunctanter proficere. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc et semper bene valere.

XXXVII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Ut Rothadum honori pristino restitui faciat, tum deinde ad apostolicam sedem, quam appellavit, venire C *permittat. Indicat etiam quid de ea re Hincmaro scripserit.*

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nostro Carolo glorioso regi.

Nunc laudanda est frequens conversatio, et assidua cum ecclesiasticis, et cum sapientibus vestra sedulitas, quam circa utilitatem Ecclesiarum Dei, vos habere auditu gratulabundo concepimus, si ejusdem sanctæ Ecclesiæ pastorum, cum quibus hanc humilitatem et sollicitudinem salubriter operamini, sub quadam specie justitiæ nullum omnino sublimitas vestra læserit, sicut de uno quodam, Rothado nomine, nunc vos egisse plurimorum relatu didicimus: maxime cum dejiciendus apostolicam sedem, juxta D licentiam canonice sibi concessam, appellasse perhibetur. Pro quo, fili charissime, valde gloriam vestram exposcimus, ut præfatum virum in suo episcopio, et omni pristino reddi faciatis honori, et ita demum ad apostolicam sedem, ad quam illum constat appellasse, securum pro nostro amore aditum properandi dare dignemini. Hoc specie tenus cognoscentes, quoniam tunc credimus vos nostrum apostolatum diligere, sicut sæpe profiteri videmini, si Deum et Dominum nostrum timere pariter et amare vos evidenter cognoverimus: necnon et privilegia sanctæ sedis apostolicæ, et statuta Patrum illibata servantes, ea vilescere vel destrui a nemine patiamini. Cæterum sciat sublimitas vestra, nos ad confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum misisse, quatenus aut infra triginta dies, post lectam a nobis sibi missam epistolam, eumdem episcopum pristino gradui restitueret, aut cum idoneo suo legato, si ipse non posset, una cum accusatoribus ejusdem viri, si tamen essent, atque cum presbytero, qui causa dejectionis ejus fuit, Romam veniret. Quod si neutrum ageret post triginta dies Præfixos, nec ipse, nec quilibet episcoporum, qui in depositione præfati episcopi consenserunt, licentiam celebrandi missarum solemnia penitus haberent, quousque in iis quæ salubriter deceret, nobis sint obedientes, ac pleniter ad effectum consummationis perduxerint.

XXXVIII.

AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

(Anno 863.)

Ut Romam veniat, cum primum ei data fuerit licentia: quod si negetur, sedem apostolicam appellare non cesset.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Rothado episcopo.

Cognoscat experientia tua, frater charissime, de tuis tribulationibus multum apostolatum nostrum doluisse, imo dolere. Sed credimus Dei misericordiam tibi proxime affuturam, quæ te, et sicut Danielem educat de lacu leonum (*Dan.* VI), et sicut prodigum filium prima induat stola (*Luc.* XV). Quæ autem primum de te Carolo glorioso regi, atque Hincmaro miserimus, nosse te credimus. Nunc autem metropolitani, et cæteri episcopi, qui circa [*al.*, contra. Hard., *edit Rom.*, contra] te sententiam protulerunt, nobis multa sub gestorum serie de te, vel contra te intimaverunt, et ut rata essent quæ contra te promulgaverant, nostro flagitaverunt consensu roborari. Sed nos hæc agere distulimus, imo ut renovaretur concilium et juxta canonum normam causam tuam in nostro judicio terminaremus, præcepimus eis, ut te de monasterio educerent, et sancti Petri memoriæ pariter aut ipsi, aut ipsorum vicarii, tecum venientes honorifice præsentarent. Quod si post lectam a nobis sibi missam epistolam, infra triginta dierum spatium, nostram non curassent constitutionem perficere, post triginta dies, a missarum solemniis celebrandis, quæ eis fortiter contradiximus, penitus cessarent, quousque nostris diffinitionibus perfectam obedientiam demonstrarent. Unde, frater charissime, quoniam causam tuam sine examine dimittere non possumus, ne præjudicium districtioni ecclesiasticæ facere videamur: rursusque, quoniam sine præsentia nostra, ne forte injuste lædaris, in aliorum judicio causam tuam discuti ac diffiniri dubitamus, stude quantum potes, ut cum tibi rex et episcopi, quemadmodum statuimus, licentiam dederint Romam properandi, mox utcunque venire non differas. Quod si huc veniendi non tibi tribuerint facultatem, tu tamen id-

ipsum nobis intimare studeto. Verum, quantum audes, quibus potes, et quomodo potes, apostolicam sedem appellare, et hanc adire velle, manifestare ne cesses, si tamen te injuste læsum nosti, et bonam te causam habere per Dei gratiam arbitraris: quoniam nos, divina clementia solatiante, nullatenus te in finem oblivioni tradi vita comite patiemur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data IV Kalendas Maias, indictione XI.

XXXIX.

AD LUDOVICUM ET CAROLUM FILIOS CAROLI CALVI REGIS.

(Anno 863.)

Gratulatur quod in gratiam cum patre redierunt; hortatur ne in posterum ab eo divellantur, jubetque ut synodo satisfacturi se sistant.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, (*a*) LUDOVICO et CAROLO filiis Caroli gloriosi regis.

Pervenit ad apostolatus nostri notitiam, quod malorum hominum callida suggestione decepti, a patris gratia, et participatione digressi fueritis. Qua ex re nimio mœrore devicti, dispositum habuimus apostolici moderaminis vobis competenter correctionem dirigere, quæ vos et ab improbis stultisque libidinibus refrenaret, et correctos paternæ gratiæ restitueret. Nunc autem, quia sanctissimus frater et coepiscopus noster Odo veniens, dilectionem vestram paternæ gratiæ pleniter reformatam esse affatus est, grates Domino Deo retulimus. Ideoque devotionem vestram hortantes, sancimus ut caveatis vos de reliquo a tanti patris unanimitate prorsus divelli, qui vos tanquam evangelicus pater, post perpetratos excessus ad se convertentes, benignus suscepit, stola prima induit, annulumque in manibus, et calceamenta in pedibus tribuit: ita ut sicut erroneus ille filius tandem regressus gratiam promeruit, et paternæ hæreditatis sine margine hæres exstitit, vos quoque studeatis in eo quod probe reversi estis persistere: quatenus et hæreditate patria semper fruamini, et a benedictione et gratia, atque communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ vos gloriosiores exoptat, nulla penitus negligentia decidatis. Sane in synodo, quæ statuto a nobis loco congreganda est, in qua apostolicæ auctoritatis legatos credimus adfuturos, præsentiam vestram humiliter præsentari jubemus, ut ibi de quibus impetita fuerit, veraci ratione respondeat, et plenissime satisfactura canonicis regulis se submittat. Optamus vos in Christo bene valere.

XL.

AD HUCBERTUM ABBATEM, FRATREM THEUTBERGÆ REGINÆ.

(Anno 863.)

Respondet ejus litteris, et quod ipsius causam et sororis in synodo a legatis examinari jusserit.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HUCBERTO religioso abbati.

Apices defensionis tuæ, per Odonem fratrem et coepiscopum nostrum ad sedem apostolicam missos, libenter accepimus. Quorum etiam tenorem attentius perpendentes, reperimus te conquerentem dura invectione a nobis fuisse conventum, ac contra spem, dum te cum fratre et sorore jugiter proclamantem consolationis epistolas accipere sperares, arguentes te ac corrigentes dure inveneris Quod utrique devotio tua moleste ducere non debuerat: quia patris soleres disciplina dilecto filio, etiam minime peccanti, nonnunquam adhibetur: non quo severitate verberum frustra examinetur, sed quo, ne in suspectis facinoribus devolvatur, benevola invectione terreatur. Ac cum dira flagella filius molestissime ferat, eo quod sine culpa percutitur, scit tamen pater, quod blando in pectore modum servaverit disciplinæ, ut ab imminentibus custodiret. Quod cum ita esse nec omnino [*al.*, nullus omnino, HARD.) sciolus dubitet, animadvertendum est, et summa circumspectione cavendum, ne cum apostolici moderaminis tibi aliquoties dura mittuntur, moleste in aliquo feras: quia aut aperta et vera sunt nostræ correctionis verbera, aut occulta et justa sunt, et aliquam habentia rationem. Porro quia innocentiam tuam in sacerdotum examine expetendo, et quotidie proclamando, commendare videris, gratum habemus, et ut ita se veritas habeat, Deum rogitamus. Tamen quia adhuc in acie stare videris, innocentiæ tuæ perseverantiam adhibe, ut unde nunc a nonnullis denotatis, perspecta veritate, postmodum collauderis. Cæterum juxta divinitus nobis creditum ministerium, ut a die qua apostolatui nostro negotium tuum atque sororis relatum est, strenue perstiterimus, nullius sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum latere notitiam credimus, et quid fratre tuo egerimus, ipse poterit enarrare. Neque enim in hoc desides negligentesque poterimus vel suspecti haberi, qui ad diversa quoque negotia dirimenda et examinanda, atque ad ultimum juris silentium perducenda, et synodum colligi jussimus, et legatos apostolicæ auctoritatis illuc direximus, quorum censura in collegio fratrum, aut pro culpa canonice puniamini, aut pro innocentia juste a crimine diluamini. Optamus religiositatem tuam in Christo feliciter valere.

(*a*) *Ludovico et Carolo*. Carolo Calvo ex Hermentrude regina filii, ut annales nostri produnt, quatuor fuerunt, Ludovicus, Carolus, Carlomannus et Lotharius. Lotharius puer abbas, et Carolus juvenis rex Aquitanorum, mortui sunt anno 866. Carlomannus etiam clericus ante patrem obiit, ita solus superstes Ludovicus patri successit. JAC. SIRM.

XLI.

AD EPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 865.)

Ut Lothario regi suggerant, ut submoto Hilduino, cui Cameracensem ecclesiam dedit, liberam eligendi episcopi licentiam tribuat.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et cæteris(*a*)episcopis in regno Lotharii constitutis.

Quoties de vestræ dilectionis sanctitate ea percipimus auribus, quæ Deo placabilia et grata,necnon et accepta esse creduntur, gaudemus in Domino et immensi tripudii exsultatione lætantes grates ei multimodas reddimus.At vero cum vos torporis desidia audimus languescere, præcepta cœlestia, tanquam lethæis quibusdam papaveribus perceptis,oblivioni mandare, peccata non premere,sed fovere,non eradicare vitia, sed plantare, ea sacri verbi ligone non recidere, sed veluti quarumdam, ut ita dicamus, linguæ adulationum ut crescant aquas effundere,imo quod est scelestius,alienis perversitatibus protegendo ac defendendo favere; contristamur,et tanto abundantia mœroris deficimus, quanto eos, cum quibus putabamus quibuslibet potestatibus ex adverso ascendendo libera pro domo Domini voce contraire,vel etiam virgam correptionis, ac justitiam rigoris extendere,illos videmus se sequentibus in barathrum, et iniquitatum foveam ducatum præstare, eosque, heu proh dolor! cæcis oculis anteire.Verum de hoc tacendum parumper,quousque tempus loquendi veniat, ratum ducimus. Cæterum fidelium certa relatione didicimus,quod gloriosus rex Lotharius filius noster ecclesiam Cameracensem cuidam Hilduino clerico dederit : quæ quidem in regno ipsius consistere dicitur, esse tamen de diœcesi confratris nostri Hincmari Rhemorum archiepiscopi perhibetur.Quo prædictum clericum in multis a sacris canonibus reprehensum judicante, ei ut alium qui dignus inveniri possit, consecrandi a rege, vobis auctoribus utique, qui hunc non corrigitis,facultas adimitur.Unde eadem ecclesia Cameracensis a jam fato Hilduino pervasa,jam ultra decimum mensem, contra sacrorum canonum normam, viduata consistit,jugiterque suis rebus exspoliatur,et quæ celebrari debent divina ministeria, quia episcopali ministerio caret, in ea minime fiunt. Quapropter præcipimus vobis, ut suggeratis filio nostro Lothario glorioso regi,et ei ut nullum ecclesiæ Cameracensi præjudicium inferat, summopere suadere curetis : quatenus jam fato Hilduino submoto,ex se eligendi juxta sacros canones episcopum,clero et plebi ipsius Ecclesiæ licentiam tribuat. Nam si hanc nostram præceptionem apostolicam contempseritis, scitote vos pro inobedientia,et pro consilii pestiferi veneno, quo jam fatum regem sæpe inficitis, a nostra communione penitus submovendos.Præterea epistolam, quam sæpe dicto Hilduino clerico mittimus,a vobis ei dari præcipimus. Quem nisi ex Dei et B.Petri,et nostra auctoritate excommunicaveritis, ut nihil de Ecclesia Cameracensi sibi vindicet,nunquamque se in eadem Ecclesia ad episcopatum provehi tentet, vel postulet, a communione Dominici corporis et sanguinis estote,divina et nostræ mediocritatis sententia, cum eodem longius sequestrati. Siquidem cujus rei gratia ultra decimum mensem, contra sanctarum regularum diffinitionem, Cameracensem Ecclesiam sine rectore episcopo de proprio clero electo viduatam permanere permiseritis, nosse procul dubio volumus, et cujus neglectu omissum sit, solerti prorsus examine reperire, et qua quis sit dignus ultionis pœna mulctare, Deo auctore, nulla contenti dilatione studebimus.Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere.

XLII.

AD LOTHARIUM REGEM.

Ut Hilduinum Ecclesiæ Cameracensis pervasorem rejiciat,et Hincmarum in ea disponenda privilegio suo uti permittat.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei,Lothario glorioso regi.

Inter innumera,quæ de te supra modum sinistra exsecrabiliaque feruntur,unde nos non mediocriter te salvum anima et corpore cupientes tristamur, illud etiam tuis excessibus te adjecisse veraci relatione comperimus,quod sanctæ Ecclesiæ Rhemorum, in qua venerabilis confrater noter Hincmarus divina dispensatione archiepiscopus præest, in regni tui finibus facultates ac prædia constituta diripias; et adeo illi diœcesim suam violenti[*pro* violento,Hard.] brachio inhibeas ; ut Ecclesiæ Cameracensi,quæ suo ecce per decem mensium spatia est destituta pastore, viduata manens,contra venerabilium canonum instituta, inibi episcopum consecrandi,aut aliquid juxta suum ministerium disponendi, nullam omnino potestatem habere permittas. Quam cunctis Christianis legibus detestandam præsumptionem, a gloria tua,contra ecclesiasticas institutiones,minime perpetrari optamus, neque aliquo modo patiemur : quoniam si regum est proprium rebelles corporis motus rationis imperio refrenare ac regere, debuerat utique excellentia tua in omnium regni tui Ecclesiarum defensione adesse,et minime metropolitani

(*a*) *Episcopis in regno Lotharii.* De hac epistola Hincmarus ad Nicolaum scribens apud Flodoardum, lib. III, cap. 12. *In epistola vestræ sanctitatis, per Odonem episcopum episcopis in regno Lotharii pro præjudicio Cameracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem sciscitaturam, cujus neglectu eadem Ecclesia ultra decimum mensem vacaret.*Vacabat autem post mortem Theoderici episcopi, atque hoc tempore ab Hilduino, quem Lotharius immiserat, detinebatur : donec Hilduino tandem pulso, legitimis suffragiis suffectus est Joannes anno 866. Jac. Sirm.

Rhemorum jure soluto in parochiis regni tui,viduatæ Ecclesiæ Hilduinum aliunde constituere pervasorem. Ob hanc rem dilectionem tuam hortamus et monemus, atque apostolica auctoritate inhibendo arcemus, ut nullo pacto in his quæ ad Rhemorum sanctam Ecclesiam pertinent,illicitos appetitus extendens,ditioni tuæ submittas, neque Ecclesiæ Cameracensi pervasorem diutius inhabitare permittas. Quod nisi feceris, et omnia metropolitano Rhemorum non restitueris,ut ipse juxta suum illic privilegium disponere queat: quia jam tanta a te horrenda ac detestanda in corpore sanctæ Dei Ecclesiæ commissa diutius æquanimiter ferre nequimus,ut saltem compulsus resipiscere valeas, noveris te citissime mucrone ecclesiastico feriendum : ita ut ulterius talia in sancta Dei Ecclesia perpetrare formides. Pervasorem vero Cameracensis Ecclesiæ, Hilduinum nomine,scias a corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione penitus segregatum,et ab omni Christianorum consortio sequestratum,si post hanc nostri apostolatus interdictionem remorari tentaverit, quousque in nostram præsentiam de his canonice satisfacturus occurrat. Optamus gloriam tuam in Christo bene valere.

XLIII.

AD HILDUINUM CLERICUM.

(Anno 863.)

Ut ab Ecclesia Cameracensi,quam pervaserat, deinceps abstineat.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Hilduino clerico.

Cum nostri voti desiderium de omnibus bona cupiat semper cognoscere,multum nos contristaverunt quæ de perversitatibus tuis, nostris auribus a veracibus quibusdam certa sunt attestatione relata. Diceris enim quod contra statuta sanctorum canonum Ecclesiam Cameracensem invaseris,et ejus sanctæ plebis clericos opprimas ac dehonestes, bona quæque ipsius diripias,metropolitano, id est confratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, nullam debitam subjectionem vel obedientiam impendas; sed absque libitu ejus,ecce per decem jam menses viduatam eamdem Ecclesiam occupatam detinens; et cætera detestanda de tuis temeritatibus nostræ apostolicæ sollicitudini nuntiantur,quæ quidem nunc silemus : tantum hoc tibi præcipiendo injungimus,ut omnia quæ a prædicta Ecclesia subtraxisti,et ea habere dignosceris,ei reddere ne differas.Et quoniam licet humana quædam potestas permittat, divina tamen canonicaque censura te in eadem Ecclesia episcopum consecrari nequaquam consentit,imo omnes qui tui sunt moris atque præsumptionis,a tanta dignitate procul repellit: maxime cum metropolitano Rhemorum provinciæ, cui ipsa Cameracensis Ecclesia subjecta est, nullum debeat præjudicium irrogari ; præcipimus tibi,ut de eadem Ecclesia Cameracensi nil auferens quantocius abscedas,ut talis a clero,et a plebe ipsius Ecclesiæ eligi, et ab archiepiscopo Rhemorum consecrari possit, qui in nullo a sanctis canonibus reprehendatur.Quod si præfatæ Ecclesiæ quæ tulisti, præter illa quæ ad victum et potum pertinuerunt, reddere distuleris, vel si amplius aliquid inde abstuleris, et ab ejus potestate ac regimine te minime subduxeris, Dei nostri, et sanctorum apostolorum atque sententia auctoritatis nostræ,sis vinculis anathematis obligatus,quandiu hujus nostræ diffinitionis epistolæ pertinaci animo reluctaveris.

XLIV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 863.)

Decretum anno 863 a sancto Nicolao et a sancta sede Romana missum Carolo regi Francorum gloriosissimo, reginis et ecclesiis sub anathemate omnium episcoporum confirmandum, et corroborandum.

Quam (*a*) sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, et de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine cœnobii exhibuimus,informat.Et ideo quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet, ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est,consuetudine,quispiam monachis quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate Petri et Pauli principis apostolorum prohibemus,cujus vice huic Ecclesiæ Romanæ, auctore Deo, præsidemus, ut nullus episcoporum ultra præsumat de redditibus, rebus, chartis monasteriorum, vel de cellis, seu villis, quæ ad ea pertinent quocunque modo, qualibet exquisitione minuere, nec dolos, vel immissiones aliqua facere. Descriptiones quoque rerum aut chartarum monasterii ab episcopo ecclesiasticas fieri omnino negamus. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus ulla popularis detur occasio.Obeunte autem abbate,in describendis providendisque acquisitis, vel datis quærendis,ne rebus monasterii nulla se occasione permisceat, non audeat ibi cathedram collocare,vel quamlibet potestatem imperandi,nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi,nisi ab abbate loci fuerit rogatus,quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, et omne monasterium propriam possit suæ libertatis munitionem habere, et pontificale decretum,regumque immunitatis,Romanique

(*a*)Hæc prima decreta non sunt Nicolai,sed sancti Gregorii, qui ea in Lateranensi concilio edidit. Verum ea adoptata sibi Nicolaus misit ad Carolum Francorum regem. Martene.

pontificis constitutum inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem. Fiat.

Item in decretis ejusdem Nicolai papæ.

Decernimus apostolatus nostri auctoritate ut omne monasterium inter Gallias situm rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum Ecclesiæ ipsius utilitatem, et servorum Dei compendiosam dispensationem, et in abbatis de semetipsis electione. Nullam ulla alia persona, sive sæcularis, sive ecclesiastica, obtineat in omni monasterio possessionis dominationem, nec ullam obtineat, vel sibi vindicet portionem; sed maneant omnia in abbatis et fratrum ibidem Deo militantium dispensatione, ut quidquid secundum monasterii utilitatem regulariter vel canonice voluerint agere, situm sit potestate. B Neque episcopus ipsius regionis ad monasterium, quasi propriæ potestatis abutens jure, invocatus ab abbate vel fratribus accedat; ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet, neque dolos aut machinationes ullas vel abbati, vel fratribus, sive per se, sive per suos aliquando facere præsumat. Quin potius quidquid Dei servis in monasterio commorantibus conferre ad ordinis sui conservationem utiliter et modeste, et benigne poterit, id pro Dei amore et sempiternæ remunerationis gratia proficiat nec violenter aut callide mali quidquam aut perturbationis moliatur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse. Nullus in monasterio quidquam evindicet sibi regionis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex C laicis potestatis jure, aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci, et fratrum ibi degentium, præsumat aliquid vel ad ordinandum. Ordinationes vero quas petierit abbas, vel ipsi fratres, ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque oleique sanctificationem, prout petierit abbas et loci illius habitatores, non moretur præstare, quia communis officii sui causam episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere; et providentiæ pastoralis existit, ut decretis sibi ovibus ex amore potius quam potestate consulere quærat. Abbatem vero de se eligendi semper fratres habeant potestatem, neque in ejus electione episcopi respiciant constitutionem, aut dispositionem. Et quoniam multi per D pravorum hominum insidias servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus ut ordinatus deponi non possit, nisi criminalis causa eum monstraverit reum. Quod si fuerit infamia denotatus, ex regali providentia archiepiscoporum vel episcoporum habeantur non minus quam decem conventus. Non est æquum enim ut electus et ordinatus Ecclesiæ pastor, fortuitu et sine judicio absque ullius manifesti criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud regem sæculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus, veritatis testimonio apparuerit: sic abbas, et electus a pluribus, et ordinatus sacerdotali benedictione nullo modo A debet sui ordinis honore privari. Quod si quis hujus constitutionis parum ducens decretum, omni cœnobio sancto vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, et vel in ipsis, vel in famulis eorum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere et divinæ censuræ puniendum damnatione. Universi episcopi responderunt: Libertati monachorum congaudemus, et quæ de his statuit beatitudo vestra firmamus.

XLV.

EPISTOLA NICOLAI AD UNIVERSOS EPISCOPOS ET PRINCIPES GALLIÆ.

(Anno 863.)

Privilegium libertatis monasterio sancti Karilefi confirmatur.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus, Romanæ sedis episcopus, Galliarum episcopis universis et principibus [*edit. Rom.*, pontificibus sempiternam in Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo salutem.

Regum corda divinitus inspirata quando pro religiosis locis sollicitudinem gerunt, divinitati gratiæ sunt agendæ, et in omnibus quæ pie religioseque procurant, eorum voluntati cum omni devotionis alacritate est parendum. Orandi denique essent, ut de sanctorum locis pietatis affectum, et sollicitudinis curam susciperent. Nunc autem ultro se ad hæc peragenda præbentes, et illis est congratulandum, et quæ jusserint sine retractatione perficiendum. Gloriosus itaque rex Francorum Carolus, cœlitus animum inspiratus, inter cætera suæ devotionis studia, quæ circa Dei Ecclesiam prompta semper impendit devotione, curam quoque dignatus est assumere de monasterio sancti Karilefi confessoris, quod est in pago Cenomanico constructum super fluvium Anisola, in quo a prima suæ conditionis die, ex quo beatus confessor Christi Karilefus in eo corpore quievit, religiosum [*edit Rom.*, fuit in corpore religiosum. *etc.*] monachorum habitavit examen, habuitque libertatis privilegium, et in rerum suarum dispositione, et in abbatis de semetipsis electione. Verum quia impugnare Ecclesiam Christi nunquam hostis humani generis omittit, securitatem libertatis, quam ex multis jam annis possederat, etsi non penitus abscidit, concussit tamen, et convellere conatus est, et paucis quidem ante jam annis, et præsentibus quoque, id est ipsius Caroli regis temporibus. Quia vero divina clementia deserit nunquam in se confidentes, principis animum ad hoc movit, ut non solum inimici persuasio non prævaleret; sed etiam procurare voluit, ut sequentibus temporibus libertatis privilegium olim monasterio illi concessum, a nullo deinceps nec everti posset, nec violari. Unde dignatus est ad nos pius princeps præfatus, et missum dirigere suum, id est venerabilem Odonem, Bellovacensem episcopum, et litteras suæ dignationis destinare, quibus postulavit, ut libertatem illi mona-

sterio, et ab episcopis, et a regibus Francorum concessam, nostra firmaremus auctoritate, et futuris mansuram temporibus roboraremus. Considerantes itaque piam esse postulationem, et servorum Dei quieti pernecessariam, et quæ a pastoribus Ecclesiarum postulanda esset atque procuranda, si minus eam mundi principes procurarent; decernimus apostolatus nostri auctoritate, ut monasterium sancti Karilefi confessoris, intra Gallias situm in pago Cenomanico super fluvium Anisola, rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum Ecclesiæ ipsius utilitatem, et servorum Dei compendia, dispensationem, ut episcopus Cenomanicæ urbis, sive Rotbertus qui nunc illi sedi præest, sive successores ejus, nullam obtineant in eo monasterio possessionis dominationem, neque præfatum monasterium ad suæ urbis inclinare conentur subjectionem, sed abbas ille qui nunc ibi est Engilharius, et fratres ejusdem monasterii, dominationis jus secundum ecclesiastica statuta, et præsentibus et futuris obtineant semper temporibus. Videlicet, ut quidquid oblatum est, vel fuerit deinceps illi cœnobio, vel in auro, vel in argento, vel in agris et famulis, vel in quacunque rerum substantia, nec episcopus Cenomanicus, sive Rotbertus, qui nunc illi urbi præest, sive qui post eum Cenomanicam Ecclesiam rexerint, nec ulla alia persona, sive sæcularis, sive ecclesiastica, ullam obtineant vel sibi vindicent portionem; sed maneant omnia in ipsius abbatis, et fratrum ibidem Deo militantium dispensatione: ut quidquid secundum ipsius monasterii utilitatem regulariter et canonice voluerint agere, in eorum situm sit potestate. Neque episcopus ad præfatum monasterium, quasi propriæ potestatis abutens jure, nisi vocatus ab abbate et fratribus accedat, ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet; neque dolos aut machinationes ullas vel abbati, vel fratribus, sive per se, sive per suos, aliquando facere præsumat; quin potius quidquid Dei servis in prædicto monasterio commorantibus, conferre ad ordinis sui conservationem utiliter et modeste et benigne potuerit, id pro Dei amore et sempiternæ remunerationis gratia perficiat. Nec violenter aut callide mali quidquam, aut perturbationis moliatur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse, quasi inscriptiones quasdam monstrantes, quibus monasterium suæ civitati possessionis jure subditum fieri conati sunt: quas constat omnino falsas fuisse, quandoquidem privilegia regum, quæ ex antiquorum regum Francorum temporibus olim monasterio illi concessa sunt, hoc destruant, sicut et ipsa testantur, quæ in archivis monasterii ob testimonium sibi concessæ libertatis hodieque servantur. Quod si fortassis contigisset, ut aliquando monasterium illud sub potestate Cenomanici fuisset episcopi, quod rebus ipsis probatur et testimoniis monasterio collatis nunquam fuisse; tamen secundum leges sæculi, post tot jam sæcula et annorum spatia repeti nullatenus jure potuisset, et quod semel acceperat libertatem, jam sub ditione nequaquam mancipari denuo potuisset. In legibus enim habemus, ut omnes quæstiones infra triginta annos terminum accipiant. De ecclesiasticis autem causis, post quadragesimum annum nulla querela moveri potest, si non intra hoc spatium annorum fuerit mota. Et ecce hoc monasterium a primo rege Francorum Christiano, id est, Clodoveo filioque ejus Childeberto, cum habuerit libertatem, et deinceps ab omnibus regibus, semper manserit liberum, et in rerum suarum dispositionibus, et in abbatis electione, nunc repetitur quasi in proprii juris dominationem; cum si terrena possessio fuisset, et per tot annos possessoris sui dominatione caruisset, nullo modo secundum leges sive mundi, sive ecclesiasticas, antiquus possessor eam sibi vindicare potuisset. At vero, quod est dictu nefas, Christi possessionem, et servorum Dei contubernium, quod terrena potestas liberum esse concessit, episcopalis ambitio in servitutis jus vindicare conatur. Apparet itaque, quisquis hæc perverse molitur, non lucrum requirere quod velit animarum, sed magis dominationis fastum et lucra cupiditatis inhiare. Unde omnibus modis hanc perniciosam reprimentes, ambitionem, præcipimus ut Rotbertus episcopus Cenomanicus, et quicunque successor ejus fuerit. nullam in præfato monasterio sibi vindicet ditionis potestatem: sed maneat secundum concessam sibi jam multis annis absolutionem, ab omni episcopali pressura et dominatione remotum. Nullus in eo quidquam vindicet sibi præfatæ civitatis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis, potestatis jure, aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci, et fratrum ibi degentium, præsumat aliquid vel ad ordinandum, vel ad disponendum vel ad dominandum. Ordinationes vero, quas petierit abbas, vel ipsi fratres, vel ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque oleique sanctificationem prout petierint abbas et loci illius habitatores, non moretur præstare: quia munus officii sui episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere; et providentiæ pastoralis exstitit, ut creditis sibi ovibus ex amore potius quam ex potestate consulere quærat, licet in subjectos utraque secundum tempus sint necessaria: sed amor debet generare solertiam, potestas vero temperanda est amore, ut potius Christi charitas ferveat quam potestatis rigor insolescat. Abbatem vero de se eligendi fratres cœnobii sancti Karilefi semper habeant potestatem, neque in ejus electione, episcopi Cenomanici respiciant constitutionem aut dispositionem, sed quemcunque dignum vita, moribus, atque doctrina prospexerint pastorali officio, et sibi utilem et aptum dispensatorem esse, ipsum eligant, regisque in notitiam deferant, ut ejus et concessione et consensu potestatem regiminis accipiat. Neque pro ejus vel ordinatione, vel constitutione, munus aliquod accipiatur, vel detur: quoniam Spiritus sancti donum

non debet pretio, sed gratia promereri. Et quoniam multi per pravorum insidias hominum servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus ut ordinatus deponi non possit, nisi criminalis eum causa monstraverit reum. Quod si fuerit infamiæ calumniis denotatus, ex regali providentia episcoporum habeatur non minus quam sex conventus quorum de numero Cenomanicus constituatur episcopus: et eorum judicio secundum canones illius causa discussa, non aliter deponi possit, nisi reus manifestis certisque patuerit indiciis. Non est enim æquum, ut electus et ordinatus Ecclesiæ pastor, fortuitu et sine judicio absque ullius manifesta criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud leges sæculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus veritatis testimonio patuerit: nullus Ecclesiæ qui fuerit ordinibus consecratus, merito deponendus erit, si non certis criminibus apparuerit convictus. Sic itaque abbas, et electus a pluribus, et ordinatus sacerdotali benedictione, nullo modo debet sui ordinis honore privari, nisi manifestis criminibus fuerit denotatus atque convictus. Unde sub hac auctoritate præcipimus, ut abbas cœnobii sancti Karilefi, postquam electus regulariter, atque canonice fuerit ordinatus [*edit. Rom.*, et ordinatus], a nullo nec episcoporum, nec regum, nec alia qualibet persona deponi possit, si non criminalis intercesserit causa, pro qua merito secundum regulam sancti Benedicti, et canonum instituta, deponi debeat. Hæc autem constituta volumus omnibus omnino modis inviolabilia præsentibus et futuris temporibus permanere, et a nemine vel regum, vel episcoporum, vel alicujus ordinis violari: quod si quis constitutionis nostræ parvi ducens decretum, cœnobio sancti Karilefi, vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, et vel in ipsis, vel in famulis eorum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere, et divinæ censuræ puniendum damnatione. Unde constituimus, ut primum quisquis hoc molitus fuerit, sui honoris dignitate privetur, sive sit sæcularis, sive ecclesiastica persona: deinde ab ecclesiasticæ communionis societate fiat alienus, corporis quoque sanguinisque Christi participatione non communicet, donec vel quod inique gessit corrigat, vel digna pœnitentia satisfactionem emendet. Fratres vero ipsius monasterii, si quid horum quæ constituimus violatum esse cognoverint, id est, si abbatis electionem quis eis prohibere molitus fuerit, vel ipsius monasterii possessiones, aut quæ ibi oblata fuerint, suo juri mancipare decreverit, vel ipsum monasterium episcopus Cenomanicus ad civitatis suæ subditionem subjugare tentaverit, licentiam habeant metropolitanum episcopum Turonensem convenire, et pressuram innotescere suam; et metropolitanus, causa cognita, personam per quam vexantur conveniat, et cui periculo tradita sit, ex præsenti auctoritate relecta edicat, utque emendare velit quæ prave gessit moneat. Quod si non libenter audire, et reatum corrigere suum maluerit, secundum præsentis constitutionis decretum, eum a communione Christianorum et corporis sanguinisque Christi participatione efficiat alienum, quæcunque fuerit persona, et cujuscunque fuerit dignitatis. Quod si metropolitanus episcopus eorum precibus et acclamationibus adjutorium præstare detrectaverit, licentiam habeant S. Karilefi monasterii fratres apostolicam, id est Romanam sedem, adire, et necessitudinis suæ causam ante episcopum, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, et præsentis edicti constitutionem manifestare: ut Romanus pontifex, cognita causa, justam anathematis condemnationem in reum exercere non moretur: ut monasterium præfatum propriam possit suæ libertatis munitionem habere, et pontificale decretum, regumque immunitates, Romanique pontificis constitutum, inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem.

XLVI.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 863.)

Narrationis ordo de Photii depulsione, et Ignatii patriarchæ institutione [Cod. Vat., *restitutione*]: *necnon de Zachariæ ac Rhadoaldi dudum episcoporum depositione, ac excommunicatione, cum capitulis interpositis.*

His ita se habentibus, et his apostolatus nostri epistolis pro manifestando nostræ voluntatis proposito Constantinopolim, et in alias mundi partes destinatis, sicut ex superioribus scriptis hujusque recitatis colligere, ac comprehendere potestis; nunc quæ post habitam satisfactionem nostram, et ostensum votum nostrum de Ignatii fratris et episcopi [*edit. Rom.*, coepiscopi] nostri restitutione, ac Photii adulteri repulsione coram omni Ecclesia, quæ apud nos est, astante præsentialiter Leone a secretis, et imperiali legato, cujus superius mentionem fecimus, et quæ post discessum ipsius acta sunt, vestræ in Christo fraternitati ac piæ generalitati breviter indicamus. Igitur cum hæc gerebantur, nondum Rhadoaldus et Zacharias episcopi, quos ab apostolica sede Constantinopolim direxeramus, detecti erant, vel ostensi, quod ipsi deposuissent patriarcham Ignatium, vel communicassent invasori, et mœcho, ac laico Photio; sed procedente tempore murmur multorum ab illis partibus Romam venientium, quin imo persecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, sensim eosdem cœpit episcopos numeribus fuisse corruptos diffamare, et quod communicassent Photio, et deposuissent Ignatium divulgare. Quo audito, nimio mœrore repleti, qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina dignatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sinistram procul faceremus suspicionem (videlicet, ne in hanc saltem tenuis subsannandi oriretur occasio) cogitare cœpimus, et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, ex collecta sancta synodo in ecclesia Dei, ubi beatus Petrus apostolorum princeps corpore floret, et vir-

tutibus emicat; deinde propter frigidiorem locum in A ecclesia Salvatoris, quæ ab auctore vocatur Constantiniana, et quæ prima in toto terrarum orbe constructa est, ibique recitatis omnibus scripturis de Græco sermone in Latinum conversis, tam videlicet nefanda synodo, quæ per jam fatum Leonem apostolicæ sedi delata est, quam etiam imperialibus epistolis, in quibus omnibus depositio Ignatii continebatur; et deductus in medium Zacharias episcopus, quia Rhadoaldus propter absentiam haberi ad præsens non poterat, et discussus, et diligenter examinatus, inventus est in depositione Ignatii et communione Photii omnino culpabilis. In quo idem Zacharias tunc episcopus, nunc autem honore, ac communione privatus, se obnoxium recognoscens, proprio ore, ac proprio scripto se Constantinopolim a sede aposto- B lica directum esse, et quæ sibi a nobis agenda fuerant injuncta, neglexisse; ac quæ sibi fuerant prohibita, peregisse confessus est: Ignatium scilicet sine jussione apostolicæ sedis deponendo, et Photio contra nostri apostolatus præceptionem communicando. Tunc decernente sancta nobiscum synodo, depositionis et excommunicationis suæ sententiam præfatus Zacharias accipiens in foveam quam alii præparavit, incidit; alterius (id est Rhadoaldi) examinatione propter absentiam usque ad aliam synodum protelata. Quæ autem in eadem venerabili et sancta synodo unanimiter et consonanter de fratre et consacerdote nostro Ignatio patriarcha, vel de invasore et usurpatore Ecclesiæ ipsius Photio, atque fautoribus ejus, necnon et de sacris imaginibus statuimus, et promulgavimus; insuper autem quid in C alia synodo a nobis olim collecta decreverimus adversus eos, qui divinitatem Domini nostri Jesu Christi cum Valentino, Manete [Mani], Apollinari, et Eutyche, ac sectatoribus eorum contra primum pastorem, et apostolum, qui Christum tantum carne passum dicit, passibilem ore sacrilego in quibusdam regionibus vestris prædicare dicuntur, subter annexis capitulis declaratur.

I. Photius qui ex schismaticorum et se a sanctæ communionis participatione avertentium parte esse dignoscitur, et ex sæculari administratione atque militia, et ex foro subito tonsuratus a Gregorio Syracusano dudum episcopo in synodo damnato, et ab apostolica sede convicto episcopus ordinatus est, et vivente, ac superstite consacerdote nostro Ignatio D sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha, sedem ipsius invasit, et sponsam quam a Christo sponso immaculatam custodiendam veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis atque latronis ingrediens, ac si violentus, rapax et sceleratus adulter irrupit. Deinde cum damnatis, et anathematizatis, atque cum his, qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent a prædecessore meo beatæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans, et conversans contra fidem promissam, contraque suam professionem, qua pollicitus est se adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum concilium esse facturum, congregavit concilium, et una cum sequacibus suis depositis, et damnatis, excommunicatis, et anathematizatis, et aliis sine sedibus, atque cum his a quibus vel ille irregulariter et illicite provectus fuerat, vel quos ipse temere, ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem, et comministrum nostrum Ignatium depositionem facere, et anathema dicere ausus est. Deinde apostolicæ sedis missos, quos pro causa sanctarum imaginum, et pro inquirenda et nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, et ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti destinaveramus, quibus potuit argumentis a nostris mandatis avertere more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ præsumpsit. Et ad processionem, quæ ei cum paribus suis habebatur, sicuti eorum professione patefactum est. Et sancto Spiritu revelante, venerandæ synodo, quæ a nobis collecta est, claruit ad damnatorum et schismaticorum communionem contempta legatione, quæ vel gentilium more servari debuit, pertraxit, et in illusionem beati Petri apostoli, a cujus sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecit, sed etiam impugnatores omnium quæ fuerunt mandata monstravit.

Postremo episcopos, qui ei tanquam adultero et pervasori communicare noluerunt exsilio relegavit, et sui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuit. Et usque hodie Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinit, ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis, et horribilibus tormentis afficere non quiescat; sed et omnes quotquot pro veritate et fide cum eodem persistere comprehenderit, quibus prævalet modis perdere impræterm isse moliatur. Hæc et his similia contra evangelica, apostolica, prophetica, atque canonica instituta afferens, sit Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli, et omnium simul sanctorum, atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus sancti per nos judicio, omni sacerdotali honore, et nomine alienus, et omni clericatus officio prorsus exutus: ita ut si post notitiam hujus sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus, cum unanimitate et concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentaverit in Constantinopolitano throno præsidere, aut sæpe fato venerabili coepiscopo nostro Ignatio, quominus Ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit, impedierit; vel si ulterius ausus fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere juxta præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem, aut locum habere satisfactionis; sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus suis, atque fautoribus suis perpetuo Dei per nostram mediocritatem judicio ac sententia sacrum corpus et sanguinem Domini nostri

Jesu Christi, non nisi vicino mortis periculo, omnino percipiat; ut hæc unusquisque discens nequaquam de cætero temeraria præsumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante ducatum præstare velit, quam tironis consummet officium; et ante tentet docere, quam discere: sicut in eadem Constantinopolitana Ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis, quorum ut pote in tam magna urbe copiosa multitudo est, quippe ab ipsis (ut ita dixerimus) cunabilis imprætermisso labore in Ecclesia Christi desudant, et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia; is, qui de foris est alterius ovilis, Christi repente principatum arripiat, et nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere: et grex Dominicus incipiat eum, ut pote extraneum et improvisum, omnino contemnere: præsertim cum perspiciat nil sibi stipendia profecisse meritorum, et alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

II. Gregorium sane, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto præest, eo quod et ipse ex parte schismaticorum sit, et postquam a synodo episcopatus officio privatus, et a decessore meo sanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus est, et Photium laicum subito consecrare in episcopatu non formidavit, et de sacro ministerio ausus est multa contingere, juxta præcedentem consuetudinem sancimus, et juxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus, atque statuimus, omni sacerdotali carere, atque privatum fore ministerio: ita ut nullo modo liceat ei in qualibet synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Sed et si contra fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema sit. Et omnes communicantes ei ab Ecclesia abjiciantur, sed et ipsi anathema sint.

III. Eos vero, quos Photius neophytus, et Constantinopolitanæ sedis invasor, in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicare [communicasse], omni clericali officio privamus, et apostolica atque canonica auctoritate, et synodali decreto eos penitus sequestramus.

IV. Reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore, proprio throno privatus est, et postea a Photio adultero, prævaricatore, ac pervasore sedis Constantinopolitanæ, et ab ejus complicibus (excommunicatis videlicet et anathematizatis, atque damnatis, et sine episcopalibus sedibus, et a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa, obligatis hominibus) anathematizatus est, et postremo ab apostolicæ sedis misso contra nostram præceptionem (ut sanctæ synodo Spiritus sanctus revelavit, et dudum Zacharias episcopus, qui unus de eisdem duobus legatis exstitit, propria confessione manifestavit) infulis est sacerdotalibus despoliatus, auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgamus, sancimus, atque decernimus, unquam nec fuisse, nec esse depositum, vel anathematizatum, tanquam qui ab imperiali potentia sit absque ulla canonica auctoritate pulsus Ecclesia, et tanquam qui ab alligatis nullo possit haberi vinculo colligatus, et ab eis qui nullam eum judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, et nullum sui honoris discrimen pati debuerit. Et ideo illum (id est eumdem fratrem et consacerdotem nostrum Ignatium patriarcham), omni vinculo anathematis ab eo remoto, per potestatem divina voce in beatissimo Petro collatam, et per auctoritates sacrorum canonum, et decretalium constitutionum more sanctorum Patrum prolatarum, pristino honori, pristinæ dignitati et sedi, pristino gradui, et patriarchio, ac pristinis et pontificialibus infulis, atque officiis restituimus, statuimus, ac confirmamus: ita ut quicunque post notitiam hujus apostolicæ atque synodicæ sanctionis, quominus omnia, quæ præmisimus, insignis pontificatus recipiat, ei impedierit, et non in omnibus huic decreto obedierit, vel se ab ejus communione sceperaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, absque sedis duntaxat apostolicæ præmisso consensu; si quidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus sit alienus, atque perenni pœna tanquam qui magistrum prodiderit cum Juda traditore constringantur, et nisi a prava intentione recesserit, perpetuo anathemate maneat condemnatus; si vero laicus exstiterit ille (quisquis est) huic nostræ constitutioni contraire tentans, et eum sedem et omnem pristinam duntaxat dignitatem recipere non permiserit, vel si post receptam priorem sedem denuo illum impellere, et a patriarchio expellere tentaverit, vel personæ ipsius seu sacerdotali honori aliquam molestiam sine primæ hujus sedis consensu intulerit, omni benedictione paterna privetur, et maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris sui videns non cooperuit, sed irrisit, mulctetur; et cum parricidis æterna pœna Domino judicante percellatur, et nexibus anathematis nonnisi resipiscens penitus eruatur.

V. Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post injustam dejectionem fratris et coepiscopi nostri Ignatii, vel in exsilio relegati, vel ministerio, aut gradu invidiose privati sunt, statuimus ut exsilio dissoluto proprias sedes, atque gradus recipiant. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, et ut sedes, vel gradus resumant impedierit, quousque non obtemperaverit, anathema sit. Sane si qui ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea sedes quidem et proprios gradus recipere, judicari autem nisi a sede Romana

non patimur. Sed si qua præter regulam forte egisse dicuntur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus, juxta quod et sacri præcipiunt canones.

VI. Quod oportet nos majorum nostrorum statuta immoto mentis intuitu conservare, et in omnibus sanctorum Patrum semper dogmata venerari, diffinimus de sacris et venerandis imaginibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque semper Virginis genitricis Mariæ, omnium sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quos Ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules pro eis decreverunt, ac statuerunt, illibata persistere, atque intemerata manere. Quapropter Joannem quondam Constantinopolitanum antistitem (*a*) et sequaces ipsius, qui eas frangendas, atque calcandas esse ore polluto asseverant, quandiu de his nobiscum non senserint, et juxta sanctorum pontificum Romanorum decreta, et aliorum catholicorum Patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo, et ab Ecclesia catholica atque apostolica esse anathema.

(Capitula quæ subsequuntur in alia primitus a nobis collecta synodo promulgata sunt.)

I.

Quia Dominus Jesus Christus carne tantummodo passus est.

Veraciter quidem credendum est, et omnimodis profitendum : quia Dominus noster Jesus Christus Deus, et Dei Filius passionem crucis tantummodo secundum carnem sustinuit : deitate autem impassibilis mansit, ut apostolica docet auctoritas, et sanctorum Patrum lucidissima doctrina ostendit.

II.

De his qui divinitatem passibilem dicunt.

Hi autem qui aiunt quia Redemptor noster, et Dominus Jesus Christus Deus et Dei Filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit, quod impium est, et catholicis mentibus exsecrabile, anathema sint.

Igitur rediens Rhadoaldus a Galliis, ubi non minora quam in Constantinopolitana urbe perperam gesserat, et collegam suum tale quid pertulisse cognoscens, quin potius conscientia propria stimulatus, expavit. Quod nos intuentes ne quid formidaret, illum admodum sumus hortati, subjungentes duntaxat præter examen synodi nihil in illum nos esse moturos, sed neque et sine culpa prolata, fore aliquid adversi laturos; sed quia fugit impius nemine persequente, dum nihil mali et sufficientibus nostris frueretur bonis, ante tempus synodi, ante sui purgationem, ecclesiam et parochiam propriam deserens ad alias diœceses examen utique subterfugiendo se contulit. In quibus diutius eo morante, apostolico moderamine freti, canonicam, quam merebatur ultionem, super eum inferre distulimus : ne videlicet ad vindictam faciles, vel videremur esse præcipites. Quamobrem destinatis in diversa loca cum epistolis (id est, ubi solus illum rumor latitare fatebatur), missis nostris, videlicet sanctissimis episcopis, ratum eum duximus convocari. Sed ille diversas latebras penetrando (ut pote filius noctis et tenebrarum, qui opera lucis et diei semper refugiens, causam suam ad manifestationem justitiæ solis deduci formidat) quousque valuit, nobis obedire dexpexit. At ubi non reperit tutum suæ tergiversationis latibulum, tandem aliquando Romam redire ausus est.

Et cum nos inter furentium adversariorum linguas, et manus apud beatum Petrum apostolum degeremus, ipse insperatus super nos hostis, inter hostes irrupit : et, ut nunc claret, iterum discessurus fraudulenter accessit; quo tamen corpore, non mente reverso, et synodi tempore propter imminentes hostium oppressiones dilato, rumore crebrescente diffamatur, quod Rhadoaldus denuo fugam arripere meditaretur. Quo audito, quia non poteramus sub tam horrendo nævo Ecclesiam non habentem maculam [*edit. Rom. addit.* aut rugam], aut aliquid hujusmodi, deserere, quominus illam etiam a falsa suspicione redderemus extorrem : nec poteramus personam in tantis prævaricationibus diffamatam, et tam [tantorum] scelerum ore [*forte*, sorde] aspersam, sine satisfactione in communionem nostram admittere, coram multis fratribus et episcopis, coramque plurimis filiis sanctæ hujus Ecclesiæ admonuimus eum, quatenus sicut prius nullam in partem sine nostra licentia a Romana discederet urbe; sed in ea residens, sine timore suis licenter utens, et amicos ac homines suos libere possidens, tempus synodi qua purgandus esset, intrepidus exspectaret : sciens profecto nihil se injustum ante, vel post, præter examen synodicum fore passurum, sed in justitia, quam haberet, esse mansurum.

Insuper etiam sciret, si quoquam a Romana sine licentia nostra discesserit urbe : quia ex tunc esset depositus et excommunicatus. Sed spretis satisfactionibus nostris, atque sententiis in se prolatis, imo spretis sanctorum patrum constitutionibus, sine licentia nostra propriam Ecclesiam despolians, et lupinis dentibus oves sibi creditas deserens ad alias diœceses, imminentem synodum fugiens, discessit. Et quia hæc, et alia multa objecta non diluit, vera esse quæ de illo dicebantur, modis omnibus examen subterfugiendo firmavit. Quapropter, convocata sanctissimorum episcoporum numerosa et venerabili sydodo in superius memorata ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana : auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum, et omnium simul sanctorum, quorum regulas et decreta multipliciter violavit, necnon et nostri apostolatus judicio deposuimus eum, et a corpore et sanguine Christi excommunicavimus, sanctorum scilicet statuta Patrum sequentes, et præcipue sancti

(*a*) Sive Joannem, qui post Antonium ponitur a Constantino Porphyrog. lib. III, n. 26, an. 844. HARD.

Felicis exemplum, qui Vitalem et Misenum episcopos deposuit, et excommunicavit, eo quod huic apostasiæ in Constantinopolitana urbe olim par omnino piaculum perpetrarunt (*Felix III, in epist.* 5). Quod si prædictus Rhadoaldus dudum episcopus, nunc autem depositus, et excommunicatus de cætero cum anathematizato Photio invasore Constantinopolitanæ Ecclesiæ mistus esset aliquando, et Ignatio fratri et coepiscopo nostro infestus esset, et Ecclesiam Dei amplius conturbasset, vel si de damnatione sua querimoniam fecisset, anathematizatus foret : ac per hoc ab omni Christianorum separatus et alienatus, donec nostræ sententiæ sponte se submitteret, collegio. Est igitur Rhadoaldus nunc depositus et excommunicatus, et si Photio communicaverit, anathematizatus : quem vobis, fratres charissimi, ideo intimamus, ut scire valeatis cum quibus communicamus, et quos a nostra apostolica et catholica communione repellimus : quatenus per hoc, secundum sacras regulas, et præcipue juxta Nicænum concilium (*cap.* 5), qui ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Porrigentes ergo Ecclesiæ Dei manus, quos a nobis abjicimus, a vobis repellite : et quos suscipimus, suscipite, quatenus uno animo, uno ore glorificetur Deus, et Pater per Jesum Christum in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Præterea postquam sanctæ in Christo fraternitati, piæque religioni vestræ, quæ in isto volumine hucusque releguntur per alia scripta nostra, nota facere procuravimus : venit ad sedem apostolicam quidam protospatharius nomine Michael ab imperatore Græcorum cum epistola missus, in qua eumdem imperatorem invenimus jactitare, quod vos beatissimos videlicet patriarchas, et charissimos fratres nostros traductos, atque seductos habeat : quatenus in illa exsecrabili apostasia fautores exstitistis; videlicet ut et in depositione fratris nostri, et consacerdotis Ignatii irregulariter facta, et in consecratione Photii mœchi, et ecclesiæ invasoris consentiatis : et contra statuta nostra, sed et adversum sedem principis apostolorum Petri, vos cum illis pariter efferatis. Quod quidem nos de vobis licet minime credamus, qui tale quid ab antecessoribus vestris catholicis duntaxat antistitibus actum nusquam omnino legimus : de vobis tamen magis, quam de nobis curam habentes, hæc nos in scriptis ipsius imperatoris recepisse vos nolumus ignorare : intimantes pariter, et vestram unanimem charitatem admonentes, quatenus in speculo sitis, et ad memoriam revocetis ista vobis nos ideo nota facere studuisse, quoniam, ut prædiximus, sancti, magnique Nicæni concilii decretis jubetur per unamquamque provinciam, ut epistola regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Deinde vero, ut cauti, sollicitique semper sitis, ne quorumlibet suasionibus, vel terroribus hominum, a t quibuscunque mendaciis decepti a capite (id est, a prima sede) dissentiatis, vel ab ejus Ecclesiæ charitate, ac unitate dividamini, cui ille præfuit, quem vox Christi prætulit universis.

Verum si dies antiquos secundum datam vobis divinitus sapientiam cogitatis, priscosque sedium vestrarum præsules ad memoriam ducitis, quanta veneratione sedem beati Petri prædecessores vestri celebraverint, quantoque charitatis amore, decreta ipsius semper amplexi sint, profecto reperietis : denique [*forte*, neque, H.] in universalibus synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod sedes beati Petri probavit (ut ipsi scitis) habetur : sicut econtrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo consistat hactenus reprobatum. Proinde charitas unanimitatis vestræ de fratris et comministri nostri Ignatii sanctissimi patriarchæ dejectione nobiscum doleat, et quæ prævalent ei solamina nobiscum exhibeat. Nam si juxta Apostolum, quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra (*I Cor.* XII); quanto potius compatiendum est illi, quod inter cætera membra præcipuum tenuisse locum dignoscitur? Unde si non pro unius, et specialis personæ præfati fratris nostri repulsione, vel certe pro summi sacerdotii conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis. Nam, si licitum fuerit sæculari potestati de Ecclesiæ Domini præsulibus taliter judicare, vel si rursus fas exstiterit inferioribus de prælatis sibi tam temere ista patrare, perpendite ne ad perniciem vestram, imo totius Ecclesiæ nunc et futuris temporibus præsumptio talis prævaleat, quod si attenditis, ecce jam cernitis. Nam impietas tantum caput extulit, ut Ecclesiarum præsulibus postpositis, et ordine canonico conculcato, laici nunc ecclesiastica moderamina teneant : et pro libitu proprio, modo istos removeant modo illos in locis eorum promoveant; et rursus quos nunc approbant, post modicum mentis victi levitate repellant.

Ut enim iidem sæculares, ac laici homines quælibet scelera valeant licenter committere, ut pro his a nullo pontificum, qui ex clero promotus, hæc summa poterat auctoritate compescere, libere redarguantur, non de clericorum catalogo permittunt ad sacros ordines provehi, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius ac familiarius sub Christo duce forti militantes fortius comprimere possent : sed ex seipsis eligunt, qui facta eorum tanto minus præsumant arguere, quanto se paulo ante de eorum cœtu favore ipsorum promotos meminerit. Quod illius in partibus tanto familiarius agitur ista præsumptio (videlicet ut ex laicis subito tondeantur, et in episcopos consecrentur) quanto ex consuetudine inolevisse testantur, quam nos econtra tanto studiosius de Ecclesia Dei eradicare volumus, quanto nimium noxiam esse clericis, et omni religiosæ plebi supra docuimus. Quantoque scimus ex sacris canonibus, quod non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela vitanda sit : et scimus quod paulatim crescens, jam suæ pestiferæ nequitiæ gravamine multos invaserit, adeo ut temeritas hæc tantum

excreverit, ut jam minime clericis egeant, dum A contra sacros canones ex se ipsis subito tonsuratum, quem voluerint, eligant : et ad labores clericorum mentis oculos non inflectant, ac per hoc fit, ut alienus comedat ipsorum fructum laborum, et stipendia meritorum extraneus hostis insperatus subripiat. Ita nihil proficiat clericis in castris dominicis militasse, vel gradatim per singulos ecclesiasticos ordines ascendisse, dum alter saltu hos omnes transcendit, et repente principatur in eis is, qui inter eos nec contra spiritales hostes arma sustulit, nec diversis Ecclesiæ adversariis pro veritate prælians aliquando restitit.

Quantum autem ne laicis temere quislibet ad episcopatum eligatur, sacri canones enim aliis prohibeant, Sardicenses ostendunt, Osio episcopo capite decimo tertio dicente(*can.* XIII): B Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur nisi ante et lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus; et ita per singulos gradus, si dignum fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebant utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia : et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur : quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur, aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est : maxime cum et magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denuntiasse, et prohibuisse, videatur (*I Tim.* III) : C sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, et merita fuerint comprobata. Contuemini ergo et futura, imo urgentia mala conspicite : medici estis, imminentes morbos per præcedentia signa prævidete : episcopi estis, exsurgens in Ecclesiam Christi horrendum exitium prospicite : speculatores estis, in altam mentis arcem conscendite, et in gregem Dominicum feram pessimam irruere cupientem a longe contemplamini : quasi tuba exaltate vocem vestram, et annuntiate populo Dei scelera eorum : *super montem excelsum* id est, ad altitudinem virtutum) *ascendite, qui evangelizatis Sion (Isa.* XL) : state in fortitudine, potestatibus hujus sæculi ex adverso ascendite, et murum pro domo Dei apponite, et quibuslibet potestatibus inique agentibus contraite : D sicque fiet, ut nec, sicut canes muti, de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione districtam Domino rationem reddere compellamini. Vosque ipsos, et consacerdotes, nostros, imo Ecclesiam Christi illis in partibus constitutam ab ingenti pernicie, a noxia labe ipso jubente laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis.

Hanc autem epistolam, quam per superius memoratum Michaelem protospatharium glorioso Augusto Michaeli direximus, idcirco pridem sanctitati, seu unanimi dilectioni vestræ cum aliis scriptis non misimus, quia et fratres per quos illa destinata sunt, se dimitti vehementissime postulabant, et nos ad multa ecclesiasticorum negotiorum extendi hanc tam concite, sicut valebamus, solemniter ordinatam præ manibus, cum dimitterentur, minime poteramus habere.

XLVII.

AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

(Anno 863.)

Commemorat quam multa pro ipso hactenus in Galliam scripserit, spondetque se ipsi, Romam si veniat, minime defuturum.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, sanctissimo et reverentissimo ROTHADO Suessionicæ urbis episcopo.

Sciat sanctitas tua, quoniam misimus increpatoriam epistolam pro te Hincmare sanctæ Rhemorum ecclesiæ venerabili archiepiscopo, eo quod post appellationem ad sedem apostolicam in te depositionis intulerit sententiam, quam quidam vir, qui cum Bosone comite Romam venerat, ad te deferre debuit : sed hanc rescripsit nobis ipse Hincmarus reverendus archiepiscopus, quod eam minime viderit. Insuper tam Hincmarus, quam cæteri episcopi, qui ad eamdem synodum convenerant, ubi sententiam depositionis circa te protulerunt, sub gestorum serie quæ de te gesserint in nobis latius intimaverunt, accusationes circa te pro se excusationes multiplices protendentes, et per Odonem venerabilem episcopum nostro eas apostolatui verbo tenus indicantes. Per quem tam eisdem archiepiscopis et episcopis generaliter, quam dilecto filio nostro Carolo glorioso regi specialiter rescripsimus, increpantes et admonentes pariter et jubentes, ut te de claustris monasterialibus præsentialiter educerent, et nostro aspectui præsentarent. Nunc autem venit Liudo religiosus diaconus secum epistolas jam fati regis et Hincmari ferens, quæ te jussu ipsius regis de monasteriali custodia eductum, et cuidam episcopo familiari tuo commendatum esse fatebantur. Per quem tam Carolo glorioso regi quam præfato Hincmaro archiepiscopo metropolitano tuo, sicut et prius, direximus, ut quia unam partem sine altera audire non possumus ad renovandum in nostra præsentia judicium, et te honorifice, et aliquos eorum qui te judicaverunt, vel ipsorum vicarios, Romam dirigant. Nunc autem fraternitas tua studeat secum sollicita mente revolvere, quod tibi quasi in ipsis tuis auribus loquimur, ut si quidem conscientia tua reprehendit te, aut forte judicium episcoporum circa te prolatum admiseris, nec te fatigare nec alios velis. Si vero illi nostro consilio freti, episcopalem tibi reddiderint dignitatem, sicut eis scripsimus, bene. Quod si nostrum consilium parvipendentes hoc agere illi distulerint, et tu in cœpto proprio perseverans ad nos venire elegeris, intrepidus et de Dei misericordia fidens occurre : sciens profecto quia te, Deo auxiliante, non deseremus, quoadusque justitia convertatur in judicium, et quæ nunc operta

sunt Dominus revelare dignetur. Dabitur autem tibi sine dubitatione ad nos aditus veniendi: quod et nos apostolica auctoritate, et firma censura statuimus, et dilectus filius noster Carolus Christianissimus rex, et nobis devotissimus, pariter, et Hincmarus frater et coepiscopus noster, scriptis sui præsenti tempore te ad nos missuros fore se, firmissime sunt omnibusque modis polliciti.

XLVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Hortatur ut Rothado Romam venturo itineris solatia prospiciat.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Cum vos tantæ humilitatis tantæque devotionis incurvatione, sub potenti manu Dei ad reverentiam præcipuorum ipsius apostolorum flecti conspicimus, impletum videmus quod sanctus Job de Domino loquitur dicens: *Sub quo curvantur qui portant orbem* (*Job.* IX). Nisi enim vos, qui in regali sublimitate positi estis, tanquam cujusdam ingentis fabricæ bases, vestro sudore mundum quodammodo portassetis, nequaquam Græco sermone βασιλέων vocabula sortiremini. Rursusque, nisi tanta coram summo Deo vos humiliatione incurvassetis, nequaquam nobis, licet indignis servis ejus, obedientiæ colla tanta facilitate submitteretis. Operatur autem idem ipse Deus in vobis hoc, qui et laudandus est propter hoc, quique prævidit vos, et ad regni gubernacula destinavit, quo auctore vobis felicia arrident, ut cernimus, tempora, et prosperis prospera, ut audivimus, succedunt. Quapropter ejus misericordiam glorificamus, et quia ignoramus quo hæc in vobis judicia divinitus patrantur, dilectionem vestram instantissime adhortamur, ut memores fragilitatis humanæ nulla vos commoda elevent, nulla secunda dissolvant: sed semper ad vosmetipsos recurrite, et quia nihil est in homine unde se extolli debeat, sedula consideratione perpendite. Si qua ergo cœlitus tribuuntur ad votum, largitorem ante oculos vestra revocare solertia non omittat, nec in his quæ temporaliter conceduntur bonis, consistere finem existimet, nec cito defluis delectata felicitatibus, perennis beatitudinis gaudia appetere desinat. Prospera vero mundi occasio vobis sit cœlestia præmia requirendi, non fomes ad ima tendendi. Hinc egregius Apostolus admonens: *Qui utuntur*, inquit, *hoc mundo, tanquam non utantur* (*I Cor.* VII). Tunc enim vos indubitanter ad æternam gloriam pertingere posse confidemus, si in hujus vitæ gloria positos vos humilitatem sectari veraciter senserimus. Scriptum quippe est: *Gloriam præcedit humilitas* (*Prov.* XV): e contrario vero: *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI). Sed hæc nos ad ædificationem sublimitatis vestræ quam paterno incunctanter affectu diligimus, cursim tetigisse vestra libenter tranquillitas noverit, et eo quo a nobis mittuntur mentis intuitu, vester benignus hæc gratanter suscipiat animus. Cæterum de Rhotado venerabili episcopo, de quo apostolatui nostro omittendum non est, iterum iterumque suggerimus, ut omni desita amaritudine, quam circa illum celsitudinis vestræ retinet indignatio, pro amore apostolorum principis, ad cujus sedem, dum anxiaretur cor ejus, clamavit, gratiam illi impartiamini; et placabilem erga eum pietas vestra, gratamque in omnibus se prorsus exhibeat, ita ut cum Romam profecturus erit, vestra illi sufficientia in itinere non desint solatia: sed potius vestris saltem pro nobis ditatus beneficiis, ac fultus subsidiis, ad cœptum pertingere queat sine aliqua difficultate propositum. Porro de his pro quibus apostolatum nostrum consulere merito decrevistis, fratri et coepiscopo nostro Hincmaro, quod nobis tolerabile esse videtur, custodiendum ac decernendum mandavimus. Præterea nolumus ignorare vestram sagacitatem quod licet semper dilexerimus vos, plurimum tamen amoris cordi nostro præsentium latores inseruerunt, qui sedulis persecutionibus suis tam miranda de vobis nostris auribus inculcarunt. Unde et omnipotentem Deum merito laudamus, et ad dilectionis vestræ ardorem magis ac magis cor nostrum consequenter succendimus. Optamus gloriam vestram in Christo bene valere.

XLIX.

AD HERMINTRUDEM REGINAM.

(Anno 863.)

Respondet se causam Rothadi, quod illa in Caroli regis gratiam suggerebat, indiscussam relinquere non posse.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HERMINTRUDI gloriosæ reginæ.

Litteras dilectionis vestræ, filia charissima, ut nostrum regem Carolum, virum vestrum, nostrum autem dilectum filium, in causa Rothadi episcopi exaudiamus, nos hortantes, ecce nunc secundo suscepimus. Pro qua re, mihi crede, multum anxiamur multumque undique coarctamur: quoniam nec nos possumus vobis, ut nobiscum de illo unum sentiatis, id ipsumque velitis, suadere: nec rursum causa talis est, quod sine offensione Dei nos valeamus utrumque postponere. Verum, filia, ut cum charitate vestra dicam, si oporteat obedire Deo magis quam hominibus, ipsa potius judica. Nos autem causam Rothadi in virtute Dei non patiemur, vita comite, indiscussam relinqui, præterquam si ante idem venerabilis vir pristino fuerit honori ac dignitati redditus, quam coram nostra speciali præsentia, discernenda causa ipsius exstiterit præsentata. Quis, rogo, in toto orbe regni vestri læsus, aut lædendus, clamaret unquam ad sublimitatem vestram, cujus vos vocem postponeretis, et non magis ultione districta ipsius injurias vindicaretis? et nos quo modo hortari videmini, ut vocem sanguinis fratris nostri non exaudiamus? Aut quomodo obturabimus aures ad clamores illius, cum

vehementer paveamus ne nostra ob hoc fiat oratio exsecrabilis, clamemusque, sicut scriptum est, et non exaudiamur? Certe pro sollicitudine, quam circa Ecclesiam Dei retinemus universam, et pro speciali cura, quam circa cunctos fratres nostros principaliter habemus, etsi nunquam vocasset, a nobis summa diligentia quæri, et competenti debuerat studio adjuvari. Quod autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum, sed augmentum ecclesiæ nostræ privilegiis generetur: nos certissime credimus, quia privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ nullum possunt sustinere detrimentum, nec plantatio quam cœlestis pater noster plantavit eradicari, nec fundamenta, quæ summus posuit architectus, queant quibuslibet et quantislibet fluctuationibus amoveri. Verumtamen, charissima filia, magnum manet periculum, tam eos qui sua desidia ea minui aliquo modo sinunt, quam eos qui sua præsumptione illa violare contendunt. De exaudiendo vero, vel non exaudiendo filio nostro Carolo, conjuge vestro, per Liudonem venerabilem, idoneam vobis, ut remur, misimus rationem. Verum nos quidquid illi admonendo, vel hortando, vel etiam increpando mittimus, ad ejus et dilectorum illius salutem, atque ad regni ipsius incolumitatem perficere, non dubitamus, imo, Deo auctore, omnino confidimus. Incolumem serenitatem vestram divina conservet majestas, filia charissima.

L.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Pro Rotberto episcopo Cenomanensi adversus monachos sancti Karilefi.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei CAROLO glorioso regi.

Excellentiæ vestræ innotescimus, quia Rotbertus sanctæ Cenomanensis Ecclesiæ antistes nobis litteris sui cognitum, præcipua cordis devotione obsecrans, facere studuit, quod monasterium sancti Karilefi, situm in pago Cenomanico, loco videlicet, qui antiquitus dicebatur Casa Gaiani, super fluvium Anisola ab ejus ditione ac potestate subtractum sit; et quod antecessorum ejus decreto et voluntate ordinabatur, nunc sine ipsius sit consensu sub abbatis constitutum regimine. Unde vestram Deo amabilem magnificentiam his apostolis monemus atque hortamur apicibus, ut juxta veritatis censuram, sanctæ jam dictæ Cenomanensi Ecclesiæ, super hujus rei negotio justitiam conservare, et pium devotionis vestræ auxilium impertiri, nulla hominum subdola persuasione prætermittatis: ipsum monasterium pro Deo, nostræque paternitatis amore, præfato Rotberto episcopo, sicut et antecessoribus ejus jure permansit, deinceps habere, atque salubriter pro ipsius venerabilis loci utilitatibus ordinare, libenti animo permittatis: nullamque potentiæ vestræ vim in hoc aliquatenus patiatur; sed liceat ei habere securiter, quod juste suos semper tenuisse prædecessores privilegio etiam nobis ostenso fatetur. Si vero quispiam monachorum supradicti monasterii sancti Karilefi amplius resistere nititur, ne sub Ecclesiæ Cenomanensis potestate jam dicta consistat, et in hac omnes obstinatione perdurant: ipse Rotbertus episcopus de vicinis episcopis sibi quos voluerit judices eligat, et nostra auctoritate simul convocatis, et cæteris episcopis, qui in diœcesibus sanctæ Turonensis Ecclesiæ videntur existere, talis tumultus dissensiones, quæ callido sunt exortæ ingenio, justo sanctorum Patrum judicio resecentur, omnisque hujus litis ambiguitas pacifica veritate pellatur: ita sane, ut monasterium priscis fundatum temporibus, cum omnibus sibi jure debito pertinentibus rebus, Deo auxiliante, illibatum sub potestate Cenomanensis Ecclesiæ, si justum fuerit, maneat. Quamobrem magnitudinem vestram monemus, ut sicut superius dictum est, justitiam et æquitatem in hoc et in cæteris omnibus conservare, ob recompensationem futuræ retributionis nulla sæculi felicitate negligatis. Quod si in eodem judicio prædictus episcopus Cenomanensis aliqua necessitate compulsus appellaverit se de hoc in nostra præsentia judicium agere, volumus et jubemus tam ipsum episcopum, vel legatum ejus, quamque etiam tres de monachis prædicti monasterii tempore opportuno ad nos omni prætermissa occasione venire: ut digne apostolicæ sedis examine atque judicio talis utriusque partis controversia resecetur, et ad æquitatis debitæ jus pars justa sine protelatione indubitanti fine perveniat. Quod si ipsi monachi, nostra jussione vocati, venire forte contempserint, vestræ potestatis properare cogantur imperio, cum quibus et fidelem hominem vestrum transmittere qui ipsius causæ et contentionis initium experiatur et finem, dignemini.

LI.

AD ROTBERTUM EPISCOPUM CENOMANENSEM.

(Anno 863.)

Narrat quid ipsius causa statuerit de controversia monasterii sancti Karilefi.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, ROTBERTO Cenomanensis urbis episcopo.

Plane quia sanctitatem vestram ad apostolicam sedem constat plenas devotione litteras destinasse, multas gratias Deo omnipotenti, vobisque referimus, eo quod et debitam reverentiam observantes, nos in vestris utilitatibus adjutores quæsivistis, et sanctam omnium terrarum matrem Romanam Ecclesiam interventricem suppliciter præoptastis, quod ita se habere luce clarius patet, vestris annisibus consulere. De illorum monachorum sancti Karilefi improvida intentione decrevimus ut, si venerint, et talia concedi petierint, vestro ducti amore nec illorum impolitis precibus annuemus, nec auctoritatis nostræ censuram illis in talibus largiemur. Qui si voce forte falsidicæ assertionis aliquid, quasi nostræ institutionis edita decreta, protulerint, donec nostro demum pontificio cognitum fiat, illis credulitatem

exhiberi non volumus : quia,ut præfati sumus, illis in talibus minime assensum præstabimus, aut alia volentibus facere apostolicam licentiam dabimus : excepto si talis ratio non præluceat [*forte*, ratio nobis præluceat, HARD.], pro qua id diffiniri intentio cogat. Gloriosum quoque regem vestrum Carolum, ejusque regni episcopos, nostris exhortationibus admonemus ut, nostra fulti auctoritate, contra [*edit. Rom.*, circa] vestræ ecclesiæ privilegia sententiam minime inferant, discutiant, ac audiri permittant : sed, divina clementia favente, juste decernant, et Cenomanensis urbis viris, ejusque præsulibus, ut erat, ipsum monasterium redderent, statuimus ut vestri sub cura regiminis subderetur. Hoc illis summopere statuentes, ut si a vobis judices, qui canonice causam determinent, ex ipsis electi fuerint, vestræ pareant voluntati : ita ut et judices dentur, et hujus rei intentio æque ventiletur. Quod si ob alicujus impedimentum inibi res digesta non fuerit, præcipimus ut utraque pars, vos scilicet aut vester legatus, et tres ex ipsis monachis, in nostram specialem præsentiam veniant, ut nobis præsentibus legitimum finem accipiant. Nam et confratrem nostrum Herardum archiepiscopum, de his per apostolicos apices certum reddidimus, et ut a nobis institutum est intimavimus. Unde et eosdem monachos dignum duximus corripere, admonere, ut proprio libitui resistere incipiant, et ultra modum mentem non elevent, nec illicita quæque reprehendere præsumant : sed repressa tantæ temeritatis audacia, vobis obedire non differant, et vestræ ecclesiæ colla submittant.

LII.

AD MONACHOS S. KARILEFI.

(Anno 863.)

Jubet ut episcopo Cenomanico subesse non detrectent, ad causam coram episcopis, vel coram sede apostolica dicendam se comparent.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, cunctæ congregationi monasterii sancti Karilefi.

Fidelium relatione comperimus, quod modum proprium transgredi cupientes, a jure Cenomanicæ urbis, in cujus diœcesi moramini, vos subtrahere conamini, et, sicut nostri apostolatus arbitratu cognoscimus, ad vestri interitus perditionem, in propria voluntate vivendo, animos elevare videmini. Qua de re salutem vestrarum desiderantes animarum, apostolica auctoritate a talibus vos revocare studuimus. Expressiusque jubemus, ut non vos proprius libitus ducat, quo animus erigi prævaleat : sed ad principalem vestram ecclesiam, videlicet Cenomanicam, solito more recurrite; ejusque episcopo obsecundantes, et illam, qua nomine dicimini, vitam implere sagite, et vestri ordinis ministerium prudenter assumite cum sanctitate. Quod si ista vestrarum arcana mentium non penetraverint, tunc in conspectu sanctissimorum episcoporum, qui a Rotberto Cenomanico præsule convocati fuerint, causam edicere procurate, ut quo res ducitur plenius digeratur. Nam si illic inter prædictum Cenomanicum episcopum atque vos regulare judicium datum non fuerit, tunc incunctanter præcipimus, ut ex vobis tres eligantur, qui cum sæpe fato episcopo, vel ejus legato, in nostram apostolicam veniant præsentiam : ut omni repulsa occasione, nostro examini hujus rei gratia appareat, atque canonico calculo finem accipiat. Optamus vos in Christo bene valere.

LIII.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CALVI CONSTITUTOS.

(Anno 863.)

Ut causam inter episcopum Cenomanicum et monachos sancti Karilefi discutiant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis et sanctissimis confratribus archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis commorantibus.

Dignum est, ut qui sacerdotali reverentia decorantur, secundum sanctorum Patrum censuram, æqui moderaminis lance sic cuncta studeant trutinare, quatenus gregum sibi a Domino creditorum septa munire non desinant, et debitam curam adhibere nequaquam postponant : ne forte cum segnitia cœperit oboriri, incentori aditus relinquatur, per quem pestifero more in ovile Dominicum ingrediens, oves dominicas discerpere, ac morsu ferino incipiat lacerare. Quod utique de vobis, fratres, minime dici volumus, quin commonemus, ut tantæ sollicitudinis operam ad cunctorum subjectorum profectum assumere studeatis, quantum illud audire cupitis, quod Dominus se confitentibus misericorditer repromisit : *Euge*, inquiens, *serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Idcirco sanctitati vestræ compertum esse volumus, qualiter a primordio constructionis suæ monasterium sancti Karilefi, in Cenomania situm, ejusdem Cenomanicæ urbis juri, ejusque præsulis, subditum fuerit : et juxta canonica instituta, qui ejus diæceseos curæ præerat, ipsius etiam sub regimine ejusdem monasterii congregatio degebat. Sed nunc, ut nostris intonuit auribus, monachi ipsius, regulari auctoritate contempta, zelum paternæ traditionis non ducunt, et modum debitum servare non cupiunt; cum, quod non licet, proprio libitu vivere quærunt, et parochiam, in cujus diœcesi consistunt, jus non tenuisse fatentur. Quapropter apostolicæ auctoritatis apicibus omnium vestrorum reverentiam commonere decrevimus, ut rectitudinis atque justitiæ intercurrente libramine, Dominum præ oculis habentes, hoc extra institutionem sanctorum Patrum fieri non sinatis : sed usquequaque causam considerantes, quid rectius, quidve utilius inveneritis, hoc conservantes, atque tenentes, Cenomanicam plebem non patiamini præjudicium sustinere, atque quæ ejus sunt, inconvenienti calculo discernere, ac pertractare : quatenus et vestræ fraternitatis ordo non violetur, et ipsius ecclesiæ præsul sua amittere nequaquam co-

gatur. Igitur si ab eodem Cenomanico præsule ex vobis, qui hujuscemodi quæstionem discutiant, judices electi fuerint, et alia electio in unum convenerit, tunc si illuc contentionis finis aliqua emergente difficultate dirigi non poterit; jubemus ut utraque pars in nostram specialem veniat præsentiam, ut litis intentio legali coram nostro pontificio sententia ventiletur, declaretur, atque luce clarius finiatur. Omnipotens Dominus mentes et corda vestra ad bene agendum semper inclinet, ut bonis operibus inhærendo, æquitatis atque justitiæ culmine videami sublimari.

LIV.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 863.)

Taxat illum quod monachis sancti Karilefi favens, Caroli regis animum adversus episcopum Cenomanensem commoverit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO Rhemorum archiepiscopo.

Relatu quorumdam audivimus, quod tua fraternitas contra Rotbertum Cenomanicæ urbis episcopum, pro eo quod monasterium sancti Karilefi ad jus ecclesiæ sibi commissæ vindicare velit, non parum sit indignata: ita ut animum dilectissimi filii nostri Caroli gloriosi regis adversus eum commoverit, et in synodo, quæ modo dicitur a sanctitate tua colligi, fertur quod nescio quas insidias, quasi ex alia ratione, illi nitamini præparare, lædere eum magnopere gestientes, quod de tanto viro indignum credere judicavimus. Denique si Rotbertus episcopus petit quod petere debet, impetret: si vero quod non debet postulat, nunquam obtineat: verumtamen ob id nihil sustineat omnimodis læsionis. Quod tua, frater charissime, studeat sanctitas summopere præcavere; ne quod non credimus, injuste, vel obtentu æquitatis, idem antistes a tua lædatur in aliquo reverentia. Sed si crimen illi objicitur, sic de eo examinatio præveniat, ut judicium in illum ex nostræ auctoritatis libramine subsequatur. Nam cum vos suspectos habere videatur, indecorum, imo temerarium est, ut a vestra sanctitate aliquid patiatur discriminis. Sed et devotissimi filii nostri Caroli pii regis animum vestra beatitudo circa jam fatum episcopum placabilem ac mitem reddere nostra vice procuret: quatenus furore deposito, dum Deo auctore mentem suam ad nobis adhuc obediendum, et circa sæpe designatum episcopum benigne regere studuerit, quod vere rex sit omnibus palam detur intelligi, et cunctis manifeste ipsius pietas innotescat. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

LV.

AD VITALEM GRADENSEM PATRIARCHAM.

(Anno 863.)

Invitat ad synodum Romæ habendam.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reve-
A rendissimo et sanctissimo confratri nostro VITALI patriarchæ.

Notum fieri religioni tuæ, et summopere necessarium judicavimus, quia pro diversis utilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostram synodum vel concilium una cum cæteris sanctissimis confratribus nostris tertio Kalendarum Novembrium in S. Romana sede celebrare dispositum habemus. Quapropter apostolica auctoritate, et pastorali persuasione tuam monemus fraternitatem, ut ad condictam synodum præsens adesse tua sanctitas omnibus modis studeat, quatenus cum tua pariter cæterorumque sanctorum episcoporum industria de his quæ sanctæ Dei Ecclesiæ valde pertinentia et necessaria, satisque habentur utilia, auxiliante divina clementia,
B canonice ac legitime liberare secundum Deum, imo juxta illius voluntatem definire valeamus. Si autem, quod minime optamus, tua ipsa præsentia nullo modo potuerit per semetipsam præsens adesse, omnimodis decernat sanctitas tua ex suffraganeis episcopis tuis strenuos cum presbytero pariter et diacono, qui vicem tuæ fraternitatis, auctoritate tua succincti, vigilanter expleant, et cum quibus de his quæ nostro vestroque pertinent ministerio, saluberrime atque canonice instruere vel definire, Deo præstante, possimus. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

LVI.

AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

Adversus Tietgaudum Trevirensem et Guntharium
C *Coloniensem in negotio divortii Lotharii regis.*

(Anno 863.)

[Apud Hontheim, Hist. Trevir., tom. I, pag. 200.]

NICOLAUS, servus servorum Dei, reverendissimis ac sanctissimis fratribus nostris archiepiscopis in regno Ludovici regis Germaniæ constitutis.

Scelus quod Lotharius rex, si tamen rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenavit, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, (*a*) Theutberga scilicet et Waldrada commisit, omnibus manifestum est. Sed et dudum episcopos Theutgaudum et Guntharium in tali facto eum habuisse tutores et fautores, pene totus nobis orbis, undique ad limina seu sedem apostolicam confluens, referebat, absentibus quoque id
D scribentibus apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis et sancta synodo tales inventi sunt, quales fuerant a multis sæpe prædicati, ita ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur, dum muscipulam innocentibus apponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi. Sicque completum est, Deo auctore, quod in Proverbiis legitur: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Siquidem ipsi obligati sunt et ceciderunt

(*a*) Desunt hic aliqua.

runt; nos vero, qui in hoc flagitium falso cecidisse dicebamur, favente Domino, cum justitiæ propugnatoribus surreximus et erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati, atque regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde nostra paternitas canonum normam custodiens, et decretorum sanctiones observans, cavet ne eos quos nos abjecimus, recipere in sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theutgaudum et Guntharium protulimus, cum cæteris capitulis, quæ sancto concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferius annexa monstratur (*a*).

LVII.

AD LOTHARIUM REGEM.

Fragmentum. — (Anno 863.)

[Apud Jaffe, *Regesta pontificum Romanorum.*]

Ita corporis tui cedere motibus consensisti, et, relaxatis voluptatum habenis temetipsum in lacum miseriæ et in lutum fæcis pro libitu [*al.*, prohibitum dejecisti, et qui positus fueras ad gubernationem populorum, effectussis ruina multorum.—Probat hoc Thiegualdi (Trevirensis) et Guntharii (Coloniensis), dudum episcoporum, legitimus casus, qui pro eo, quod te minime competenter erudierunt, nostra sint apostolica depositi auctoritate, et ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati.— Annon districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech et flagitium imitatus esse dignosceris?

LVIII.

ITEM AD EUMDEM LOTHARIUM.

Fragmentum. — (Anno eod.)

Auctoritate apostolica, non regio favore episcopus est eligendus.

[Apud Gratianum, *Decret.* I, D. 63, c. 4.]

Porro scias quia relatum est nobis quod quicunque ad episcopatum in regno tuo provehendus est, nonnisi faventem tibi permittas eligi. Idcirco apostolica auctoritate sub divini judicii obtestatione inungimus tibi, ut in Treverensi urbe, et in Agrippina colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc, nostro apostolatui fiat.

LIX.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 864.)

Respondet variis illius consultationibus. De Lotharii regis divortio et de Alvico clerico.

Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni, sanctæ Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Consultationis vestræ ad apostolicam sedem delatos suscepimus apices, qui diversitatum negotia continentes, de his vestræ fraternitati a nobis rescribi quærebant, et utrum quædam in Dei Ecclesia provide necne tenenda essent, et apostolica [*f.*, ut apostolica, Hard.] sanctio decerneret zelo charitatis summopere expetebant. Nempe sollicitudinem vestram in talibus laudamus, et gaudentes de vobis magnis sanctitatem vestram præmiis attollimus, eo quod adeo sollicitiores vos in ecclesiasticis disciplinis reddere volumus, ut unde modo lætamur, verissima et certissima inde relatione jucundissimi efficiamur. Sed quia litterarum vestrarum latores, ut oportuerat, si propterea quia si post suos comites remansissent per incognita loca pravorum angerentur insidiis hominum sustinere nequaquam valentes, ideo vobis tam subito rescribere non potuimus, præcipue cum hac sancta Romana Ecclesia, cano exigente more, in suis pro cæteris sollicitudinem gerat, et eodem tempore propter festi paschalis dies major nobis præter solitam alii tempori consuetudinem incumberet dispensatio ecclesiasticæ occupationis. Verumtamen vestra fraternitas congruo tempore taliter dirigere studeat, ut quod nunc flagitat, tunc de requisitis tolerabilius consequatur. De cætero monemus, et sicut Dominici agri cultores estis, et pastoris vices tenetis, pastorali providentia Lotharium gloriosum regem pro dissidio prioris et assumptione alterius feminæ interim sacratis monitis et divinis increpationibus (*b*) exoremini, quatenus quod nomine dictare, opere ad exemplum subjectorum veraciter approbetur. Non sit in illo voluptatis juvenilis incontinentia, pro qua florigeræ gloriæ regnum amittat perenniter permanens. Desinat, jam desinat calcare semitam iniquitatis, et per justitiæ iter incedens ad castra Dominica vestris interventionibus sine vi procellarum securus perveniat. Et hæc quidem succincte transcurrimus, quia de vobis credimus, ut quæ saluti ejus conveniunt edicatis. (Dist. 32, *de illo clerico.*) Interea de illo clerico, Alvico nomine, quem per ordines ecclesiasticos usque ad diaconatum caste vixisse dicitis, cur nostra auctoritate uxorem duxerit miramur, et eo quod nulli unquam, exceptis illis, quos ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam dedimus. Nam exemplar epistolæ quod misistis neque recognovimus, sed nec illius stylum a nobis directum fuisse meminimus. Quocirca vestra fraternitas sollicita investigatione perquirat, ut quis auctor illius epistolæ fuerit valeat inveniri, quatenus cum apostolica auctoritas mittitur non fuscetur; et si vestros legatos destinaveritis per eos ut ipsam epistolam nobis dirigatis optamus, quo cum illam contemplati fuerimus, vos de hac causa certissimos reddere possimus. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data III Kalend. Aprilis, indictione XII.

(*a*) Vide Acta concilii Metensis, apud Mansi Conciliorum tom. XV, col. 651.

(*b*) Locus corruptus.

LX.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 864.)

Rothadum ab itinere Romano prohibitum fuisse indignatur. Jubet ut quamprimum dirigatur, et illius interim loco episcopum ordinari vetat. Monet ad extremum, ut Gunthari communionem ipse atque ejus suffraganei caveant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Hincmaro archiepiscopo Rhemorum.

Ad fraternitatem tuam, epistolam dilecto filio Carolo glorioso regi quæ suo nomine titulatur, a te mittendam dirigimus : idcirco apostolatus nostri scripto hortamur, ut illam instantius prædicto regi destinare procures, et pro nostro amore sine mora facias præsentari. Miramur præterea et æquanimiter ferre non possumus, cur apostolica nostra monita jam toties pro confratre nostro Rothado episcopo vilipendens, spernere non recuses, de quo non solum ter, sed et quater charitati tuæ, ut recuperaretur, direximus, et ad ultimum statuimus, ut autem honori pristino redderetur, aut Kalendis Maii istius XII indictionis apostolatui nostro cum legatis tuis præsentaretur. Quod non tantum fieri renuisti, sed etiam cum ipse venire vellet, iterque jam cœptum haberet, non est permissus : sed potius coactus, retro reversus est. In quo datur intelligi, ut tua fraternitas ad hujus casum prompta existere possit, quando et apostolica præceptio ad injuriam beati Petri apostoli illis in partibus non observatur, et a te spernitur ac violatur. Si vero erga apostolicam charitatem nostram benevolentia tua haberetur, saltem cur in veniendo idem Rothadus fuerit impeditus, nobis significasses. Recognosce ergo atque considera, quia bene agere minime probaris, cum constet nos, Domino annuente, prædicti Rothadi causam usque in finem indiscussam nequaquam dimittere : sed pro viribus eo quod ad sedem apostolicam appellavit, ad veri examinis perducere nos velle æquitatem. Tu autem, frater charissime, omnem inobedientiam depone, et tum per te, quam per filium nostrum Carolum gloriosum regem, eumdem episcopum, quem a nobis exaudiendum venire jubemus, iterumque præcipimus, ad apostolicam beati Petri sedem, cujus membra esse probamini, cum missis tuis quantocius dirigere studeas, si tuam charitatem in integritate firmissime petræ desideras collocare, ubi Christus domum suam fundavit. Nam et alterum episcopum, qui post illum sedem in ejus dejectione suscepit ibi non consecres, donec coram nobis, de eo examinatione præmissa, luce clarius causam ejus vere intentione discutiamus. Quoniam, ut sæpe diximus, repetimus ac tenemus, illum sine examine non dimittemus. Sed et illud quod fraternitatem tuam cavere oportet, necessario intimamus, de Gunthario scilicet uno de damnatis, qui contra sanctorum Patrum statuta, contraque nostri apostolatus et sanctæ synodi sanctionem, ut fama jactitat, A juxta præcedentem consuetudinem de sacro ministerio quod ei prohibitum fuerat, attrectare præsumit, et id quod contra eum canonice actum est, irreverenter defendere quærit. Nos autem, eo quod sic definitum cum sancta synodo habemus, nullatenus, si ita est, ei communicamus, sed ab omni communione fidelium illum cum sequacibus, consentaneis, fautoribusque suis alienum esse penitus judicamus. Verumtamen ne illius sola fæce tu vel suffraganei tui episcopi, sicut jam vobis mandavimus, coinquinari valeatis, summopere exhortamur, monemusque atque præcipimus. Nam et qualis sit idem Guntharius, quantumque sanctorum Patrum excesserit regulas, viva voce jubemus omnibus publicare, et ejus præsumptionem palam ad canonicam censuram B cavendam edicere procurare. Diu sanctitatis vestræ fraternitatem ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ Deus omnipotens servet incolumem.

LXI.

CAPITULA RESPONSIONUM NICOLAI PAPÆ.

Ad legationem Salomonis episcopi missi anno 864 *a rege Ludovico Germanico.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

Fateor veraciter apostolatum nostrum commotum fuisse adversus eum, non quia illicitæ copulæ consensit, sed quia sicut non consensit, sic non prohibuit. Et non sufficiat ad salutem non facere malum, si non faciamus bonum. Job sancto non sufficeret solum quia simplex erat per innocentiam, nisi esset et rectus per æquitatem. Duo filii Juda, iniquus C scilicet et semen in terram fundens, duo genera hominum significant, unum videlicet per malitiam nocens, et alterum per benevolentiam præstare nolens. Sed utrumque Dominus iratus occidit. Rursus qui nos vult simplices esse sicut columbæ, admonuit ut simus prudentes sicut serpentes. Nam et Spiritus sanctus in columba et igne monstratus est, quia omnes quos repleverit simplices et ardentes facit, simplices puritate, ardentes æmulatione. Videte ergo quomodo placere Deo simplicitas sine zelo non possit. Talem igitur se debuit per zelum rectitudinis contra injustitiam exhibere, ut omnibus palam daretur intelligi justo regi rectoque principi non placere tam immane piaculum, maxime in suo sanguine et in sua carne. Sed cum simplices ita illum D tepere vidisset et forinsecus nulla pro veritate commoveri æmulatione, arbitrati sunt quod nisi placeret illi, nullo modo tanto silentio uti potuisset. Unde seducti secuti sunt nefas sicut nefas. Quod præcavens Eleazar, de quo apud Machabæos legitur, cum jussa prohibita perficere cogeretur, nec saltem æstimari voluit talibus suasionibus annuisse : cui cum placere ob ejus reverentiam carnifices voluissent, et ipse posset et mortem evadere et in legitimis Domini non peccare, maluit mortem eligere quam vitam ad infirmorum enervationem diligere. Nam quid prodesset Deum in occulto non abnegare, et tamen palam non glorificare? Denique cum Christus sit

veritas, quisquis pro veritate palam non certat, Christum coram hominibus procul dubio abnegat.

I. Si voluntas ejus nec erat, nec est, nec erit in illa injusta copula, Deo gratias agimus, quia valde diligimus illum. Et idcirco plurimum doleremus si, quod absit, aliter esset. Sed quia Deo gratias rex est et in sublimi potestate consistit, palam omnibus innotescat suam non esse in tali copula voluntatem; ut videntes homines ejus bona opera, glorificent Patrem nostrum qui est in cœlis. Nemo quippe, sicut Veritas dicit, accendit *lucernam et* ponit *eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* v). Ergo deserat simulationem, et arripiat liberam audaciam, quam pro Dei nomine, non solum cum est rex, verum etiam si esset pauperrimus, apprehendere nequaquam formidare debuerat. Quia vero quando habuerunt synodalem conventum, ibi nec ipse fuit, nec episcopi de regno ipsius, hoc magnopere laudandum non est, eo quod si esset, forsitan contradixissent, forsitan ascenderent ex adverso et opponerent murum pro domo Domini. Verum melius judicamus eos ibi non fuisse quam si essent et vel tacendo consensissent. Quoniam autem propter nostram petitionem et amorem fratris sui familiaritatem habuit cum illo, et regnum ejus stabilivit et adhuc stabilire vult, si nostræ obedierit jussioni bene facit. Sed, proh dolor! quid ei prodest regnum terrarum qui perdit ætherium? Vel cujus familiaritatis societas haberi potest cum eo qui dissociatur a Deo, et carnem suam odio habens, tollit membra Christi, et facit ea membra meretricis.

II. Quod si a via veritatis ille Lotharius deviaverit et normæ justitiæ non obedierit, et domnus rex Ludovicus postulat nostrum apostolatum, sicut credimus quia ex cordis postulat simplicitate, et confidimus quia postquam nostrum consilium quærit, non parvipendet, sed obedienter perficiet, interea disponimus eumdem Lotharium admonere, et iste patruus ei similiter faciat. Quod si toties conventus parere nobis distulerit, neminem Christianorum cum eo volumus familiaritatem aliquam habere, sed sit ulterius omnibus sicut ethnicus et publicanus cum familiaribus suis. Tu autem, sanctissime episcope, bene nosti quia sæpe nonnulli compulsi redeunt ad viam salutis. Unde si sicut apud nos nullum potuit habere suæ iniquitatis præsidium, ita nullum invenisset apud patruos et fratres suos confugium, jam vel coactus rediret. Sed cum invenit requiem apud hos et tutamentum, reverti contemnit. Quia vero nos cum sancta synodo juxta canones ea conditione Theodgaudum et Guntharium deposuimus ut si juxta præcedentem consuetudinem aliquid de ministerio sacro auderent contingere, nullo modo liceret eis nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere sotisfactionis, sed et communicantes eis omnes adjici de Ecclesia, et maxime si postea quam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint, et nunc audimus Guntharium interdictum sibi ministerium usurpasse; quapropter tale consilium damus et per auctoritatem Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum et omnium simul sanctorum patrum domno regi Ludovico injungimus ut ab ejusdem Guntharii vel etiam Theodgaudi communione se suosque omnes et præcipue episcopos substrahat, et a familiaritate eorum qui illis communicant vel quoquo modo favent, se et suos quotquot potest contineat, ita tamen si verum est quod interdictum sibi episcopale officium peragant, vel si conventicula contra diffinitionem nostram in ipsos prolatam congregare tentaverint; similiter et a Lotharii communione se omnino suspendat, ita duntaxat si idem Lotharius monita nostra negligens in copula Waldradæ permanere delegerit, vel si cuilibet damnatorum præfatorum contra decreta nostra renitenti communicare vel favere præsumpserit. Alioquin nec Dei nec beatorum apostolorum Petri et Pauli, nec sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ communionem habere procul dubio poterit.

III. Piæ memoriæ Ludovici imperatoris studium collaudamus, prædecessorisque nostri sanctæ memoriæ Gregorii vestigia sequi parati sumus.

IV. Ut episcopus Bremonensis, licet a Gunthario hæc non potuerit dari licentia, nec ab eo tale quid peti debuerit, tamen pro amore domni regis, quia pia est ejus petitio, cum nostra auctoritate in prædicto loco Bremon potestatem et honorem archiepiscopatus super Donas et Suvevos habeat, et simili modo sui successores per tempora futura perpetualiter teneant atque possideant.

V. De episcopo Radasbenensis civitatis, si adeo, sicut dicis, infirmatur ut de ovibus sibi commisis nullam curam habere possit, ne sine sollicitudine pastorali degentes oves Christi depereant, profiteatur scripto et propriæ manus subscriptione suo metropolitano se nil lucri plebi sibi commissæ posse pro sua gravi ægrotatione conferre. Sed et simili modo nunquam se deinceps episcopale officium repetiturum polliceatur, si tamen ejus in hoc tota voluntas est et de sanitate ipsius modis omnibus desperatur. His ita gestis, non talis qualem ipse elegerit, ne contra canones successorem sibi ipse elegisse videatur; sed quem cleri et plebis cum consensu metropolitani voluntas egerit, is loco ipsius episcopus modis omnibus consecretur, de ipsa Ecclesia superstiti episcopo stipendiis quandiu vixerit sufficientibus per successorem suum episcopum subrogandis.

VI. De Hartuvigo Pazzouvensis civitatis episcopo, quem asseritis ante annos quatuor paralysi percussum, ita ut nil valeat luqui, et Ecclesia sibi commissa dissipetur et ad nihilum redigatur, dum et omni pastorali cura destituta et nulla episcopali providentia circumsepta, si ita est, debet idem episcopus saltem scripto profiteri se officium illud non posse peragere. Quod si hoc agere non potest, quomodo possumus viventi episcopo propriam Ecclesiam auferre, dum divitias misericordiæ Dei nullus comprehendere

possit, et dum ipsi quæ minus putamus ipsius dispensatione occurrunt? Sit ergo cura rerum ecclesiasticarum œconomo electo de proprio clero juxta sacros canones commissa; et quæ ad episcopum agere pertinent, per episcopum quem metropolitanus antistes ad hoc opus agendum elegerit interim gerantur. Aliter autem de hoc quam de superiore diximus, quia illius affatu scire possumus, istius vero voluntatem nosse nequimus.

VII. De episcopo juventi [*al.*, juveni] facimus quod pie a nobis re voluit postulare.

VIII. Similiter de Liudberto archiepiscopos facimus quod poposcit.

IX. Hymnus angelicus, id est *Gloria in excelsis Deo*, non est a presbyteris nisi in paschali festivitate dicendus, quod et liber Sacramentorum demonstrat, et consuetudo in Romana Ecclesia antiquitus observata patenter ostendit, quam debere omnes in ordinibus ecclesiasticis sequi beatus Innocentius in principio decretum suorum luculenter exponit.

X. Pro rege Danorum, qui vovit votum Deo et sancto Petro, gratias agimus eidem Deo, deprecantes pariter ut quod nobis de Cornelio centurione refertur, faciat quoque clementer de hoc in proximo nos audire. Cui orationes et eleemosynæ etsi ante baptismum non profuerunt ad diluendam impietatem, profuerunt tamen ad cognoscendam veracissimam pietatem.

XI. Quoniam nuntias quod fidelis rex dispositnm habeat venire Tullinam et deinde pacem cum rege Vulgarorum confirmare et Rastitium aut volendo aut nolendo sibi obedientem facere, oramus omnipotentem Deum ut angelus qui fuit cum Jacob patriarcha, sit quoque cum ipso et cum omnibus suis, et bene disponat iter ejus, et cum pace et gaudio revertatur ad propria.

XII. Quia vero dicis quod Christianissimus rex speret quod ipse rex Vulgarorum ad fidem velit converti et jam multi ex ipsis Christiani facti sint, gratias agimus Deo, quem precamur ut abundare faciat incrementa frugum in horreo suo. Jejunium vero pro eis et orationes, sicut per te hortatur, Deo propitio faciemus.

XIII. Præterea fateris quod devotissimus princeps deprecetur nos ut si aliquis sinistrum quippiam de illo nobis per missum seu per epistolam intimaverit, non ei credamus priusquam ipse venire præsens vel suos idoneos lugatos ad nos possit transmittere. Cui renuntiamus quia nos pignus repromissionis dilectionis et devotionis suæ retinemus. Cujus memores, si quid de ipso sævum forte audiremus, tanquam si ranarum cantus declinare studebimus. Verum ipse semper operetur unde tripudiantes lætemur et ob id Deo gratias debitas persolvamus.

XIV. Porro asserverasti quod domnus rex nobis

A ita deinceps obediens per omnia fieri velit ad nostram mutuam sanctæque Dei Ecclesiæ exaltationem: sicut filius patri et junior magistro, sis pem firmam in nobis habere potest, sicut habuit postquam nos Deus in sancta hac sede constituit. Cui intimamus uti post Deus talem in nobis spem habeat ut nullus sit cui ille credat quod nos illi et suis non omne gaudium et omnem velimus evenire lætitiam, optantes scilicet, et Deum omnipotentem incessanter flagitantes, ut non solum in præsenti sæculo prospere regnet atque per multa temporum curricula vigeat, verum etiam in futuro cum Christo sine fine beate vivat, Deum sicut est contemplans.

LXII.

NICOLAI EPISTOLA AD ANSGARIUM ARCHIEPISCOPUM HAMBURGENSEM.

B

SEU

Bulla pro conjunctione episcopatus Hamburgensis et Bremensis anno 864 data.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus Ecclesiæ sanctæ Dei, præsentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Quisquis Dominum, et Redemptorem nostrum Jesum Christum de sinu Patris ad terram pro demonstranda cordibus hominum vera et certa fide descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes, qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, et præcipue nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum tenemus, hominibus debere lucrandis insistere, et per universas gentes verbi semina serere, ac solatia ferentibus C ministrare. Nunc autem quia Ludovicus sublimissimus rex per Salomonem venerabilem episcopum civitatis Constantiensis, nostro studuit apostolatui intimare, quod piæ memoriæ Ludovicus (*a*) pius imperator progenitor (*b*) suus, quemdam monachum nomine Anscharium de monasterio Corbeiensi tulisset, et collocasset eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum Saxonumque (*c*) in castello Hammeburg, inter duos episcopatus, Bremensem scilicet et Verdensem. De quibus tollens ecclesias, et decimas ad sustentationem provehendi præfati jam episcopi clericorumque ejus, condonasset in prædicto loco, annuente, ac solemnia sedis apostolicæ privilegia præbente prædecessore nostro bonæ memoriæ Gregorio papa. Cujus et auctoritate in D supradicto Nordalbingorum populo sedes constituta est archiepiscopalis in castello superius memorato Hammeburg, et in eadem quoque sede accepto a sede apoctolica pallio, archiepiscopus primus ordinatus est Anscharius, cui a præfato (*d*) summo pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei, et animas Deo lucrandi (*e*). Cujus delegationis et auctoritatis, ac pallii acceptionis pagina nobis est a præfato filio nostro Ludovico rege per jam dictum Salomonem sanctissimum episcopum destinata,

(*a*) Deest in editis Bolland., *pius*.
(*b*) Boll., *genitor*.
(*c*) Boll., *et Slavorum*.

(*d*) Boll. non legit *summo*.
(*e*) Hic desinit Boll. Sed hic incipit excerptum a Remberto in Vita S. Ansgarii datum.

juxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ebullata. Per cujus paginæ tenorem hæc ita facta fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam præfati regis per fidelem virum Salomonem episcopum intimavit. Unde nos vestigia tanti pontificis et prædecessoris nostri Gregorii sequentes, omnemque Deo dignam ibi statutam providentiam agnoscentes, magnorum principum votum, Ludovici videlicet divæ recordationis Augusti, et æquivoci ejus filii excellentissimi regis, tam hujus apostolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam pallii datione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus, quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anscharius primus Nordalbingorum archiepiscopus, et post ipsum successores ejus, lucrandis plebibus insistentes, adversus tentamenta diaboli validiores existant. Ipsum filium nostrum jam dictum Anscharium legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueorum, Danorum et Slavorum, ac in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem. Ipsamque sedem Nordalbingorum, Hammeburg dictam, in honorem S. Salvatoris, sanctæque ejus intemeratæ Genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, deinceps esse decernimus archiepiscopalem. Atque ut strenui prædicatoris episcopi, post decessum dicti Anscharii archiepiseopi, crebro persona tanto officio apta eligatur semper suceessio (successura) sub divini obtestatione judicii statuimus. Verum quia Carolus rex, frater supradicti regis Ludovici, post decessum imperatoris patris sui, piæ memoriæ Ludovici, abstulit a prænominato loco, qui dicitur Hammeburg, monasterium, quod appellatur Turholt, situm in occidentali Francia, quod illis genitor suus ad supplementum et victum episcopos et clericis ejus dederat, cœperunt, ut fertur, ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumptibus, ab ipsis recesserunt gentibus, et eadem ad gentes legatio per hujusmodi factum defecit. Ipsa quoque metropolis Hammeburg pene deserta est facta. Igitur dum hæc agerentur, defunctus est diœcesanus Bremensis, quæ huic contigna esse dicitur. Cumque sæpe dictus rex et hanc diœcesim vacantem, et illam novellam institutionem cerneret deficientem; insuper et utramque hanc Ecclesiam, Dei permittente occulto judicio, per barbarorum sævitiam admodum attenuatam; quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ novellæ archiepiscopali uniretur, et subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Unde per sæpe dictum venerabilem missum Salomonem Constantiensem episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos ergo id subtili perpendentes examine, animadvertimus propter instantem necessitatem et animarum lucra in gentibus ostensa, utile fore, omnia quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, et divinis non insultant præceptis, licita, et facienda esse non dubitamus, maxime in tam novellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent eventus contingere. Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli hoc nostro decreto decernimus, secundum reverentissimi regii Ludovici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammeburgensem videlicet et Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse, et vocari, subdique sedi, quæ prædecessoris nostri decreto archiepiscopali est munere sublimata, restituta duntaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus episcopatui Verdensi parti inde ablata. Nullus vero archiepiscopus Coloniensis ullam deinceps in eadem diœcesi vindicet sibi auctoritatem; quinimo et ipsi, et omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, ut sacra hæc legatione fungentibus adjutorio sint et solatio, quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit: *Ite, docete omnes gentes*; et: *Quicunque recipit vos, me recipit* (*Matth.* x *et* XXVIII). Itaque omnia a dilecto filio nostro Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omne quoque adversantem, vel contradicentem, atque nostris his studiis quoquomodolibet insidiantem anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen apostolicum more prædecessorum nostrorum causamque Dei pio affectu zelantes, ab adversis hinc inde partibus tutius muniamur. (*a*) Et quia te, charissime fili Anschari, divina clementia nova in sede primum disposuit esse archiepiscopum, nosque tibi pallium ad missarum solemnia celebranda tribuimus; quod tibi in diebus tuis uti, et Ecclesiæ tuæ perpetuo statui manentibus privilegiis uti largimur, idcirco hujus indumenti honor a te servandus est morum vivacitate. Si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus, et ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, admonemus; vitaque tua sit filiis tuis via. In ipsa, si qua fortitudo illis inest, dirigant, in ea quod imitentur aspiciant. In ipsa semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bonum quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant. Districtum mali cognoscant, pium benevoli sentiant. Insontem apud te malitia aliena non maculet, reum gratia non excuset. Viduis et pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater charissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii. Quæ si studiose servaveris, quod foras accepisse ostenderis, intus habebis. Verumtamen ista omnia superius annexa, ab apostolica

(*a*) Hic desinit Rembertus.

sede beatitudini tuæ indulta cognosce, si a fide et decretis sanctæ Ecclesiæ catholicæ Romanæ in nullo deviaveris. Quod si a fide et institutis sedis apostolicæ declinare præsumpseris, his nostris tibi collatis beneficiis carebis. Porro te pallio uti nonnisi more sedis concedimus apostolicæ, scilicet, ut successores tui per semetipsos vel legatos suos fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex synodos recipere, necnon decreta omnium Romanæ sedis præsulum, et epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter observare, atque perficere omnibus vitæ suæ diebus scripto se et juramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio. Indict. XII, imperante Ludovico imperatore anno suo (*a*) qninto.

LXIII.

AD HORICUM REGEM DANIÆ.

(Anno 864.)

[Ex *Actis Sanctorum*, tom. I, pag. 407.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei. HORICO (*b*) regi Danorum.

Multas omnipotenti Deo gratias egimus in adventu fratris et coepiscopi nostri Salomonis, qui missus a filio nostro glorioso rege Ludovico et munera tua obtulit et de fide tua, quam etiam ante baptismi gratiam per prævenientem Dei misericordiam jam habere dignosceris, nos plurimum exhilaravit. Et ideo levantes oculos ad eum, qui solus est verus et unicus atque omnipotens, incessanter pro salute tua clementiam ejus suppliciter exoramus, ut qui dixit de tenebris lucem splendescere, et sancti sui Spiritus illustratione caliginem ignorantiæ vel infidelitatis e cordibus illorum, qui credituri erant in nomine ipsius, sua præveniente gratia dissipavit, jamque in te miserationis suæ opus ostendere solita pietate curavit; ipse quoque oculos tuos ad cognoscendam veritatem aperiat, e pectore tuo ignorantiæ tenebras abigat, duritiam et velamentum cordis tui removeat, lumenque tibi veræ fidei ac religionis ostendat, atque te ad suam attrahat cognitionem, et ad salutarem fontem et ad perenne regnum et ad vitam perducat æternam; ubi est gaudium sine mœrore, satietas sine fastidio, salus continua, vita indeficiens, pax non habens finem, et summa manet securitas ac sempiterna gloria : ubi videbitur Deus sicuti est, et omnes justi cum illo regnabunt, et regnum ipsorum nec terminis angustiatur, nec prœliis agitur, nec fine concluditur, nec consummatione finitur. Quod agnoscentes nos, qui fidem Christi tenemus, et Christiani vocamur, credimus in ipsum, qui talem nobis vitam et regnum promisit, ac multo amplius illi servimus et colimus pro illa vita, quam pro ista, quæ tota misera est, tota plena periculis, ubi est mæror continuus satietas cum dolore, sanitas brevis, vita mortalis, jurgia, ac suscepta securitas, et cito deficiens gloria, ubi scriptum est : *Militia est vita hominis super terram, et quasi dies mercenarii dies ejus (Job* VII, 1) : ubi, inquam, regnum breve est, et jugibus bellis concutitur, et post paululum de manu possidentis adimitur, dum etsi non virtute hominis, tamen conditione mortis aufertur. Desine ergo idola colere, et dæmonibus jam servire desiste. *Omnes enim dii gentium*, dicente Psalmista, *dæmonia; Dominus autem cœlos fecit.* Itaque qui fecit et qui [*adde* non] factus est, creator et non creatura colendus est. Ecce enim idola tua manu facta, surda, muta, et cæca sunt; et quam tibi salutem possunt conferre, ipse, quæso perpende, cum sibimet nullum auxilium, cum sint sine sensu, valeant omnino præstare. Deum igitur cole, ipsum adora, ipsi soli singularem servitutem impende, qui est omnipotens, omnitenens, inenarrabilis, immensus, infinitus, simplex, incommutabilis, incirconscriptus, immortalis, totus bonus, totus misericors, totus sanctus; qui tibi et in hoc sæculo auxiliari potest, et in futuro beatificare; qui tibi post mortem vitam dabit quæ non finitur, et regnum tribuet, si eum perfecte colueris, et amaveris, quod nesciat prorsus occasum, nec sentiat ullum sui status aliquando decrementum. Illuminator omnium Deus omnipotens illuminet cor tuum et ad agnitionem suam perducere dignetur.

LXIV.

AD HERMENTRUDEM REGINAM

(Anno 864.)

Gratias agit de muneribus ab ea missis.

[Apud Mansi, *Conc.*, tom. XV.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HERMENTRUDI gloriosæ reginæ.

Devotionem tuam et fidem quam sublimitatem tuam circa beatorum apostolorum reverentiam habere perspicimus agnoscentes, dignas Domino Jesu Christo retulimus gratias. Nam et munerum vestrorum diversis speciebus oblatis non tam censum, quam pium considerantes affectum reginæ Austriæ industriam tuam prætulimus. Siquidem tanto coram nobis gratius. quam præfatæ reginæ, vestra munera suscepta sunt, quanto illa mortali, tu vero, filia charissima, immortali regi, et Ecclesiæ ipsius principibus, qui cum eo feliciter regnant, et vobis intercessionibus suis solatia conferunt, dona non tam corruptibilia, quam semper mansura, et ante Deum jugiter florentia obtulistis. Et revera, si illius quæ

(*a*) Apud Lunig. Spicileg. pagin. 73, ubi pariter hæc bulla habetur, recte legitur : *decimo quinto.*

(*b*) Est hic Horicus junior, qui puer regnum accepit anno 854, et ultra anno 888, quo sanctus Rembertus decessit, creditur regnasse : hunc a S Anschario placatum Christianitatem suscepisse suisque omnibus, ut Christiani fierent per edictum mandasse, scribunt Adamus c. 28, et Albertus ad annum [illegible]. Imo *regem Daciæ*, qui Danorum est, a *S. Remberto baptizatum esse*, traditur, in vetere scripto Ecclesiæ Bremensis una cum Historia archiepiscoporum Bremensium post Adanum edito. Quæ miramur nusquam in Vita SS. Anscharii aut Remberti proferri. Ex hac epistola cum Christianis favisse constat, et ex Actis S. Anscharii permisisse subditis fidem Christi, si vellent, amplecti.

duo tantum minuta in gazophylacium misit, tanto est munus coram Deo acceptum, quantum putas vestra fore grata, quæ plurima contulistis? imo quod est majus, temetipsam devotione et fide Domino, ejusque servis, totis affectibus exhibetis? Omnipotens Deus te incolumem custodiat, dilectissima filia.

LXV.

AD RODULFUM BITURICENSEM ARCHIEPISCOPUM EJUSQUE COEPISCOPOS.

Anno 864.)

Scribit iterum de Theutgaudo et Gunthario a sede apostolica damnatis, monetque ut ab eorum communione penitus abstineaut.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Rodulfo Bituricensi archiepiscopo, ceu omnibus venerabilibus fratribus nostris episcopis diœceseos tuæ.

Nuper, fratres charissimi, vobis scripta, quibus damnationem Theutgaudi et Guntharii dudum archiepiscoporum vestræ notam fecimus sanctitati, transmisimus: sed utrum ad vos usque perlata sint, penitus ignoramus. Quapropter quæ habentur in subditis, vobis mittenda decrevimus; ut quæ sit apostoliea censura et quam juste in fautores adulterorum commota nostra fuerit auctoritas, experientiam vestram non lateat: quatenus cum apostolica sede de his zelo zelati pro domo Domini sentiatis, quos etiam ante sententiam nostram damnatione dignos nullo modo dubitaveratis. Ipsi quippe, more pseudoprophetarum, de quibus scriptum est, quod viderint et prophetaverint falsa, terreno regi, et post concupiscentias suas eunti, favere studentes, contempserunt cœlestem regem, ante cujus oculos omne versutiarum patet argumentum, et quasi aranearum tela omnis cailida dissipatur astutia. Insuper ad majorem suæ cumulum damnationis, Ingeltrudem uxorem Bosonis, quæ relicto viro proprio cum adultero adultera in eorum diœcesibus commorabatur, non solum ad virum suum repedare minime fecerunt, vel ab omni Christianitatis nomine vinculis illam anathematis innodandam sequestraverunt, juxta quod a sanctæ memoriæ decessore nostro Benedicto papa, et a nobis per multa fuerat jam tempora monitis et terroribus conventi: verum etiam a nobis cum suis complicibus et fautoribus jam anathematizatæ, adeo post sibi intimatam sententiam in ipsam a nobis prolatam, favere consenserunt, ut in suis illam diœcesibus degere, et ecclesias intrare, et cum fidelibus in locutione, et cibo ac potu commnnicare permiserint: imo, ut ipsi coram nobis et sancta synodo sunt professi, licentiam ei copiamque taliter couversandi tribuerint, et contra ipsos Nicænos canones, quam nos abjecimus ipsi receperint. Quæ nimirum omnia constat illis fuisse prohibita, sicut ad præfatos nostra indicat super hæc remissa præceptio. Itane fratres debuit tam immane sine vindicta exsilire flagitium? ct debuit apostolica sedes, sollicitudinem habens omnium Ecclesiarum Dei, tanti auctores piaculi ad subversionem fidelium immunes deserere? Et ubi erit quod primus ejus sessor tertio a legislatore summo audivit, *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), si tanta desidia easdem, nullo zelo ascensi, nulla utentes virga, a tam voracibus lupis permiserimus discerpi? cum, licet indigni pro patribus nati filii, vicem ejus agentes, Dei sumus gratia constituti in domo ipsius principes super omnem terram? Igitur quia unum damnatorum, Guntharium scilicet, crebrescens fama divulgat imperatoris et regnum auribus contra statuta canonica molestiam inferre, et quorumdam fratrum corda fallacibus et suasoriis decipere verbi, contra id quod adversus se actum est, velle impudenti fronte consurgere: nos, ei quia ita est ab apostolatu nostro, et a sancta sede definitum, nullo modo communicavimus: quin potius ab omni eum communione fidelium, et cum particibus et fautoribus suis, Dei auctoritate judicavimus penitus esse alienum. Oportet ergo fraternitatem vestram summopere præcavere, attentiusque fore sollicitam, ne forte, quod absit, homini hærentes perverso, ab illa petra decidatis, super quam verus architectus totius domus suæ voluit fundamenta construere, et auctorem pravitatis sequentes, amittatis communionem ipsius, a quo et episcopatus et apostolatus sumpsit initium: per quem etiam vos, per gratiam Dei, non solum episcopi, verum et Cristiani estis effecti. Capiti ergo religionis, id est sanctæ apostolicæ sedi, hærete: caput autem serpentis pravæ videlicet suggestionis, antequam cor penetret, in prima fronte conterite. Cepimus enim vobis, dilectissimi, vulpes, sicut quidam nos patrum nostrorum hortatus est, quæ demoliebantur in vineis (*Cant.* II): videte ne vos dormientes reperiat, et pro depasta vinea sua is qui in ea vos custodes posuit, desidiam vestram iratus percutiat. Quam rogo validitatem vestra poterunt habere judicia, si nostra quomodolibet infirmantur, de quibus nec retractari licet? vel quod robur concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit sedes apostolica firmitatem, sine cujus consensu nulla concilia vel accepta esse leguntur? Aut legite sacros canones, et synodalia gesta revolvite, et videte, quod sedi apostolicæ, non solum quoslibet metropolitanos, quorum causa eidem est sedi semper servanda, verum etiam patriarchis moris fuisse pro emergentium qualitate damnasse, vel etiam absolvisse; jusque semper et fas habuisse de omnibus sacerdotibus judicare: ut pote cui facultas est in tota Christi Ecclesia leges speciali prærogativa ponere, ac decreta statuere, ac sententias promulgare. Quod vestra reverentia nos non existimet, quia nostra dicimus, in hoc quidquam præter veritatem dicere, cum Dei potius quam nostra sint, beati Petri meritis Romanæ sedi collata; et arbitremur, quod nos hic asserimus, etiam vos nullatenus ignorare, et quæ in præsenti pagina scribimus, vos affatim in archivis vestris recondita possidere. His ita prælibatis, stylum nostræ prosecutionis ad fraternitatem vestram re-

flectimus; quam utique nisi tanto amoris cultu diligeremus, nequaquam tanto affectu ad declinandum a pravis ad sectandam æquitatem incitaremus. Unde sub divinæ majestatis vos intuitu convenimus, et coram sanctis angelis, et beatis apostolis ejus, merito interdicimus et contestamur, ut sinceritatem communionis vestræ nulla præfatorum, Theutgaudi scilicet et Guntharii, vel faventium illis contagione polluatis, nec societate ipsorum, vel eis communicantium, vestram innocentiam corrumpatis : si tamen nostræ communionis et charitatis participes, sicut nunc usque, inveniri per gratiam Dei desideratis : vel si ipsi resultare, vel minime acquiescere his, quæ a nobis contra se promulgata sunt, forte præsumpserint. Alioqui scitote vos ab apostolicæ sedis communione, gratia et pace, perpetua nostræ auctoritatis sententia sequestrandos : imo quod illi experti sunt, sicut olim decrevimus, vos quoque fore, quod non optamus, penitus incursuros. Verum ut unum vos nobiscum sapere et velle liquidius ostendatis, hortamur quatenus binos de collegio sacerdotali vestræ sanctitatis legatos, omnium vestrorum vices agentes, circa Kalendas Novembris ad apostolicam sedem destinare curetis : quo temeratorum, semelque damnatorum, et totius mali auctorum, recidiva radicitus amputata præsumptione, sanctæ Ecclesiæ ex se bonitas generetur, et divinæ Trinitati debita laus, et gratiarum actionum sempiterna gloria referatur. Amen (*a*).

LXVI.

AD RODULFUM ARCHIEPISCOPUM BITURICENSEM.

(Anno 864.)

Respondet ejus litteris et consultis.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri nostro Rodulfo sanctæ Bituricensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Susceptis beatitudinis [*al.*, sanctitudinis] tuæ litteris, humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum collaudamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveres, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim et sanctæ conversationis pedem quo tendere debeas, perspicacius prænoscere poteris, et supervenientia pravorum jacula prævidere et declinare liberius revelante Domino prævalebis, si in apostolicæ sedis petra more majorum præsidium tuum locaveris, ejusque fidei, doctrinæ, vel decretis, arctius inhærere contenderis, quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus Jesus Christus Ecclesiæ suæ primum et speciale retinere fastigium, quin et cœlestis atrii delegit summum constituere janitorem. Igitur de quo loquimur, beato videlicet Petro, quamvis solito nunc angustius ecclesiasticis simus occupati negotiis, et ob id

A respondere tuis spatiosius nequeamus consultibus tamen sancto tuo satisfacere desiderio cupientes, aliqua ex his inspirante Deo cursim exponere non omittimus.

I. A chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum et diaconorum effectas, quos quidam episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim Septuaginta chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri canones vetant ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas episcoporum ad chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri.

B II. [9, q. 3. *Conquestus.*] (Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tui disponas : cum hoc neque antiquitas, cui sancti Patres sanxerunt reverentiam, habeat, et auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis, quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint.) Primates enim, vel patriarchas, nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis

C antiquitus contulit, diffinimus : ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam, vel rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

III. [Distinct. 23, *Præterea*] Præterea sciscitaris, utrum solis presbyteris an et diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana, cui Deo auctore deservimus, Ecclesia neutris agitur. Sed et quia sit a novæ legis ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus. Ergo ad beati Innocentii papæ canonica decreta sanctitatem tuam transmittimus : et quæ tibi sint in consecrationibus et ordinationibus observanda, principia paginæ ad Decentium Eugubi-

D num episcopum missæ te affatim edocebunt.

IV. De his vero qui pro criminibus pœnitentiam gerunt, et ad cingulum militiæ revertuntur, constat eos contra sacras regulas agere. Verum quia crimina non æqualia sunt, perhibesque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem adesse, alios ob hoc ad paganos fugisse, tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca et tempus regionis illius, modumque culpæ, necnon et pœnitentiam, et gemitus hominum ad confessionem venientium, præsens positus inspicere vales.

(*a*) Ad hujus epistolæ calcem annotatum fuerat in veteri libro : *Hæc recitata est apud Suessionis synodum.*

V. [30, q. 1. *De his qui.*] De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est qui filios uxoris suæ de viro priori, dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, se inscitia sicut asseris fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem conjugii puniendum. Lugeant tamen, et digna pœnitentia hoc diluentes, Domino dicant : Delicta ignorantiæ meæ me memineris.

VI. [35, q. 2. *Interfectores.*] Interfectores suarum conjugum, cum non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud, nisi homicidæ habendi sunt, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? quibus conjugium penitus denegatur, exeeptis adolescentibus, de quibus est beati Leonis vigesima quinta decretalium regula, imo indulgentia observanda.

VII. Porro *Gloria in excelsis Deo* ab episcopis in cœna Domini inter missarum solemnia more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti illis solis est licitum, quibus solis ab apostolica sede permissum.

Hæc quidem inter tanta ecclesiasticorum negotia positi, vix saltim summatim fraternitati tuæ mittenda decerpsimus. Quæ nisi incomparabilis dilectio vestra nos memorata vehementius coarctasset, nunc respondere consultibus vestris, innumeris impediti necessitatibus, parumper omitteremus. Verum a charitate tua unum hoc necessario postulamus : scilicet ut cum aliquem forte ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua fraternitas monere, quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat : eo quod omnium Dei ovium, sicut ipse nosti, cura constringimur; et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem, et dapsilitatem nostram spargere per diversos. Sane quæ in alia apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Siquidem circa nos, circaque sedem beati Petri, non est aliud signum devotionis tuæ quod polliceris, nisi obtemperantia, et consummatio decretorum, et diffinitionum nostrarum, qui licet indigni, per abundantium tamen gratiæ Christi ipsius vicarii sumus. Præterea epistolam alteram sanctitati tuæ delatam, Hincmaro, et cæteris confratribus nostris archiepiscopis, in regno Caroli filii nostri gloriosi regis Ecclesiam Domini gubernantibus, destinare tua sine mora studeat beatitudo. Optamus sanctitatem tuam nunc et semper bene valere.

LXVII.

AD FRANCONEM EPISCOPUM TUNGRENSEM.

(Anno 864.)

Accepta ejus professione veniam indulget, quod particeps fuerat synodi Metensis, hortaturque ut Lotharium regem monitis suis curare studeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Franconi episcopo Tungrensi.

Excusationis tuæ litteris per Richardum venerabilem diaconum tuum susceptis, professio sanctitatis tuæ, qua te in nullo a sede apostolica dissentire manifestas, quamque nobis a te minus quam ab ullis aliis sperabamus offerendam, nos plurimum exhilaravit. Sed confessio nihilominus in Domino exsultare fecit. Eo enim quo veniam petitis, deliquisse vos procul dubio demonstratis. Et revera qualiter sine delicto evadere poteratis, qui sedentes in concilio vanitatis, et si non favendo, certe tacendo; si non scribendo, profecto non resistendo, profanis gestis declaramini consensisse? Ecce enim Dominus per prophetam dicit : *Quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Isa.* LVIII). Ergo qui non annuntiasti, peccasti : et quoniam vidisti et tacuisti, procul dubio consensisti. Verumtamen postquam, vivificante gratia, te fore vivificatum per confessionem exeuntem aspicimus, quem introrsus labe mortuum putabamus, incomparabiliter exultamus, et gratiam Auctori omnium bonorum immensas exsolvimus. Et hoc jam tibi divinitus non imputari optamus, quod tibi, quomodocunque excesseris, remitti a Domino postulamus, et quantum in nobis est, ex corde tibi ignoscimus; quod beatum Leonem omnibus qui in Ephesino latrocinio consentiendo errori deliquerant, amputato totius auctore scandali, solo videlicet Alexandrino Dioscoro, pepercisse non ignoramus. Quid autem mirum, si Guntharius quem dicitis uti vetito sibi officio, apostolicam floccipendere sententiam non metuit, qui divina præcepta toties parvipendisse convincitur. Claret vero, et cunctis manifeste datur intelligi, etiamsi nulla alia pravitatis suæ præstitisset indicia, qualis ante pœnam exstitit, qui se post pœnam talem exhibuit; et quam debite percussionem promeruit, qui etiam post, unde magis percuti debeat, admittere minime recusavit. Eo igitur suadente, nunc apostolicis institutis inobediens errat, quo nuper cœlestibus oraculis semper obviasse repertus dicitur : antiquo scilicet adversario, qui sicut leo rugiens, juxta primum apostolum, circuit quærens quem devoret (*I Petr.* II). Sed tamen ad propositum redeamus, et votis tuis, quantum possumus, Deo præstante, misericorditer annuamus. Itaque si Theutgualdum episcopum, sicut profiteris, in catalogo episcoporum non receperis, quousque de eo humanius tractemus, et si Guntharium, ministerium sibi vetitum usurpantem, non solum inter episcopos non receperis, sed nec ipsi, nec fautoribus ejus communicaveris, et ei in scelere permanenti episcopaliter contradixeris, et secundum vires in nullo a constitutis et sententiis ab apostolicæ sedis præsule prolatis deviaveris; sed de cætero pro fide catholica et correctione fidelium, ac pro conservandis pontificiis apostolicæ sedis privilegiis nobis consenseris, nobiscum pro viribus decertaveris, fratres quoque et proximos tuos nobiscum sapere hortatus fueris, Deus omnipotens intercessione apostolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum tuorum absolvat, et quidquid humanitus, quod in oculis majestatis ejus displicuit,

egisti, tibi misertus indulgeat, et te benedictionis suæ gratia replens ad beatitudinem visionis suæ perducat. Cæterum admonemus te, ut si vere episcopus es, vere te ordines, te serves [*edit. Rom.*, salves], iu te gloriam regis Lotharii exquiras : ita ut vestra unanimitas nobis arctius hærens, vulnus ipsius, admonendo, blandiendo, suadendo, in reliquo autem et brevitatem præsentis temporis exponendo, pœnas inferni [*edtt. Rom.*, aperiendo pœnas inferni] et cœlestia regna ante oculos proponendo, curetis. Quod agere nullatenus potestis, nisi carnem suam, quam odio habens contra Apostolum a se projicit [*edit. Rom,*, ipse Apostolus a se projicit], reciso membro meretricis, nostro et vestro judicio hortatus, etsi non sponte, saltem invitus receperit [*edit. Rom.*, rejecerit]. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data XV Kalendas Octobris, indictione XIII [*al.*, XIV. HARD.; *edit. Rom.*, XIV].

LXVIII.

AD ADVENTUM EPISCOPUM METENSEM.

(Anno 864.)

Approbat professionem Adventii, eique veniam et pacem indulget quam optabat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo ADVENTIO, episcopo Metensi.

Excusationis tuæ litteras per Theudericum religiosum presbyterum tuum suscipientes, quoniam his te in extremitate vitæ positum indicasti, mœror nos continuo ingens obtinuit. Sed professio tua, qua te in nullo a sede apostolica dissentire manifestas, quamque nobis a te minus quam ab aliis sperabamus offerendam, inter mæstitiam merito lætitiam miscuit. Quoniam licet de exteriori homine, cum ipsius privamur fraterno solatio, doleamus, de interiori tamen, quem exstinctum putabamus, nunc vero per gratiam Dei vivificatum audimus, incomparabiliter exsultamus. Quamvis autem probabilem tua videatur habere excusatio rationem, teque innocentem comprobetur ostendere; sufficeret tamen, etiam si qua præteritorum noxa tenereris excessum, satisfatio, quam in articulo mortis, sicut ipse fateris, positus, litteris datis apostolatui nostro, ut decreveramus, ostendis. Cujus rei testis est latro, qui in cruce pendens, in ipso momento mortis jam jamque constitutus, confessus est, et *hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII) a Jesu audire promeruit; et propheta subitaneam gementis salutem demonstrans : *Cum conversus*, inquit, *ingemueris, tunc salvus eris* (*Isa.* XXX, *sec. Sept*) Verumtamen potens est Deus misericorditer operari, ut qui excusationes tuas, et obedientiæ promissa suscipientes, de immortali vita tua per id fiduciam sumpsimus, percipiamus etiam in hoc temporali cursu, longævitate divinitus tibi concessa, unde et verbi Dei fructibus multipliciter perfruamur, ac per hoc in Domino gloriemur. Quid autem mirum si Guntharius, dudum archiepiscopus, apostolicam floccipendere sententiam non metuit, qui divina præcepta toties parvipendisse convincitur? Claret vero, et cunctis manifeste datur intelligi, etiamsi nulla pravitatis suæ præcessissent indicia, qualis ante pœnam exsitit, qui se post pœnam talem exhibuit : et quam debite percussione promeruit, qui etiam post, unde magis percuti debeat, minime admittere recusavit. Eo igitur suadente, nunc apostolicis institutis inobediens effectus est, quo nuper cœlestibus oraculis semper obviasse repertus est : antiquo videlicet adversario, qui *sicut leo rugiens*, juxta primum apostolum, *circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Illud vero quod dicitis, regibus et principibus vos esse subjectos, eo quod dicat apostolus : *Sive regi tanquam præcellenti* (*I Petr.* III), placet. Verumtamen videte, utrum reges isti, et principes quibus vos subjectos esse dicitis, veraciter reges et principes sint. Videte si primum se bene regunt, deinde subditum populum : nam qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Videte si jure principantur : alioqui potius tyranni credendi sunt, quam reges habendi; quibus magis resistere, et ex adverso ascendere, quam subdi debemus. Alioquin si talibus subditi, et non prælati fuerimus nos, necesse est eorum vitiis faveamus. Ergo regi, quasi præcellenti, virtutibus scilicet, et non vitiis, subditi estote; sed sicut Apostolus ait, propter Deum et non contra Deum. Superfluum autem judico, quod in conventu episcoporum capitula S. Leonis papæ, ac Antiocheni concilii quidam, ut asseris, legerint. Quoniam si sanctus vir metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit, privilegia tamen hujus sedis non abstulit, et huic divinitus jura concessa non minuit. Quia sicut ipse scribit ad Anastasium Thessalonicensem, ac per eum ad omnes (*epist.* 88) : Inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Itidem ipse alibi, ut de componendis atque compositis relatio sibi plena mittatur, præcipit. Rursus si fatetur Antiochenum concilium (*cap.* 9) : Per singulas regiones convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, quid præjudicat sedi apostolicæ sollicitudinem habenti non solum unius provinciæ sed et totius Ecclesiæ? cum idem concilium magis metropolitas coerceat, refrenet, et arctet, dum eos non amplius quam suarum provinciarum dicat sollicitudinem gerere. Quorum enim quis sollicitudinem gerit, et judicium præten-

dere necesse est, ut beatus papa Innocentius ad Alexandrum Antiochenum scribens (*epist.* 20): Quorum enim, inquit, te maxima exspectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium. Ergo quia totius nos Ecclesiæ maxima cura præstolatur, nostrum præcipue debet Ecclesia tota procul dubio judicium promereri. Sed tandem ad propositum redeamus, et votis tuis, quantum possumus, Deo præstante, misericorditer annuamus. Itaque si Theutgualdum, dudum episcopum, sicut profiteris, in catalogo episcoporum non recipis, quousque de eo humanius tractemus, et si Guntharium ministerium sibi vetitum usurpantem, non solum inter episcopos non susceperis, sed nec ipsi nec fautoribus ejus communicaveris, et regi in scelere permanenti episcopaliter contradixeris, et secundum vires in nullo a constitutis et sententiis ab apostolicæ sedis præsule prolatis deviaveris, aed de cætero pro fide catholica et correctione fidelium, ac pro conservandis pontificis [*al.*, pontificiis] sedis apostolicæ privilegiis nobiscum senseris, nobiscum pro viribus decertaveris, fratres quoque, et proximos tuos nobiscum sapere hortatus fueris, Deus omnipotens, intercessione apostolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum absolvat, et quidquid humanitus quod in oculis majestatis ejus displicuit egisti, tibi miseratus indulgeat, et benedictionis suæ gratia te replens ad beatitudinem visionis suæ perducat.

LXIX.

AD ADONUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 864.)

Innocentii I papæ auctoritate docet inferiores Ecclesias a Romanis consuetudinibus non debere recedere.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei. reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni sanctæ Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Sæpe sanctitatis vestræ litteras suscepimus, quæ nos monebant et obnixe rogabant, ut de ecclesiasticis causis Ecclesiam vestram qualiter agere deberet instrueremus. Unde nobis nihil melius visum est ut sanctitatem vestram ex decretis et institutis prædecessorum nostrorum doceremus, qui quo ordine Ecclesia cui Deo auctore præesse dignoscimur, sive aliæ ab ipsa longe lateque fundatæ versentur, in scriptis suis evidentissime nobis tenendum reliquerunt. Beatissimus Innocentius papa ad Decentium episcopum Eugubinum, quod tuæ sanctitati semper memorari volumus, ita instruendo posuit. Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent Domini sacerdotes observare, nulla varietas, nulla diversitas in ipsis ordinibus ac consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis ecclesiis aut tenere aut celebrare videntur : ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesias non convenire, aut ab apostolis ipsam contrarietatem inditam. Quis enim nesciat aut non advertat id quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, ne superduci aut introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat aut aliunde videatur accipere exemplum? Item post alia. Oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a quo eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis affectionibus student, caput institutionum videantur amittere. Item post alia : Si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, idcirco nunc respondemus non quod te ignorare credamus, sed ut majore auctoritate vel tuos instituas, vel si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut judicare non differas, ut scire valeamus qui sint qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ, quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam. Data III Idus Decembris, indictione XIII.

LXX.

AD GALLIONEM SENENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 864.)

Altera parte absente, definitiva non feratur sententia.

[Gratian. II, c. 3, q. 9, c. 12.]

Revera justus mediator non est, qui in uno litigante, et altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat. His ita præmissis, volumus, et apostolica auctoritate monemus, ut si presbyter, de quo agitur, post excommunicationem suam, apostolicam sedem adire voluerit, nullus iter ejus impedire præsumat.

LXXI.

SERMO NICOLAI PAPÆ I.

Quem de Rothadi causa ex ambone in missa fecit in basilica sanctæ Mariæ ad præsepe, die vigiliarum nativitatis Domini. (*Anno* 864.) [Apud Mansi. *Conc.* tom. XV.]

Propter eos, fra'res, qui non semper adfuerunt nobiscum, necesse est sanctitati vestræ causam Rothadi fratris et coepiscopi nostri, quantum Dominus donaverit posse per ordinem reserare; quatenus una nobiscum negotium illius ad liquidum noscens fraternitas et unanimitas vestra, nobiscum etiam, et de privilegiis apostolicæ sedis, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, a quibusdam nequiter imminutis et evacuatis doleat, et zelo ferventiori accensa, de his recuperandis sollicita sit et intenta, ac de tanto viro, Rothado videlicet, consacerdote nostro, retractare ac præmeditari studeat; quatenus is qui semper a finibus terræ, ut ita dicam, ad nos et prius absens clamavit et beati Petri apostolorum principis memoriam inter sævientium linguas oblivioni non tradidit; sed de monasteriali districta custodia, velut Jonas de ventre ceti, et Daniel de lacu leonum, ad Dominum et ad dilectores vel dilectos apostolos ejus vociferatus est, et deinde abstractus, licet destitutus vel exspoliatus, atque omni ex parte attenuatus. tandem Deo duce præsidium suum, id est sedem

Petri, in qua spei ac fiduciæ suæ pedes ac si supra firmam petram statuerat, requisivit, et plurimis difficultatibus et incommodis, atque impedimentorum retinaculis Dei destructis virtute, quod inhianter et anxie desideravit adeptus est; cum consolatione, et auxilio, ac omnis pristini sui status recuperatione, ad exemplum et fiduciam multorum recedat: et privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu sedis apostolicæ, semper intemerata, minime ulterius hæc violare præsumentes, consistant atque permaneant. Denique, fratres, cum præsens Rothadus a multis fuisset retro temporibus, a metropolitano suo, et quibusdam sectoribus suis, etiam a sublimiori sæculi persona incessanter observatus, ut aliquo modo eorum insidiis caperetur, Et Dei gratia protectus nunquam omnino capi potuisset; tandem pro quodam presbytero qui in turpi fuerat flagitio deprehensus, et membris genitalibus detruncatus, materiam inimici ejus adversus eum læsionis sumpserunt, eo quod sceleratum illum presbyterum ab officio removisset, et post tres annos, quod canones non admittunt, minime nullam vocem proclamationis habentem restituere voluisset. Cujus rei gratia facto concilio generali, quod sine apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi, vocaverunt hunc episcopi, quos, Hincmari Rhemorum archiepiscopi suggestione, regia fecerat jussio convenire, quatenus rationem de illo presbytero coram synodo redderet. Qui libenter quidem primum perrexerit: sed postea, cum vidisset eorum alios quidem timore regis Caroli qni aderat obsessos, alios autem favore Hincmari, hosti sui, pellectos, judicium ipsorum rationabiliter devitans, ut pote quorum hos quidem jam patiebatur infestos, alios autem jam ex præcedentibus judiciis habebat suspectos, sedis apostolicæ judicium postulavit, et in urbe Roma, canonum fultus auctoritate, agendum sibi negotium proclamavit. Quo audito Hincmarus ad modicum quidem licentiam illi Romam veniendi concessit, sed post paululum penitus impedivit. Siquidem, rursus convocatis quibusdam episcopis, jussit hunc ad synodum examinandum accedere. Qui hæc audiens respondit se apostolicam sedem appellasse, ac ejus petiisse judicium, et idcirco non posse ad illud convenire judicium, quia non esset licitum a majori ad minorem provocare prorsus auctoritatem. Quamobrem nimis absurdum est quod Hincmarus fingit dixisse Rothadum, postquam ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce aliorum judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, sicut vestra novit fraternitas, ab illo fuerat emendandum, et ne a majoris auctoritatis examine ad minoris valetudinis provocasset judicium, corrigendum. Licet nullis pateat indiciis a nostro illum ad alterius cucurrisse judicium, quem constat in ipso articulo contra se præferendæ sententiæ sedem apostolicam appellasse. At qui ab illa se judicari poposcerat, et coram omnibus exclamaverat, justum non foret, si ad eorum se judicia convertisset; quamvis et ipse sedem apostolicam si nullatenus appellasset; contra tot tamen et tanta decretalia se efferre statuta, et episcopum inconsulte deponere, sicut vos bene nostis, non debuerunt. Quomodo vero alios judices elegit Rothadus, cum in illo scripto, per quod fingunt eum a nostro ad suum judicium provocasse, nec nostrum sprevisse, nec illorum petiisse judicium judicetur? præcipue cum si judices præter nos elegisset, et certum numerum eligendorum judicum expressisset, et non utique fraternum solatium sicut per illud scriptum postulavit, solummodo postulasset. Utrum tamen ipsum scriptum a Rothado missum sit, necne, certissime nescitur: quoniam alterius, et non Rothadi, homo fuisse convincitur, qui scriptum portasse noscitur. Quanquam etsi nunquam provocasset nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra statuta et veneranda decreta episcoporum causas, ut pote majora negotia, nostræ diffiniendas censuræ mandarunt.

LXXII.

EPISTOLA NICOLAI AD CLERUM ET PLEBEM ECCLESIÆ ROMANÆ.

(Anno 865).

Absolutio et restitutio Rothadi episcopi.

Nicolaus, episcopus, servus servorum Dei, sanctæ Romanæ catholicæ ecclesiæ episcopis, presbyteris, et diaconibus, et cunctæ in Christo generalitati Romanæ plebis.

Notum sit dilectioni vestræ, fratres mei et filii charissimi, quod quidam Gallorum episcopi, zeli et invidiæ diaboli facibus accensi, quia mors, sicut scriptum est, per invidiam introivit in orbem terrarum *Sap.* II, huic fratri nostro Rothado, venerabili viro, insidiantes, et per octo circiter annos quemadmodum illum proprio privarent episcopatu, judicio meditati sunt. Sed cum diutissime laborantes, nihil discriminis potuissent super eum inducere, novissime mundanis potestatibus usi, depositionis sententiam in eumdem, sedem apostolicam appellantem, immanissime protulerunt, et in minutionem et abominationem privilegiorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imo beati Petri apostolorum principis, gradu proprio pulsum, carcerali custodiæ mancipa- runt. Unde istum clamantem ut adducerent, et ad nostrum illum judicium ad quod ante depositionem, et postea imprætermisse provocaverat, cum suis vicariis, qui in illum si valerent accusatione digna apperent, destinarent, plurimis epistolis eisdem episcopis jussimus et hortati sumus. Sed ecce, dilectissimi, sicut ipsi scitis, sex mensibus jam præsente Rothado Romæ apud nos manente, et nobis accusatores vel vicarios eorum præstolantibus, nullus qui hunc accusaret adesse videtur. In quo, fratres, quid aliud datur intelligi, nisi quod sanctus papa dicit Bonifacius, quia sicut qui est innocens ut absolvatur quærit, ita judicium nocens subterfugit? Verum nos, Deo auctore, beatorumque principis apostolorum Petri apostoli fulti suffragio, decessorum quoque notrorum secuti vestigia, privilegia sedis apostolicæ; quæ illi male fregisse probantur, recuperare stu-

dentes, jam fatum virum, præsentem videlicet Rothadum, pristino gradui, pristinis officiis ac pristino episcopatui restituimus, et per omnia talem eum reddimus, qualem illum fuisse constat ante excommunicationis et depositionis sententiam in eum prolatam, vel quando sedem apostolicam appellabat et canonice provocabat.

LXXIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Hortatur ut Rothado restituto faveat, et res ejus Ecclesiæ ablatas reddi jubeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Quanquam Rothadum venerabilem episcopum, sedem apostolicam appellantem, Domini sacerdotes, qui in regno vestro Ecclesias sibi commissas gubernant, in contemptum beati apostolorum principis Petri, per quem apostolatus et episcopatus in Christo cepit exordium, cujusque, licet immerito, agimus episcopatum, privare nunquam debuerant. tamen quia hoc præsumpserunt, imo conati sunt agere, æquanimiter satis pro vestra deprecatione pertulimus, et ut tantam temeritatem corrigerent, eis hortamenta et præcepta potius quam flagella sæpius adhibuimus. Sed horum, imo hujus contumaciæ, nullus auctor, nisi Hincmarus Rhemorum episcopus exstat, qui ei prædictum Rothadum, etiamsi nunquam ad nostra provocasset judicia, nequaquam deponere debuit; sed contemptis nobis, quantum ex se fuit, deposuit, et multitudinem jussionum nostrarum ut peripsema duxit. Denique cum nostris auribus fuisset ipsius Rothadi depositio intimata, mox epistolam apostolatus nostri misimus, qua jussimus jam fatum Rothadum aut honori, Ecclesiæ propriæ restitui, aut Romam cum aliquibus de episcopis vel vicariis eorum qui illum damnasse videbantur, in præsentiam nostram dirigi; aut certe, si neutrum fieret, tandiu post triginta dierum spatium depositores ejus a missarum solemniis vacarent, quousque nobis super his obedire curassent. De qua etiam epistola vestræ tunc intimavimus excellentiæ; sed hanc frater Hincmarus, quid dicam audire, cum videre illam, more Dioscori velatus, neglexerit? Ne quem vero moveat quamobrem Rothadum episcopum Romam venire, vel apud nos audiri ac judicari jussimus, noverit canonicam super hoc paternam traditionem, ac specialem prærogativam apostolicæ sedis, nos exstitisse zelatos atque secutos. Denique ut pauca de multis commemorem, si adversus provinciæ metropolitanum episcopum vel clericus habeat querelam, juxta Chalcedonenses regulas jubetur ut petat primatem diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Constantinopolitanam, esse penitus observandum. Nam et ipse Rothadus, secundum Sardicense concilium (*can.* 4), agendum sibi negotium in urbe Roma clamavit; et beatus Innocentius papa sine præjudicio Romanæ Ecclesiæ præcipit (*epist. ad Victricium*), cum causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortæ, nulli licere, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Sed et papa Julius, Orientalibus scribens (*epist.* 1), utramque partem, Athanasii scilicet et adversariorum ejus, accelerare præsentiam, quatenus utraque parte præsente audiretur reus, et ab omnibus condemnatus de cætero cohiberetur a sacerdotio. Oportebat, inquam, primum hoc fieri, et tunc vacante loco alterum constitui. In quibus tamen omnibus multipliciter adhuc contempti, per Odonem post hæc venerabilem episcopum, ad eadem rursus inter multa monita misimus, videlicet ut Rothadus, eductus de monasteriali custodia, vel prioris Ecclesiæ proprio redderetur honori, vel Romam cum vicariis episcoporum, qui depositioni illius consenserant, in conspectu nostro examinandum destinarent, aut post triginta dies nec ipse Hincmarus, nec cæteri episcopi qui eum damnaverunt, licentiam faciendi missas haberent. Sed denuo frater noster Hincmarus, in contumelia nostra versatus, non solum non obedire nobis delegit, verum etiam epistolam nostram; quam ad eum et ad episcopos qui in depositione Rothadi sibi consenserant, miseramus, apud se per quatuor menses retinens, quæ de Rothado decrevimus, etiam inter hæc diversis aliis pro hac eadem causa nostris epistolis per nonnullos directis crebro contemptis, agere recusavit. Præterea Rothadum, de monasteriali custodia eductum, in civili commutari præcepit. Tandem aliquando nobis scribens, misisse una cum cæteris episcopis vicarios suos, qui cum Rothado in nostram præsentiam pervenirent; sed dictum illis esse nullum sibi aditum Italiam penetrandi præ custodibus fore, qua de re unde venerant rediisse. Quo facto quid inanius vel stultius æstimari potest, quam ad solum vacuum sermonem, nulla persona sibi resistente nulloque sibi adversario certo contradicente, deserere tantum opus et sine ulla utilitate retroverti? Præsertim cum si certissime eos impeditos quo minus commissa sibi responsa vel ecclesiastica negotia consummarent, comprehendissemus, zelo competenti succensi, tanto contra hujusmodi temeratores ferventius inveheremur, quanto hanc impietatem ab ipsis fuisse patratam certius nosse utique viderentur. Verum hæc lusorie nobis illi vel dicunt vel operantur, cum ecce biennium transierit ex quo diversis modis pro jam fato viro laborantes, modo hoc, modo illud eis proponentibus, nihil omnino profecimus: sed adhuc dissimulamus, adhuc operimur; et ut cum beato Simplicio papa dicammus, nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod dignum est (*epist. ad Joannem Ravennatem*). Nam docente sancto æque papa Zosimo (*epist. ad Hesychium*), contumeliæ studio fit quidquid interdictum toties usurpa-

tur. Sane his interim omissis considerare libet quia prius Odo venerabilis episcopus præsentialiter positus, et inde cæteri nostri legati nihil accusationis adversus Rothadum episcopum se detulisse testati sunt; et illi episcoporum vicarii, qui ab ipsis suis præsulibus, ut rationem dejectionis Rothadi exponerent, mitti dicebantur, nobis professi sunt, scribentes ab itinere quod non ad accusandum Rothadum fuerint a suis antistitibus destinati. Præsertim cum sæpedictus Rothadus in apostolica quam petiit sede, ecce octo circiter mensibus sit commoratus, et qui hunc accusaret nullum nos penitus videre potuerimus. Ergo cum ita sit, restat ut qui nullum patitur accusatorem, nullo merito sustineat omnino suæ integritatis dispendium. Denique tunc constat accusatorem examen subterfugere, quando se justas posse querimonias habere desperat. Sic nimirum Judæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere putabant; ubi ad verum indicium hanc detulerunt, et quod existimabant videre non viderunt, et quod non putabant audire audierunt, confusi et reveriti discesserunt. Sic ergo, sic depositores Rothadi, cum ad examen judicii, in quo iidem inimici fuerunt, ipsi accusatores et judices, venerunt, in faciem ipsius, quem supplantare voluerunt, immobiles perstiterunt. At ubi ad nostrum provocatum est judicium, in quo Deo revelante veritas si exaggeraretur, in lucem claresceret omnia falsitatis argumenta destructa sunt, et fabricatores mendacii terga subito converterunt. At vero Rothadus episcopus, conscientia purus, conversatione innocens, columbarum simplicitate ac prudentia serpentis insignis, cum ad examen Romanæ Ecclesiæ ventum esse perspexit, ubi nullum suspectum habet, nullum inimicum passus est: ubi, inquam, ut sanctus ait papa Cœlestinus (*epist.* 4), semper catholicis subvenitur, judicium non timuit, examen suum renovari petivit, et quidquid a nobis deliberari cerneret, libenti suscipiendum mente disposuit; quia, ut beatus ait Bonifacius papa (*epist. ad Patroclum et alios*), nullus dubitat quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Ergo videant accusatores, vel damnatores Rothadi, qua intentione cum eo judicium subire refugerint: quia Rothadus, qui est auctore Deo innocens, concilium sanctorum non solum non subterfugit, sed et magnopere postulavit. Itaque sciat sublimitas vestra, Deo opifice a nobis sæpefatum episcopum pristinæ dignitati et Ecclesiæ restitutum. In quo utrum veritate fulciatur quod de vestra dilectione a nonnullis refertur, modo patebit. Si enim millia gemmarum et pretiosarum specierum beato Petro daretis, nec illi tam accepta nec nobis, quam si nobis super hoc obediatis profutura existerent: nimirum cum illius sit hominum salutem exquirere, non cumulos thesaurorum coacervare. Favete tandem quæsumus, nobis pro crebro dicto viro toties adeuntibus, et Ecclesiam sibi commissam recipiendi per vos non impedimentum, sed præsidium prorsus inveniat. Ne,

A quæsumus, dicatur de nobis procedente tempore, quod nunc de Theodorico scripto profertur (*syn. Rom.* IV). Qui ante patrimonii vel ecclesiarum, quas amiserat, receptionem, papam Symmachum, ut pote Arianus et sceleratissimus rex, cum impugnatoribus suis in disceptationem confligere jussit, cum potestate ejus omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, reddenda ab honorabilium Italorum episcoporum concilio jussa fuissent, et legaliter prius statui pristino redditus, tunc veniret ad causam, et si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet. Cujus rei documento et aliis nonnullis decretis et exemplis imbuti idipsum de Rothado episcopo nos quoque decrevimus. Quapropter obtestamur et obsecramus ut piis nostris
B monitis, non pravorum hominum suasionibus, pareatis; scientes quia si pessimo regi, quod absit, vos æquiparantes, super hoc nobis negotio concordantes obaudire renuitis, vos procul dubio de charitate et memoria nostra deletos. Quoniam ita Dei et apostolorum auctoritate decrevimus et statuimus ut quicunque sæpe memorato Rothado episcopo ad recipiendam Ecclesiam sibi olim commissam, vel ad episcopale ministerium peragendum, aliquatenus impedimento fuerit, donec acquiescat et ad illi resistendum conatus deponat, a sacrosanctis mysteriis et ab ecclesiæ fieret ingressu remotus, atque ab omni communione fidelium sequestratus. Præterea vestram volumus nosse experientiam, nostris auribus fuisse multis referentibus intimatum, quod diversæ res et nonnulla præsidia sanctæ Suessionicæ
C Ecclesiæ juri competentia, ab invasore ibidem consecrato exstitissent pro libitu disposita, et in beneficium data: vel etiam, eo justo Dei judicio decedente, ab excellentia vestra quibusdam hominibus æque in beneficio collata. Quamobrem etiam et in hoc dilectionem vestram hortamur atque precamur, ut eadem præsidio et ipsa res, quæcunque et ubicunque sint, jam fatæ Ecclesiæ restitui pia vestra præcipiat eminentia, et ut cuncta juri ejus reddantur vestra satagat excellentia: ita ut secundum sacrorum canonum sanctionem, in potestate episcopi res omnes Ecclesiæ consistant, et ille secundum timorem Dei, quibus voluerit, et quomodo voluerit, illa dispenset; quod tamen vestræ pietatis pro amore Dei et apostolorum principum ac nostro fieri satagat
D industria. Scientes profecto quia qui his rebus frui voluerit, et eas præfatæ Ecclesiæ reddere forte distulerit, nos hunc ab Ecclesiæ finibus anathematis nexibus irretitum, et sacrosanctis mysteriis sequestratum, veluti profanum eliminamus, et quasi rapacem et impium et a contubernio fidelium procul dubio abjicimus.

LXXIV.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM

(Anno 865.)

Rothadum legitime restitutum ostendit; suam illi ecclesiam et res ablatas reddi jubet; tum ubi respirarit, cum eo Romæ confligi, si libeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO Rhemensi archiepiscopo.

Si coram tuæ prudentiæ oculis ullus esset paternorum canonum vel apostolicæ sedis respectus, nunquam Rothadum Suessonicæ urbis episcopum sine nostræ tentasses scientiæ notione deponere. Præcipue cum negotium quod merito inter majora connumeratur (de persona scilicet judicare,eujus in ecclesia cæteris ordo major est),ventilanti et multipliciter rimanti tibi adeo de se difficiles exitus daret, ut octo circiter annos ut deponeretur elaboraveris,et in tanta perplexitate causarum, et in tanta intercapedine temporum,nullam beati Petri memoriam prorsus habueris.Cujus contra is qui deponebatur mentionem faciens,tua decernentes religiositate, proprio gradu caruisse dignoscitur.Et cum in suis opportunitatibus ad sedem apostolicam beatitudo tua scripserit,et ab illa sibi manum porrigi contra falsos fratres poposcerit, et quædam privilegia concedi sibi petierit, in causa Rothadi solum, quasi ejus solatii non indigna,sedis apostolicæ non memor fuit, nec utique visitatrix. Quinimo contra appellantem hanc eumdem venerabilem virum,tanta molimina tantaque præparare machinamenta minime formidasti,ut postquam data sibi Romam veniendi licentia fuerat, priusquam tibi et regi valefaceret, postea hunc a nostro examine ad tua,ut ita dicam, tribunalia deduxeris(quia synodus dici non potest, ubi noster nullus præbetur assensus), et ingredi prætorium nolentem depositioni tyrannico more subjiceres, occasionem sumens de quadam epistola, tanquam Rothadus, postquam ad nostrum appellaverat judicium,rursus ad vestrum mutata voce provocasset examen, quod omnino falsum est. Illa nempe epistola, per quam hoc conaris frui, sicut veritate claret, et apud nos subtili valde investigatione repertum est,fratribus a Rothado mittebatur, quos tecum contra se conspirasse non noverat, ac eos per hoc nec supectos habebat. In qua videlicet epistola non nostrum judicium aspernatur, non sedem apostolicam spernit, nec aliena judicia postulat, nec electorum judicium numerum exprimit, quinimo nec nomina memorat; sed solum fratres et coepiscopos de sua certificat innocentia,et hos reddit intentos, quatenus si forte apostolatui nostro, secundum sacrorum indulgentiam canonum, scribere his examinis renovandi gratia in finitima positis placeret; ut ipse illo in tempore nobis suggestum ire meditabatur, et nos quoque acturos putabat, suæ consuleret innocentiæ, ac justo libramine causam suam, secundum dispositionem nostram, sine

A acceptione personarum exsequeretur (2, q. 6, *Arguta sapientia*). Sed arguta sapienta tua, utinam in bono accepta,fomitem judicii et materiam dispositionis adversus Rothadum assumpsit,et ab itinere sedis apostolicæ revocavit, et continuatim sedem apostolicam appellantem damnavit,et carcerali custodiæ mancipavit: cum etiamsi nullus a vestro judicio provocasset, privilegia tamen apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullatenus debuissetis,quibus venerandi canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent, et ab illa, sicut Gelasius meminit, nusquam appellari sanxerunt; ac per hoc ipsa de omnibus judicare, ab illa vero nulli est appellare permissum; sed etiamsi ad vestrum provocasset a nostro judicio, a vobis exstabat tanquam erroneus B corrigendus; quinimo nec ante specialiter fuerat corrigendus,quia vobis peculiarius erat penitus amplectendus.At ubi obdurato mentis intuitu hæc omnia postposuisse contra spem dolenter audivimus, missis litteris nostris præcepimus ut eum de carceris angustia educeres,et aut mox pristino gradui redderes,aut illum cum vicariis tuis et episcoporum qui depositioni ejus consenserunt,in nostram præsentiam destinares. Quod si neutrum ageres, post triginta dies postquam illa nostra lecta fuisset epistola, nec tu, nec ullus eorum qui in hoc tibi consensum præbuerant,missarum solemnia celebraret, donec quæ sibi pro Rothado a nobis fuerant imperata perficeret.Quam contemplatus,etiam solo tactu tuo indignam judicans,Dioscorum in hoc imitatus, saltem hanc legere nullo modo consensisti. Unde C Rothado adhuc in custodia demorante,per Odonem venerabilem episcopum eadem tuæ sanctitati et cæteris complicibus tuis, per epistolas vobis rescribentes injunximus : addentes pariter quod si nobis de cætero inobedientes essetis, nos jam virum Rothadum pristinæ dignitati et Ecclesiæ redintegraturos, et vobis condignam vicissitudinem reddituros.Quas fraternitas tua IX Kalendas Julii,ut fertur, suscipiens per quatuor circiter menses neminem has passus es intueri.Post hæc autem Rothado,tandem de custodio educto licentiam Romam veniendi vix quidem dedisti; sed vicarii quos cum illo mittere debuisti,usquequo voluerunt profecti, suis nobis de itinere significavere,dictum illis fuisse quod nullus præ hostibus penetrandæ Italiæ sibi pateret D accessus, et præcipue quod eorum quorum auxilio fulciri debuerant, frustrarentur obventu.Subdentes insuper quia si pervenire Romam utcumque valuissent, nullam adversus Rothadum omnino deferrent calumniam. Et his ita gestis, quia primum quidem præsumptiones prævaricationesque vestras sumus experti,deinde vero inobedientia et tergiversatione tua comperta, atque deinde Rothado penes nos sine ullo accusatore octo circiter mensibus jam retento et diutius ac subtilius examinato, vobis et vicariis vestris clamantibus nil vos adversus eum accusationis habere,quid nisi ut,secundum promissionem superius memoratam, tandem pristino epi-

scopatui redderetur, omnino restabat? Quod per nostram mediocritatem jam nunc factum tua nosse poterit prorsus industria. Cui rei monemus omnimodam patientiam exhibere tua non negligat utcunque solertia, ne talionem reddere tibi, sicut dudum promisimus, nostra cogatur auctoritas (2, q. 6, *Arguta*, § *Hæc quippe nos*). Hæc quippe nos in Rothado idcirco noveris operatos, ut privilegia sedis apostolicæ, quæ male a vobis violata esse videbantur, et a nobis tot impensis laboribus, vestra resistente contumacia, recuperari non poterant, auctoritate apostolica et canonica Patrum deliberatione, pristino tandem et proprio decorarentur honore. Cæterum si forte quis adversus Rothadum voces habet, vel si ipse a sanctitate tua justas contra se hactenus sustineat querimonias, volumus et decernimus ut utraque parte conveniente, quidquid illud est, coram nostra speciali præsentia dirigatur. Quod si nullus calumniis coram apostolatu nostro sæpefatum virum impetere voluerit, quæ de illo decernimus illibata et imminuta consistant. Tandem aliquando unum e duobus, quod vult fraternitas tua, sibi a nobis optione proposita eligat; quia utrumque canonicum est, utrumque ad sedis apostolicæ pertinet privilegium. Videlicet aut quæ de sæpefato fratre et coepiscopo nostro Rothado disposuimus adimplens, in nullo refragatrix, sed exsecutrix inveniatur: aut certe Romam coram nobis, seu sancta Romana Ecclesia, cum ipso conflictum sumptura, et pro hoc altercatura, properare sine dilatione maturet. Ita duntaxat ut prius ipse Rothadus cunctis ablatis, sicut statuimus, recuperatis honoribus, et vires longo tempore fessas priori valetudini redditus resumens, diutius possideat et suis omnibus perfruatur. Quod si neutrum sine procurata mora fortassis agere volueris, et resultare his quæ de illo statuimus solito more ulterius curaveris, ab omni sis sacerdotali dignitate, Dei per nos judicio, et auctorite sedis apostolicæ, de cætero sequestratus, ita ut nunquam locum satisfactionis aut ordinis restitutionem operiaris.

LXXV.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

(Anno 865.)

Ut Rothadum a se restitutum benigne suscipiant: ubi multa de sedis apostolicæ privilegiis, et de pontificum Romanorum decretalibus copiose disserit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis apud Gallias constitutis.

Quamvis singularum Ecclesiarum, quæ propter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, cum una sit et unica Sponso suo, sicut ipse in Canticis canticorum dicit: *una est columba mea* (*Cant.* VI); et per Psalmistam: *Erue de manu canis unicam meam* (*Psal.* XXI); pastor, et episcopus, ac pontifex
A Dominus noster Jesus Christus, qui hanc creavit et redemit, existat; ita ut ille veraciter ac principaliter ista sit omnia, juxta quod fidelibus per primum apostolum dicitur: *Conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum* (*I Petr.* II); et juxta quod egregius prædicator de eo loquens: *Talis*, inquit, *decebat ut nobis esset pontifex* (*Hebr.* VII); subiturus tamen ad cœlos hanc apostolis commendavit, ac per eos, tanquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos pastores, episcopos ac pontifices super ipsam constituit, ejus providentiæ curam indulsit, quatenus pro patribus nati filii, et pro eis constituti principes in omnem terram, imitatores eorum essemus, sicut et ipsius Christi. Verum et inter beatissimos apostolos, sicut
B et ille magnus Leo scribit (*ep.* 88, *ad Anastasium*), in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio; et magna dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil unquam a suo capite dissideret. Quod nisi quidam ex vobis nullo interiori comprehendissent obtutu, nunquam Rothadum episcopum Suessonicæ urbis sine consensu nostro deposuissent, deprædarentur. et in exsilium pulsum
C monasteriali custodiæ manciparent. Nam quomodo non omnes verbis omnia vindicatis, qui judicia episcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, vestræ deliberationi tribuistis? An modicum vobis esse videtur fratres et coepiscopos vestros præter apostolicæ sedis consensum depositioni subjicere? Quod si damnationes episcoporum non inter majora negotia dinumeratis, quorum jam causas inter majora computatis negotia? Quid, rogo, de presbyteris vel de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos quoque causa Chalcedonensis concilii regulis (*can.* 9), cum ratio exigit, audiri jubetur? Si episcopos tanta facilitate deponitis, quomodo, rogo, per vos, quorum vel in singulis provinciis habetur prima sententia, vel qui in ma-
D joribus urbibus constituti sollicitudinem suscipitis ampliorem, ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluit, qui de majoribus deponendis episcopis nihil ad ejus notitiam deferre curatis? An episcopi de universali Ecclesia non sunt, ut de illis damnandis per vos aliquid ad unam Petri sedem deferri non curetur? Vel quomodo nil usquam a suo capite dissidet, cum de adjudicandis præcipuis membris Ecclesiæ, id est episcopis, a capite, id est sede apostolica, dissentitis? An sedes apostolica caput non est? Frustra ergo, ut multa prætermeam, concilium Sardicense ad Julium episcopum inter cætera dixit (*in epist. ad Julium*): Optimum et

valde congruentissimum esse videtur si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. Ecce sedem Petri caput appellatam, cui de singulis provinciis Domini referre sacerdotes debent. E contra vos adeo hanc despicitis, ut ad eam nihil de majoribus Ecclesiæ negotiis referre curetis, ac episcopum inconsulta et contempta illa deponere præsumatis, et præcipue sedem apostolicam appellantem. Nimis namque absurdum est quod dicitis, Rothadum, qui ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce vestra judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, a vestra fuerat fraternitate corrigendus et quia a majori ad minoris auctoritatis provocasset judicium, emendandus. Licet certis non patere possit ullis indiciis a nostro illum ad vestra cucurrisse judicia, quem constat in ipso articulo contra se proferendæ sententiæ sedem apostolicam appellasse, et quod se ab illa judicari posceret coram omnibus exclamasse. Æquum non foret, si ad vestra se judicia convertisset, quamvis etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta vos decretalia efferri statuta, et episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis. Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus charitate dicam, postposuisse dolemus, et diversorum sedis apostolicæ præsulum decreta in hoc vos contempsisse negotio, non immerito reprehendimus. Absit enim ut cujuscunque, usque ad ultimum vitæ suæ dien qui in fide catholica perseveraverit, vel decretalia constituta, vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita, debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula, quæ duntaxat et antiquitus sancta Romana Ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur. Absit ut scripta eorum quo quomodo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut rorifluis sudoribus et salubribus eloquiis adornatam. (Dist. *Si Romanorum.*) Si enim ipsorum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probat, hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur : et quanto potius quæ ipsa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus [*al.*, motibus] diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi? Quanquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum argumentum [augmentum] privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta

A penes nos habentur, quæ non solum quorumcunque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis præferre noscuntur. At nunc, ubi suis animis resultare, et privilegia tanto nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universæ Ecclesiæ profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est ut ubi universa fabricæ moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. (Dist. 19, *Si Romanorum*, § *Si ideo.*) Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur ascriptæ, ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel
B scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur ascriptum. Ergo doctrinam eorum et sanctiones de codicibus suis eradant; ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas divinas Scripturas Novi et Veteris Testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potius quam ad resistendum semper parati sunt, dicentes quod inter canones inveniatur capitulum sancti papæ Innocentii (*Decr.* c. 27), cujus auctoritate doceatur a nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto insertum. Quibus ad hæc asse-
C rendum est quoniam si Vetus Novumque Testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti papæ Innocentii prolata videtur esse sententia; restat nimirum quod decretales epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sunt canonum codici compaginatæ, quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis capitulum constat esse permistum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari. Ait enim capitulo 5 suorum Decretalium (*epist. ad episcopos per Campaniam*) : Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii
D quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestræ dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo vero *omnia decretalia constituta*, nullum de decretalibus constitutis prætermisit quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo *omnium decessorum nostrorum*, nullum pontificum Romanorum qui ante se fuerit, excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil interest utrum sint omnia de-

cretalia sedis apostolicæ constituta inter canones conciliorum immista, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, et illa eis intersint quæ firmitatem his quæ desunt et vigorem suum assignent. Præsertim cum synodalia gesta, inter quæ ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo papæ Leoni sanctus et facundissimus in Decretis suis papa Gelasius, ita inquiens (in synodo Romana, *de scriptis canon.*): Decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum quia non dixit decretales epistolas quæ inter canones habentur, nec tantum, quas moderni pontifices ediderunt, sed quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus, etiam illa tempora vir sanctus comprehendit quæ, crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant.

His ita divina favente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta quæ in codice canonum habentur sedis apostolicæ præsulum, et ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia et omnium decessorum suorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter esse suscipiendas et custodiendas eximios præsules, Leonem scilicet et Gelasium, mandasse probavimus. Quamvis et hoc quod sæpe commemoratus B. Leo, apostolicæ sedis antistes, ad Anastasium Thessalonicensem archiepiscopum scribit (*epist.* 82), quorumdam vestrorum præsumptionem potentissime ferit, et quod talia negotia nobis inconsultis diffinire minime debeatis, manifeste denuntiat. Ait enim : Nam cum majora negotia et difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet deviandi. Et item deinceps : Præsertim, inquit, cum etiamsi quid tale aliquid mereretur, exspectandum tibi fuerit quid ad tua consulta rescriberem. Et paulo post : Sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat exspectanda censura, ut nihil esse prius decerneres quam quid nobis placeret agnosceres. Quod nos quoque de Rothado vobis non irrationabilius dicere possumus, quia dum octo fere annos ventilaveritis, nec ratio vobis nec necessitas fuit in id quod mensuram vestram excederet deviandi. Sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius decerneretis quam quid nobis placeret agnosceretis. Sed dicitis judicia episcoporum non esse majora negotia, nec difficiliores causarum exitus. At nos horum merito judicia majora negotia dicimus, et difficiliores causarum exitus judicamus, qui quanto gradus sunt præcipui, et in Ecclesia Christi sublimiores, tanto, cum de horum statu vel casu agitur, majora negotia et difficiliores causarnm exitus agitari vel haberi creduntur. Ipsi quippe primi in Ecclesia, ipsi arundinem tenentes, metiuntur sanctam Jerusalem, ipsi fabricæ Dei præsunt, ipsi speculatores civitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi pastores gregis Dominici, ipsi columnæ domus summi regis existunt. An majora negotia causas inferiorum clericorum esse conjicitis, ut horum causas nobis, et episcoporum vobis negotia tribuatis? Quamvis et inferioris gradus clericorum causas apud nos, cum tempus vel res exegerit, esse finiendas, e diverso procul dubio colligamus, sicut beatus papa dicit Innocentius (*epist. ad Victricium*): Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam inferioris etiam fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur; nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. An majora negotia metropolitanorum tantum esse fatemini? Sed audite rursus quid de episcopis sanctus asseveret Leo. Quibus, inquiens, etsi dignitas communis est, ordo tamen generalis est, et revera unus de septem Ecclesiæ gradibus est, metropolitanorum scilicet et reliquorum episcoporum ordo. Et quod dicit Apostolus, oportet episcopum irreprehensibilem esse, non video minus metropolitanis quam cæteris episcopis convenire. Nisi forte episcopatu se privet quisquis metropolitanorum ad se hoc Apostoli dictum non æstimet pertinere. Unde nos non minoris numeri nec alterius famæ accusatores, testes vel judices quærimus in negotiis episcoporum, quam exigimus in causis metropolitanorum. Unde tam illorum quam istorum negotiorum nobis exitus reservari merito volumus et jure decrevimus. Totius enim Ecclesiæ, Deo auctore, generaliter sollicitudinem gerimus, et omnium utique qui Ecclesiam faciunt cura constringimur, atque omnium quorum nos maxima cura exspectat, nostrum præcipue debent promereri judicium, sicut Innocentius ad Alexandrum scribens Antiochenum (*epist.* 20), non scilicet solum metropolitanorum, sed et omnium omnino sacerdotum, quinimo universorum qui se de ovibus principaliter divinitus Petro commendatis esse non nesciunt : id est non solum cunctorum qui de illorum numero sunt de quibus Dominus principi apostolorum dixit : *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), sed etiam qui de his piscibus sunt, qui intra rete, quod ab ipso ad littus trahi specialiter jussum, esse se rocognoscunt. Adhuc tamen percontari propter contentiosos libet quænam judicia, vel quorum esse majora negotia prædicatis, si episcoporum causas non inter præcipua computatus negotia? An laicorum et vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos pene quotidie cum vestris et sine ve-

stris et sine vestris epistolis ad discutiendos et judicandos suscipimus, et discussos, vel judicatos, vel absolutos dimittimus? Denique aut sæcularium judicia inter majora, et episcoporum inter minora negotia collocabitis, et vobis episcoporum, nobis laicorum judicia reservabitis: aut certe, si episcoporum judicia sunt majora negotia, juxta Leonem liberum vobis esse debuit hæc sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere; aut si persona judicandi tale aliquid mereretur, exspectandum vobis fuerat quid ad vestra consulta rescriberem. Absurdum est enim ut laicos quosque et minimos qui sunt in ecclesiis vestris, nostro mittatis judicandos, et addatis quotidiano labori; et episcoporum, qui præcipua Ecclesiæ membra sunt, vestræ subdatis deliberationis arbitria.

His vero tandem omissis, Deo duce, scitote nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est, et quod inconsultis nobis in Rothado fratre et coepiscopo nostro præpropere perpetrastis (etiamsi nunquam sedem apostolicam appellasset), Dei anctoritate, et beatissimorum Petri ac Pauli principum apostolorum, seu omnium decessorum meorum, necnon et sanctorum trecentorum decem et octo Patrum qui apud Nicæam sub Canstantino pio principe convenerunt, penitus evacuantes et in irritum ducentes, præfatum Rothadum pristino gradui, pristinæ dignitati, pristino reddidisse prorsus honori; ita ut divina mysteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique sacerdotali restitutus officio, sine cujuslibet contradictione, propriæ receptæ libere præsit Ecclesiæ, a qua inconsultis nobis expulsus est. Denique cum ante biennium scriptis et verbis instanter egissimus ut idem Rothadus aut propriæ redderetur Ecclesiæ, aut certe Romam cum vicariis vestris et ipsius accusatoribus ad examinandum et judicandum nobis destinaretis, et nihil apud vos impetrare potuissemus, dum modo hoc, modo illud ad excusandas excusationes in peccatis objiceretis; tandem aliquando, Deo inspirante, et Nicænæ nobis synodi decreto suffragante, quo inter cætera præcipitur ut suis privilegia serventur Ecclesiis, ratum duximus jam factum Rothadum, memores scilicet privilegiorum apostolicæ sedis, a vinculis quibus illum, ne uteretur officio nec suæ præesset Ecclesiæ, colligastis, quia nos non censuimus, absolvendum. Neque enim tam stolidus tamve poterit traditionis tramite devius inveniri, qui cæteris Ecclesiis privilegia servari et soli Romanæ Ecclesiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium Ecclesiarum magistra, mater et caput est. Si quis autem tacita forte, quia non audet aperta mussitatione fateri, Romanæ hujusmodi Ecclesiæ privilegia non fuisse, quibus sedes apostolica aliorum ligata præsulum facultatem habuerit dissolvendi, præter quod prisca rerum probatione, et nonnullarum recitatione scripturarum convincitur, testis est beatus Gelasius, quem idcirco ad testimonium super his perhibendum produximus, quia hunc non solum vita et doctrina

A plurimum commendat, verum etiam rem de qua agitur in paucis astruit et ostendit, nobis videlicet brevi sermone propinans quod de multorum voluminum fontibus hausit. Scribens enim episcopis per Dardaniam constitutis, inter cætera (*epist.* 11): Nec plane, ait, tacemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi. Item ad episcopos Orientales, post quingentos inquit, annos constituta Christi eos velle subvertere, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi, sanctum Athanasium ideo non damnatum a synodo Orientis, quia sedes ista non consenserit, vel sanctum Joannem Constantinopolitanum, vel sanctum Flavianum. Si ergo hac non sonsentiente sola, ii

B damnati a synodo Orientis, non potuerunt esse damnati, consequens est etiam, qui eadem sola damnante, sine synodo damnatus fuerit, damnatus sit. In quo inter cætera notandum est quia si hos qui post quingentos annos statuta Christi tantabant subvertere, tanta vir sanctus increpatione redarguit, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi, quanto magis exprobrandi sunt qui ea etiam post octingentos et eo amplius annos nituntur evellere? Quæ vero statuta Christi dixerit, inferius declaravit, cum sola sede apostolica non consentiente neminem posse damnari, et sola ea consentiente, qui damnatus fuerat, damnatum haberi exposuit. Statuta itaque Christi dixit post quingentos annos subvertere; quia jam quinquies centum circi-

C ter anni præterierant, quando venerabilis papa dixit sedem apostolicam hæc statuta Christi promeruisse. Privilegia enim sua a Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est, et ipsa sunt statuta Christi: quæ quidam tunc post quiugintos, nunc post octingentos annos exinanire conantur. Ecclesiæ, inquam, Romanæ adeo suat antiqua et vetera privilegia, ut Nicæna synodus, sicut * Bonifacius præsul apostolicus episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait, non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videretur nihil supra meritum suum posse confiteri. Omnia denique noverat huic Domini sermone concessa. Si amnia, ergo et episcoporum judicia. Perhibente autem beato Bonifacio quod Nicæna synodus super eam, haud dubium quin Romanam Ec-

D clesiam non ausa sit aliqua constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse confiteri, omnia denique huic noverat Domini sermone concessa: et objurgante sancto Gelasio eos qui constituta Christi volebant subvertere, cum privilegia Romanæ sedis moliebantur infringere, manifeste datur intelligi eadem esse constituta Christi quæ sunt omnia illa quæ huic Ecclesiæ synodus Nicæna noverat Domini sermone concessa. A tempore quippe quo synodus Nicæna fuerat consummata, nondum quingenti usque ad Gelasium anni transierant, ut de Nicænæ synodi statutis tantus vir dixisse videatur eos post quingentos annos statuta Christi velle sub-

vertere. Restat ergo ut illius temporis mentionem fecerit, a quo quingentorum circiter annorum curricula usque ad se devoluta poterant comprehendi. Christus enim privilegia constituta in Petro disposita vel firmata Romanæ contulit Ecclesiæ, super quam nihil synodus quælibet ausa est merito constituere, cum sciat omnia illi Domini sermone concessa. Dispensationem quippe redemptionis humani generis ante tempora sæcularia Dominus omnipotens penes se ordinatam custodiens, et tempore carnis ostendens, ascensurus ad cœlos, in apostoli Petri, per quam et apostolatus et episcopatus sumpsit exordium, confessione curaque præcipue collocavit; qui tunc per se et deinceps per suæ sollicitudinis hæredes, circa humanum genus, quæ sibi Dominus commendavit, non destitit exhibere. Hæc enim ille, hæc successores ejus ex tunc agere non omittunt, modo verbis, modo decretorum suorum epistolis ab urbe Romana diversis temporibus datis, commissarum sibi ovium providentiam principaliter exercentes. Itaque Rothadum episcopum, de quo hactenus nostris contempsistis obedire mandatis, tandem a nobis, imo a Deo, pristino gradui restitutum benigne suscipite, quia ille evangelicus filius rediens non solum suscipi meruit, sed et dignus paternis complexibus invenitur, et annulum fidei recipit, et stola circumdatur, per quam quid aliud quam sacerdotii declarantnr insignia? Nec probabilis exstitit apud patrem senior filius, quod invidit recepto : nec tantum meriti habuit penes patrem perseverando, quantum noxæ contraxit non recipiendo germanum. Ergo suscipite illum ut fratrem, suscipite, inquam, illum ut mea viscera. Sollicitos autem vos pro salute libenter audio : contra caput etiam si faciendum est, non libenter admitto. Cui manus porrigenda est, vobiscum porrigo, cui porrigo, mecum porrigite. Si cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego, etsi quid donavi propter vos, in persona Christi, ut non possideamur a Satana. Non enim ignoramus versutias ejus, qui super discessione lætatur. Apostoli vero declaratæ benignitatis herba sunt, sicut ea viri beatissimi apostolicæ sedis præsules, Innocentius et Bonifacius, sapientissime replicarunt, Porro quisquis contra hoc nostri apostolatus decretum, post notitiam ejus se efferens, sæpe fato Rothado episcopo, ad recipiendam et regendam Suessonicæ urbis Ecclesiam, aliquod palam vel occulte præparaverit offendiculum, vel si personæ ipsius quoquomodo insidiatus exstiterit; quinimo si quis vestrum ad Ecclesiam recipiendam illi, tanquam frater fratri, adjutorium non præstiterit, utpote qui videt fratrem suum necessitatem habere, et claudit viscera sua ab eo, et veluti is in quo charitas Dei non manet, ab ipsa charitate, quæ Deus est, et a corpore et sanguine Christi, et a nobis qui membra illius sumus, habeatur omnimodis alienus. Horro ne justitiam regere nostræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æstimemun canonicis legibus contraire, sancimus atque decernimus quatenus sæpedictus Rothadus, venerabilis episcopus, paratus sit omni regulariter poscenti de se, quia Deo propitio nulli parti favere volumus contra justitam, coram sedis apostolicæ præsule reddere rationem. Ita duntaxat ut, secundum majorum diffinitiones, snte omnia quæ prius possederat integro jure recipiat; adeo ut talis sit in omnibus qualis ante sententiam contra se prolatam fuisse dignoscitur. Sicque demum, Ecclesia recepta, et episcopatu libera securitate possesso, proximis et amicis, rebus, et ipsis resumptis viribus, vestitus quoque, et spiritualibus annis tectus, accusatoribus respondeat suis, et unde impetitur, plenissima studeat hos qui foris atque intus sunt satisfactione certificare.

LXXVI.

AD CLERUM ET PLEBEM SUESSIONICAM.

(Anno 865)

Ut restitutum sibi Rothadum episcopum omni affectu excipiant.

Apud Mansi, [*ibid.*]

Clero et plebi consistenti Suessioni.

Sicut priorum parentum est de orbitate natorum acri valde lamentatione lugere, ita devotorum filiorum proprium est de patris amissione vehementi mœrore affici et ardore valido cruciari ; ac per hoc contra naturam quodammodo agitur, si una pars sine alterius partis societate anxietnr et doleat. Sed in hoc vos, charissimi filii, sicut de vobis frequens narrat opinio, nequaqum, Deo gratias, frigidi, nequaquam exstitistis ingrati. Denique nullus dubitat quas devotio vestra, proprio destituta præsidio, ipsa quantum ad hominem pertinet orphana remanens, varias et multipices calamitates pertulerit. Sed ille qui fidelibus discipulis dixit, *Non relinquam vos orphanos* (*Joan.* XIV), non solum præsenti sua majestate protexit, sed etiam propitia, quo desolati et destituti eratis, pro sua redonavit pietate roctorem : nobis scilicet, qui in eo vivimus, movemur et sumus, ad cum vobis reddendum nutu suæ miserationis interius imperans et competenter erudiens. Ecce enim venerabilem virum Rothadum, fratrem nostrum et coepiscopum nostrum, vestrum autem patrem, pastorem atque magistrum, cujus longa jam eruditione instructi, cujus olim sacri verbi pane refecti, cujus diuturnis laboribus et vigiliis circumsepti, cujus magisterio et doctrina Deo estis auctore refecti, prioris infulis sacerdotii et pristinis redintegratum honoribus ac omnibus episcopatus officiis restauratum, vestræ alacri devotioni et piæ dilectioni remisimus. Habetis præterea in hoc beatæ recordationis Athanasii prudentissimi sacerdotis exemplum: cujus tolerantia cui non consolationi sit? cui non spem faciat ejus inexspectata reversio? Ejicitur Ario præsequente, sed revocandus Domino prosequente. Passus est carcerem, passus est angustias, nec mirum, si vir apostolicus ea passus est, quibus se Apostolus gloriatur exercitatum (*II Cor.*, XI). In his tamen omnibus secutus est illum, qui sibi in tribulationibus se placere testatur, fugatus illinc, et in nostris

partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus status est, in hac sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur. Sancti autem papæ Cœlestini verba sunt hæc (*epist.* 4, ad Const.), quæ nos Rothado possimus non inconvenienter aptare, præter quod ille reverendi Athanasii, et blasphemi Arii mentionem fecit: in præsentiarum vero Hincmarus prosequens, et Rothadus innocens in causa sunt. Gaudete itaque, fratres, in Domino, et iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Exsultate, filii charissimi, et de reddito vobis patre, Deo immensas gratias persolvite. Lætamini, oves Dominicæ, ac pro restituto pastore, summo Pastori laudum officia canite. Congregamini, filii excelsi, exite obviam ei, tripudiantes cum hymnis et psalmis, et canticis spiritualibus, altisona Domino præconia concinentes, illum suscipite cum honore, adite eum cum hilaritate, obedite ei sicut patri reverendissimo, sicut magistro, et in omnibus circa eum ut devotissimos vos quietissimosque filios exhibete: scientes divinum præsidium procul dubio non ei defuturum, et quandiu spiraculum omnipotentis erit, et halitus vitæ spirabit in naribus meis, solatium nostrum in suis opportunitatibus adfuturum. Qua de re rursus apostolatus nostri præceptione vestræ unanimitati jubemus, quatenus taliter agere vestra satagat industria, ut in nullo sine affectione circa jam fatum virum et episcopum vestrum reperiamini: sed ita nostris pro eo monitis pareatis, ut animadversio quæ de contemptu nostri oriri poterat, in retributionem justæ mercedis concedente Domino convertatur.

LXXVII.

AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

(Anno 865.)

Quod illum ita restituat, ut paratum deinceps esse velit adversariis respondere, si quid conentur objicere.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo ROTHADO episcopo sanctæ Ecclesiæ Suessionicæ,

Decessorum exempla meorum imitans, mirabiliumque virtutum eorum flagrantiam sequens, oportet omnibus larga me hujus Ecclesiæ, quæ mater est omnium Dei ecclesiarum, pietatis ubera præparare, atque universis undique ad eam confluentibus, tanquam fidelem et prudentem summi patrisfamilias servum, apertum ejus exhibere misericordiæ gremium. Et ideo, quia constat sanctitatem tuam metropolitano tuo, et quibusdam ejus sequacibus te impetentibus, nobis inconsultis gradus tui jacturam sustinuisse, et ecclesia propria caruisse; ac deinde nobis etiam decernentibus hanc minime hactenus accepisse, et juxta quod jusseramus, nullam tuæ dilectionis restitutionem habere: Nos hanc depositionem, utpote quæ sine ulla nostra ratione irregulariter est effecta, depositionem nec fuisse, nec esse deliberamus, cum etiam nec fuerit dies qua et absentem, et præsentem, non inter episcopos habuerimus, scripserimus et coluerimus. Et ideo auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium decessorum meorum sedis apostolicæ præsulum, pristino gradui, ac pristinæ reformamus ecclesiæ: ita ut quicunque tibi ad recipiendam ecclesiam olim tibi commissam, vel ad episcopale ministerium peragendum, aliquatenus impedierit, donec acquiescat, et tibi obsistendi conatum deponat, a sacrosanctis mysteriis, et ab ecclesiæ sit ingressu remotus, atque ab omni communione fidelium sequestratus. Quia quem præsentialiter nemo accusat, nos inter damnatos habere, nec possumus, nec debemus. Præcipue cum damnatores tuos, vel vicarios eorum, frequentibus apostolatus nostri vocaverimus apicibus, et nullum ipsorum te accusantium videre penitus quiverimus: sed tantum quidam præsens positus, et alii scriptis suis nobis significaverunt, quod nulla te accusatione impetere voluissent, sed nec etiamsi secundum jussionem nostram venire potuissent, adversus sanctitatem tuam accusationes aliquas attulissent. Et proinde, quia per tot curricula temporum, sufficientibus datis induciis, nullus ad tui accusationem accessit, præcipue cum tu ad reddendam rationem paratus semper exstiteris, nos te nec damnare possumus, nec inter damnatos relinquimus. Resumat ergo venerabilitas tua officium olim commissum, fruatur beneficio divinitus sibi collato, utatur episcopali ministerio, pristina dignitate resumpta recipiat ecclesiam quam tibi Dominus commendavit, et quam tu quoque bonis initiis percepisti, et veraci ac multiplici fama testimonium tibi dante, dignis successionibus adornasti: ita ut sine quacunque et cujuscunque contradictione, vel impedimento, talis habearis in omnibus, qualis ante prolatam in te excommunicationis et depositionis sententiam exstitisse agnosceris. Sane ne justitiam regere nostræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æstimemur ecclesiasticis legibus obviare, sancimus ut sanctitas tua, prius receptis omnibus, quæ ante possedisse dignoscitur, et ecclesiæ potestate fruens, et per aliquod tempus inoffense gubernans, resumptis viribus, et sibi abbatis omnibus redintegratis, sic demum, si qui sunt qui tibi aliquid conentur objicere, fortis jam et valida cum ipsis disceptationis luctamina aggrediatur; et juxta quod ratio dictat, et sacræ præcipiunt sanctiones, vestitus cum vestito, et armatus cum armato, ecclesiastico more, tempore a nobis præordinando, coram sedis apostolicæ præsule, contra tuos adversarios conflictum ineas, quidquid regulariter diffinitum fuerit procul dubio suscepturus. Quia vero de sanctæ Ecclesiæ Suessonicæ, vel de sibi competentium diversorum locorum rebus, multi multa detraxisse, ac diverso modo hactenus illis frui dicuntur, sancimus atque decernimus, ut post secundam et tertiam conventionem et admonitionem sanctitatis tuæ, quisquis res præfatæ ecclesiæ, quibus tu aliquando ad usum vel sustentationem illic servientium, vel tibi obsequentium, fruitus fuisse dignosce-

ris, retinere, et sibi ulterius absque voto tuo vendicare tentaverit, et illas qualescunque, et ubicunque, et quantæcunque fuerint possidendas prædictæ Ecclesiæ Suessonicæ minime dimiserit, tanquam sacrilegus anathematis reus vinctus, ab Ecclesiæ gremio, atque sacro corpore, et pretioso Domini nostri Jesu Christi sanguine, donec præsenti decreto nostro acquieverit, habeatur omnibus modis alienus, et tanquam violentus invasor atque tyrannus, sit Christianorum communione privatus: ita ut qui hujusmodi in communione susceperit, simili pœna teneatur astrictus. Scripta per manum Petri notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januarii, indictione XIII. Bene vale in nomine Domini.

LXXVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 865.)

Hortatur ad pacem (a) cum Ludovico imperatore nepote suo retinendam, et ut Arsenio quem legatum in Galliam mittit, fidem habeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Initium locutionis meæ, quam ad vos nunc habeo, charissime, ecce cum apostolo Paulo sumit exordium, et vox mea vox illius est, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Quo autem modo Christus formari melius in cordibus vestris poterit, quam si evulsis ex præcordiis vestris odiorum et simultatum vepribus, pacem in visceribus vestris concipiatis quæ Christus est, sicut per eumdem Apostolum de eo dicitur: *Ipse est pax vestra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* I), et charitatem in invicem observetis quæ Deus est, veluti a Joanne describitur: *Deus charitas est* (*I Joan.* IV). Nulli ergo dubium est, quod qui charitatem et pacem in se non habet, Christum Dominum Deum nostrum, qui per hæc vocabula designatur, e corde suo projecerit, et quasi conformatum ex intimis uteri sui pepulerit. Quamobrem necesse est ut, sicut sancta mater Ecclesia, cui mea humilitas per abundantiam divinæ miserationis præest, ut habitaret Christus per fidem in cordibus vestris, olim vos per Evangelium genuit: ita quoque, ut per ministerium apostolatus mei in præcordiis vestris per pacem et dilectionem idem formetur Christus, nunc vos iterum parturiens gignat, et ut in virum perfectum occurratis informet. Quomodo autem Christus in vobis formari potest, qui in scissis mentibus non habitat? qui totus est pax, totus justitia, totus est veritas? vel in vobis quomodo formatur, qui licet in pectore vestro per fidem suam [*edit. Rom.*, sanam] solidus et integer habitet, per discordiam tamen minus in vobis perfectus, et velut A informis habetur? Concipite itaque filii pacem, parturite justitiam, et alternam amplectimini charitatem. Audite quid dicat Apostolus: *Pacem sequimini cum omnibus* (*Hebr.* XII). Et rursus: *Quod*, inquit, *ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII). Unde intimo mentis intuitu, et summa est diligentia perpendendum, quoniam si tantus Apostolus cum omnibus hominibus pacem sequi, et cum omnibus pacem habere commonuit, quanto potius, quantoque salubrius cum his sequenda, et cum illis habenda est pax, quibus consanguinitate propinquiores, et materia carnis proximiores, ac juramendo servandæ vicariæ pacis connexi arctius esse ferimini? Qua de re nunc mihi sermo est, et ad regium culmen vestrum meum tendit eloquium: ad ea B videlicet vos dirigens, per quæ non solum terrena regna debito jure possidendo, dies vestros in quiete maxima transeatis: verum etiam beatitudinis hæreditatem capessentes, filiorum quoque Dei vocabula sortiamini. Scriptum quippe est. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Igitur memores estote, filii dilecti, memores estote nominis Domini Dei nostri, cujus mentionem coram nonnullis testibus facientes, terribili estis alternam pacem invicem pacto polliciti, et pertimescentes tantum nomen in vanum accipere, reddite Domino juramenta vestra. Fœdus, quod ad alterutrum pepigistis, inviolabili maneat apud vos veritate repostum, et immaculate vigeat vestra sublimitas, insignia fidei cunctis circumquaque nationibus repræsentans. Parcite gladio, et humanum fundere sanguinem formidolosius C exhorrescite. Cesset ira, sedentur odia, sopiantur jurgia, et omnis ex vobis simultas radicitus extirpetur. Unusquisque vestrum sua sit sorte contentus, et funiculo hæreditatis divinitus sibi collato pacifice perfruatur, aliena jura non invadens, non subtrahens, non conturbans. Liceat dilectissimo filio nostro, vestro autem nepoti, a Deo conservandum imperium suum, cum regno proprii germani, quieta possidere tranquilitate, et statui ejus summa securitate consulere, et gubernacula ditione debita moderari: ad salutem videlicet ac defensionem populi Christiani; et ad sanctæ matris suæ, Romanæ scilicet insignis Ecclesiæ, libertatem et sublimitatem. Non autem in vobis gloriæ typhus, non supercilii fastus, non alterius usurpandi terminos ambitio, sed justitia, D charitas, et concordia regnet, ac summum pax inter vos teneat omnino fastigium. Sane cum pro concordia scribimus, cum pacem prædicamus, de ea nos concordia, vel pace, non opinemini agere, quam solet mundus diligere, ac reprobi adinvicem observare. Denique illi, ut liberius et audacius possint mala perpetrare quæ cupiunt, et plures ac validiores ad quæ gestiunt reperire, unanimitatem student, et

(a) *Cum Ludovico imperatore.* De regno Burgundiæ, ut opinor, post Caroli regis obitum fuit controversia. Nam a Carolo Calvo fuisse occupatum, indicare videntur capitula in Burgundiam ab eo missa titulo XXXII. At Burgundiam Ludovicus imperator tanquam fratris regnum sui juris esse contendebat. Hinc illa epistolæ hujus, *Liceat vestro nepoti imperium suum cum regno proprii germani quieta possidere tranquilitate*, et alia in epistola sequenti. Jac. Sirm.

pacem inter se irrefragabiliter, et impræterm isse tenere. Quam Dominus sciens, et hanc a sua pace secernens, dilectoribus suis aiebat : *Pacem*, inquiens, *relinquo vobis, pacem meam de vobis* (*Joan.* XIV) : *meam*, inquit, nou dilectorum mundi. Unde apte subdidit : *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quod qualiter accipiendum sit, sanctus Augustinus salubriter et luculenter exponit. Cætera vero, quæ, ne modum excederemus epistolarem, huic paginæ inserenda non duximus, Arsenio reverentissimo et sanctissimo episcopo, apocrisiario et misso apostolicæ sedis, et consiliario nostro, defæcatissime prosequenda non indecenter, ut credimus, scriptis et dictis injunximus. Cui bene faciet gloria vestra in cunctis attendens, et in his quæ sibi, ex nostri apostolatus auctoritate, de pace sanctæ Ecclesiæ perhibuerit, non immerito credula vel inambigua, fidem certam accommodans. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, dilectissime fili.

LXXIX.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 865.)

Quod pacis studio Arsenium legatum mittat; proinde regem ad eam cum Ludovico Augusto nepote suo conservandam hortentur.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis constitutis.

Studium nostrum semper fuit, et est, fratres dilectissimi, ut pro ædificando mutuæ charitatis et pacis bono, non solum his qui prope, sed et his qui longe sunt, officii nostri vellemus jugem, et impigrum extendere famulatum, ad si quoque inter cætera, quæ suggestionibus vestris inter vos a nobis disponenda crebrius exegistis, hortatu vestro plurimum invitati. Sed innumeris undique Christi Domini nostri Ecclesiæ, cujus principaliter curam gerimus, laboribus impedit, hæc ut optabamus hactenus agere profecto nequivimus. At nunc postquam toties, ut ita dicamus, ille vir Macedo, qui olim apparuit Paulo, *Transi et adjuva nos* (*Act.* XVI), per pias (*edit. Rom.*, proprias) nobis sanctitatis vestræ voces exclamavit, et nostro apostolatui ostium, per gratas Deo vestras, ut credimus, orationes, sicut ipsi egregio tunc apostolo, tandem apertum est; nihil desidiæ, nihil tanto volumus operi tarditatis afferre : sed potius cœptis aliis negotiis ecclesiasticis et pernecessaris parumper omissis, rogabimus quæ ad pacem sunt Jerusalem illius scilicet, quæ partim in cœlo jam cum sponso regnat, partim adhuc in terris incolatur et premitur, quatenus concordiæ ac dilectionis fundamentis in ædificatione ipsius positis, fiat etiam consequenter pax in virtute illius, et abundantia in turribus ejus. Hujus rei gratia præsentia fraternitati vestræ scripta direximus : quibus admoniti, sicut boni commilitones, et quasi Dominicæ vineæ cultores, vitia nobiscum expugnate (*fors.*, expurgate), virtutum charismata prædicate, discordiam destruite, unanimitatem ædificate, odia exstirpate, charitatem plantate, rixas dissipate, pacem evangelizate. Haud talem, quod absit, unanimitatem vel pacem, quali Judæorum usa est in Domini Salvatoris nece conspirans factiosa caterva, vel Herodes et Pilatus ex inimicis eodem tempore adinvicem pepigerunt. Sed talem, qualem audierunt pastores cœlestem militiam in nativitate nostri Salvatoris canere, cum diceret : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Intonans enim, *pax hominibus*, subintulit, *bonæ voluntatis*, ut malevolæ voluntatis homines a pace hujuscemodi sequestraret. Nam perversi quique, quo pacatiores sunt invicem, eo procul dubio ad agendum perperam validiores existunt. Unde et Apostolus, non solum *evangelizantium bona* (*Rom.* X) speciosos pedes admiratur, sed et *evangelizantium pacem* (*Hebr.* XII) addens, nulla bona sine pace, nec rursus pacem sine cæteris bonis innuit fore sequendam. Et alias pacem cum omnibus et sanctimoniam sectandam præcipit, sine qua nemo videbit Deum. Quas ita connectens, unam sine altera minus ostendit esse proficuam. Habentes ergo, charissimi, dilectionem in vobis, pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam : non pacem, qua etiam corvi potiuntur in invicem, sed quam simplex, et a laniatu prorsus extorris columbarum possidet miranda concordia. Non solum autem vos pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat, sed et per vos, omnes qui sub vestro moderantur regimine, coadunet et vinciat. Præcipue regem vestrum quantocius informare satagite ad ea quæ illi scripsimus, et juxta quod eum instruximus : exhortantes videlicet, ut memor sit memoriæ districti judicii, cujus nomen multis audientibus nominans, jurejurando conservandam fratribus eorumque liberis inviolabilem pacem spopondit, et pertimescens tam tremendum nomen in vanum assumere, reddat Domino juramenta sua, cui solum vota ultro Domino promissa non reddere impium est. Commonete itaque eum, ut illud fœdus, quod cum fratribus pepigit, perpetua unitate conservet, et id immaculate custodiens cunctis de se imitabile præstet exemplum. Parcat bello, et Christi sanguine sanguinem emptum fundere magnopere perhorrescat : scriptum quippe est : *Virum sanguinum et dolosum abominatur Dominus* (*Psal.* V). Unde sua sit sorte contentus, et funiculo hæreditatis cœlitus sibi datæ pacifice perfruatur, aliena jura usurpare non tentans, non ambiens. Cesset temeraria præsumptio, et avidi anhelitus medullitus comprimantur : maxime a finibus dilecti filii nostri excellentissimi Augusti, vel a metis regni uterini ejus longe distantis. Permittatur ergo prælato pio imperatori (*edit. Rom.*, præclaro imperatori) quietam ducere vitam atque tranquillam, et patruis suis nullam præsumptionem monstrantibus, machæræ usum quem primum a Petri principis apostolorum vicario contra infideles accepit, non cogatur in Christi fideles convertere. Liceat, inquam, ei regna sibi per hæ-

reditatum jus derivata, et apostolicæ sedis auctoritate firmata, et summi pontificis manu capiti superposito diademate augustissime decorata, oum suis fidelibus pie ac justissime gubernare. Sinatur omnino a Deo protectum imperium suum, quod cum benedictione, et sacratissimi olei unctione, sedis apostolicæ præsule ministrante percepit, ad exaltationem et quietem matris suæ hujus sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, licenter ac rectissime moderari. Alioquin quisquis contra hujus nostræ salutiferæ commonitionis paginam agere forte præsumpserit, et adversus jam fatum filium nostrum Augustum referre tantaverit, noverit sibi et Deum omnipotentem, cujus imperium terminum nescit, refragaturum, et apostolatum nostrum juxta competens sibi ministerium procul dubio reluctaturum. Porro scitote nos tam ad gloriosum regem vestrum, quam ad vos, Arsenium venerabilem virum, Hortensem episcopum (*edit. Rom.*, archiepiscopum), apocrisiarium et missum apostolicæ sedis et dilectum consiliarium nostrum, cujus apud nos approbata est fides, et comperta devotio, et vobis quoque persona vel est forte non omnibus ignota prudentia, destinasse. Quem tanto debetis et vos, et admonitione vestra filius noster rex, benigne suscipere, quanto scitis, quia pro cunctis laborat, dum pro communibus Ecclesiæ negotiis, quæ omnium mater est, tantum fastidium non recusavit, assumere : imo quanto portando pacem, Christum, qui est pax vera in se longe lateque gestare dignoscitur. Ad quem vestra etiam sanctitas jungi, et cum sibi quoquomodo adventus illius innotuerit, accelerare non renuat, quatenus alterna visione ac colloquio fruiti quæ circa veram pacem sunt, liquidius agnoscatis, ita ut et vos legationis ejus tenorem, et ille, quæ per tot curricula temporum anhelastis, evidentius comprehendat. Tumque demum, si quæ sunt quæ per se corrigere possit, auctoritate nostra corrigat : reliqua vero, quæ forte difficiliora sunt, apostolatui nostro diffinienda reservet. Optamus fraternitatem et sanctitatem vestram in Christo bene valere.

LXXX.

AD ARCHIEPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 865.)

Ut Lotharium libere arguant, et adulteram quam habet projicere compellant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis in regno Lotharii regis Ecclesiam Dei gubernantibus.

Sæpe, fratres charissimi, apostolatus nostri pro cauaa (si tamen causa dicenda erit) regis Lotharii, sed utinam regis, sollicitudinem cognovistis. Quippe et frequentia super hoc negotio scripta nostra vidistis, et in fautoribus ipsius tantum flagitium nos jam vindicasse manifestissime nostis. Sed, proh dolor! nobis irremotis laboribus desudantibus, vos licet scripto nobiscum sentire tenereque profiteami, utrum tamen laboretis, necne jam apud virum fatum, et si labor vester aliquid penes illum proficiat, vel cujus culpa si non proficit impediatur, nihil nobis omnino significastis. Quamobrem datur intelligi hujusmodi taciturnitate ideo vos usos, quoniam quidpiam utilitatis, quod intimare valeatis, penitus non habetis. Quapropter obsecro vos per adventum Domini nostri Jesu Christi, ante cujus conspectum, vel pro legitimis certaminibus coronam, vel pro desldia, quod absit, pœnam percipietis, ut tandem aliquando recogitetis ministerium quod accepistis, projiciatis desidiam, pellatis a vobis servilem timorem, resumatis episcopalem libertatem, corripiatis speculatorum et pastorum officium, et precando, obsecrando, suadendo, modo caduca hujus mundi prospera exponendo, modo in æternum mansura gaudia prædicando, jam nominatum regem, frequentius adeatis, et tam ex auctoritate Dei, quam etiam ex nostri apostolatus injuncta vobis præceptione, quousque, si non obedierit hanc quam nunc habet is adulteram mulierem projiciens, finitivam permansoriamque demus super eam sententiam, et exhortari eum, et admonere, omni torpore ac metu repulso, curetis, et segnitia vel tædio deposito, quibus hactenus eratis depressi, hunc constanter arguere, et decenter corripere studeatis, prænuntiantes pariter et quæ illi ventura sunt, imo jam imminent, videlicet quia post nostram, ac sanctæ Ecclesiæ in ipsum prolatam manifestam sententiam, nulla cum eo eritis communione potituri. Nam ut e diverso colligitur, nostræ communionis cum mœcha sibi sociata, et fautoribus suis, ipse jam dudum factus est exors : quod in epistola et commonitorio Rhadoaldo tunc episcopo, et Joanni dederamus episcopo, legatione fungentibus in eumdem ipsum Lotharium, liquido poterit inveniri. Ergo, fratres, estote ut fortissimi milites, ut pervigiles pastores, et venientem lupum a longe inspicite, ac perituro imminentem gladium enuntiate. Eruite hunc virum, qui ducitur ad mortem, qui trahitur ad interitum liberare ne cessetis. Clamate, quasi tuba exaltate voces vestras, et annuntiate illi scelera sua, quibus peccat, et peccare facit Israel. Quod si ille non audierit, ipse in inquitate sua morietur, sanguis ejus super caput ejus erit, vos autem animas vestras liberabitis. Tantum ut memores semper illius sententiæ sitis, quam vobis ex Apostolo memoriæ commendandam nunc apostolatus noster diffloratam annotat : *Si quis*, inquit, *non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum eo* (*II Thess.* III). Porro hæc et cætera, quæ huic paginæ inseruimus, Arsenio sanctissimo episcopo, apocrisiario. et misso apostolicæ sedis, consiliario nostro, vobiscum secundum voluntatem Dei exsequenda commisimus : cui et benignitatem vestram monstrare, et dignam reverentiam pro amore beati Petri apostoli, a cujus sede profectus est, exhibere satagite. Optamus fraternitatem seu sanctitatem vestram in Christo bene valere.

LXXXI.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 865.)

Cur synodus non fuerit celebrata. De Arsenio legato in Gallias et Germaniam misso. Guntharium et Theutgaudum non fuisse pristino gradui restitutos. Presbyterum Gerardi comitis alteriusve cujuslibet laici non recte appellari.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri Adoni archiepiscopo Viennensi.

Miraris, frater, cur synodum dispositam non celebraverimus, cum in ea inter cætera quæ nunc incongruunt [*f.*, ingruunt], et longum est narrare de negotiis quæ apud vos geruntur Deo auctore præcipue ventilare, ac una vobiscum, tecum scilicet et cæteris fratribus nostris decernere proposuerimus, et vos per quos res illarum regionum, quæ vobis magis pro vicinitate quam nobis notæ consistunt, liquidius et sufficientius agnoscere sperabamus, et rursus quidquid Deo revelante statuendum erat, illis arbitrabamur partibus innotescendum, defueritis; præsertim cum vobis et omnibus pene ultra Alpes existentibus Ecclesiarum Dei præsulibus ad synodum Romæ celebrandam, et ad hanc se convocandos fuerimus frequentius provocati, et pro his quæ illicite perperam aguntur potissimum existamus salubriter agitati. Alias autem misimus Arsenium venerabilem episcopum apocrisiarium et missum apostolicæ sedis et consiliarium nostrum, Galliarum et Germaniæ partibus de negotiis instantis temporis quædam vobiscum rimaturum ac inventurum. Et ideo non putavimus vos debere deesse illis regionibus, quandiu ipsum illic me demorari constaret. Unde bene faciet beatitudo tua si illi adhæserit, et in his quæ ex nostra delegatione agenda sunt, ejus laboribus fraterne communicaverit. Asserit autem sanctitas tua quod fama ubique spargatur Theutgaudum et Guntharium dudum episcopos per nos pristino gradui restitutos; quod qualiter agi poterat dum scelus, tam quod rex Lotharius in repulsione Theutbergæ reginæ et admissione scorti commisit, quam quod Ingeltrudis apostatrix et adultera perpetravit, adhuc vigeat, cujus fautores fuere nescimus si ipse aliquatenus animadvertis: præcipue in Gunthario, qui contra sacros canones decreta nostra postponens, ministerium sibi vetitum juxta præcedentem consuetudinem contingere ausus est. Quamvis ergo hinc nihil usque adhuc in corde nostro teneatur, tamen si de restituendo quoquam eorum aliquid egissemus, consequenter sicut de casu, ita quoque omnibus vobis de restitutione scribere curaremus. Illud autem, frater charissime, ridiculose sonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc presbyterum Gerardi illustris comitis esse perhibueris. Vere quod [*pro* quid. Hard.] hoc scribens prudentia tua dicere voluerit, vel quid super hujuscemodi verbo intellexeris, nos fateor ignoramus. Nunquid Gerardus comes illum presbyterum consecravit? nunquid de ipsius est diœcesi? Ubi hoc legisti? ubi hoc didicisti? Nisi quia presbyteri non specialiter ecclesiæ civitatis, aut ecclesiæ possessionis, aut martyrii, aut monasterii secundum sacras regulas ordinantur, sed in domibus laicorum constituuntur, et cum sæcularibus adeo conversantur, ut non jam Dei et ecclesiæ cujuslibet, sed illius comitis atque illius ducis esse dicantur? ita ut impletum sit quod per prophetam dicitur: *Et erit sicut populus, sic sacerdos* (*Ose.* IV). Quod fortasse unum est eorum quæ, cum in nomine Domini convenerimus unanimiter in idipsum, oportebit decentius emendari, et tanquam venenatum elleborum amputari. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere.

LXXXII.

AD ARDUICUM ARCHIEPISCOPUM VESONTIONENSEM.

(Anno 865.)

Respondet ad consulta ejusdem.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Arduico Bisontionensi Archiepiscopo.

Inter cætera virtutum tuarum insignia, quæ plurimis sunt gratiarum actionibus cumulanda, summam obedientiam tenere te conspicimus cum humilitatis fastigio. Et cum tantam in te circa nos animi admirati cernamus alacritatem, mentem tuam apostolorum spiritu tactam non dubitamus. Cui dum a primate suo, cujus nos licet meritis impares vices gerimus, tantum verbo diceretur, *Vado piscari*, illico responderunt aientes, *Venimus et nos tecum* (*Joan.* XXI, 3): ita quoque nunc unanimitatis tuæ fraternitas cum nos pro lucrandis et abstrahendis e falsis et amaris hujus mundi gurgitibus fidelium animabus studii gressum ponere solo sermone velle sentiret, protinus quia nos sequi, quia per nostra cupiat vestigia gratanter incedere, nullam dilationem passa suggessit, et usque ad mortem se nobiscum contra hostes dimicaturam, crebra legatione missa spopondit. Sed oramus omnipotentem Deum ut cui factus es in hujusmodi promissione consimilis, protegente ipso efficiaris in negatione dissimilis. Quanquam, etsi tale quid accidisset, idem ipse fuerat in recuperatione forma penitus imitabilis, beatus scilicet Petrus apostolorum princeps, qui Malchi corporali abscissa gladio aure inobedientiam, et in Anania et Saphira spiritali verbi mucrone mendacium et avaritiam perculit. Cujus dum sedem veneraris et præcepta sectaris, credimus quod patrocinia quoque adipiscaris, et apud Deum intercessionum suarum tegmina consequare. Jam vero ad consulta fraternitatis tuæ, de quibus per litterarum tuarum portitorem tibi voluisti responderi, prout Dominus dederit, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac.* I, 17), mentis oculum dirigentes, charitati

tuæ non subtrahemus, sed potius ea quæ [illegible] gratis acceptum donabimus.

CAPUT PRIMUM.

Has igitur quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint, concilium Neocæsariense usque ad mortem abjici, et in exitu suo pœnitentiæ remedium, dissolutis duntaxat hujus conjunctionis vinculis, consequi jubet. Hos autem vel has qui vel quæ post pœnitentiam nova conjugia et inhibitos appetivere concubitus, beatus papa Siricius a Dominicæ mensæ convivio separat, et solo viatico cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam voluit talibus subveniri. Quo ergo pacto aliquo possunt uti conjugio, quibus nec inhibitos denuo repetere concubitus, nec rursus nova conjugia licet contrahere, cum etiam dissolutis hujusmodi conjunctionis vinculis, nonnisi in exitu pœnitentiæ remedium tales consequi possint? Non enim, ut sancto innuente præsule Siricio supra meminimus, aut nova conjugia, aut inhibitos denuo appetere concubitus hos qui pœnitentiam reservare student, oportet. Præter hæc autem quomodo posset duabus sororibus vir quilibet, aut duobus fratribus quævis mulier copulari, et rursus viventibus illis ad alias nuptias convolare, cum licet non jure, in duabus tamen personis, connubium contractum jam fuerit, et secundum Evangelium vivente uno ex matrimonio, alter si conjugem duxerit, mœchatur? Quod si mortuæ jam sunt illæ duæ sorores vel fratres, quibus vir vel mulier juncta fuit, et ideo existimatur tertias quemlibet vel quamlibet nuptias contrahere, sciendum est quia nos non hoc a Salvatore nostro, non ab apostolis, non ab apostolicis viris accepimus, sed nec accipiendum mandabimus.

CAPUT II.

Hos vero qui de propria consanguinitate ac de propria cognatione uxores accipiunt, vel nubunt, quis non reprehendat et arguat? cum etiam sancti prædecessores nostri apostolicæ sedis antistites, Gregorius scilicet et Zacharias, hos anathematis mucrone percutiant, et dissolvi hujusmodi copulam, utpote bestiarum more contractam, omnino voluerint. Jam vero postquam dissoluta copula fuerit, ab invicem separati, si possint, quod sciscitaris, ad melius commeare conjugium, nulla ratio patet. Quoniam cum hi pœnitentiæ submittendi sint, nec hos inhibitos sibi concubitus, nec alia nova appetere debent conjugia. Denique si Thamar a fratre, et concubinæ David a filio ejus violenter oppressæ, propter incestum coitum nullas nuptias contraxisse refertur, et Adonias a Salomone morte punitur eo quod puellam quæ cum patre pudice tantum dormierat, uxorem sibi dari poposcerit: quanto magis hi qui sponte junguntur et irrationabiliter miscentur postquam separati fuerint, dignæ pœnitentiæ submissi, debent nullas nuptias, sed castitatem potius appetere de cætero mentis et corporis? Sane si quilibet de hac infausta commistione post dissolutionem copulæ obierit, alter qui superstes fuerit, et in adolescentiæ annis adhuc detinetur, si ingruente aliquo forte discrimine egit pœnitudinem, et se non posse continere conqueritur, conjugii valet remedio subveniri. Cujus indulgentiæ formam volumus etiam circa feminas observari. In quo tamen non regulam constituimus, sed cum eximia columna Ecclesiæ beato Leone papa quid sit tolerabilius æstimamus.

CAPUT III.

(*Conc. Ancyr.*, c. 17.) Eos autem qui cum pecudibus miscentur, sancta synodus non nuptialia fœdera contrahere, sed inter eos orare præcipit qui ab spiritu vexantur immundo. Verumtamen si qui sunt juvenculi, qui tanto piaculo constricti, imminente mortis exitio vel captivitatis exsulatu, pœnitentiam gesserunt, ac paventes post hæc incontinentiæ casum, ad conjugalis consortii remedia confugerint, ne in crimen fornicationis fortassis inciderent, consilium dignoscuntur veniale sumpsisse, ita duntaxat, si non modo irrationabilis animantis (proh nefas!) de cætero contubernium, verumtamen omnis omnino mulieris, excepto conjugis propriæ, consortium declinarint. Justum videlicet Lot imitati, qui ut vasta Sodomorum evadere potuisset incendia, Segor parvam civitatulam, ut vel in ea salvaretur, elegit. Sane non in hoc regulam, sicut superius diximus, promulgamus; sed ne deterius peccetur, quod levius arbitramur, indulgendum utcunque prævidimus. Denique juxta plenam satisfactionem nil eis convenientius est, qui tam pernicioso et omni pœna plectendo scelere pœnitudinem gerunt, quam perseverans castitas non solum corporis sed et mentis.

CAPUT IV.

De episcopo semel electo.

Post mortem vero episcopi qui semel in loco ejus electus fuerit, si in nullo a sacris canonibus deviat, et electio ejus non a sæcularibus quibusque, sed a clero Ecclesiæ cum consensu primorum civitatis ipsius fuerit composita, et sanctorum Patrum in eo consentiant promulgationes, et tam fidei dogmatibus quam bonis concordat moribus, nulla debet ulterius ratione removeri. Alioquin ut prævaricatores et tergiversatores qui hoc tentaverint, a sacris regulis arguentur. Et præcipue qui contra suam professionem vel subscriptionem ierint, canonicis legibus arctabuntur.

CAPUT V.

De chorepiscopis, de quibus consulis utrum presbyteros et diaconos valeant consecrare, sacri te canones satis poterunt edocere. Quomodo autem chorepiscopos posse dicimus ecclesias consecrare, quas nulli episcoporum licet sine nostro præcepto secundum sanctas regulas dedicare? Non ergo chorepiscopis dabimus. Unde vos episcopos, tanquam terminos a patribus positos transferentes merito reprehendimus. Præterea quis infantes debeat consignare sanctus Innocentius ostendit, dicens: « De consi-

gnandis vero infantibus manifestum est non ab alio quam ab episcopo fieri licere. » Et rursus : « Hoc autem, inquit, solis pontificibus deberi ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum illa lectio Actuum apostolorum quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum sanctum. »

CAPUT VI.

(S. Greg., lib. XII, indict. 1, ep. 25.) Porro de presbytero, quod non possit restaurationem post lapsum recipere, ut multa prætereamus, beatus papa declarat, Gregorius ad Sabinianum inter cætera scribens Jadertinum episcopum : « Presbyterum vero, inquiens de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consulit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere, aut revocari posse cognoscas. »

Hæc quidem, frater charissime, in multis occupati vix ad tua consulta rescripsimus. Cætera vero quæ communi consulant utilitati, cum Arsenio venerabili episcopo, apocrisiario et misso apostolicæ sedis, quem illas in partes direximus, cum Deo duce pervenerit, satis valetis abundeque tractare, cui et nostra credere, et tua nobis exponenda, cum redierit, poteris sine ulla contrectatione committere. Optamus fraternitatem tuam in Christo nunc et semper bene valere.

CAPUT VII.

Si quis ex propria cognatione sanguinem occisionis fuderit, sacri canones usque ad mortem abjici, et inter rebelles deputari sanxerunt.

LXXXIII.

AD LUDOVICUM GERMANIÆ ET CAROLUM CALVUM REGES.

(Anno 865.)

Reprehendit quod episcopos in Urbem ad synodum non miserint. Ut Lotharium de divortio commonere pergant. De episcopis in Coloniensi et Cameracensi ecclesia consecrandis, et de Rothado Suessionensi.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis filiis LUDOVICO et CAROLO glorisissimis regibus.

Credimus ex Dei dono, filii charissimi, processisse quod unanimes effecti vos de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta junxistis. Unde fit, ut uno animo, et uno ore per vos glorificetur Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, et ad sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, regnique vestri decus conjunctio vestra proficiat ad salutem. De epistolis autem nostris, quas suscipientes archiepiscopis et episcopis, regnorum vestrorum, imo et Lotharii regni pariter archiepiscopis et episcopis, secundum tenorem illarum dedistis, grates excellentiæ vestræ retulimus. Sed quia eos ad synodum nostram, et pro angustia temporis, et pro injuria transitus, occurrere non valere dixistis, merito dure tulimus, cum tanta temporis angustia non immineret, at saltem de vobiscum conversantibus binos mittere nequivissetis, præcipue tu, fili mi Carole

A rex, qui regnum tuum per maximum spatium longius quam fratris tui Ludovici dilecti filii nostri gloriosi regis ab hac sancta sede in occidentalibus partibus secus mare Oceanum disparari fateris. Non enim credibile potest existere, ut adeo longius disparetur regnum tuum, ut, sicut supra meminibus (*edit. Rom. inserit :* saltem de vobiscum conversantibus, vel, etc.), vel binos unius, aut duarum metropoleon legatos omnium vices agentes dirigere non valuisses. Reprehensibile denique valde esse constat, quod subintulisti, dicendo majorem partem episcoporum omnium die noctuque, cum aliis fidelibus tuis, contra piratas maritimos invigilare, ob idque episcopi impediantur venire : cum militum Christi sit Christo servire, militum vero sæculi, sæculo; sicut scriptum est : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II). Quod si sæculi milites sæculari militiæ student, quid ad episcopos et B milites Christi, nisi ut vacent orationi? Sperabamus te, fili charissime, in talia non prorumpere, qui, Deo gratias, clarus in cunctis haberis. Aditus autem veniendi ad tantum negotium antistitibus illis denegari non debuit. Et si forte denegare vellent, quoquomodo, si monitis nostris parere delegissent, aditus illis et transitus pateficret. Si venissent collectis operariis, hoc utique ne fleret melius corrigeremus. Quia illis inde, et nobis hinc Deus in conventu nostro medius tribuerat, ut et nostris et vestris deinceps aditus denegari non posset. Nam nec de nostris melius dicere possumus, nec pejus de vestris, quia quid nobis impediat longum est enarrare. Quod si C intercapedine temporis ad Clusas pro Deo aliquid tolerassent, lucrum pro tentationibus et laboribus a Domino magnum reciperent. Sed quia occasione transitus suffugiunt nos licet coacti adhuc hæc gravamina sustinebimus : vos tamen videbitis. Sed intelligi datur eos monitis nostris non velle parere, propter illud quod in litteris vestris subditur. Dicunt enim post aliquanta, ut episcopos de regnis vestris ad synodum Romam mittendi necessitas non postulet. Unde si vos fortasse aliter dicitis, nos illud dicimus, quod divinitus revelatur, quia cum novitatum mala multiplicari videamus, si ex diversis provinciis fratres in invicem convenissent juxta priscum morem, et nos consensu illorum, revelante Domino, quæ decernenda sunt decernemus, et ipsi necessitates suas referentes, et nos nostras exponentes, quæ D decreta fuissent melius in omnium notitiam facerent pervenire, qui semper synodalem conventum a nobis aggregari petierant : sicque fieret, ut secundum qualitatem morbi medicina conficeretur, et ad sananda vulnera longe lateque effunderetur. Salomon quidem verbis nostris consentit, cum dicat : *Salus ubi multa consilia* (*Prov.* XI). An nescitis nonnullos ex nonnullis provinciis præsules ita fecisse? Quod facilius scire potestis, si vultis; licet vos, si vultis, minime lateat. Denique tam prudentes, tamque præcipuos, et præclaros, ac quos Deus in charitate vera conjunxit, viros reprehendere nolumus : quin potius ut di-

lectissimos filios paterno amore excolimus, et ut in A unitate fidei permaneatis, cunctipotentis clementiam exoramus. Quod si cui ex confratribus nostris episcopis talia nobis misissent, habueramus qualiter illos reprehendere et redarguere deberemus, excepto si regalem magnitudinem vestram sibi impedire dixissent, in vobis hoc pendere et corrigi debere videretur. Ecce episcopis regnorum vestrorum impedimentum præparatur ne veniant : Lotharii autem episcopi, qui frater istius est quid obsistit, nisi quia de vestris sumant occasionem, et sicut vestri, ita et illius negligentes appareant? Nam inter cætera plurimum nunc in causa ejusdem Lotharii, de quo subinferemus, profuerat si venissent : quia auditis decretis et institutis lucidius cuncta referrent, ita ut nubilum aliquid minime remaneret. Fortasse etenim B hæc illorum dilatio, et absentia magis obfuit in ejus emendatione, quam obstinatio, quia si absentia et dilatio non esset, obstinatio utique jam saltem coacta cessaret. Sed his omissis, ad vestra consulta stylum nostrum reflectamus. Dicitis enim vos præfatum commonuisse Lotharium. Sicut in commonitorio nobis a vobis directo legere prævaluissemus; et eumdem sæpe vobis mandasse asseveratis, quod Romam pergere velit, et per nostram dispositionem de causa sui conjugii facere. Sed heu! dictis [*al.*, his dictis, Hard.] opus non accommodastis, quia sæpius de directione commonitorii mentione facta idem commonitorium abfuit, et nobis frustratis nequaquam comparuit. Quod si habuissemus, certamen vestrum super his cognosceremus : sed cum illud defuerit, nescimus si labor vester fructuosus fuit. C Ipse quidem Lotharius nobis, ut vobis, vicibus per imperiales legatos mandavit, quod Romam vellet venire. Cui interdiximus, et omnino interdicimus, ut iter talis qualis nunc est non arripiat, eo quod sancta Romana Ecclesia talem respuat et contemnat, et in hoc perseveret, quod late in toto diffusum est orbe. Nam verso diu lumine per apices vestros, anhelando præstolabamur locum attingere, qui nos vel verbo aliquo modo [*al. abest vox*, modo, Hard.] opis annueret, quo possemus aliquam lætitiam præsumere. Sed perscrutatis omnibus, ac ad calcem usque relectis, post lectionem ipsa quæ inerat lætitia abscessit, et nos dolor continuus illico possedit, quia in cunctis sumus frustrati, et quod non optabamus, derelicti. Veruntamen quoniam circa missam *hoc* D *est* circa festum, Hard.] sancti Joannis, de quo diximus, Lotharium, dispositum habetis denuo commonere, non moleste tulimus. Forsitan omnipotens Deus cor ejus ad sibi placita inclinare dignabitur, et de prævaricatore tandem faciet convertendo dilectum. Si autem subdole Theutbergam, ut eam perdat, velle repetere dicitur, si ipsa tales elegerit, per quos sibi securitas certissima fiat, ecce bene. Sin autem, idem Lotharius præbeat sacramentum, quo polliceatur eam digno matrimonio recipere, et ut uxorem legitimam decenter venerari et colere, ac deinceps incolumen conservare. De pœnitentia autem ejus nostro judicio reservantes statuimus, ut si prædictæ Theutbergæ captiose aliqua alia crimina, postquam eam a se repulit, objicere voluerit, hoc expurgetur sacramento, si ita necessitas compulerit. Quod si innupta manere decreverit et viro suo reconciliari noluerit, sancimus ut cogatur in amplexus uxorios redire; quia utriusque se separandi non fuit voluntas. Nam si utrique in divortio consenserint, et Lotharius jam omnino copulam concubitus non repetierit, hoc fieri non prohibemus : quia Dominus de dimittenda uxore causam tantum fornicationis excepit. Igitur si Lotharius, quem hactenus converti præstolati sumus, et vindictam in eum, ne sanguis effunderetur, et ne bella excitarentur, propalare distulimus, cornu extulerit, et nostris vestrisque monitis obedire neglexerit; de cætero talis habendus est, qualem illum per epistolam nostram Rhadoaldo dudum episcopo, et Joanni episcopo missam nos habere jam cognovistis. Sed filii, dilectissimi, et singulariter a nobis diligendi, ecce Arsenium venerabilem episcopum ad hoc vobiscum pertractandum, et monitionibus corrigendum, cum apostolicis epistolis illuc destinavimus. Quarum exemplaria, ne authenticæ istarum, aut interceptæ, aut a quibus fortasse dehonestatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro libitu aliter habitæ fuissent. magnitudini vestræ per hunc gerulum transmisimus. Tunc si authenticas ita se habere repereritis, assensus vester eidem Arsenio præbeatur. Sin autem, excepto de Rothado et Albuino, illi vos credere non oportet. Et quidquid illis in partibus actum fuerit, sub gestorum insinuatione nobis, antequam illud per alios cognoscamus, optime munitum, ut melius laborare possimus, dirigere petimus, nequaquam omittite. Sunt et aliia quamplurima, quæ vobis nos mandare valde oportuerat : sed quia tam clarissimis et prudentissimis pauca sufficiunt, et hic gerulus nobis erat incognitus, atque hoc eum latebat, præter hæc scribere desiimus. Porro de Ecclesia Coloniensi, de qua nos consuluistis, decernimus ut ibi consecretur antistes. De Cameracensi vero, quod statutum habemus, volumus observari : videlicet ut si tibi electio canonica fuerit, consecrari debeat in ea episcopus. Ad extremum, quod silere non possumus, quin imo super dictis vestris obstupescimus, de Suessionica scilicet Ecclesia, de qua, fili mi Carole, quod loquimini, per os alterius loquimini, quam etiam per triginta circiter annos ab infructuosa ficulnea Rothado [*al.*, Rothaldo, *et sic ubique inferius*, Hard.] inutiliter occupatam, excepto solo nomine, pastorali dicitis vacasse sollicitudine : miramur cur tantus rex suasoriis verbis cedit, et non magis non qualiter de Rhotado obediat lætificare procurat. Desine ergo, fili, et deprecatoria verba pelle a corde, incipeque nostris monitis parere, ut excellentissima gloria vestra cum exsultatione fructificet, et cum gaudio manipulos colligat. Tamen qualiter de illo sublimitatem vestram oporteat facere, aliis litteris nostris liquidius cogno-

scere valebitis. Quibus cognitis, credimus, ut quod petimus obtineamus : et quod decrevimus, ratum coram oculis Dei, et coram vobis esse videatur. Apud nos namque idem Rothadus fructuosa ficulnea manet : tamen post renovatum judicium ejus, si fructuosa est, an infructuosa, patenter declarabitur, habitis omnibus secundum quod de illo statuimus. Hanc autem epistolam ideo more solito scribi non fecimus, quia et legatus vester sustinere non poterat, et ob festa paschalia scriniarios nostros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus non valuimus. Rogamus præterea et expresse vos adjuramus, ut quæ superius exarata sunt, non simplicitate sermonis, sed ex quanta mœstitia ut compunctione processerint, interiori oculo, non exteriori tantum, attendatis : et omnes necessitates nostras in his consideretis, dolore patris miserabiliter moti ut filii charissimi. Divina majestas ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ vos conservet incolumes.

LXXXIV.

AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Fragmentum.—(Anno 865.)

Non aliorum, sed primatis sui judicio quisque se subjiciat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Denique Suffredus, si tale in se crimen noverat, quo recte posset episcopatu privari, vel infirmitate se sentiebat forsitan prægravari, quæ impeditus nullis posset proximis sua prælatione prodesse, primatis sui debuerat, et non aliorum diœceseos antistitum, præstolari judicium. Quod si quælibet ambiguitas, vel aliqua fortasse super ejus examinatione, vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem apostolicam referri convenerat, et nostra in his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus exspectare. Quod quia omissum hactenus dolemus, dilectissimam mihi gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio, et si aliquid reprehensione dignum gessit, postea vel correctione, vel digna animadversione diffiniatur.

LXXXV.

AD SALOMONEM BRITANNORUM REGEM ET EJUS CONJUGEM.

(Anno 865.)

Recusat mittere pallium Festiniano Dolensi episcopo, donec authenticis scriptis de illius jure convincatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

SALOMONI Britannorum regi, ejusque conjugi GYEMBRET.

Proposuerat quidem apostolatus noster per singula gloriæ vestræ suggestionibus respondere ; sed utrum fuerint suggestiones, quas quidam presbyter et alii Britannicæ gentis homines in scripto nobis detulerunt, apertio ipsius scripti et impressio sigilli, quæ paginæ deerat, nos ambiguos reddit. Unde vestra prudentia curet necesse est jam post hæc sua scripta proprio signo nobis impressa atque... munita mittere, ut nihil addi, nihil minui, nihil immutari, præter quod a vobis in his inseri jussum fuerit, subdole queat. Unde quia quæ postulasse credimini, pia sunt, dilectioni vestræ super his brevi stylo, quod divinitus fuerit inspiratum, reserare curabimus. Igitur deprecamini nos ut pallium fratri et coepiscopo nostro Festiniano, qui ecclesiæ S. Sanxonis præesse dignoscitur, dirigamus, quod interim ideo non facimus, quia, sicut olim nos scripsisse meminimus, ut pro tantæ dignitatis gratia nulla solemnis videtur fuisse emissa petitio, nec observata postulatio ordine legitimo consequenti. Ergo et multa prætereamus, acto jam tempore studeatis, qui tanti apud nos meriti esse peroptat, et tale opitulante Domino munus adipisci desiderat, scripta illa quæ ab apostolica sede prædecessores ejus in acceptione pallii perceperunt, transmittere, quatenus eisdem scriptis quæ a prædecessoribus meis data sunt, diligenter inspectis, per eorum quoque et nos vestigia innoffensis gressibus incedamus. Mittat etiam et alia scripta pariter, et idoneum ex proprio clero legatum : scripta siquidem fidei catholicæ documenta, et observandarum B. Petri apostolorum principis cathedræ decretalium sanctionum promissa circumferentia ; legatum vero, qui jurejurando, positis super sacrum Evangelium codicem manibus, affirmet, antistitem suum ita credere atque ita deinceps observaturum esse sicut illa scripta nobis ab eo missa testari vel continere noscuntur. Quoniam ita est apostolicæ sedis auctoritas et sanctæ Romanæ, cui Deo disponente præsumus, Ecclesiæ irrefragabilis observatio. Is autem, qui fuerit, ita properet omni ex parte munitus, ut si necesse est, saltem triginta hic valeat demorari diebus, quatenus quod utilitas et mos ecclesiasticus dictat, affectus recedendi non adimat. Ad ultimum sane monemus ut quotiescunque nobis epistolam vestram mittitis, talem hominem hanc deferentem dirigatis, qui nulla inquietudine stimuletur, sed tandiu apud nos moretur, quousque de quibus consulitis provida consideratione ac sufficienti spatio rescribere valeamus. Datum VII Kalendas Junii, indict. XIII.

LXXXVI.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 865.)

Reprehendit imperatorem, qui superbia et arrogantia inflatus multa insolentia scripserat. Deinde ostendit depositionem Ignatii nullius esse momenti, quoniam a suspectis, excomunicatis et inferioribus episcopis fuerat damnatus. Præterea commemorat multa de privilegiis Romanæ Ecclesiæ, jubet ad se venire Ignatium et Photium, aut eorum legatos, si ipsi non possunt. Monet imperatorem, ut suis præceptis obtemperet : eum objurgat quod Ignatium in concilio deponi curaverit, primusque illius depositioni subscripserit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, piissimo et dilectissimo filio imperatori (*edit. Rom*, superatori) gentium, atque tranquillissimo imperatori MICHAELI a Deo protecto semper Augusto.

Proposueramus quidem, antequam Michael gloriosus protospatharius legatus vester Romam veniens epistolam nobis claritatis vestræ detulisset, talia vobis scripta per missos nostros, quæ jam et parata erant, transmittere, qualia gravissimus (gratissimus) filius a diligente patre ac Dei cultore, imperatores a sedis apostolicæ præsulibus soliti erant suscipere. At vero præfato viro perveniente, epistolamque nobis vestræ gloriæ, quæ tota blasphemiis, tota erat injuriis plena, porrigente, mutata est in luctum cithara nostra (*Thren.* v), et organum nostrum in vocem flentium (*Isa.* v). Quoniam exspectavimus tanquam de bona vite uvas, suscepimus autem labruscas : ideoque mutavimus stylum, et ostenso vulneri congrua prævidimus adhibere medicamenta. Igitur ad potentiam vestram inspirante Domino scripturi, nostræque menti affectus industriæ vestræ reseraturi, necnon et pro sancta Ecclesia catholica et apostolica (cujus nos præcipue cura, et quotidiana secundum Apostolum sollicitudo constringit) apud vos interventuri, et epistolæ vestræ assertionibus (prout Dominus posse et nosse dederit) responsuri, nihil opportunius, nihil aptius, nihil profecto sulubrius arbitramur (licet vos a conviciis inchoassetis) quam præ omnibus flagitare suppliciter eum, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt, et in cujus manu corda sunt regum, et ex quo regnat omnis qui pie regnat; et imperat omnis, qui eidem Regi regum et Domino dominantium non repugnat, Dominum videlicet nostrum Jesum Christum, cui omnis rationabilis creatura ministrat : nimirum cui et insensibiles venti, et mare imperanti obediunt, quatenus et labia nostra ad annuntiandum laudem suam aperiens, dilatatum quoque os nostrum pastu doctrinæ salutaris adimpleat, et quæ per nostri apostolatus officium auribus vestris exterius dicimus, per se quoque nutu suæ aspirationis interius mentibus vestris aspiret. Quia incassum terra cordis vomere nostræ linguæ proscinditur, nisi cœlestis roris aspersione intrinsecus infundatur. Deus est enim, qui incrementum dat (*I Cor.* III), et qui docet hominem scientiam (*Psal.* XCIII).

Putas, imperator, non bene facimus? quod vos ab injuriis scribentes inchoaveritis, nos ab orationibus : vos a conviciis in nos, imo contra primam et magistram Ecclesiarum omnium loquentes exordium feceritis; nos in laudibus, et in nomine Domini ad potentiam vestram sermonem habituri os aperuerimus? Videmus enim gigantem allophylum contra puerum sanctum, et citharædum nostrum David furore plenum, et blasphemias eructantem primo impetu populo Dei terrorem non modicum intulisse (*I Reg.* XVII). Sed exspecta paululum, et ecce videbis illum in nomine Domini percussum, et jam a dicto hymnidico et laudes et psalmos, ac orationes Domini majestati humiliter effundente, gladio suo prostratum. Et quidem nos injurias nobis specialiter irrogatas, et maxime pro justitia laborantibus, et a justitiæ impugnatoribus ingestas, libenter ferimus. Discipuli enim sumus illius, de quo apostolorum princeps ait : *Qui cum malediceretur, non maledicebat : et cum pateretur, non comminabatur* (*I Petr.* II). De talibus enim Veritas loquitur : *Si patremfamilias Beelzebuth vocaverunt : quanto magis domesticos ejus?* (*Matth.* X.) Et rursus eos, qui propter nomen illius persecutionem, et maledicta toleraturi erant, beatos esse pronuntiat, dicens : *Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me* (*Matth.* V). Ubi ergo, teste conscientia, Deus in causa est, ibi omnino beatitudo speranda : et ubi mendacium sævit, ibi convicia nulla timenda. Sicut ergo nos propter Deum etiam a non vera dicentibus injurias nobis illatas æquanimiter ferimus; ita quoque oportet pietatem vestram sacerdotibus, qualescunque sint, propter eum cui deserviunt, reverentiam potius, quam injurias exhibere. Sed de his jam cum sancto papa vobis loquamur Gregorio (*Epist. lib.* IV, *ep.* 31) : Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur. Nam et per Moysen de eo, qui ad juramentum deducendus est, dicitur : *Applica illum ad deos* (*Exod.* XXII), videlicet ad sacerdotes. Et rursum scriptum est : *Diis non detrahes* (*ibid.*), scilicet sacerdotibus. Et propheta ait : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II.)

Quid ergo mirum, si illos imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia (*Rufin. Hist. eccl.*, *lib.* I, *cap.* 2), quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accepit, et eosdem qui accusati fuerant, episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit dicens : Vos dii estis, a vero Deo constituti ; ite, et inter vos causas vestras deponite, quia dignum non est, ut nos judicemus deos. In qua sententia sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerant, qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapideos colebant, et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus imperator veri Dei sacerdotes honoret, dum pagani, ut prædiximus, principes honorem impendere sacerdotibus noverunt, qui dies ligneis et lapideis serviebant? Hæc ergo non tantum specialiter, quantum generaliter pro omnibus asserimus sacerdotibus : quoniam adhuc nescimus, quis in terribili Dei judicio qualis futurus sit. Etenim Paulus egregius prædicator dicit : *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* II). Hoc tamen breviter dicimus, quia, licet peccatores et indigni, plus tamen de venturi Domini misericordia, quam de vestra pietate præsumimus.

Nam sunt multa, quæ de judicio illius homines ignorant : quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet, et quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Non ergo quales sint sacerdotes Domini,sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum, qui sint, sed quid pro correctione ecclesiarum,quid pro salute vestra satagant.Neque enim illos inferiores dicetis Scribis et Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi : de quibus Dominus præcepit dicens : *Quæcunque dixerint vobis facite et observate : secundum opera vero eorum nolite facere* (*Matth.* XXIII). Ergo, imperator, considera, si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius his, qui super cathedram Petri resident, esse existimetis obaudiendum? Et si illorum non opera, sed dicta facere et observare jubet, quanto potius horum, quicunque sint ipsi, dicta et monita custodienda sunt, et amplectenda? Quid autem nos mali volumus [*forte,* volumus? Quid frustra, etc. HARD.], quia frustra indignamini? et contra Evangelium, quod dicit : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V), nos levitatis nomine lacessendos opinamini : vobis nihil,nisi quod est salubre : nihil nisi quod sit Deo acceptum, offerre studentes? Scimus tamen nos a phreneticis [*ut in comment. Gelas. ad Faust. :* Sic phrenetici solent, etc., HARD.], quos portamus, et sputa perpeti, et colaphis cædi,et eis quod ad salutem pertinet nihilominus exhibere. Nam et in eorum loco per abandantiam gratiæ Dei sedemus,qui propter veritatem laborantes, a Constantinopolitanis sæpe talia pertulerunt, qualia nunc nos ferre dignoscimur,quæ sufficienter (ubi opportunitas exegerit) ostendemus in subditis : neque enim fas esse judicamus,ut ad imitationem inferiorum [*edit.Rom. addit.*,ac infirmorum] tales nos sinamus credi,quales a vobis cernimus prædicari.Exemplum sequentes Salvatoris,qui cum a Judæis, *Dæmonium habes*, audiret, hoc humiliter dicens : *Ego dæmsnium non habeo* (*Joan.* VIII), refutavit. Ita quoque nos, cum de nobis, quæ vera non sunt, audimus, veraci ac rationabili responsione a nobis illa removere satagimus.

Verumtamen quæ ad Ecclesiæ Romanæ injuriam, quæ ad ipsius privilegiorum imminutionem,quæ ad sedis apostolicæ præsulum derogationem scripsistis, quanta possumus constantia retundemus, et nullis terroribus,nec ullis detractionibus vestris repressi, quanta possumus virtute destruere,utpote veritatis inimica, studebimus. Dixistis enim, quod nullus antecessorum nostrorum a sexta synodo meruerit a vobis,quod nos meruisse dignoscimur : quid tamen meruerimus evidenter nullatenus indicastis,nisi forte litteras prædicatorias hoc dicto velitis intelligi nos a vobis nunc tantum meruisse suscipere,a sexta synodo propter aliquod dogma,vel disciplinam quamlibet ecclesiasticam. Et hoc dicitis quasi nostrum fuerit opprobrium, eo quod sedem apostolicam in nullo quærere antecessores vestri dignati fuerint, cum magis eorum fuerit dedecus : quia per tot annorum curricula diversarum bæreseon morbis languentes medicinale remedium non quæsierint: quin potius medicinam sponte a nobis sibi porrectam quasi desperati,vel quasi cor impœnitens gerentes, ab ipsis faucibus projecerint; dum tantæ salutis oblatæ ministros duplici modo interemerint : quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritaliter occiderunt, sicut tempore reverendæ memoriæ Conenis papæ contigit, qui post sextam synodum exstitit : aut certe corporaliter illos non consentientes sibi necaverunt, sicuti sub venerabili papa Gregorio factum est,qui post sextam synodum fuit, quando pro zelo fidei,et sanctarum imaginum reverentia religiosi viri, ac Dei famuli directi in exsilium missi sunt, et bona confessione hujus mundi finierunt vitam.

Denique a sexta synodo imperatores,aut hæretici,aut, licet perpauci catholici : fuerunt et hæretici quidem, si mittere ad nos dedignati sunt, non est mirum : noverant enim per gratiam Dei se nos nunquam penitus sibi sociaturos. Fuit autem quando nos sibi sæpe sociari tentantes cum magno sunt dedecore et opprobrio repulsi, et digna constantia a nobis,et non a Constantinopolitana Ecclesia crebro retusi.Quando vero catholici fuerunt, et pium dogma,vel ecclesiasticam correctionem defendere voluerunt,nostrum præsidium quæsierunt,sicut synodus sub Constantino et Irene facta indicat (VII *synod.*, *act.* 2) : in cujus initio,id est in epistola beatæ memoriæ præsulis Adriani,quantum idem pontifex illam præsumptionem,qua ex laicis quidam subite tonsurantur,et in episcoporum numerum exacervate prosiliunt, damnaverit, si diligenter inquisieritis, profecto invenietis,si tamen non falsata Græcorum more, sed sicut a sede missa est apostolica penes Ecclesiam Constantinopolitanam hactenus perseverat, et epistolæ diversæ sanctissimis pontificibus Leoni scilicet et Benedicto decessoribus nostris missæ testantur.Ergo cum ita sint hæc,quæ de multis partim commemoravimus, non jam verum est illud, quod dicitur, a sexta synodo non [*forte*, nos. HARD.] meruisse suscipere quod nunc a vobis ipsi meruimus.

Præterea scripsistis jussisse vos quosdam, qui sub nobis existunt mitti ad vos, quod longe est a piorum imperatorum affectu, quorum sicut locum tenetis,utinam ita et pietatem sectemini,quod longe,inquam,est a principibus sedis apostolicæ reverentiam observantibus.Non quippe hoc dixit Honorius,qui reverendo præsuli Bonifacio scribit,dicens (*Honorius in epist. ad Bonifacium I*) : Petimus uti quotidianis orationibus apostolatus tuus, studium, ac votum suum circa salutem,atque imperium nostrum dignetur impendere.Non, inquam, hoc dixit Valentiniani et Marciani pia dualitas ad beatum papam Leonem scribens : Et tuam, inquiens, sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei

possidentem sacris litteris in principio justum credidimus alloquendam, invitantes atque rogantes ut pro firmitate et statu nostri imperii æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur. Non hoc dixit Justinianus, qui dicit sancto papæ Joanni, etiam promulgatis legibus id interserens (leg. *Nos reddentes*, cod. *de sum. Trin.*). Petimus vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas, et eos qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat. Et rursus : Petimus, inquit, vestram beatitudinem orare pro nobis, et Dei nobis acquirere providentiam. Non hoc dicit Constantinus, qui Dono papæ scribens etiam jurando benignitatem, et honorem circa sedem exhibet apostolicam in his verbis : Per Deum, inquiens, omnipotentem, non est apud nos partis cujuslibet favor, sed æqualitatem utrisque partibus conservabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui a vobis diriguntur quoquomodo, sed et omni honore cum competenti munificentia, et susceptione dignos eos habebimus : et si quidem utrinque convenerint, ecce bene : sin autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus. Et post pauca : Invitare enim et rogare possumus ad omnem emendationem, et unitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. Non hoc alius Constantinus, et Irene Augusti dicunt, qui ad Adrianum papam scribentes, aiunt : Rogamus vestram paternam beatitudinem, magis quidem Dominus Deus rogat, qui vult omnes salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II), ut det seipsam, et nullam tarditatem faciat, et ascendat huc. Et paulo post : Si non potuerit, inquiunt, ascendere huc, eligat viros pretiosissimos, et dirigat una cum syllabis, etc. O imperator, saltem nunc uon agnoscitis quam a priorum imperatorum pietate in hac re differatis, et quam vos vestra ab eorum discrepet divinitus inspirata modestia ? Illi quippe : Petimus, invitamus, ac rogamus, ecce sparsim ad sedis apostolicæ præsules, sed pari pietate clamant. Vos autem quasi non mansuetudinis et reverentiæ, sed solius imperii eorum hæredes effecti, et in causa pietatis illos imitari nolentes præcepisse, jussisse, ac imperasse vos, ut quosdam subjectorum nostrorum ad vos mitteremus, asseritis : et hoc ipsum vos quidem egisse nescimus, cujus instigationibus fascinati, et oblivioni traditi dicitis : porro factum a vobis nulla recordatione recolimus ; nusquam enim nobis tale quid jussisse vos (ni fallamur) hactenus reminiscimur, nusquam vos ad tantam circa sedem beati Petri apostolorum principis irreverentiam devenisse cognovimus. Revolventes enim epistolam, quam tunc per venerabiles episcopos et Arsam virum gloriosum spatharium miseratis, nil jussisse vos nobis, sed potius obsecrasse, atque rogasse nos omnino reperimus. In quo datur intelligi, cum nunc aliter perhibeatis, aut vos oblitos eorum fuisse, quæ antea miseratis, aut certe pœnituisse pro his, quæ humiliter petiveratis. In tantam vero furoris abundantiam prorupistis, ut linguæ Latinæ injuriam irrogaretis, hanc in epistola vestra barbaram et Scythicam appellantes ad injuriam ejus qui fecit eam ; omnis enim operis derogatio ad opificis redundat injuriam. O furorem ! qui nec linguæ novit parcere, quam Deus fecit, et quæ inter cæteras in nomine Domini hortante Apostolo, *Confitetur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II). Et quæ cum Hebræa, atque Græca in titulo Domlni a reliquis discreta, insignem principatum tenens omnibus nationibus prædicat Jesum Nazarenum regem Judæorum quem titulum multi Judæorum corrumpere voluerunt (*Joan.* XIX), sicut vos nunc hujus celeberrimæ linguæ tentatis insigne destruere, sed minime potuerunt ; scriptum quippe divinitus in libro psalmorum fuerat (*Psal.* LVI, LVII *et* LVIII) : Ne corrumpas tituli inscriptionem, vel quia Christiani sunt, quorum linguam barbaram, vel Scythicam appellrtis, gloriam vestram, quare non pudeat, obstupescimus. Cum enim barbari omnes et Scythæ, ut insensata animalia vivant, Deum verum nesciant, ligna autem et lapides adorent, in eo ipso quo verum Deum colit lingua Latina, quantum barbaram, vel Scythicam linguam antecedat, agnoscitur. Jam vero si ideo linguam barbaram dicitis, quoniam illam non intelligitis, vos considerate quia ridiculum est vos appellari Romanorum imperatores, et tamen linguam non esse Romanam.

Ad extremum autem, si jam sæpe nominatam linguam ideo barbaram nuncupatis, quoniam a translatoribus in Græcam dictionem mutata, barbarismos generat, non linguæ Latinæ, sed culpa est, ut opinamur, interpretum, qui quando necesse est non sensum e sensu, sed violenter verbum edere conantur e verbo. Ecce enim in principio epistolæ vestræ imperatorem vos nuncupastis Romanorum, et tamen Romanam linguam barbaram appellare non veremini. Ecce quotidie, imo vero in præcipuis festivitatibus inter Græcam linquam veluti quiddam pretiosum hanc quam barbaram et Scythicam linguam appellatis, miscentes, quasi minus decori vestro facitis, si hac etiam non bene, ac ex toto intellectu in vestris obsequiis, ac officiis non utamini. Quiescite igitur vos nuncupare Romanos imperatores ; quoniam secundum vestram sententiam barbari sunt, quorum vos imperatores esse asseritis.

Romani quippe hac lingua, quam barbaram vos et Scythicam vocatis, utuntur. Quiescite jam utpote tantæ detestationis dictionem in vestro palatio memorare, et adhuc si pleniter illam exsecramini, etiam ab ecclesiis vestris removere satagite.

Istius enim dictione linguæ Constantinopolitana Ecclesiæ lectionem apostolicam et evangelicam in stationibus fertur primitus recitare : sicque demum Græco sermone propter Græcos utique ipsas lectiones pronuntiare : sed quia tantum hæc impietas Ecclesiæ Constantinopolitanæ hactenus defuisse pu-

tatur, ut tota ibidem nequitia suppleatur: hoc restat a vobis solummodo perficiendum. Verum de hoc nos respondisse sufficiat, non tam injuriam linguæ defendere procurantes, quam mutatæ mentis vestræ inconstantiam exaggerantes.

Cæterum dicitis non ideo ad nos misisse vos, ut secundum judicium Ignatius sustinere, ad quod veraciter respondemus: ideo vos misisse procul dubio, quia posterior hoc probat eventus. Nisi enim voluissetis, nec id fieri sineretis. Imo nos, ut verius dicatur, non ideo misimus, ut interim quodlibet Ignatius frater et coepiscopus noster subiret judicium, sed ut causa illius diligenter investigata, et ad liquidum reperta, juxta illud beati Job dicentis: *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job.* XXIX,) plena nobis ac incunctanti relatione patesceret; sicque demum juxta sacros canones missorum nostrorum relationibus certificati, si decerneremus mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicarent habentes nostram auctoritatem, a quo destinarentur, esset in nostro arbitrio; si vero crediderimus episcopos sufficere, ut negotio terminum imponerent, faceremus quod sapientissimo judicio judicaremus? Si autem Ignatius, ut fertis, jam judicatus erat, quamobrem illum secundo judicio [*deesse vid.* judicari HARD.] voluistis contra illud quod scriptum est: *Non judicabit bis in id ipsum?* (*Nahum* I.) Sed in hoc manifeste datur intelligi, non vos bonam conscientiam gessisse, quando iterato illum ad tribunalia concilii [concilia] pertraxistis: sed quasi non perfecte, neque legitime depositum præsentia [*forte*, in præsentia, *et mox*, damnationi, HARD.] missorum nostrorum, tanquam majoris auctoritatis existentium damnatione subjicere contendistis: dicentes vero quod synodice fuerit condemnatus, fortasse quia non addidistis canonice divinitus actum est. Congregatio enim malignantium, non canon juste judicantium illum damnationi subegerat, imo vero afflictioni et tribulationi subdiderat.

Etenim illi, qui tunc convenerunt contra jam dictum venerabilem virum, aut suspecti, et ab heri et nudiustertius inimici ejus erant, aut excommunicati, aut depositi, aut subjecti ipsius, aut certe inferioris dignitatis exstiterunt. Quorum omnium nullus personam legitimorum judicum habere sine dubio poterat, vel accusatorum in omnibus duntaxat negotiis: quæ sigillatim Deo docente, ac summatim omnia ita se habere monstrare conabimur.

Igitur quia suspecti, et inimici judices esse non debeant, et ipsa ratio dictat, et plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius et amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum commiserit, quem lædere forte voluerit? Quod provide Constantinopolitana synodus canonum suorum sexto dignoscitur prohibere capitulo, quod tamen non apud nos inventum, sed apud vos haberi perhibetur. Verum novimus nos apostolicis imbuti documentis, etiam sententiis uti paganorum, quanto magis Christianorum, atque catholicorum? et contra ipsos quorum nec vitam sequimur, nec mentem erroneam

A imitamur? Denique apostolus Paulus de libris paganorum aliqua in suis scriptis posuit, ut est illud ad Titum: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, cupidi* (*Tit.* I.). Et iterum in Actibus apostolorum de Deo ait: *In quo vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII): nunquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Ait autem prædictus canon: Quoniam multi ecclesiasticum ordinem confundere ac subvertere volentes amore inimicitiæ, et calumniose causas quasdam contra dispensatores ecclesiarum orthodoxos episcopos confingunt, nihil aliud quam fœdare sacerdotum existimationes, et turbationes peccatorum populorum conficere conantes: propter quod placuit sanctæ synodo episcoporum, qui Constantinopolim concur-
B rerunt, ne sine discussione admittantur accusatores, nec omnibus præcipiatur accusationes facere contra dispensatores ecclesiarum.

Veniamus ergo et ad sanctam Chalcedonensem synodum, et quid nobis de Athanasio Parrhenorum episcopo referat (*Act.* XIV), audiamus. Is enim antistes tertio evocatus ad synodum, quia non occurrit, a patriarcha suo canonice condemnatus extiterat: sed solum quia cum vocaretur ad synodum, quod suus inimicus esset ipse, qui judicabat, clamavit: a sancta Chalcedonensi synodo ad causas illatas sibi examinandas reservatur, et nisi denuo convincatur, recipere ecclesiam propriam judicatur. Quod si Athanasius a patriarcha suo depositus, quia de inimicitia ipsius conquestus est, iterato ad judicium renovandum dirigitur, et nisi manifesta sibi officiant crimina,
C suæ reddi ecclesiæ præcipitur: quanto magis Ignatius, qui non a patriarcha, sed ipse potius existens patriarcha minime debuit ecclesia propria inimicis et suspectis judicibus decernentibus exspoliari? Quod quamvis factum sit, multo magis quam Athanasius inimicorum soluto judicio, sua oportuerat ab ecclesia recipi.

Veniat et facundissimus noster papa Gelasius (*in Commonitorio ad Faustum*), hæreticorum expugnator fortissimus, et quod de Constantinopolitanis more solito tunc ægrotantibus dixit, etiam nobis edisserat: Quæro, inquit, tamen ab his judicium, quod prætendunt, ubinam possit agitari, an apud ipsos, ut iidem sint inimici testes et judices? Sed et tali judicio nec humana debent committi negotia: quod si judicio ubi iidem sunt inimici qui judices, nec hu-
D mana debent committi judicia; quanto minus divina, id est ecclesiastica? Qui sapiens est intelligat. Et revera hinc Justinianus imperator pius legibus suis promulgasse dignoscitur (l. *Apertissime*, cod, *de Jud.*) dicens: Licet ei, qui suspectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale est suspectorum judicum insidias declinare, et inimicorum judicium semper velle refugere. Hinc sanctus Athanasius inimicorum sæpe declinavit insidias: hinc sanctus Joannes os aureum concilii contra se congregati renuit intrare collegium. Quinimo hinc psalmista David, et Elias eximius prophetarum Saulis vel Achab

refugiunt prorsus insaniam (*II Reg.* XXII; *III Reg.* XIX).

Quod autem hi qui a jam fato fratre et comministro nostro Ignatio depositi, excommunicati, vel anathematizati fuerant, nullam adversus eum intorquere damnationem potuerint, ex prolato secundæ universalis synodi capitulo declaratur, cum dicitur (*cap.* 6) : Si vero ecclesiasticum fuerit crimen, quod episcopo illatum exstiterit, tunc probari oportet accusantium personas, ut primo quidem hæreticis non liceat accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis negotiis facere. Sed ne hos hæreticos esse denegetis, audite sequentia. Hæreticos autem, inquiunt, dicimus tam eos, qui olim ab Ecclesia projecti sunt quam qui post hæc a nobis anathematizati sunt. Porro si adhuc nec sic creditis, audite quod subditur : Præter hos autem, aiunt, et eos qui fidem quidem sanam simulant confiteri. Schismaticos etiam, et eos qui seorsum a communicantibus nobis episcopis collectas faciunt. Deinde vero, et si quidam ab Ecclesia super causis quibusdam reprehensi fuerunt, et projecti aut excommunicati sive ex clero, sive ex laicali ordine, nec his licere accusare episcopum, antequam proprio crimine primitus exuantur.

Similiter autem et eos qui sub accusatione priori consistunt, non ante esse acceptabiles in accusationem episcopi, aut aliorum clericorum, quam innoxios semetipsos illatorum sibi ostenderint criminum.

Quid autem periculi regulæ hujus immineat contemptoribus, non ignoratis. Præterea quis de considentibus ibidem non de prædictis exstitit hæreticis atque schismaticis? Nonne Gregorius Syracusanus millies condemnatus? Nonne Eulampius, Petrus, item Petrus, qui pro nefandis actibus suis et ore confessus depositionem, deinde anathema inciderunt? et alii quos enarrare longissimum est. Ecce quales inter cæteros erant, qui contra præfatam regulam centum quinquaginta Patrum, os contra venerandum patrem suum aperire non sunt reveriti. Et cum essent ligati ligare ; et cum essent mortui, et in suis penetralibus jam fetidi, virum per totum mundum redolentem mortificare conati sunt, et malæ opinionis nidoribus aspergere tentaverunt.

Sed iterum videte Romanæ sedis pontificem a vobis quidem derogatum, sed a totius Christianitatis unanimitate veneratum, et magnæ synodi Ephesinæ præsulem Cœlestinum, quid censeat de his, qui depositi et excommunicati a Nestorio fuerant, postquam depositus coram oculis summi arbitri jam esse credebatur. Et multo magis hoc de fratre et consacerdote nostro Ignatio esse censendum arbitramini, qui non a prælato quolibet sicut isti, sed a se dejectis talia pertulit. Ait enim episcopis orientalibus scribens (*in ep.* 6) : Si quis vero aut ab episcopo Nestorio, aut ab aliis, qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est, seu antistitis, seu clerici dignitate ; hunc in nostra communione et durasse et durare manifestum est. Nec judicamus eum remotum : quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum. Item idem ad clerum Constantinopolitanum aperte inquit (*ep.* 4) : Sedis nostræ sanxit auctoritas, nullum sive episcopum, sive clericum, seu professione aliqua Christianum, qui a Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri : sed hi omnes in nostra communione et fuerunt et hucusque perdurant : quia neminem vel dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat.

Intellexistisne, imperator, ex superius memoratis non potuisse, ut non dicamus prælatum suum, saltem quemlibet removere, qui fuerant olim ipsi remoti, nec dejicere quemquam jam ante prostrati? Ad infirmandam quoque sententiam damnatorum, etiam illud valere credimus, quod sancta synodus ad præfatum papam (*conc. Ephes. in ep. ad Cœlestinum*), quæ apud se gesta sunt, referens, pro Joannis Antiocheni amputanda antistitis exaggerata præsumptione, quosdam eorum, qui contra sanctum Cyrillum et Memnonem latrabant, sine civitatibus vacantes autem, et ecclesias non habentes : alios vero ante multos annos pro acerbis causis depositos a suis metropolitis, inter alios plurimos fuisse suggessit. Quibus per omnia vestrates, ut ita dicamus, depositores Ignatii comparari plurima ex parte non immerito possunt : ibi namque et sine sedibus, et vagi, atque pro suis acerbis facinoribus a propriis metropolitis inventi sunt episcopatu privati. Ibi etiam communione extorres, et anathematis damnationis consortes fuisse probantur. Unde miramur quomodo excommunicati ad judicandum recepti sunt, cum secundum apostolicos canones sine commendatitiis litteris in communione sola recipi prohibeantur (*conc. Carth.* III, *c.* 21). Absurdum etenim est ut cui non licet etiam cum minimis juxta sacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de majoribus judicare.

Sed jam de hoc plenissime, Deo auxiliante, dicamus ; et quod a subjectis suis prælatus non debeat sui dispendium perpeti, aut calumniis impeti demonstremus. Quod quia Ignatius, frater et coepiscopus noster, inique pertulit, omni lamentatione plorandum est : et certe patres a filiis honorari non solum divinis (*Exod.* XX,) verum etiam humanis legibus præcipiuntur. Et si hoc carnales, quanto potius spiritales digna penitus a filiis debent veneratione potiri? Quanto enim spiritus carnem præcellit, tanto magis ea quæ sunt spiritualia carnalibus oportet omnibus anteponi.

Verum si hoc Ignatii subditi dedignati sunt attendere, saltem scelus Judæorum in Christum patratum perhorruissent committere : nec acuerent linguas suas adversus patrem ac magistrum suum ipsi, sicut serpentes, nec esset gladius in labiis eorum, nec fierent dentes eorum arma et sagitta, et lingua eorum machæra acuta, formidantes scilicet ne de se Salomon sapientissimus dixisse videretur : *Generatio quæ patri suo maledicit* (*Prov.* XXX.) Et rursus : *Generatio quæ pro dentibus gladios*

habet, et commandit molaribus suis (*ibid.*); et iterum: *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant illum filii aquilæ* (*Gen.* IX). Denique si Cham, videns patris verenda, risit potius quam (ut cæteri) cooperuit, maledictionem in filio percepisse legitur: quanto potius hi qui verecundiam patris non solum, si quælibet fuit, minime cooperuerunt, sed et riserunt, et falso ad subsannationem sui moris homines provocaverunt; atque, quod est deterius, patenter contra ipsum de pharetra iniquitatis suæ sagittam judicii produxerunt? Non sic econtra filii sobrii, non sic, sed aversi operuerunt. Quod moraliter egregius doctor papa Gregorius interpretatus, ait (lib. XV *Moral.* c. 22): Aversari dicimus quod reprobamus Quid est ergo, quod filii verenda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, et venerantes magisterium, nolunt videri quod tegunt.

Sed hæc dicentes, nolite nos æstimare cujuscunque proximorum nostrorum, quæ sunt digna reprehensione velle defendere; sed quod ita velim filios circa spiritalem patrem, et discipulos erga magistrum devotos ac sobrios esse ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam, ut non dicamus, dijudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant. Quoniam, docente præfato papa in libro Regulæ pastoralis (lib. III *Pastor.* cap. 5): Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter videant, ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant; sed sic quæ valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent.

Quod melius ostendimus, si David factum ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat; cumque eum viri sui ad feriendum Saul incenderent, fregit eos reprehensionibus, quia manum mittere in christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, et oram chlamydis ejus abscidit (*I Reg.* XXI). Quid enim per Saul nisi mali rectores? Quid per David nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit: quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui et si quando per infirmitate se se abstinere vix possunt, ut extremo quædam atque exteriora mala præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant; sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene et illic scriptum est: *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul* (*I Reg.* XXIV). Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Siquando vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, et cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium a quo sibi prælata est, perhorrescat.

Nam cum præpositis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moyses quoque cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (*Exod.* XVI). Hinc etiam prædicator veritatis Paulus apostolus subditis suis, et quibus Christi Evangelium prædicabat dicit: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer* (*I Cor.* IX). Hinc Sixtus apostolicæ sedis antistes Euphemium episcopum damnasse describitur (*De expurgat. Sixti papæ III*, c. 8), nihil aliud in depositione illius objiciens, nisi quod Polychronium Hierosolymitanum episcopum pontificem suum accusaverit. Et quidem Polychronius a legatis sedis apostolicæ, eo quod sedem Hierosolymitanam primam esse mendaciter affirmabat, et per simoniacam hæresim ordinationes fecisse probatus est, ecclesiæ privatus est gubernaculis, et urbe rejectus. Sed et Euphemius nihilominus quia hunc præsumptuose (licet veraciter) accusaverat, damnationi a synodo subjectus est.

Et quoniam linguam suam contra sibi prælatum erexerat, anathema suscepit; adeo ut Leo Ecclesiæ Romanæ diaconus ei diceret: Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecravit coepiscopum condemnabas et accusabas. Qui cadens in terram ante omne concilium episcoporum ibi confitebatur se peccasse. Abundio episcopo misso ab urbe Roma, dicente: Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam judex non judicabitur. Quo audito, Valentinianus Augustus (sicut apud nos scriptum habetur), cujus vos in hoc imitatores esse debetis, gavisus est in damnatione episcopi Euphemii, qui exstitit accusator Polychronii pontificis sui.

Consonat autem huic necessariæ sententiæ sanctus Silvester, et magni Constantini baptizator Augusti, dicens: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo, judex judicabitur: haud dubium, quin ecclesiasticus Pelagius quoque præsul apostolicus cuidam regi Francorum scribens, sic dicit (*a*): Cum celsitudini vestræ multa dona misе-

(*a*) Childeberto. Est epistola undecima Pelagii papæ.

ricordia divina contulerit, pro amore tamen quem Ecclesiæ ejus sinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores: quoniam inter alias regni vestri curas tranquillitate sanctæ Ecclesiæ præcipuam sollicitudinem vos certum est exhibere.

Quæ cum ita sint, miramur quia quantum nobis præsentium portitorum suggestio patefecit, passi estis subripi vobis et Sabaudum fratrem et coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem, cujus Ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio et sedis apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem episcopi ab ipso ordinati in judicium sequentis civitatis episcopi quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere, ut ipso de conculcato loci sui præjudicio conquerente, ille qui usurpavit, necesse sit de illicita præsumptione culpari. Pro quibus Christianitatis vestræ confidentia freti, paterno studio postulamus ut si quid tale factum est, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec ullum sui exemplum in perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur; et hujusmodi causis sollicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra ecclesiasticas regulas petentibus concedatis: quia quod bene cognitum est religiosæ menti vestræ, non aliter Deo nostro recte potest regalis devotio famulari, nisi providentia ejus ecclesiasticorum ordinum servetur integritas.

Præterea suavissimus Pater et papa noster Gregorius, de quo supra diximus, clero Mediolanensis Ecclesiæ pro eligendo sibi episcopo litteris præcipiens, ait (*lib.* II, *indict.* XI, *ep.* 29): Pensantes ergo, quæ cunctis expediunt, et quem vobis gratia divina prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete; judicari namque a vobis ultra non debet semel prælatus; sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est. Consecrato autem vobis Deo auctore pastori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Deo, qui vobis hunc prætulit, deservite. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter, ut opinamur, ostensum est non posse legitime subjectos de prælati sui vita judicare; nec præter hæresim cujuscunque sit meriti temere reprehendere.

Sed si adhuc placet aliquid de hoc nosse quod delectet, antiqui Patris et venerabilis doctoris Areopagitæ Dionysii ad Demophilum verba vobis recitari præcipite: qui etiam in causa pietatis delinquentem sacerdotem nefas sancit a minoribus, vel ab inferioribus judicari, ne fiat in Ecclesia Dei aliquid inordinatum, et status ejus in aliquo confundatur. Verum hucusque quod a suis suffraganeis atque subditis frater et comminister noster Ignatius non debuerit judicari, sed nec facile reprehendi, breviter comprobavimus. Nunc autem divina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit ostendere vobis (si tamen audire velitis), non posse quemquam rite ab his qui inferioris dignitatis vel ordinis sunt, ju-

A dicialibus submitti diffinitionibus. Siquidem tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum, Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est a paganis, ut in templum eorum ingressus, grana thuris super prunas poneret. Cujus rei gratia collecto numerosorum concilio episcoporum, et inquisitione facta, hoc se idem pontifex egisse confessus est (*a*). Nullus tamen eorum proferre in eum sententiam ausus est, cum ei sæpissime omnes perhiberent: Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio; et iterum: Noli, aiunt, audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam; et rursus: Quoniam ex te, inquiunt, justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis; et iterum dicunt: Prima sedes non judicabitur a
B quoquam.

Hinc etiam superius memoratus confessor Christi Silvester fecit gradus in gremio synodi (*synod. Rom.* c. 3), ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconem, non acolythus adversus subdiaconem, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam, neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* X). Sed et cum quidam tempore quodam contra Sixtum papam tentassen tquædam non boni rumoris objicere, et in concilio, cui et Valentinianus Augustus intererat, dictum fuisset (*De expurgat. Sixti papæ III*, cap. 5) non licere adversum pontificem dare sen-
C tentiam: surrexit idem protinus imperator, et in arbitrio præfati pontificis tribuit judicare judicium suum. Etenim nullus pontificum minorum vel inferiorum urbium subactus judiciis invenitur.

Unde Joannes Antiochenus tertiæ videlicet sedis episcopus, inter cætera legitur in Ephesina synodo usque ad correctionem damnatus (*in ep. ad Cælest. I*), quia Cyrillum Alexandrinum secundæ scilicet sedis episcopum, irregulariter damnationi præsumpsit addicere, eadem venerabili synodo ad Cœlestinum summæ sedis præsulem taliter in scriptis postulante, ac dicente: Indignetur ergo tua religiositas competenter pro his, quæ facta sunt; si enim data fuerit volentibus licentia et majores injuriis sedes afficere, et contra eas in quibus non habent potestatem, contra
D leges sic et contra canones proferre sententias, ibunt ad ultimam confusionem Ecclesiæ res.

Deinde vero in sancta Chalcedonensi synodo cum a judicibus Basilio episcopo Seleuciæ objiceretur, quare in damnatione Flaviani subscripserit, et ipse responderit: Quoniam in judicio centum viginti, aut triginta episcoporum traditus, necessitatem habui parere his, quæ ab illis ordinabantur, et Dioscorus ad hæc diceret ei: Erubescens homines prævaricatus es quod bonum est, et fidem sprevisti; non audisti quod scriptum est: *Non erubescas in ruinam tuam*; præfatus Basilius episcopus respondit: Si

(*a*) In concilio Sinuessanensi.

apud judices habuissem martyrium, sustinuissem. Etenim Constantinopoli ostendi fiduciam meam, a patre autem, qui judicatur justus, non utitur [Hard. *legit*, qui judicatur, justis non utitur] : filius enim patri etiam justa dicens, moriatur.

Denique in Epistola legimus ad Hebræos quod *minor a majore benedicatur ;* restat profecto ut exigente ratione etiam maledicatur. Siquidem hæc utique prænoscentes periculosa tempora illi qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt ; hodieque in Ecclesia Romana, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente consacerdote, cuilibet rei benedicere nitatur ; sed et anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quislibet inferior non audet penitus benedicere : cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? absit. De maleficis enim, non benedicis, dicit Apostolus : *Quia regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* vi); sed per hoc innuitur quantæ censuræ freno inferiores quippe ad suos judicandos præpositos coercendi sunt, si hi nec etiam benedicendi jus ullum penitus obtineant. Et revera, ut superius ex Evangelio, beato Silvestro commemorante, jam diximus : *Non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* x), si ad benedicendum non, quanto minus ad maledicendum? In tantum autem hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quia in contumacia permanens, erga primæ sedis Romanæ privilegium, respicere a suis superstitionibus, ut servaretur a prima sede apostolica, noluit, et ponens in cœlum os suum, et lingua ejus transeunte super terram (*Psal.* lxxii), excommunicationem in sanctum Leonem papam dictavit ; ita ut in sententia contra ipsum prolata, hoc videantur memorare præcipue dicentes, quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit. Præsumpsit enim et excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Nunquid ibi (*Actione* 1 *conc. Chalced.*) legitur inquisitionem fuisse factam, utrum juste, an injuste ipsam jam factam Dioscorum excommunicationem dictasse, [*pro*, jam fatus Dioscorus... dictasset. Hard.] Non plane, sed absque omni controversia hoc in eo ulti sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere contumelis ; teste Anatolio Constantinopolitano præsule, qui dicit : Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni. Voluerunt enim in domo Dei nihil fieri præproperum, nihil confusum, nihil inordinatum. Unde apte quoque in Africano concilio diffinitum est capitulo 53 ita : Unusquisque nostrum ordinem sibi decretnm a Deo cognoscat, et posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Et supra memoratus Gelasius papa, multarum destructor hæreseon, in decretali epistola ad universos dicit episcopos per Dardaniam constitutos (*epist.* 11) : Si certe de dignitate agitur civitatum secundæ sedis et tertiæ, major est dignitas sacerdotum quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Et item idem in tomo ad Orientales episcopos : Præcipue, inquiens, cum de secundæ sedis ageretur antistite, nec ab inferiore qualibet, sed a prima sede jure possit absolvi : inferior quippe potiorem absolvere non potest ; sola ergo prior inferiorem convenienter absolvit. Hinc liquido pervidetur quia quem non potest absolvere, non potest judicio inferior potiorem ligare.

Porro cum Theodoricus hæreseos Arianæ fæce pollutus, papam Symmachum usque ad damnationem, multis hunc accusantibus, impetere voluisset (*Synodus Romanus sub Symmacho*), et quotquot potuit ex Liguria, Æmilia, Valeria, et ex diversis regionibus, atque de Sicilia insula hujus rei gratia episcopos Romam colligi præcepisset ; et his ad se venientibus dixisset : Plura ad se de papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in synodi oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio indicatione constare ; memorati pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt : Ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare ; scientes quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum, vel principatus, deinde secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec ante dictæ sedis antistitem minorum subjacuisse judicio. Et rursus : Causas, inquiunt, Dei ipsius esse judicio committendas, *qui valet corpus occidere, et animam mittere in gehennam* (*Luc.* xii) ; qui dicit : *Mihi vindictam et ego retribuam* (*Deut.* xxxii) ; apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Et iterum, idem ipsi dicunt : Quod dicebatur majori judici, servabamus instruentes eos, quia per nos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias prævidere, sed pastoris.

Ad postremum vero isti ipsi venerabiles præsules cum vidissent, quod non sine sui discrimine potuissent contra caput obices manus suas erigere, quidquid de præfati Symmachi sanctissimi papæ actibus delatum fuerat, totum Dei judicio reservarunt ; ita, ut singuli quique in subscriptione sua hoc patenter indicent, cum dicunt : Laurentius episcopus Ecclesiæ Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi. Similiter Petro episcopo Ecclesiæ Ravennatis, et cæteris episcopis subscribentibus : nimirum quoniam sicut magnus Christi confessor Ennodius Ticinensis episcopus, qui ab Hormisda apostolicæ memoriæ Constantinopolim missus innumeras miserias a Græcorum vesania, pro Christi fide et statu Ecclesiæ non semel pertulit (*in indiculo Hormisdæ, ante epist. ejus* 11), ex propheta de his meminit : *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea ; aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam?* (*Isa.* x). His ita ex divina

Scriptura, et probabilum Patrum doctrina commemoratis, sole clarius exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum qui majoris potestatis et judiciis suis addicere, aut propriis diffinitionibus subjugare. Verum de hoc generaliter nos hucusque sufficiat.

Cæterum, ut calamum ad Constantinopolitanos præsules specialiter extendamus, aut nunquam omnino, aut certe vix horum aliquis sine consensu Romani pontificis reperitur ejectus, qui tamen hactenus inter depositos annumeretur, et non ab hæreticis, vel tyrannis pulsus aut interemptus commemoretur. Denique, ut ex his paucos commemoremus, nonne Maximus, postquam multum a Damaso papa (sicut ejus ad diversos epistolæ missæ indicant) laboratum est, Constantinopoli pulsus est? Nonne Nestorius, nonne Acacius, nonne Anthimus, Sergius, Pyrhus, Paulus, Petrus, sedis apostolicæ discurrentibus consultationibus, ac decretis ejecti sunt? Cur ergo, cum ita sit, in solo Ignatio Petri memoriam despicere ac oblivioni tradere studuistis, nisi quia pro voto cuncta facere voluistis, constituentes synodum Ephesinæ secundæ crudelitate consimilem? quamvis ibi Alexandrinus erat, qui cum cæteris sibi sociatis compatriarchis adversus sanctum Flavianum agebat.

Hic autem, ut de patriarchis omittamus, nec unius episcopus civitatulæ, aut quilibet ignotæ personæ adversus tantum pontificem exstitit sententiæ promulgator, qui non de suffraganeis et subjectis ejus fuerit. Sed dicitis fortasse non fuisse in causa Ignatii sedem apostolicam convocare necesse, quia non hunc ullus hæreseos error involverat. O pietatis intuitum ita recte Deum colentis, et magis suam injuriam quam sui Dei et Domini vindicantis! Nonne magis oportuit circa eum magnanimitatem ostendere, et regularem vos observare censuram? quoniam a Deo nec per hæresim, nec per illum omnino schisma discessit, quam si cunctis pollens virtutibus omnipotenti minime Domino per orthodoxam fidem penitus adhæsisset? Congregastis consilium adversus eum, et ad imperii vestri nutum cuncti sunt famulati minores, et ad votum sæcularium, ut cum pace vestra dicamus, de solio imperiali descendentes, cathedram præsularem, ut ita fateamur, ascendistis, et pro desiderio hostium ejus augustalium obliti sceptrorum, quemdam regem Israel imitantes, adversus illum sacerdotalis ministerii arripuistis officium; præsertim cum imperium vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debeat esse contentum, nec usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt (*II Par.* XXVI).

Dicite, quæsumus, ubinam legistis imperatores antecessores vestros in synodalibus conventibus interfuisse? nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est; quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos? Vos autem non solum synodo in causa sacerdotis collectæ interfuistis, verum etiam numerosa sæcula- A rium millia ad videndum ejus opprobrium aggregastis, cum magis debueratis in hoc imitari Constantinum pium Augustum, de quo scriptum est quod dixerit: Quia si vidissem aliquem eorum, qui religioso circumamicti sunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, chlamydem meam explicassem, et cooperuissem eum, ne videretur a quoquam. Sed in viro hoc omnia hæc oblivioni traduntur: fit plausus de Domini sacerdote scurris et histrionibus. *Heu quomodo obscuratum est aurum*, libet cum Jeremia clamare; *mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren*, IV).

Deinde vero contra ritum ecclesiasticum, contraque venerandas leges producitur accusator de imperialibus ædibus, et cui imperari potest, ad falsum B dicendum testimonium adhibetur. Fiunt suspecti judices et mercenarii, et lupi custodes qui videbantur esse pastores, non ascendentes ex adverso potestatibus mundi, juxta Ezechielem: *Nec opponentes murum pro domo Domini* (*Ezech.* XIII), *sed descendentes in infernum viventes* (*Psal.* LIV), hoc est scientes. Submittitur minorum, inferiorum et subjectorum deliberationibus, cum sacris canonibus præcipientibus, et exemplis sanctorum Patrum, semper ubi est major auctoritas sit eundum, et in omnibus controversiis ad potioris sedis judicia dirigatur. Quod non solum a catholicis, verum etiam ab ipsis constat observatum hæreticis. Alioquin acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, et majorum non exspectatur sententia, cum nec in C causa clericorum inferioris gradus, solius episcopi sui judicium tantummodo præsto sit.

Sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis concilii sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt: Si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur; quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus, vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet clericus, aut episcopus adversus metropolitanum habet querelam, et tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, ubicunque sit positus, primatem diœceseos petat; quod D si juxta Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus, et solius præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eamdem regiam urbem. Cum enim dixisset: Petat primatem diœceseos, præceptum posuit eadem sancta synodus regulamque constituit. Cum vero disjunctiva conjunctione addidisset: Aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, liquet profecto quia hoc secundum permissionem indulsit. Ergo saltem nunc non videtis ad majora semper esse properandum? et quanto magis ad potioris auctoritatis judicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius majus culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam sedem, cu-

jus causa, aut a se negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut solius Dei sine quæstione reservatur arbitrio.

Quem autem primatum diœceseos sancta synodus dixerit, præter apostoli primi vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse est enim primas, qui et primus habetur, et summus : quæ viritim, si locus exegerit, in subditis demonstrabimus. Ne vero moveat quia singulari numero diœceseos dictum est, sciendum est quia tantumdem valet dixisse primatem diœceseos quantum si perhibuisset diœceseon: plenæ sunt enim sanctæ Scripturæ tali forma locutionis. Denique scriptum est : *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ* (*Gen.* II). Qui enim non ait, Unus fons ascendebat e terra, sed ait, *Fons autem ascendebat e terra*, pro numero plurali posuit singularem, ut sic intelligamus fontes multos per universam terram loca vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles, et multi intelliguntur; sicut dicta est locusta et rana in plagis quibus Ægyptii percussi sunt (*Exod.* X), cum esset innumerabilis locustarum numerus et ranarum, ita et hic diœcesim singulariter dixit; sed hanc propter unitatem pacis et fidei pluraliter intelligi voluit.

Illud autem ridere libuit, quod quasi ad majorem firmitatem, concilium adversus Ignatium fratrem et comministrum nostrum congregatum, æqualis numeri cum sancta olim synodo in Nicæa a sanctis fratribus celebrata fuisse perhibetis : quod si ideo est admittendum, quia æqualis numeri cum sancta Nicæna synodo habetur, necesse est ut aut septimam aut octavam hanc synodum vocitetis; necesse est etiam ut tot instabilitate illius synodos colligatis, quot pro Nicænæ synodi sequendis decretis constat fuisse concilia congregata. Quid autem proficit solo numero convenientium personarum sanctam synodum vos fuisse secutos, et moribus hanc esse crudeliter persecutos? Utinam non essent tot numero, sed tamen existerent tales meriti quales erant quibus Christus aiebat : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum* (*Luc.* XIII.) Non ergo totidem præsules, sed merita non minora synodum synodo Nicænæ possunt facere parilem, magisque illud advertendum est quia ibi contra unius nuncupati presbyteri vesaniam, non solum multarum regionum pontifices, verum etiam et patriarchæ præsedisse referuntur. Hic autem in patriarchæ negotio non solum ullus patriarcharum, sed nec ullus alterius diœceseos inventus est quisquam episcopus, sicut jam significavimus.

Numerus igitur pusillus nec obest, ubi abundat pietas; nec multiplex prodest, ubi regnat impietas. Quinimo quanto numerosior est congregatio malignorum, tanto validior est ad sectandum suorum prava votorum; nec gloriandum est in multitudine, ubi non contra mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitiæ certamen assumitur; sed adversus carnem et sanguinem, id est adversus homines, totius belli pondus inducitur; nisi enim A Psalmista nosset quamdam non bonorum multitudinem, nequaquam Deo supplicando diceret: *Disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII). Dispersio enim minorationem facit, minoratio vero abolitionem generat. Nolite ergo gloriari in multitudine, quia non multitudo sed causa damnationem, vel justificationem adducit. Neque enim Ignatium justiorem dixerimus jam memorato David rege, et propheta Domini, qui dicebat : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis* (*Psal.* XXXIX). Sed quid de homine dicimus, cum de Deo nimirum, ex cujus persona hæc Psalmista dicebat, in passione ipsius, sicut Evangelium attestatur, tale quid nihilo minus agnoscamus?

Quod autem scripsistis vos idcirco quosdam nostrorum B adesse voluisse, quoniam dicebamur cum expugnatoribus sacrarum imaginum concertare, nova profecto adinventio est. Nam apud vos præsentia est missorum nostrorum pro imaginibus sacris, nec digne decertatum est, nec impugnatores earum hactenus errare desierunt; sed sicuti usque ad illud tempus apud vos super hac causa strepitus et blasphemiæ non cessarunt, ita et nunc ibidem profana prædicantur et hucusque sacrilega pronuntiantur. Unde apparet legatos nostros non causa pietatis a vobis, sed crudelitatis argumento fuisse quæsitos. Verum ad quid fuerint petiti, res ipsa declarat, videlicet, sicut jam dictum est, ut quod de Ignatio judicandum erat, et acceptum apud omnes, et fixum semper maneret, ut pote quod tantæ auctoritatis vicarii judicassent. Nos enim nec saltem tenuis rumor C aspersit aliquando cum prava sapientibus sapere, quanto minus concertare? Siquidem nusquam frigidus, nusquam tepidus labor sanctorum apostolicæ sedis præsulum circa debitam sacrarum imaginum reverentiam et competentem venerationem apparuit. Nec defuerunt harum impugnatoribus decessorum nostrorum certamina, qui hoc egerunt scriptis, hoc diversis laboribus, hoc etiam suis increpationibus apud mundi hujus principes, ut talis error eminus pelleretur; quamvis dixeritis, non nostri eguisse vos ad expugnandos hæreticos pro eo quod jam fuerit hujusmodi hæresis in Nicæa secundo convocata synodo, et a magno Methodio deinde subversa, quasi non et ipsi secundo in Nicæa collectæ synodo apostolica nostra sedes præsederit, et prima contra mala D sentientes spiritalem sagittam emiserit. Et rursum, quasi non et venerandæ memoriæ Methodius in Græcia persecutione fervente, hic apud beatum Petrum, et apud nos, ubi olim Athanasius, ubi Paulus, ubi plurimi cum illis, et præter illos, ubi denique semper catholicis subvenitur, consecuti sint requiem, donec apprehenderet campum certaminis jam satiatus lacte matris hujus omnium sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ catholicum dogma defendere fuerit eruditus. Et quasi non hinc auctoritatem prædicandi sumpserit, nec his infulis sacerdotalibus ditatus exstiterit, ad extremum quasi non hinc constantiam Petri, et omnia Pauli ad debellandos Iconomachos

arma portaverit, id est loricam justitiæ, calceatos pedes in præparatione Evangelii pacis, scutum fidei, galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.

Quomodo non egeat quælibet synodus Romanæ sedis, quando in Ephesiuo latrocinio cunctis præsulibus, et ipsis quoque patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius leonis, de quo scriptum est : *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v), divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem et ipsos quoque Augustos concuteret, et ad pietatem commoveret, religio catholica penitus corruisset? Nam et in causa sacrarum imaginum ante sanctissimum Methodium, quinimo et ante synodum in Nicæa sub Irene congregatam, cum adhuc hoc schisma noviter esset exortum, et Constantinopolitanos pene cunctos more pestilentiæ invasisset, Romani præsules, Gregorius inter cæteros et Stephanus, convocatis episcopis Occidentalium regionum, inveniuntur fortiter dimicasse, et hoc funditus condemnasse. Hæc quidem primordiis epistolæ imperii vestri respondimus, non quantum poteramus adhuc, sed quantum sufficere credidimus ad convincendam stoliditatem eorum qui talia sapiunt qualia in epistola vestro signo signata et nobis missa resonare videbantur. Non enim nos ex pio corde, vel ore vestro tam profana tamque perversa processisse putavimus.

Ad reliqua vero, quæ ex eadem epistola vestra plurima ex parte remanebant, rescribere his pro causis omlsimus, videlicet quoniam tanta nos Pater cœlestis secundum beneplacitum suum ægrotatione quasi filios suos corripuit, ut non solum quæ ad respondendum propositionibus vestris idonea esse perspeximus, valeremus exponere, verum etiam eadem ipsa qualiter dictarentur, nulli, ægritudine nimia pressi, quiverimus edicere. Et quia legatus vester tanta est impatientia usus, ut antequam nos ex validissima infirmitate respirare aliquantulum cognovisset, nullam moram passus, mox et jam nobis inconsultis, Urbe. quam vos quidem inveteratam, sed Honorius pius imperator æternam vocat, discesserit; ob nihil aliud, nisi quia jam tempus hiemis imminebat, et periculum sui, vel militum vestrorum, qui secum erant, vehementissime formidabat; apud quem vix obtinere potuimus ut saltem dum hæc scriberentur (quoniam ad Urbem reverti nullo modo voluit) in Ostia positus exspectaret.

Tertio, quia cum eadem quæ superfuerunt in ipsa epistola, ad quæ nihil respondimus, sed potius philosophando contempsimus, plena essent omni pravitate atque blasphemia, et contra ipsam dispositionem Dei, in qua Ecclesiæ sedisque Romanæ privilegia cunctarum Ecclesiarum privilegiis sua ineffabili providentia pretulit, venena diffunderent, non vestra esse verba, sicut prædiximus, quæ tam perperam sonabant, credidimus; ac per hoc his quæ in ambiguum venerant, non potuimus tanquam indubitatis responsa, vel apologetica scripta remittere. Verumtamen si vestra fuerunt verba quæ in despectum beati Petri apostolorum principis, imo Dei, cujus ordinationi resistitis, scripta, et quasi detrahentia privilegiis hujus sacratissimæ Ecclesiæ missa sunt; fateor non vos studiose sacras regulas, non venerandarum synodorum actiones, non piorum imperatorum leges, non veraces probabilium virorum historias lectitasse, quas tam (*forte verius*, tamen) conati estis in derogationem Ecclesiæ tantæ inutiliter ac incompetenter atque incongrue memorare. Sed rogamus omnipotentem Deum ut qui suæ cognitionis vobis reseravit mysterium, tribuat quoque nosse ad plenum suas dispositiones, quibus sancta Ecclesia (sanctæ Ecclesiæ), moderatur arcanum, et quæ sint, vel quanta, et qualia privilegia Ecclesiæ Romanæ, et ex quo ceperint exordium, et quis ejus summæ auctoritatis auctor existat vobis clementer aperiat.

Quod si a nobis quæritis scire, ut pote a ministris Christi, et dispensatoribus mysteriorum ejus, vobis evidentius ostendemus; si vero nosse parvipenditis, et solum contra privilegia Ecclesiæ Romanæ nisus vestros erigitis, cavete ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis (*a*) (contra impetum fluminis reluctari durumque est) contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi præcepit, qui Ecclesiam Dei audire contempserit, præsertim cum Ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita antiquitus observata, et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus; et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, istius sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt; divinitus radicata atque plantatr sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata.

Ista igitur privilesgia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a syuodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata; per quæ non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei; cui sancto scilicet Petro

(*a*) Ansulis inclusa dantur ex edit. Rom.

addita est societas beatissimi Pauli, vasis electionis, magistri veritatis, cui jugiter imminebat omnium Ecclesiarum sollicitudo (*II Cor.* xv).

Hi ergo, tanquam duo luminaria magna cœli in Ecclesia Romana divinitus constituti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt, et Occidens eorum præsentia, veluti rutilante sole, tam per se nitorem dante quam per discipulos suos, quasi quosdam radios lucis, micante, factus est Oriens; quique non postquam mortui sunt, Romam a principibus sunt delati, ut Romanæ Ecclesiæ majorem conferrent privilegiorum honorem, sicut apud vos non rationabiliter, sed potentialiter actum est, videlicet ut Ecclesiæ cæteræ patronis suis privarentur, et sola Constantinopolis spoliis et opibus, quas violenter abstulit, ditaretur; sed Romam in carne venientes, vitæ verbum evangelizantes, ab ea erroris caliginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes, et in ea uno eodemque die martyrium consummantes, sanctam Romanam Ecclesiam roseo cruore suo consecraverunt; et hanc non habentes maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi evhibentes, Deo Domino dedicaverunt. Sicque demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt, per beatum scilicet Marcum, unius horum filium ac discipulum. Hæreditas quippe filii in potestate parentis existit, et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur.

Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali et Ecclesiam Antiochenam jam suam, quæ, sicut beatus papa dicit Innocentius (*in epist.* 21), urbis Romæ sedi non cederet. nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum sollicitudo beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli procul dubio moderamen exspectat. Pro quibus patribus nos divinitus, incremento gratiæ ministrato, nati sumus filii et constituti, licet [licet indigni, licet, etc.] eis longe meritis impares, principes super omnem terram, id est super universam Ecclesiam. Terra enim Ecclesia dicitur, sicut scriptum est : *Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I). Quæ, sicut sanctus Augustinus exponit, Ecclesia intelligitur. Hæredes quippe horum effecti, facultatem potestatis, quam a Domino perceperunt, et onus sollicitudinis nihilo minus capessere nos oportet.

Proinde animadvertendum est quia non Niecœna, non denique ulla synodus, quodquam Romanæ contulit Ecclesiæ privilegium, quæ in Petro noverat, eam totius jura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse : sicut beatus præsul Bonifacius attestatur (*a*), universis episcopis per Thessaliam constitutis scribens : Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fons emanavit. Nicænæ synodi non aliud præcepta testantur; adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Si omnia, ergo defuit nihil quod non illi concesserit.

Denique si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum : sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum. Hæc igitur, et his similia, nos pro cunctis Ecclesiis, sollicitos reddunt; hæc etiam de Constantinopolitana Ecclesia impigram curam arripere vehementer hortantur; hæc, inquam, Ignatium patriarcham nulla regula nulloque ordine ecclesiastico dictante dejectum, tanquam fratrem adjuvare compellunt. Nam et inter cætera is per quem nobis præcipue ista sunt privilegia collata : *Tu aliquando conversus*, audivit a Domino, *confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII).

Si quidem et ideo in culpam cecidit ut sciret qualiter aliorum infirmitatis misereri debuisset. Hæc Privilegia Photium, vivente Ignatio, in caulas Dominicas non per ostium, sed aliunde ascendentem, et pastorem impellentem, et oves dispergentem nobis et ab honore, quem irregulariter usurpavit, et a communione Christianorum amovere divinitus inspirata jusserunt. Quod autem perhibet excellentia vestra noluisse vos ut a missis nostris Ignatius judicaretur, eo quod fuerit jam judicatus et condemnatus; fatemur veraciter quia nec illud ulla ex parte videtur fuisse canonicum, nec hoc ipsorum judicium fieri præcepimus, nec factum admisimus. Verumtamen cui magis placuit evidenter intelligitur, cum patratum vos scribendo roborassetis, quod nusquam aliquando factum ab imperatore recolitur, et omnes in eo scribere imperassetis. Nos autem non solum factum minime recepimus, verum etiam doluimus, et a nostro consensu procul amovimus; quinimo auctoritate et exemplo antecessorum nostrorum in irritum duximus. Quod si tempus indulgeret, quod dicimus facile probare ex monumentis poteramus ecclesiasticis. Patratores autem præsumpti judicii, judicio in quo judicaverunt judicati sunt, secundum Evangelium; et mensura in qua mensi fuerunt dimensum est eis (*Luc.* VI). Nos quippe illos, non ut Ignatii ad patriarchalem sedem promotionem vel ingressum inquirerent aut judicarent destinavimus, sed ut circumstantiam dejectionis ejus ediscerent, nobisque veritatem repertam repedantes intimarent, direximus.

Quod nostræ, Deo gratias, liquido testantur epistolæ, quas ternas per Zachariam et Petrum atque Leonem, Deo amabiles scriniarios sanctæ Romanæ Ecclesiæ, uno textu scribi præcepimus et coram sancta Ecclesia, quæ apud nos est, dispertiti su-

(*a*) In epistola quæ recitatur in concilio Romano, quod Holstenius edidit in *Bonifacio II*. HARD.

mus; [illegible] quidem [illegible] [illegible] oriri poterat in posterum. Quod ecce impræsentiarum, proh dolor! cernimus; aliam vero dilectæ sublimati vestræ direximus. Porro tertiam eisdem legatis nostris tribuimus, ut illam velut specular præ oculis habentes, in ea meditarentur quid agere debuissent, atque recordarentur quid sibi a nobis constiterat esse præceptum.

Et si fortasse vestra magnitudo dedignaretur sibi missam epistolam in episcoporum ostendere cœtu, jussimus eis ut illam, quam sibi specialiter dederamus, quamque unius formæ cum reliquis duabus esse noverant, in eo conventu, in quo causam dejectionis Ignatii præceperamus inquirere ac diligenter investigare, imprætermisse legerent, et in auribus omnium recitarent, licet ipsi contrarii facti sint eorum omnium quæ sibi fuerant imperata. Quamobrem et nunc, quia quædam scripta dicuntur apud vos esse, tanquam ex nomine nostro missa, quæ nos omnino non misimus, idcirco et hanc, quam mansuetudini vestræ dirigimus, in altero tomo scribi præcepimus; et hanc quidem Petrus, qui unius prædictarum trium scriptor exstitit; quam vero penes nos retinemus, præfatus Leo, Deo amabiles scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quorum fides nobis probata est, scripsisse noscuntur.

Porro scripsit nobis imperium vestrum ut Theognostum, qui a fratre et coepiscopo nostro Ignatio super quasdam provincias exarchatus pondus accepisse dignoscitur, necnon et alios monachos sibi tanquam vestræ augustialis injuriatores excellentiæ destinemus. In quo cum tamen ipsi injuriatores vestri non fuerint, quid aliud nisi ut quanta pœna [quantæ pœnæ, Hard.] et quibus tormentis subjiciantur hi qui ex parte Ignatii sunt, et apud vos in ditione vestra consistunt, liquidius agnoscamus. Quando hi non utique ad epulas, non ad infulas alicujus honoris percipiendas profecto quæruntur, sed potius ad puniendum, quos forte nec vidistis, nec cujus moris sint penitus agnovistis. Denique quidam eorum ab ineunte ætate Romæ divinis obsequiis famulati sunt, et non justum credimus hujusmodi tormentis fore subdendos. Theognostum autem non de vobis sinistra, sed potius grata prædicare testamur. Quamobrem ergo eum quæratis ignoramus, nisi forte quia illinc fugatus, hic apud nos requiem, quemadmodum innumeri Christiani, aliquantulam reperit.

Siquidem tanta millia hominum protectioni ac intercessioni beati apostolorum principis Petri, ex omnibus finibus terræ properantium, sese quotidie conferunt, et usque in finem vitæ suæ apud ejus limina semet mansura proponunt, ut præter illud quo vas e cœlo submissum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem beato Petro horum omnium rectori animantium genera, catholicam signat Ecclesiam: etiam ipsa sola Romanorum urbs, apud quam ejusdem apostoli corporalis præsentia sedule veneratur [illegible] cunctas, Hard.] dignoscatur [illegible] nes intelliguntur spiritualiter) nationes. Suscepit ergo ac continet in se Rom na Ecclesia, quod Deus universalem Ecclesiam suscipere ac continere præcepit. Decentissimum quippe est atque convenientissimum ut apud se Petrus quod sibi specialiter ostensum atque præceptum est, exhibeat; sicque demum quod in generali Ecclesia facilius credendum sit, innuat. Sane intuendum est quia et hoc vas, in quo omnia genera erant animantium, Petro specialiter ostensum est; et ut ea mactaret et manducaret, illi soli jussum est. Et post resurrectionem ut rete plenum diversis piscibus ad littus traheret, a Domino ipsi proprie soli præceptum est, (*Joan.* XXI). Ipsum enim, cujus nos, licet immeriti, vicem suscepimus, principaliter ac specialiter universalis Ecclesiæ curam divinitus accepisse, etiam nobis tacentibus, credimus quod vestra sapientia jam animadvertat. Putasne ergo, imperator, justum esse ut tradamus aliquem eorum, quos nunc commemoravimus, principibus; quorum aulas, dignitates, honores et beneficia contempserunt, vel quorum forte indignationes aut persecutiones sustinuerunt? Absit. Nolumus enim, Deo auctore, nec Judæ proditori similes inveniri, nec paganorum excedere profecto nequitiam. Ipsi enim nihil tale agere penitus patiuntur. quale nos perpetrare cohortamini vos.

Denique cum quidam antecessorum vestrorum quemdam venerabilem virum ab Agarenorum principe, multis oblatis muneribus, sibi mitti poposcerit, non solum minime impetravit, verum etiam, ut fertur, ab eo quem quærebat, pudorem conferentia scripta recepit. Quamvis, Deo gratias, et per principalem beatorum apostolorum Petri ac Pauli, de qua sura partim exposuimus, potestatem et jus habeamus, non solum monachos, verum etiam quoslibet clericos de quacunque diœcesi, cum necesse fuerit ad nos convocare, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare. Hoc quidem nostrum; vestrum autem et piorum imperatorum non est ullum penitus quærendi monachos ministerium, nisi ad miserendum, et orationes eorum submisse poscendum. Quod si forsitan opinamini Theognostum apud nos Photio detrahere, Ignatiumque jugiter commendare, scitote veraciter quia nihil ipse de utroque loquitur nisi quod in propatulo est quod mundus dicit, quod omnis Ecclesia clamat, quod ipsi per innumeros homines Romam ab Alexandria, ab Hierosolymis, a Constantinopoli, a confinibus ejus, ab Olympo monte, atque a cæteris mundi partibus adventantes agnovimus: ad extremum quoque quod nos per missos vestros et diversa scripta patenter intelleximus. Quid ergo quis peccat, si ea dicit quæ vos dixisse constat? Ecce enim scripta vestra missa ad antecessorem nostrum, qua penes nos recondita servantur, quosdam partis Gregorii Syracusani, congregatis episcopis, etiam absente

fratre nostro Ignatio, vos anathematizasse testantur. Quid ergo qui [illegible]? vel [illegible] rogamus, offendimus (licet vos versa vice quos tunc laudastis, nunc vituperetis, et quos tunc reos et damnatos pronuntiastis, nunc miris præconis efferatis) si quod scripsistis credidimus, et quod dixistis nos quoque nunc dicimus? Postremo, nisi correxerimus consilium nostrum, videlicet ut illud juxta consilium vestrum dirigamus, vel si non effecti similes vobis, sicut ipsi caput, ita quoque nos membra tradamus, interminationibus crebris deterrere nos, et minitari videmini, tanquam sitis patriæ et urbi nostræ ultimum exterminium illaturi. Quæ nos Christo propitio atque custode (de quo scriptum est: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* [*Psal.* CXXVI]), sicut hactenus B non timuimus, nec modo timemus, credentes super muros ejus angelorum custodiam; imo vero scientes quod Salvator positus sit in ea murus et antemurale (*Isa.* XXVI), id est apostolorum munimentum intercessionum. Neque enim non legimus, aut obliti sumus minarum Sennacherib regis Assyriorum, et servorum ejus contra urbem Jerusalem et populum ejus, quæ non minores nec pauciores minis vestris fuerunt. Et rursus miserationum Domini recordamur, et qualiter centum octoginta quinque millia hominum de castris Assyriorum interierint (*IV Reg.* XIX), et urbs cum habitatoribus suis evaserit, in mente recolimus, et gratias agimus, et spem sumimus, ac fiducialiter de domo Domini, si virtutem ipse donaverit, cultum Baal amovere curavimus: quoniam ipse est nunc qui tunc ipse et in sæcula; C nec minor misericordia, nec infirmior omnipotentia. Ergo, ne velit minari pulvis et vermis scriptum est: *Quid superbit terra et cinis?* (*Eccli.* X.) Ne velit ampulla in aquis inflari, quia post pauxillum et ecce non est. *Quid gloriatur in malitia, qui potens est in iniquitate?* (*Psal.* XXI.) Quid facturus est: occisurus est (ut verbi gratia dicamus) hominem? *quoniam amplius non habet quid faciat* (*Luc.* XII): hoc et unus fungus facit malus. O imperator in hoccine redacta est malitia hominis in iniquitate potentis, ut fungo malo comparetur? Heu quam inutilem potentem, heu supervacue gloriantem!

Porro vestra potens virtus in Domino potius glorietur, in bonitate laudetur, in justitia exaltetur: non minas nobis, non terrores velit incutere. Nescitis D enim secundum Salomonem quid superventura pariat dies (*Prov.* XXVII): et juxta psalmographum: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum* (*Psal.* XXXII); præsertim cum inter nos et vos non modica sit intercapedo, quæ quotidie populos non pauxillas vobis injurias, imo discrimina inferentes producit, et de his vos conveniat potius quam de nobis ulcisci. Nos enim apici gloriæ vestræ non damna, non convicia, non prorsus ullas, quod absit, injurias irrogavimus. Verumtamen quandiu subsistemus, ministerium nostrum honorificabimus, dispensationem nobis creditam exercebimus, antecessorum vestigia nostrorum sectabimur, ecclesiarum cunctarum sollicitudinem bajulabimus in eo, qui nos confortabit Domino nostro Jesu Christo. Quid sæviunt homines? quid mali fecimus nos? Certe non Cretam invasimus, non Siciliam exterminavimus, non innumeras Græcis subjectas provincias obtinuimus: postremo non ecclesias sanctorum, interfectis numerosis hominibus, ac suburbana Constantinopoleos, quæ et muris ejus pene contigua sunt, incendimus. Et vere de istis nulla fit ultio qui pagani sunt, qui alterius fidei sunt, qui inimici Christi sunt, qui veritatis ministris jugiter adversantur; et nobis, qui gratia Dei Christiani sumus, qui ex parentibus Christianis existimus, atque catholicis, qui unius ejusdemque fidei dogmata credimus, qui servi Christi vocamur, qui veritatis cultores, quantum possumus esse desideramus; minæ prætenduntur, terrores promittuntur, etiam nonnullæ molestiæ irrogantur. Non est iste ordo laudabilis, non est ista commutatio imitabilis, ut qui innumera mala ingerunt, impuniti evadant; et qui nihil mali gesserunt, pro his talia recipiant; et qui Christum blasphemant, dimittantur; et qui Christum celebrant, hujusmodi minis subjiciantur. Sed habemus ad quem respiciamus nos, habemus in quo consolemur. Fecerunt enim hoc et Judæi, latronem dimittentes, et Salvatorem tenentes; occisorem justificantes, et vivificatorem condemnantes; Barabbam liberantes, et Christum morti subdentes (*Matth.* XVII).

Sed his tandem omissis ad ea, quæ cum universa sancta Ecclesia, quæ apud nos est, dispensatorie consideravimus, stylum jam dirigemus, et cum beato Gelasio nostræ sedis antistite consulte dicemus: Necessaria rerum dispositione constringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus (*epist.* 6, *ad episc. per Lucaniam et Brutios*). Et quoniam de persona Ignatii, atque Photii nihil discretius, atque mitius, necnon et salubrius arbitramur, quam ut uterque Romam ad renovandum examen veniat, hoc magnopere volumus, et ut vos annuatis salubriter admonemus. Sed hoc secundum indulgentiam concedimus, non licentiam id efficiendi pro libito cujuslibet tribuimus.

Quoniam cum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profecto sedis apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod et Bonifacius, atque Gelasius sanctissimi præsules, non suis adinventionibus, sed

Ecclesiæ Romanæ consuetudinem non ignorantes dicunt: Bonifacius quidem Rufo, et cæteris episcopis per Thessaliam, et alias provincias constitutis scribens: Nemo, ait, unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. Gelasius autem in commonitorio Fausto magistro fungenti legatione Constantinopolim dato: Nobis, inquit, opponunt canones dum nesciunt quid loquantur; contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium. Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi cujus potius sequenda decreta mandarunt. Ergo de judicio Romani præsulis non retractando, quia nec mos exigit, quod diximus comprobato: non negamus ejusdem sedis sententiam posse in melius commutari; cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreverit. Quoniam et egregium apostolum Paulum quædam fecisse dispensatorie legimus, quæ postea reprobasse dignoscitur. Quando tamen illa Romana videlicet Ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quæ pene [bene] sunt diffinita retractare voluerit.

Porro ne dicatis præter Ecclesiæ legem Ignatium, vel Photium Romam venire sanxisse; scitote nos antiqui patris et prædecessoris nostri Julii in hoc esse secutos exemplum, qui juxta quod in epistola sua reperitur (*epist.* 1), his, qui convenerant Antiochiæ, hoc præcepisse dignoscitur: et Theodoritus historiographus in his hoc ipsum verbis ostendit (*lib.* II, *c.* 4): Verum, inquiens, Eusebius ejusque consortes calumnias in Athanasium factas Julio Romano pontifici destinaverunt, qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit; ille continuo evocatione suscepta venit.

Quod si ac hoc dicitis, Ille quidem vocavit, sed ipsi venire contempserunt. Audite sequentia, et videbitis utrum in laudem, an in vituperium ista sit illis reputata contemptio. Subjunxit enim idem historiographus dicens: Calumniarum vero sarcinatores Romam quidem profecti non sunt, scientes facile suum posse capi mendacium. Ne ergo dicatis nos præter Ecclesiæ legem præfatos Romam venire sanxisse: quoniam (sicut ex historiographo ecce audistis) beatus Julius et accusatum et accusatores Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. Sed ille, qui bonam conscientiam gerebat, nihil reluctans venit: illi vero, qui malam, contempserunt; scientes profecto,

A sicut ibi legitur, facile suum posse capi mendacium. Quod nos quoque in Ignatio, ac Photio modo probabimus, quia conscientia se remordente, qui pavet, nobis obedire contemnet. Si tamen Ignatius, qui omni est humano destitutus præsidio, vestrum non impedimentum passus, sed potius fuerit misericorditer vestro qualiter venire possit, adjutus auxilio.

Porro, si venire illi per se nequeunt, primo quidem ipsi, cujus rei causa venire non valent, nobis per satisfactorias suas litteras indicent; deinde veniant de his, qui cum Syracusano Gregorio sunt quotquot voluerint, vices cæterorum tenentes, qui ipsius sunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatii archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius B Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum, Metrophanes Smyrnæ, et Paulus episcopus Ponti Heracliæ, Hegumeni autem Niceta Chrysopoleos, Nicolaus Studii, Dositheus Osiidii atque Lazarus presbyter, et monachus qui dicitur Cazaris; qui nisi fuerint missi, suspectos vos reddetis: quia hos in quibus certificari possimus, a nostris obtutibus subtrahere studiose curatis. Et ideo neminem cæterarum partium admittemus, nisi forte quos ex latere vestro destinatos esse veraciter valeamus agnoscere. Quibus ex utraque parte convenientibus, et coram nostra præsentia, ac fratrum et coepiscoporum nostrorum auditis, quid quæstionis inter utramque partem emerserit, facilius agnoscamus, et canonice finiamus. Mittat nihilominus et Photius ex sua parte quos decreverit, qui modum C promotionis suæ irreprehensibilem et canonicum, si possunt, edoceant. Necnon et imperialis apex vester, si libet, suos e latere mittat aulicos, qui in præsentia positi, quem justitia et rectitudo utrisque partibus finem dederit, patenter agnoscant, vestræque pietati renuntient. Hi vero, qui ex latere vestro mittendi sunt, tales sint, qui et Deum timeant, et non sint ecclesiasticarum inexpertes traditionum, atque veritati obedienter et facile acquiescant.

Verum quia sunt quidam ex his, quos Romam venire præcipimus, qui nulla sua habentes solatia, nisi aliorum freti subsidiis, omnino tantum iter arripere nequeant, idcirco quasi præsentialiter clementiam vestram exoramus, ut quibus egent ad tam difficile atque prolixum iter, pro dilectione Dei misericordi- D ter præstare dignemini. Credimus enim acceptum esse vobis istud consilium, nec moleste feret honor regius vester, qui justitiam diligit, pro his quæ taliter efficienda decrevimus: Quoniam justitia sæpius ventilata clarius splendescit in lucem. Proinde materiam, per quam veritas possit fieri manifesta, confidimus, quod pietas vestra benigne cupiat adjuvare. Cum autem legati vestri venerint, mittite quæsumus et epistolas authenticas, quas per Rhadoaldum, et Zacharium dudum episcopos misimus vestræ scilicet eminentiæ atque synodo, quæ tunc pro sacris imaginibus esse colligenda putabatur, quatenus si tales permaneant apud vos, quales a nobis constat fuisse

transmissas, apud nos investigentur : sicque de cætero falso dicentium, alia nos scripsisse præter quæ misimus,labia conticescant. Si vero quædam in eis habentur inserta, quæ nos scribi non jussimus, nec mitti voluimus, diligenter scrutemur, et cujus culpa sit actum,reperiamus. Est enim apud nos socia illarum duarum, quam apud nos (sicut jam supra diximus) retinuimus pro futuro scilicet testimonio, uno tenore cum ipsis duabus exposita, et eisdem syllabis contexta per omnia.

Precamur etiam dilectionem vestram, ut nobis actionum authentica,in quibus continetur, qualiter Ignatius primitus sit existimatus depositus, destinare dignemini : et monumenta gestorum,quæ per Leonem a secretis misistis, quæsumus ipsa nobis authentica transmittite,tam illa videlicet,ubi de tyrannica exspoliatione Ignatii refertur, quam illa in quibus de imaginibus est agitatum,licet pene nihil, et a paucioribus præsulibus,quam in Ignatii putata depositione fuissent inventi. In quo datur intelligi, quod majus studium fuerit arreptum in læsione hominis, quam in laude Dei.

Jam vero si monitis nostris obedieritis,et quæ intimavimus adimplere studueritis, favente Domino, auctoritateque sanctorum principum apostolorum potiti, licentiam Christianissimæ,ac mansuetissimæ sublimitati vestræ concedemus,cum sancta catholica et apostolica Ecclesia,specialiter autem nobiscum, et cum consacerdote nostro Ignatio, et cum parte ipsius, communionis gratiæ participandi, excepta communione Gregorii Syracusani, et partis ejus, atque consentaneorum ipsius communione. Porro, si fortassis excellentiæ vestræ non placet, quod superius scripsimus pro mittendis ex utrisque partibus legatis, scitote nos nil convenientius, aut commodius, quam hoc fieri posse penitus invenisse.

Quamvis et ad hoc ipsum pro vestro imperiali amore, ne vobis existimemur in nullo satisfacere velle,condescendamus : Atque ne minus pacem Ecclesiæ nos velle sectari,quam semper voluimus,opinemini.Siquidem (ut prætulimus) nulla regula,nullaque consuetudo demonstrat, sedis apostolicæ semel prolatam sententiam,ipsa non annuente, ultra posse mutari. Nihil præterea est,quod vos avertere debeat, si placet, credite, quominus præfatos viros in nostram præsentiam dirigatis ad inquirendam scilicet justitiam et veritatem,Testis enim est nobis omnipotens Deus : quia non est in mente nostra quælibet intentio vel desiderium,nisi diligenter investigandi et inveniendi quid æquitas unicuique parti tribuat, et quid Ecclesiæ præsenti statui et futuro conveniat. Non ergo putetis nos aut Ignatio velle favere contra justitiam, aut Photium impugnare canonibus sibi non resistentibus.Certe perfectorum Christianorum est, non solum nulli velle nocere, verum etiam lædenti se malum pro malo non reddere (*Matth.* v; *Rom.* xii). In quo ergo coram Deo loco,vel inter quos computaremur,si nil nobis contrarietatis irroganti inimicitias inferre appeteremus? Igitur dignetur credere pietas vestra, quoniam nec isti volumus in sua justitia contraire, nec Ignatio, non suffragantibus canonibus, et ecclesiasticis traditionibus, auxiliari.

Credimus autem in Domino,qui dixit de tenebris lucem splendescere, et qui dat homini scientiam : quoniam si partes, quas diximus, ad illius limina pervenerint,qui mentientes Ananiam et Sapphiram gladio sancti Spiritus interemit (*Act.* v),si qua sunt incerta et abdita,revelabuntur, et manifesta fient : quia nos semper hoc in voto habemus,et inhianter desideramus,ut æqualitatem utrisque partibus servantes,nihil nisi quod sacri canones,nisi quod æquitas dictaverit,adjuvante Domino,statuamus, nullius detrimentum volentes,quanto minus periculum anhelantes? Quamobrem ergo jam quia sic se veritas habet, contra partem Gregorii Syracusani simus commoti,et in flagello profecti,si vultis agnoscere, dignanter audite : Videlicet quoniam non surdi fuimus auditores sancti evangelistæ, qui nobis refert, quod Redemptor noster flagellum fecerit de resticulis, et templum ingressus omnes in eo diverso modo male operantes ex ipso projecerit (*Joan.* xxi). Quod cernentes apostoli, potuerunt utique minus adhuc perfecti mirari, veluti forsitan nunc vos, quomodo tanta facilitate sacerdotes et cunctos malos operarios foras e templo pepulerit. Sed postea recordati sunt quia scriptum erat : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* lxviii). Neque itaque inimicitiæ, non humanum odium,non ullum (Deo gratias) malignum desiderium nos contra præfatæ partis homines impulit,sed zelus domus Dei,zelus paternarum traditionum,ordo ecclesiasticus, antiqua consuetudo,atque sollicitudo, quam circumferimus, cunctarum ecclesiarum Dei : necnon et privilegia propriæ sedis, quæ in beato Petro suscepta divinitus, et in Ecclesiam Romanam derivata, universalis celebrat et veneratur Ecclesia,sicut prædiximus, nos accendunt,et silere, ac desides esse nequaquam permittunt.

Ergo cum ita sit,quoniam,ut veritatem dicamus, per omnia ita est,et si tempus indulgeret,mille quæ dicimus valeremus testimoniis demonstrare, et vobis ex probabilium scriptis virorum judiciis ostendere multiplicibus : nolite indignari,nolite adversus nos frustra causari, nolite perversorum hominum verba libenter audire, sed potius nos audite. Nolite nobis minas prætendere,quoniam nec illas,Domino protegente,metuimus,nec per has præcepta vestra, nisi divinis fuerint jussis ornata, faciemus. Parati autem sumus propter veritatem,sanguinem nostrum effundere,et siquidem plebem divinitus nobis commissam,nec vobis,nec ulli vestrum, propitio Christo, trademus.

Vestrum autem est considerare,utrum quod meditamini valeatis necne perficere.Cogitate itaque dies antiquos,et annos æternos in mente habetote (*Psal.* lxxvi) : et quid imperatores,qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, et maxime Ecclesiam Romanam : id

est Nero, Diocletianus, Constantinus, Anastasius, et cæteri moris eorum pertulerunt, et ubi modo sint attendite diligenter, et quantum sit in Ecclesia Dei exsecrabilis fama eorum, et nomen detestabile sapienter advertite. Quanta autem Dei cultorum Augustorum, qui Ecclesiarum Dei exaltaverunt et præcipue Romanam, Constantini videlicet et Constantis, Theodosii quoque majoris et Valentiniani, et cæterorum laus in universali Ecclesia polleat, et eorum præconia ubique personent, et nomen eorum inter sacra mysteria imprætermisse commemoretur, attentius et sedule recordamini : sicque nos audire illos imitantes satagite : Patres enim vestri per gratiam Christi sumus, et vos tanquam charissimos diligimus filios : nec possumus vobis nisi viam veritatis ostendere : terrenam gloriam vestram augeri divinitus exoptamus. Sed quid peccamus, si cœlestem, ac æternam vos capessere nihilominus exoramus?

Quapropter attendat clementia vestra, quantus fuerat erga sedis apostolicæ reverentiam antecessorum vestrorum piorum duntaxat imperatorum, et præcipue quos longe superius memoravimus, amor et studium : qualiter eam diversis privilegiis extulerint, donis ditaverint, beneficiis ampliaverint : qualiter illam litteris suis honoraverint (ejus votis annuerint, instituta perficienda mandaverint), orationes petiverint, fidem sectandam decreverint : qualiter etiam legibus suis pro adunandis ei ecclesiis promulgaverint, pro colligendis conciliis, ac proferendis sententiis non imperaverint : sed precati et hortati solum exstiterint, et quæ illi decreverunt, ipsi consenserint, et quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint. Sic ergo, fili charissime, sic et tua sublimitas non ex parte ingratorum et inobedientium filiorum existens, quod absit, sed hos inter cæteros Dei cultores Augustos imitata, quæ decrevimus de Constantinopolitana Ecclesia, obedienter attendat. Ista quæsumus suadentibus sæpius nobis pietas vestra nos minime spernat, præ oculis habitis Domini verbis, dicentis : *Qui audit vos, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit* (*Luc.* x), etc. Denique et concordans Apostolus Domino nostro : *Quapropter*, ibquit, *qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis* (*I Thess.* iv). Verum si vos nos spernendos esse ducitis, nos tamen non possumus ea, quæ Dei sunt, spernere et negligere, quo minus et saluti vestræ consulamus, et de acceptione talenti crediti nostrum periculum declinemus, dispensatione nobis cœlestis seminis injuncta : Væ si non sparserimus! væ si tacuerimus! (*I Cor.* ix).

Quod cum electionis vas formidet et clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum est? Proinde, sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro divinitatis cultu et Ecclesiæ correctione quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cum debeant parere, despiciunt. Et si unctis generaliter sacerdotibus divina tractantibus fidelium convenit corda submitti; quanto potius sedis illius pontifici consensus est adhibendus, quem cunctæ Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi clementia vestra evidenter advertit, nunquam quovis penitus humano consilio elevare se quemquam posse contra illius privilegium, vel confessionem, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem : impelli non valent humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio constituta. Desinant ergo rogamus, temporibus vestris quidam per occasionem perturbationem ecclesiasticam præcipitanter appetere, et quæ non liceat ambire : alioquin et quod male appetiverint, non perfruentur, et ipsam quoque Christianitatem, nisi resipuerint, prorsus amittent. Vos autem, quæsumus, nolite præjudicium Dei Ecclesiæ irrogare : illa quippe nullum imperio vestro præjudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius æternam divinitatem exoret, et pro incolumitate vestra et perpetua salute jngi devotione precetur. Nolite quæ sua sunt usurpare : nolite quæ ipsi soli commissa sunt velle surripere : scientes, quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo clericorum, et militantium Deo nullis convenit negotiis sæcularibus implicari. Denique hi, quibus tantum humanis rebus et non divinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus.

Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul et sacerdotes existerent : quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia : quodque in membris suis diabolus imitatus, ut pote qui semper quæ divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum [*nempe*, Christum, Hard.] ventum est, eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentnr : quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus.

Et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret (*II Tim.* ii), ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse pontificem, quem con-

stat a pio principe Constantino, quod longe superius memoravimus, Deum appellatum, nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est. Sed et Theodosius minor sanctæ synodo scribens Ephesinæ primæ, dicit : Deputatus est igitur Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum transire usque ad sanctissimam synodum vestram, et in nullo quidem quæ faciendæ sunt de piis dogmatibus quæstiones,seu potius expositiones communicare. Illicitum namque est eum, qui non sit ex ordine ssnctissimorum episcoporum,ecclesiasticis intermisceri tractatibus.

Quid præterea hinc Romani præsules sentiant, quid Latini, Græcique doctores hinc exponant, quid denique Maximus venerabilis monachus, et in illo tempore apud vos pene solus catholicus in disceptatione sua perhibeat, quoniam longum est scribere, interrogate seniores, qui tamen moribus seniores sunt, et dicent vobis. His itaque manifeste repertis, apparet comministrum nostrum Ignatium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus expelli. In cujus damnatione,quia præsulum quoque assensus est subsecutus, apparet id causa fuisse patratum adulationis, non legitimæ sanctionis. Siquidem in tantum vestra sententia præsulum præcessit sententiam,ut non solum vestro sit jussu a credita sibi ante omnem interrogationem idem antistes pulsus ecclesia,verum etiam postea in damnatione ipsius (sicut gesta illius latrocinalis synodi, quæ nobis per Leonem illustrem a secretis misistis, indicant) quod nunquam, ni fallimur, aliquando fuit actum, primi et ante omnes scripseritis episcopum. His ita prælibatis sub conspectu Dei, pure, sincereque pietatem vestram deprecamur, obtestamur, exhortamur, ut petitionem nostram non indignanter accipiatis.

Rogamus denique,ut nos in hac vita potius audiatis deprecantes, quam, quod absit, in divino judicio sentiatis accusantes. Et ideo nolite,precamur,irasci si vos tantum diligimus, ut regnum, quod temporaliter assecuti estis, velimus vos habere perenne : et qui imperatis sæculo, positis regnare cum Christo. Nam qua fiducia,rogamus, illic Dei præmia petituri estis,cujus hic Ecclesiæ detrimenta non prohibetis? Non sint gravia, quæsumus vos, quæ pro vestræ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legitis : *Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici* (*Prov.* XXVII). Deus omnipotens cor imperii vestri ad intelligenda quæ dicimus,clementer aperiat, et nobis obedire in his de quibus scribimus, impetrare nutu intimæ inspirationis suæ dignetur,Christianissime et dilectissime fili.

Quisquis autem hanc epistolam nostram Constantinopoli legerit et augustissimo filio nostro imperatori Michaeli quidquam ex his, quæ in ea scripta sunt occultaverit, si locum apud illum potest invenire sufficientem, anathema sit (*epist.* 10). Quisquis etiam interpretatus eam fuerit et ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit, præter illud quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretantis scientia [*lege ut in epist.* 10 : interpretanti scientiam, etc. HARD.] intelligendi non tribuit, anathema sit.

Hæc quidem, quæ hucusque per periochas novem sunt scripta, prius acta, et a nobis per quosdam fraternæ generalitati vestræ intimanda snnt missa, præter epistolam illam apostolatus nostri, quam Michaeli excellentissimo imperatori per quemdam ipsius legatum, qui se protospatharium appellabat, nomine Michaelem, transmisimus. Postea vero cum cognovissemus, quia penes hos, qui nolunt sanis acquiescere monitis, nihil solum scribendo proficiebamus, ratum duximus, per legatos nostros, et iteratas litteras ea rursus quæ videbantur Ecclesiæ profutura mandare, hujus rei gratia direximus Constantinopolim Donatum sanctissimum episcopum,et Leonem venerabilem presbyterum, atque filium nostrum Marinum diaconum : quatenus hi,qui litteris admoniti parere refugiunt, veritati, saltem verbis salutaribus eonventi, discant tandem divinis institutionibus minime resultare. Quibus in scriptis dedimus, quæ habentur in subditis, quæque per tres periochas distinguenda fore decrevimus. Prima utique harum est, quæ et decima hujus est periocha voluminis, continens epistolam ad jam memoratum Augustum transmissam, et alteram ad episcopos ac cæteros ordines Constantinopoli subjectos. Secunda vero periocha est, quæ hujus corporis undecimum complet locum, habens in se duas epistolas : unam Photio, et alteram Bardæ fautori ejus descriptam. Porro tertia est, quæ et duodecima istius est codicis periocha, circumferens in se fratri et coepiscopo nostro Ignatio, et matri imperatoris, atque uxori ejus singulas missas epistolas : necnon et epistolam uniformem, quam quibusdam claris urbis Constantinopolitanæ senatoribus singillatim scribendam, atque mittendam fore prævidimus.

LXXXVII.

AD REMBERTUM ARCHIEPISCOPUM HAMMABURGENSEM.

(Anno 865.)

Pallii usum concedit.

[Apud Lappemberg, *Hamburgisches Urkundenburch*, Hamburgi 1842, p. 29 *seqq.*

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro RIMBERTO, archiepiscopo Hammaburgensi.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant : quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles, nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet. Unde modo honoris reverentia sublimioris inter cæ-

teros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum solemnia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solummodo in die sanctæ ac venerandæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu in natalitiis sanctorum apostolorum, atque beati Baptistæ Joannis, necnon in assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ, simulque in Dominicæ Domini Dei nostri nativitatis die, pariterque in solemnitatis Ecclesiæ tuæ die, verum etiam et in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo prædecessore nostro domino Gregorio, hujus almæ sedis præsuli, sancitum est. In secretario vero induere tua fraternitas pallium debeat, et ita ad missarum solemnia proficisci, et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripiatur, ordinate etiam, quæ licere poterant, amittantur. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut et cuncta ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula; in ipsa, si qua fortitudo illis injecta est, dirigatur, in ea, quod imitentur, aspiciant; in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum, post Dominum, videatur esse, bene quod [*f.*, esse bonum quo] vixerint. Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa deficiant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniant; districtum mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset; remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et judicis severa districtio, unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendos a pravitate compescat. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transiit in crudelitatem correptio, iram judicio refrena et censura disciplinæ sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta correctio contradicat, nullius faciem contra justitiam aspicias, nullum quærentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere, nec pauperem de re sua faciat humilitas desperare. Quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Fidem autem tuam, quam intus epistolis breviter ascripsisti licet latius explanare debueras, Redemptori tamen nostro gratiam agimus, quod eam in ipsa jam brevitate rectam esse cognovimus. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudines ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur.

Scriptum per manum Zachariæ, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembre, indictione XIV.

LXXXVIII.

AD BERNARDUM ILLUSTREM VIRUM FILIUM BERNARDI QUONDAM BARCINONENSIS COMITIS.

Fragmentum. — (Anno 865.)

Illum ob deprædationes multas corripit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Curæ quam pro cunctis Dei Ecclesiis circumducimus officium nos cogit pro universorum Christianorum salute fore sollicitos. Quamobrem et de te quoque providentiam agentes, audimus, quod non optabamus, ita te contra Deum efferri ut Christianum populum deprædans in regno filii nostri gloriosi regis Caroli numerosa mala exerceas, adeo...

LXXXIX.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 866.)

Synodum pro causa Wlfadi, et sociorum ejus, apud Suessionem convocari jubet.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo Rhemensi.

Multorum a partibus Galliarum ad limina vel sedem confluentium apostolicam relatione didicimus, sanctitatem tuam quosdam clericos, qui de consecratione fuerant Ebbonis quondam Rhemensis antistis, propriis gradibus pepulisse. Quorum dejectionem audientes, quia etiamsi nullo speciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppressis tamen subvenire, et ad exemplnm Dominicum elisos erigere et compeditos solvere nos oportet (*Psal.* CXLV), operæ pretium duximus in archivis sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ studiosius quærere, et si scripto forte memoria quælibet apud nos, sive de illis, sive de ordinatore ipsorum esset recondita, diligenter investigare, quod et fecimus. Siquidem ex his quibusdam Deo revelante repertis, nihilominus etiam concilii quod nobis ipse misisti, videlicet in quo præsignati clerici degradati sunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id est tam illis monumentis, quæ penes nos habentur, quam his quæ sanctitas tua nobis destinavit, rite collectis, enucleanterque recensitis, nondum liquido patet eosdem clericos regulariter gradu proprio caruisse. Verum nos nec hos interim justificamus, nec

pro hoc quemlibet condemnamus, nec facile vocem A istorum spernimus, nec reverentiam tuam improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id est humilium, dignoscamur : hoc vero, ne de incognitis immature judicare quippiam videamur. Proinde necessario præsentis epistolæ salubribus fraternitatem tuam hortamur affatibus, ubi commemoratos viros, Wlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi anno et tranquilla studeat ad se magnamitate vocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum secum fraterne tractare, atque misericorditer consummare contendat. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius esse credidimus, si respectu divinitatis interrogata conscientia solus illorum restaurationem sine quavis ipse refragatione B admiseris, quam si prius renitens, detecta tamen justitia cum multis hanc postea fueris amplexatus. Jam vero si flecti ad hoc te munda conscientia non permittit, præcipimus fratres nostros, Remigium Lugdunensem, Adonem Viennensem, Wenilonem Rothomagensem, una cum cæteris archiepiscopis et episcopis Galliarum et Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in idipsum cum beatitudine tua, et suffraganeorum tuorum, apud Suessionem urbem diœceseos tuæ pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum Wlfadum quoque, cum jam præsignatis paribus ejus, vos accersire procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam archiepiscopis et episcopis, quam ipsi Wlfado et sociis ejus, nostras hoc jubentes litteras destinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta, quæ in eis gesta C sunt, examinantes et subtilius investigantes, si de illorum reformatione justum quid vel pium senseritis, sine contradictione perficite, et eos in suis ordinibus restituite. Præterea si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, et ejus speciali se judicio damnari vel absolvi petierint, præcipimus ut si sanctitas tua, vel si Wlfadus, aut socii ejus, ad nos venire per se non possunt, vicarios vestros ad hoc negotium ventilandum et finiendum, mox post consummatum concilium xv Kalendas Septembres præsentis xiv indictionis auctoritate nostra collectum, vestras præsentaturos personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem B. Petri emittatis. In quo ne D forte sinistra cogitatio subrepat, dicens eosdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum excesserit : sciendum est, nihil tale in canonibus, ubi de appellationibus ad Romanum præsulem legitur, penitus reperiri : alias autem et istos forsitan intra annum provocasse clarebit. Denique, sicut epistola penes nos inventa sanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, sedem apostolicam eos appellasse jam non incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter se diversa sit omnimoda depositio, de qua nunc agitur, et suspensa excommunicatio, cujus vocem proterve utique clamantem, non humiliter petentem, post annum non audiendam quædam regula statuit. Quia vero nonnulli, Pharaonem ministrosque ipsius imitantes, sæpe cum senserint oppressos quosque atque dejectos, de suis necessitatibus, sicut olim Israel filios, vociferari, iniquis eos operibus opprimunt, et oneribus exquisitis affligunt: idcirco coram Deo sanctitatem tuam admonemus, ut cum fortassis nostris apicibus animati, crebro dicti viri dejectionis suæ causam venire ad examen obtinuerint, nullam ex his quilibet indignationem tuam sustineat, nullum ad cœpta peragenda per suggestionem reverentiæ tuæ patitur incommodum. Sed dicturus es, sedis apostolicæ te privilegia confirmantia quæ de ipsis statuta sunt viris habere. Bene, argute. Sed si penes te, sicut exemplaria quæ apud nos rejacent, fideliter reservantur, et ea diligenter relegeris, profecto reperies quia summa firmitasque ipsorum in apostolicæ sedis reservata sit arbitrio potestatis. Nimirum quæ sic aliena jura custodit, ut sua non minuat: sic honorem debitum dat, ut suum non tribuat alienis : sicque dilectionem tuam rexit ab hoste, ut ipsa se flagitantium exhiberi nequeat hostis. Unde sicut nos contra cunctos adversantes tibi, Deo juvante, clypeum protectionis nostræ parati sumus opponere : ita fraternitas tua studeat his qui apostolorum suffragia postulant, benigno semper favore succurrere, et arma quæ contulimus sic pro te sint valida, ut totius pro nobis, ubi necesse est, non contra nos, roboris firmitatem obtineant. Agat igitur in his fraternitas taa, ut præter debitam obedientiæ reverentiam, quantus sit in mente tua circa nos amor, qui auro et lapidibus pretiosis potior est, luce clarius innotescat, et per horum exhibitionem det speciale suæ charitatis indicium: et quæ intus nonnunquam solummodo flagrat, in his propriæ nunc radios suæ claritatis foras emittat. Porro scito nos fratri et coepiscopo nostro Remigio Lugdunensi antistiti præcepisse, ut te prius adiens nostras dilectioni tuæ litteras porrigat: et sic demum, si restitutioni præfatorum consentire solius tuæ auctoritatis ausu vereris, ad convocandum statutum sententia nostra jam designatum concilium epistolas nostras sibi delatas quibus a nobis destinatæ sunt mittere satagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, sub gestorum serie discretioni nostræ, sicut veneranda decreta statuunt, mittere, et nostræ auctoritati quæ salubria videbuntur roboranda, plena fidelique relatione dirigere. Ad extremum vero provide, ne ullo pacto quod de præfatis remotis clericis sanximus æstimes negligendum cum a nobis incunctanter nosse poteris, si contemptum fuerit, omnimodis ulciscendum, quippe quos nec charitas fraternitatis, nec dispensatio loci, cui Deo auctore præsidemus, quousque regularem finem opitulante ipso capiat, a nobis patitur omittendum. Optamus sanctitatem seu fraternitatem tuam in Christo bene valere. Data III Nonas Aprilis, indictione XIV.

XC.

AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

(Anno 866.)

Præcipit ut nisi Hincmarus Wlfadum et socios suis gradibus ultro restituat, concilium Suessione ad xv Kalend. Septembres convocetur, in eoque restituatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Herardo Turonensi archiepiscopo, seu omnibus venerabilibus episcopis diœceseos tuæ.

Multorum a partibus Galliarum ad limina vel sedem confluentium apostolicam relatione didicimus, fratrem nostrum Hincmarum Rhemensem archiepiscopum quosdam clericos, qui de consecratione B fuerant Ebbonis præcessoris sui, propriis gradibus pepulisse. Quorum dejectionem audientes, quia etiamsi nullo speciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppressis tamen subvenire, et ad exemplum Dominicum elisos erigere, et compeditos solvere nos oportet (*Psal.* CXLV): operæ pretium duximus in archivis sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ studiosius quærere, et si scripto forte memoria quælibet apud nos, sive de illis, sive de ordinatore [ordinatione] ipsorum, esset recondita, diligenter investigare, quod et fecimus. Siquidem ex his quibusdam Deo revelante repertis, nihilominus etiam concilii, quod nobis ipse misit frater et coepiscopus noster Hincmarus, videlicet in quo præsignati clerici degradati sunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id est tam illis monumentis C quæ penes nos habentur, quam iis quæ idem antistes nobis destinavit, rite collectis, enucleanterque [enucleate] recensitis, nondum liquido patet eosdem clericos regulariter gradu proprio caruisse. Verum nos nec hos interim justificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus: nec facile vocem istorum spernimus, nec reverentiam jam dicti fratris improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id est humilium, dignoscamur: hoc vero, ne de incognitis immature judicare quidpiam videamur. Proinde necessario epistolæ nostræ salubribus eumdem communem fratrem nostrum hortati sumus affatibus, uti commemoratos viros, Vulfadum scilicet collegasque ipsius, clementi animo et tranquilla studeret ad se magnanimitate vocare, D depositaque omni funditus animositate, et de restitutione ipsorum secum fraterne tractare, atque misericorditer consummare contenderet. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius esse credidimus, si respectu divinitatis interrogata conscientia, solus illorum restaurationem sine quavis ipse refragatione benignus admitteret, quam si prius renitens, detecta tamen justitia, cum multis hanc postea sequeretur. Jam vero, si hunc fleti ad hoc munda conscientia non permittit, præcipimus vos, una cum cæteris archiepiscopis et episcopis Galliarum et Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in

A idipsum, cum prædicto fratre et coepiscopo nostro Hincmaro et suffraganeis ejus, apud Suessonicam urbem pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum Wlfadum quoque cum jam præsignatis paribus ejus vos accessere procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam ipsi crebro nominato antistiti, ac reliquis archiepiscopis et episcopis, quam Wlfado et sociis ejus, nostras hoc jubentes litteras destinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta quæ in eis gesta sunt examinantes, et subtilius investigantes, si de illorum reformatione justum quid vel pium senseritis, sine contradictione perficite, et eos in suis ordinibus restituite. Præterea si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, et ejus speciali se judicio damnari vel absolvi petierint, præcipimus, si sæpedictus frater et coepiscopus noster Hincmarus, vel Wlfadus aut socii ejus, ad nos venire per se non possunt, vicarios suos ad hoc negotium ventilandum et finiendum, mox post consummatum concilium xv Kalendas Septembris præsentis XIV indictionis auctoritate nostra collectum, eorum præsentaturos nobis personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem beati Petri transmittant. In quo ne forte sinistra cogitatio subrepat, dicens eosdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum excesserit, sciendum est nil tale in canonibus, ubi de appellationibus ad Romanum præsulem legitur, penitus inveniri. Alias autem et istos forsitam ante annum provocasse clarebit. Denique, sicut epistola penes nos inventa sanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, sedem apostolicam eos appellasse jam nos incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter se diversa sint omnimoda depositio, de qua nunc agitur, et suspensa excommunicatio, cujus vocem, proterve utique clamantem, non humiliter petentem, post annum non audiendam quædam regula statuit. Sed ad hæc crebro dictus antistes dicturus est, sedis apostolicæ se privilegia, confirmantia quæ de ipsis statuta sunt viris, habere. Bene et argute. Sed si penes illum sunt exemplaria, sicut jactat, quæ apud nos fideliter reservantur, et ea diligenter relegerit, profecto reperiet, quia summa firmitasque ipsorum in apostolicæ sedis reservata sit arbitrio potestatis. Nimirum quæ sic aliena jura custodit, ut sua non minuat: sic honorem debitum dat, ut suam non tribuat alienis: sicque dilectionem ejus texit ab hoste, ut ipse hanc flagitantium exhiberi nequeat hostis. Nam et arma illi a nobis collata ita volumus pro eo sint valida, ut potius pro nobis, ubi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant. Siquidem etiam ab eo privilegiorum apostolicæ sedis decreto non habito, quæ sanctitas ejus statuit, nos violanda non ducimus, nisi forsan sacris legibus inveniantur adversa. Porro scitote nos fratri et coepiscopo nostro Remigio Lugdunensi antistiti præcepisse, ut si restituendi prælatorem frater episcopus noster Hincmarus con-

sentire solius suæ auctoritatis ausu veretur, ad convocandum statutum sententia nostra jam designatum concilium, epistolas nostras sibi delatas vobis, quibus a nobis destinatæ sunt, mittere satagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, sub gestorum serie discretioni nostræ, sicut veneranda decreta statuunt, mittite, et nostræ auctoritati quæ salubria videbuntur roboranda plena fidelique relatione dirigite. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data III Nonas Apriles, indictione XIV. *Et hoc tenore constantes missæ sunt aliis episcopis diversarum provinciarum.*

XCI.

AD FESTINIANUM EPISCOPUM DOLENSEM.

(Anno 866.)

Redarguit eum quod sibi cum debita reverentia non scripserit, mandatque ut Turonensem Ecclesiam metropolitanam agnoscat, nisi contrarium scriptis authenticis probet.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Dilectionis vestræ, quanquam sine impressione signaculi nominis alicujus, susceptis apicibus, multo aliter quam apostolatus nostri monueramus litteris, in eis vos scripsisse, imo egisse cognovimus. Nam in fronte paginæ vestræ vestrum apostolico nomini non veriti estis præponere, temeritate potius quam simplicitate prorsus utentes. Sed cum jam pro hoc ipso factum vestrum reprehenderimus, valde miramur cur non resipiscitis, modum vestrum minime transcendentes, et quo non congruit, gressus ducentes: pro quibus sine congrua invectione, non jam evaderitis, nisi nos utrum a vobis, an non iidem apices destinati essent, qui signo vestro carere videbantur, intentio dubios redderet, et apostolica mansuetudo correctionis adhuc tempus more solito protelaret; quod tamen evidenter, quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumptiva factione subjacere pavescitis. Monueramus siquidem vos, qui pallii usum quæritis Dolensi Ecclesiæ destinari, ut scripta illa quæ ab apostolica nostra sede prædecessores vestri in susceptione pallii perceperant, nobis direxissetis; quatenus nos, eisdem diligenter inspectis, per decessorum nostrorum vestigia gauderemus, subjungentes, ut epistolæ, quatenus magis creduli redderemur, cum episcopali et regia bulla signatæ, et missus vester idoneus scripta ipsa subsequerentur; sed vos fare id distulistis. Postremo contentione apud Britannos, quis fuerit metropolitanus, oborta, statuimus, ut ad Turonicam sedem, quam metropolim vestram esse plurium judicia demonstrant, recurretis, aut ad apostolatum nostrum destinare contenderetis, quatenus quæ fuerit apud vos metropolitana Ecclesia appareret. Sed neutrum horum perficere voluistis. Quapropter quia Turonensis Ecclesia, quantum comperimus, metropolis vestra est, restat, necesse est ut ipsam vestri sequantur episcopi, ipsamque in suis negotiis adeant, et ipsius judicium exquirere

A non detrectent, sicut se habent monumenta decessorum nostrorum pontificum et priorum exempla evidenter ostendunt. Quia vos, qui tantum septem episcopos habetis, quæ causa ecclesiasticæ traditionis vos sinat habere metropolim, ignoramus; præcipue cum episcopus non a septem, sed a duodecim audiri præcipiatur; et cum alicujus negotii inter vos causa ventilanda emerserit, quæ duodenario numero episcoporum debeat audiri, cum ob divisionem regni vicini non possint vocari antistites; unde fit ut damna Ecclesiæ pro talibus generentur, quemadmodum factum in illis de episcoporum dejectione reminiscimur regionibus. Vos tamen ne vocemini metropolitanus, quousque scripta decessorum vestrorum præsulum, quæ in acceptione B pallii vestri perceperunt prædecessores nobis mittatis: quia si pallii munus ab hac sancta sede vestra promeruit Ecclesia, sine scriptione aliqua, quam in archivis vestris recondere debuistis, tantæ dignitatis donum concessum minime vobis fuit. Scripsistis præterea nobis ut hujus Romanæ sanctæ Ecclesiæ præsul Severinus Restoaldum decessorem vestrum, sicut in nostris legitur gestis, in archiepiscopum consecrasset, et Adrianus cuidam Juthinaleo pallium dedisset. Sed nos utrorumque gestis revolutis nihil in eis super his penitus valuimus reperire. Tamen ut anceps intentio e medio auferatur, si adeo contentiosius agere vultis, ut Turonensem sedem vestram metropolim non esse dicatis; sancimus, ut diximus, mandantes fratri et coepiscopo nostro Heraldo, qui ei præsidet, ut ad C nostrum pontificium legatum suum transmittat; cum eo strenuos vestros dirigatis legatos, pariterque scripta, quæ protulimus, destinantes, quatenus utriusque partibus coram nobis auditis, æqua lance causa librata, quæ sit apud vos metropolitana Ecclesia luce clarius agnoscatur. Datum XVI Kalendas Junias, indict. XIV.

XCII.

AD SALOMONEM REGEM BRITANNORUM.

(Anno 866.)

Recusat mittere pallium Festiniano Dolensi episcopo, donec authenticis scriptis de illius jure convincatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Lectis gloriæ vestræ litteris, quas nostro præsu- D latui sine impressione signaculi alicujus dirigere visi estis, reperimus in eis vos nobis mandasse, quod et ante vos sæpe mandastis, scilicet ut pallium Festiniano venerabili Dolensi antistiti ab apostolica sede, cui divinitus præsumus, mitteremus. Sed antequam ad hæc consulta aliqua rescriberemus, convenerat nobis pro hoc quod nomen vestrum apostolico nomini scribendo præposuistis vos modesta increpatione corrigere. Tamen quia apostolica mansuetudo neminem repentina unquam invectione redarguit, et per negligentiam forte scriptoris hoc evenisse utcunque cognovit, distulit vos modo pro meritis coercere, quod tantum volumus emendetis,

quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumptiva factione subjacere formidatis. De pallii vero directione, quam dicitis, simulque Turonensi metropoli, sæpius vobis ea quæ rationis sunt scripsimus; sed sicut in litteris vestris relegimus, ad scripta nostra auris non cordis inclinastis intuitum. Restat ergo ut tandem quæ sit apud vos antiquitus metropolis intueamini. Metropolis enim vestra est, sicut dudum vobis significavimus, Turonensis Ecclesia, ut sese habent munita prædecessorum nostrorum, et priorum exempla ostendunt, ad quam vestræ regionis episcopos oportet recurrere, et ejus judicii sententiam, reservata sedis apostolicæ potestate, exquirere modis omnibus, non detrectare. Quoniam reprehensibile esse videtur ut ob divisionem regni quis sibi talia, quia inter vos audiuntur, vindicare nitatur. Quapropter, fili mi, ne præbeatis ista volentibus assensum, sed et alios ad verba vestra per exemplum obedientiæ accendatis; et sicut ait Apostolus, *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore* tribulationis (*I Petr.* v, 6). Quia si monitis nostris obedientes exstiteritis, omnibus bonis replebimini, et post finem hujus sæculi regnum quod vivit in æternum, orantibus sanctis apostolis, capietis. Porro si aliquas auctoritates habetis quæ apud Britannos metropolim fuisse declarent, aut decessorum nostrorum pontificum quæcunque scripta id ostendentia retinetis, ad nos ea dirigite. Mittat etiam et Turonensis Ecclesia nobis similiter, si habet, auctoritates, quæ illam suffraganeam suam exstitisse testentur, quatenus utrisque partibus auditis, inter utramque quæ sit metropolis cognoscamus. Quia sicut vos clamatis, et illa clamat, metropolitanatus jura apud Britannos regni istius tenuisse atque tenere. Aut si forte sæpedicta Ecclesia auctoritates, aut vestra quas habuit perdidit, amissionis illius modum reserare, aut ex utriusque partibus idoneos præcipuosque legatos, qui sciant plenam de omnibus reddere nobis rationis integritatem, nobis transmittite, ut, sicut prædiximus, inter vos, adjuvante Domino, finem ponamus.

XCIII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

(Anno 866.)

Iterum admonet de sententia excommunicationis, quam adversus Waldradam ejusque complices promulgarat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis per Italiam, Germaniam, Neustriam et Gallias constitutis.

Decreveramus quidem circa Waldradam mœcham, et pertinaciter in impœnitentia permanentem, vindictæ modum minus districte quam misericorditer temperare, et juxta quod merebatur, non ita pro tanto scelere sententiam in eam justæ punitionis proferre, nisi obstinato animo perenniter in mœchiæ volutabro permanere proposuisset, et nullis sacris monitis, nullis nostris seu vestris tam crebris exhortationibus se paratam exhibere. (*a*) Quia tamen non sua voluntate factum sit, Deo, qui cor considerat, et fidelibus ejus per omnia manet certissimum: cum sua sponte hactenus, si potuisset, imo perpetuo in tanto flagitio permansisset, nisi nostra super hoc abolendo fuisset cum virtute summi opificis incessabilis diligentia, et socii ejus, proh nefas! scilicet secum admittendis quomodocunque inclinatior exstitisset obedientia. Patet profecto ita esse quæ dicimus, cum hactenus culpam suam necdum cognoverit, nec confessa sit, juxta quod scriptum est: *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris* (*Isa.* XLVIII, *sec. Sept.*): nec missa nobis, qui causam ipsius exsequendam cœpimus, lamentationum legatione, veniam postulaverit, præmissoque pœnitentiæ remedio congruam meruerit indulgentiam, Salomone dicente: *Qui celat delicta, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et dimiserit ea, misericordiam consequetur* (*Prov.* XVII). Postremo cum recto itinere nos illi fuerat adeundum, et sedis beati Petri suffragia requirenda, quatenus juxta quod statutum fuerat, nos de ejus negotio Deo placita consideratione definiremus: postea retro est conversa post satanam, et in provinciam ut principaretur in ea iter reflexit: licet industria legati nostri ad Italiam denuo revocata sit, et quasi nihil fuerit operata, unde in Christi sit Ecclesia non modicum scandalum generatum, gloriam mundi sectatur, reique publicæ dominatur, ac quod est gravius, etiam piis locis atque religiosis personis præesse dignoscitur; et a Theutbergæ reginæ cœpta interitus meditatione, sicut nonnulli testantur, minime cessat, dum ea nimirum loca repetere affectat, in quibus facilis ipsius ad regem Lotharium, et ejusdem regis ad eam possit esse accessus. Et ut breviter cuncta complectar, de die in diem, qualiter ad pristinas voluptates redeat, variis argumentis exquirit. Verumtamen ut cum egregio Apostolo summatim dicamus quod contra eam contraque ejus similes sæpius replicandum est, quia secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ (*Rom.* II): idcirco nos eam, quousque de factis suis Ecclesiæ Christi, nobisque præcipue, qui ejus principaliter curam gerimus, quique causam ipsius exsequi ac investigare cœpimus, satisfecerit, donec etiam omnem a se sinistram suspicionem concilium nostrum suscipiens adimat, a pretiosi corporis et sanguinis Domini perceptione, atque ab omnimodo sanctæ Ecclesiæ consortio sancti Spiritus, beatorumque apostolorum Petri et Pauli judicio, et nostræ mediocritatis auctoritate, fecimus cum universis complicibus et communicatoribus fautoribusque suis prorsus extorrem. Hæc autem sententiam IV Nonas Februarias a nobis promulgatam meminimus, eamque scripto

(*a*) Locus corruptus.

vobis destinavimus. Sed quia ignoramus utrum ad vestram notitiam pervenerit, idcirco reverentiæ vestræ iterato illam pandere procuravimus, Nam dum adhuc negotium pendet, et cœptum bonum perfectionem non habet : imo dum diversis indiciis datur intelligi, quod anhelitus pravorum ad priora nequitiæ semper intendat, procurare magnopere necesse est, ne novissimus error nobis torpentibus pejor priore succedat. Siquidem et frustra speculatores dicimur, si venientem lupum a longe non cernimus. Frustra enim episcopi, id est, superinspectores vocamur, si futurum exitum per antecedentia signa minime contemplamur ; præcipue cum jam quod videmus experti simus, et futurarum certitudinem præteritarum gignat exhibitio rerum. Unde saltem de Theutbergæ reginæ illatis quotidianis insidiis vestra charitas doleat, et eximio Dominici corporis membro totius mentis affectu compatiatur : et ne labor noster inanis constituatur, spiritualia nobiscum vestra fraternitas adversus jam fatam mœcham et communicatores ejus, arma sustollat, et in parochia sua, ubi plebem Dominicam gubernat, vel ubi eam fore contigerit, excommunicatam hanc fautoresque suos viva voce subsistere, donec nostro speciali judicio dignæ se pœnitentiæ submittat, publice ac audacter asseveret. Porro si cujusquam fortassis adinventionis intentionisque fuerit dicere, quod non solum illa mulier, sed et Lotharius rex in hoc deliquisset, ideoque simili pœnitentia deberet arctari, utrum instruendo se, an exprobrando nobis, talia loquatur, licet nulli jactanter hæc proferenti nobis necesse sit respondere ; congruit tamen, ut a cujus auctoritate sanctio ista digreditur, in ejus prærogativæ affluentia, quisquis ille est, hujus rei solutionem quærat, eo quod auctoritas apostolica, ad quam universarum cura confluit ecclesiarum, idonea, quibus omnibus consulat, moderamina satis habeat : per quæ et indoctos quosque disciplina salutis instruat, et exprobratoribus dispensatorie modum dignæ discretionis imponat. Interim vero, quisquis vestrum hujus sanctionis epistolam susceperit, ad episcopos metropolitanos destinare summoqere studeat, et exemplaria ejus per vicinas regiones dispergat, et talem se in omnibus his exhibeat, ut alterius zelo Phinees iram Domini mitigantis, non in defensione scorti, sed in ultione stupri se fervere cunctis ostendat. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data Idibus Juniis indictione XIV.

XCIV.

AD EGILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

(Anno 866.)

Pallium novo archiepiscopo concedit, tametsi non probare se dicat quod ex aliena ecclesia et monasterio assumptus sit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, EGILONI Senonensi episcopo.

Pastoralis curæ pondera te humiliter subterfugere voluisse laudamus : sed rursus ad hæc pondera humeros mentis obedienter incurvasse nihilominus approbamus. Impletum est enim in te duorum factum, Jeremiæ scilicet et Isaiæ illustrium prophetarum. Quorum unus ad prædicationem populi volente Domino mittere, de infirmitate sua pavescens refugit : *A, a, a,* inquiens, *Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jer.* I). Alter vero de Dei misericordia præsumens, quærenti quem esset missurus, respondit dicens : *Ecce ego, mitte me* (*Isa.* VI.) Quod ergo venire ad tanti culminis onus renisus es, humilitatis quidem solum fuit indicium : quia vero pervenire consensisti, ejusdem exstitit humilitatis ejus et comitis obedientiæ plenitudo. Quæ res una cum sanctitatis tuæ præconio pontificium nostrum, licet difficulter, ut tamen ad confirmationem tui pallium mitterem, inclinavit. Perhibes enim te non de Senonensi ecclesia exstitisse, sed de quodam monasterio ad episcopatum ejusdem ecclesiæ pervenisse. Quod nos ubicunque fiat, cum fit, malefice ferimus, et graviter omnimodis ducimus, pro conculcatione scilicet sacrorum canonum, et aspernatione clericorum, qui crescentes in sua ecclesia, et virtutibus operam, et bonis moribus honestatem ac sapientiæ studiis diligentiam impendisse per singularum ætatum incrementa probantur. Quid autem suffragatur consensus episcoporum, ubi non pro regulis paternis, sed contra regulas adunatur. Tum quippe alter de altera eligendus est ecclesia, cum de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus potuerit inveniri. Quod evenire in tam ampla diœcesi nec nos credimus, nec prædecessores nostros apostolicæ sedis præsules credidisse reperimus. Cujuscunque itaque sit sanctitatis dono quilibet præditus, alienos non debet labores præripere : quippe cui jubetur nihil eorum quæ proximi sunt aliquo modo concupiscere. Eo enim ipso quo quisque alteri pertinentia jura subripit, sanctitatis gratiam perdit. Nam quæ sanctitas vindicat mercedem alteri debitam? quæ sanctitas alterius sibimet fructus usurpat? Unde etiam, quia super hac parte ad sacras regulas Patrum minus quam oportuit est respectum, saltem ad evangelicas fuisset paginas properatum, in quibus legitur, quia cum milites quid facturi essent Joannem Baptistam interrogarent (*Luc.* V), protinus ab eo inter alia, ut contenti essent stipendiis suis audiere præceptum. Ubi considerandum est, si militibus sæculi, ut suis sint stipendiis contenti a Joanne plusquam propheta jubetur, quanta pœna puniendi sunt milites Christi, qui quoquomodo in stipendia obrepunt aliena. Verum quid opus est nos hæc affatim exaggerare, quæ sanctitas tua nos cogit interim dissimulare? Porro cum ad te tuosque compatriotas et consacerdotes in regionibus illis constitutos, ubi peculiarius habetur ista temeritas, litteras apostolatus nostri patrios vobis canones rememorantes, et hinc vos communiter admonentes, Deo duce destinaverimus, oportebit utique a vobis, vel a quoquam, nihil tale de

cætero fieri : alioquin præsumptorem, et circa sancta decreta contumacem eorumdem involvi decretorum jure sententiis. Tuum præterea, frater charissime, propositum observa : et qui diu in monasterio moratus es, a pristino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu custodisisti, profecto indecens est si nunc in potiori positus dimiseris ordine, hoc ipsum sancta quoque Scriptura, venerandisque decretis pleniter edocentibus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere.

XCV.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 866.)

Non probat abusum qui invaluerat, ut episcopi ex alienis Ecclesiis assumerentur : Egiloni tamen ad Senonensem Ecclesiam postulato pallium mittit.

[Apud Mansi, *idid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio Carolo regi.

Cum acceptæ dilectionis vestræ legeremus epistolæ textum et per eum in Senonensi metropoli delegatum antistitem miris vos præferre laudibus comperissemus ; non solum de illo, verum etiam et de vobis ingenti sumus exsultatione referti. De illo quidem, quoniam talem hunc fama prædicat, qualem debere [*forte*, debere esse, Hard.] episcopum Apostolus indicat, qui scribens illum oportere testimonium habere bonum, et ab his qui foris sunt prædicat (*I Tim.* iii). De vobis autem, quoniam, Deo gratias, semper ea quæ meliora sunt diligitis ; semper quæ pretiosiora sunt. Domino Deo a cunctis offerri desideratis. Sed quamvis hæc nos valde lætificent, multum tamen contristant, quia idem venerabilis vir non de ipsa ecclesia, sed (*a*) de quodam monasterio fuisse perhibetur. Denique cum erga monachos eadem profecto regula, quæ circa clericos qui provehendi sunt, conversanda sit ; indecorum tamen, quin potius illicitum est, in aliena stipendia quemquam obrepere, et ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere ; beatissimo apostolicæ sedis præsule Cælestino præcipiente, atque dicente (*decret.* 18) : « Tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui episcopus est ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in ecclesia, in qua suam per omnia transegit ætatem, in aliena stipendia minime alter obrepat ; nec aliis debitam alter audeat vindicare mercedem. » In quibus verbis perspicacitas dilectionis vestræ prudenter attendat, quoniam aut de ecclesiæ Senonensis clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus, maxime cum sit metropolis, et clericerum numero. sitate non careat : aut certe his jure minime reprobatis, aliunde qui eis irregulariter præponeretur electus est, et qui aliorum fructum laborum comederet adinventus. Nimirum cum reverendæ memoriæ decessor hujus tantis a vobis præconiis efferatur, ut nullum in eadem ecclesia, cui non modico tempore præfuit, qui ei canonice subrogari posset, relinqueret, prorsus incredibile judicatur. Cum ergo familiarius in regionibus vestris sit hæc temeritas, et sacrorum super hoc canonum violatio dilatata, necesse est nostram sollicitudinem pro hac amputanda specialibus impendere diligentiam. Quapropter dilectionem vestram, cujus opera non partim, sed ex toto, placere summo arbitro cupimus, obnixe deposcimus, ut sic zelum justitiæ habeat, ut hunc secundum scientiam teneat : sic oculos ex una parte vigilanter aperiat, ut ex altera parte nihilominus videat. Illi vero pui in sacrarium provehuntur, sic de collatis sibi donis cœlitus gratias referant, ut non sicut Pharisæus in alterius derogationem temere linguas exacuant : periculosum est enim, taliter omnes Ecclesiæ ministros spernere, et eis improvisum, et non optatum præponere. Quod quia crebro præsumptum esse nonnullis querimoniis ex hoc gementium didicimus, vos merito diligentes, ut ad tantam transgressionem neminem impellatis exposcimus. Alioquin nos sanctarum minime regularum immemores, nec segnes exsecutores admodum existentes, adversus temerarios succinctis lumbis illas defendere procurabimus, et auxiliante Christo nobis, et ecclesiæ consulentes ipsius, de cætero æquanimiter violatores earum nullo modo sustinebimus. Usquequo tamen eamdem prævaricationem incipiamus generalis decreti nostri ligone de regionibus vestris radicitus exstirpare, parcendum huic fratri jam et coepiscopo nostro prævidimus. Unde et pallium juxta consuetudinem antecessorum suorum utendum ei secundum postulationem vestram direximus. Sed petimus, ut sicut nos vos audientes id ei concessimus, ita pietas vestra pro eo quod poscimus ipsi largiri munifica dapsilitate dignetur : res videlicet, et quæque ab ecclesia Senonensi abbata quoquomodo dignoscuntur, quatenus sicut idem per nos concesso tanto munere exterius decoratur, ita quoque de redditis ecclesiæ sibi commissæ per clementiam vestram interius gratuletur. Quod pietatis opus vobis suadere cupimus etiam circa reliquas regni vestri ecclesias exercendum. Scilicet ut nec hoc innumeris mirificisque actionibus vestris deesse bonum pacto quolibet agnoscatur. Nam quantum sit detestandum, res a piis regibus et devotis hominibus Deo donatas, permissu vestro subtrahi, et mundialibus usibus deputare, quia epistolaris locutionis modum excessimus, vestræ sapientiæ subtiliter considerandum relinquimus.

(*a*) *De quodam monasterio*. Flaviniaco, diœcesis Augustodunensis. Chronicum manuscriptum : *Anno* 864 *translatum est corpus sanctæ Reginæ virginis et martyris apud Flaviniacum, præsidente loco Egilo abbate, postmodum Senonensi archiepiscopo.* Jac. Sirm.

XCVI.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 866.)

Ut de Wlfado et sociis ejus ante synodi definitionem nihil innovetur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Excellentiæ vestræ litteras, quæ pro verbis mella stillabant, perlegentes, denuo fidei, qua circa sanctam Romanam flagratis Ecclesiam, comperimus patenter insignia: denuo humilitatis et promptissimæ devotionis vestræ reperimus erga sedem apostolicam difficulter exponenda virtutum fastigia. Verumtamen nihil in illis verbis vestra charitas asserit, nisi quod nostra jamdudum experimento solertia didicit: nihil scriptis ostendere nititur, nisi quod nos pene quotidie factis aspicimus. Quod enim potest esse manifestius summæ devotionis vestræ, ac laudabilis affectus indicium, quam id quod in causa venerabilis abbatis Wlfadi, vel sociorum ejus, vestra studet exhibere benignitas? Denique nos quidem ad eorum auxilium vos primitus incitavimus: sad tanta nunc pietas vestra sollicitudine, reverentiam circa primos apostolorum servando, quorum præsidium petunt, pro illis urgetur, ut plusquam nos postulasse visi sumus, modo vestra pia noscatur ex hac anhelare prorsus industria. Siquidem nos tanquam clementissimum principem, et geminam charitatem habentem, vos ad justam dejectorum revelationem invitavimus, non ad immaturam erectionem eorum improvide provocavimus. Verum qualiter vos hinc simus hortati, prima vobis ex hoc epistola negotio missa luce clarius indicat. Sic ergo vestra, quemadmodum illa dictat nos a vobis postulasse, pro eis exsequatur providentia, et vestra sine culpa manebit apud Deum æquissima, sicut credimus, excellentia. Præterea nos alacrem vestram olim nobis præcognitam, et innumeris probatam experimentis, ceu devotissimi filii obedientiam recolentes, et ut in hac quoque causa circa reverentiam principum apostolorum hanc ostenderetis affectantes, scripsimus vobis, ut pote charissimo filio, quatenus eos, quorum clamor ad sedem ipsorum pervenerat, benigno in sua justitia juvantes affectu, vobis quoque nihilominus per intercessiones eorum acquirere satageretis auxilium: non ut super Dei reprehensionis induceretis ecclesiam seminarium. Talem quippe nos Ecclesiam Dei, qui ei per abundantiam supernæ gratiæ præsumus, juxta modum acceptæ distributionis exhibere debemus, qualem hanc auctor ejus proprio sanguine purgans exhibuit: id est, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Quomodo autem nunc irreprehensibiliter agi potest, quando penes nos tam de ordinatione ipsius, diversa scripta rejacent, quædam hos accusantia, quædam etiam defendentia? pro quibus examinandis et discernendis synodum, sicut nostis, isto in tempore A reverentissimorum episcoporum in regno vestro jussimus celebrari. Quorum relatione sub gestorum serie, quæ in ea de repulsione præsignatorum virorum reperta fuerint, nobis volumus, quemadmodum decretalia constituta præcipiunt, reserati, sicque demum decernentibus nobis quod Deo placet ordinari. Nam nos, qui cunctorum hominum, sed præcipue sacerdotum, maturam cupimus fore sententiam, quomodo definitivum de minus cognitis judicium proferamus penitus ignoramus, antequam per memoratos antistites cuncta quæ ventilanda esse ab eis decrevimus, pleniter per ordinem agnoscamus. Jam vero, si priusquam quid de illis inventum fuerit nobis ab episcopis intimetur, dejectorum clericorum aliquem restituamus, et examen ab eis synodice patrandum judicio nostro prævenimus, ut quid eos B frustra vexari, ut quid supervacue tanto itinere fatigari volumus? aut quid opus fuit eis tantam injuriam vel confusionem ingerere? Itaque si vultis ut justitiæ ac pietatis negotium, quod cœpimus, Christo duce ad calcem usque sicut dignum est perducamus; quæque in synodo sæpedicta de prænotatts ejectis clericis reperta fuerint, agite quo nobis omnium episcoporum qui conveniunt relatu pandantur: et ita dein quod Dominus revelaverit a nobis diffiniendum procul dubio præstolamini, quoniam si sapientia est sicut thesaurus effodiendus, restat ut etiam quæ sapienter agenda sunt omni scrutinio sint, velut obryza, peuitus inquirenda, Optamus gloriam vestram nunc et semper in Christo bene valere, dilectissime fili. Data IV Kalendarum Septembr. in- C dict. XIV.

XCVII.

RESPONSA NICOLAI AD CONSULTA BULGARORUM.

(Anno 866.)

[Apud Mansi, *ibid.*]

Ad consulta vestra non multa respondenda sunt, nec duximus per singula diutius immorari, qui Deo auctore non solum libros divinæ legis, verum etiam et missos nostros idoneos, qui vos, prout tempus et ratio dictaverit, de singulis instruant, ad patriam vestram, et ad gloriosum regem vestrum dilectum filium nostrum destinavimus, quibus et libros quos prævidimus necessarios illis [*forte*, illic, Hard.] nunc esse commisimus.

I. Igitur optime ac laudabiliter in prima quæstio- D num vestrarum fronte regem vestrum legem Christianam petere perhibetis: quæ si latius explicari tentatur, innumeri scribendi sunt libri; sed ut compendio, in quibus præcipue constet, ostendatur, sciendum est, quia in fide et bonis operibus lex Christianorum subsistit. Nam fides prima est omnium virtutum in conversatione credentium. Unde et primo die lux esse dicitur, cum a Deo *Fiat lux* dictum fuisse describitur (*Gen.* I), id est illuminatio credulitatis appareat. Siquidem et propter hanc Christus in terram descendit, opus autem bonum nihilominus a Christiano exigitur, quemadmodum in lege nostra scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo*

(*Hebr.* xi). Sic etiam scriptum est: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* (*Jac.* ii). Hæc est lex Christiana, hæc est, quam quisque legitime custodiens omnino salvabitur.

II. Ita diligere debet homo eum qui se suscipit ex sacro fonte sicut patrem; quinimo quanto præstantior est spiritus carne, quod illud spiritale est patrocinium, et secundum Deum adoptio, tanto magis spiritalis pater in omnibus est a spiritali filio diligendus. Marcus enim evangelista Petri discipulus, et ex sacro fuit ejus baptismate filius: quem nisi dilexisset ut patrem, ei non in omnibus obedisset ut filius: nulla vero inter eos et filios eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea quæ sanguinis sunt nescit: *Caro enim, secundum Apostolum, concupiscit adversus spiritum: et spiritus adversus carnem; hæc enim invicem adversantur* (*Gal.* v). Est tamen alia inter eos gratuita et sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium; quando quidem nec inter eos qui natura, et eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus Institutionum liber, cum de nuptiis loqueretur, inter cætera (*Inst. de nup.*, § *Ergo non*): Inter eas, inquit, personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium vel aviam et nepotem, et usque ad infinitum: et si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicantur: et hæc adeo sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio jungi. Itaque eam quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis esse cœperit, non potero uxorem ducere; et infra: Si quis per adoptionem soror esse cœperit, quandiu quidem constat adoptio, sane inter me et eam nuptiæ consistere non possunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus esset, elegit: prudentiusque ab alterna corporis commistione secernimur: quoniam Spiritus sanctus sua nos charitate coadunavit, quam si vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset.

III. Consuetudinem quam Græcos in nuptialibus contuberniis habere dicitis, commemorare, prolixitatem styli vitantes, carptim morem, quem sancta Romana suscepit antiquitus, et hactenus in hujusmodi conjunctionibus tenet Ecclesia, vobis monstrare studebimus. Nostrates siquidem tam mares, quam feminæ, non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptilia fœdera contrahunt in capitibus deferunt: sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum qui hæc contrahunt, et eorum in quorum potestate sunt, celebrantur, et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præsumatur, ambo ad nuptilia fœdera perducuntur. Et primum quidem in ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem, et velamen cœleste suscipiunt, ad exemplum videlicet quod Dominus primos homines in paradiso collocans benedixit eis dicens: *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* i), etc. Siquidem et Tobias antequam conjugem convenisset, oratione cum ea Dominum orasse describitur (*Tob.* viii). Verumtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat. Post hæc autem de ecclesia egressi coronas in capitibus gestant, quæ semper in ecclesia ipsa sunt solitæ reservari. Et ita festis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam Domino disponente de cætero diriguntur. Hæc sunt jura nuptiarum, hæc sunt præter alia quæ nunc ad memoriam non occurrunt [*forte*, nobis occurrunt, Hard.] pacta conjugiorum solemnia: peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos astruere dicitis, præsertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his suffragetur auxilium; ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait (*hom.* 32 *in Matth.*): Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Jam vero sciscitamini, si muliere propria defuncta, possit vir alteram ducere, scitote per omnia posse, Paulo egregio prædicatore consilium dante, qui dicit (*I Cor.* vii): *Dico autem non nuptis, et viduis, bonum est illis si sic maneant, sicut et ego: quod si se non continent, nubant*; et iterum: *Mulier*, inquit, *alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat: tantum in Domino*. Quod enim de muliere sanxit, et de viro intelligendum est, quia econtra sæpe sancta Scriptura de viro loquitur: sed et de muliere nihilominus dicere subintelligitur. Ecce enim dicimus: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* i), etc.; et iterum: *Beatus vir qui timet Dominum* (*Psal.* cxi), ubi non solum virum, sed et feminam, quæ non abiit in consilio impiorum, et quæ timet Dominum beatam esse non immerito credimus.

IV. Quot temporibus vel diebus in circuitu sit anni a carnibus abstinendum, nunc vobis qui rudes estis, et in fide quodammodo parvuli, superflue ducimus

exponendum : verum interim in diebus jejuniorum, in quibus per abstinentiam et lamentum pœnitentiæ præcipue Domino supplicandum est, modis omnibus est a carnibus abstinendum. Quoniam licet omnibus orare et abstinere conveniat, jejuniorum tamen temporibus amplius abstinentiæ inservire oportet, videlicet, ut qui se sciverit illicita perpetrasse secundum sacra decretalia in his etiam a licitis se quibusdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha; jejunio post Pentecostem, jejunio ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei genitricis, et semper virginis dominæ nostræ Mariæ; necnon jejunia ante natalis Domini nostri Jesu Christi festivitatem : quæ jejunia sancta Romana suscepit antiquitus et tenet Ecclesia. In sexta vero feria omnis hebdomadæ, et in cunctis vigiliis insignium festivitatum a carnium esu cessandum et jejuniis incumbendum, ut veraciter cum psalmographo dici valeat : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX). Si quis vero vestrum aliis voluerit forte diebus a carnibus abstinere, non sunt prohibendi : quoniam quanto quis hic in lacrymis magis seminaverit, eants amplius in gaudio messurus est in vita æterna. Nos tamen vobis, qui, ut prætulimus, adhuc rudes estis, et lacte tanquam parvuli nutriendi, non grave potuimus jugum donec ad solidum cibum veniatis imponere. Verum sicut hoc interim cavemus, ita ut prohibita non contingatis modis omnibus admonemus : protoplasti quippe solum pomum gustando vetitum de paradisi amœnitate propulsi sunt.

V. Quarta feria quamvis e cæteris diebus præter sextam feriam sit amplius mœroribus operandum, pro eo quod Dominus ipso jam die in corde terræ, id est Judæ traditoris, quodammodo sepultus erat, dum hunc ipse morti tradere meditabatur : tamen si vestrum quis eodem die vult, potest omnino carnes comedere, nisi forte sibi aut a sacerdote esset interdictum, quoniam scriptum est : *Melius obedientia, quam sacrificium* (*I Reg.* XV); aut ipsam feriam inter dies jejuniorum evenire contigerit : quoniam Jonathas indictum a patre jejunium modicum mellis gustando violans, ad occidendum ab ipso patre quæsitus est : aut certe ipse se voto ipso die carnes non comesturum constrinxerit, quoniam scriptum est : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV). Sexta vero feria passionem Dominicam, et apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis, et pinguedine gustus noster arcendus est, præter si nativitas Domini et epiphaniorum ejus, aut festivitas beatæ Matris Domini et intemeratæ Virginis Mariæ, seu apostolorum principum Petri et Pauli, atque sancti Joannis Baptistæ, ceu beati Joannis evangelistæ, necnon et clavigeri cœli germani, Andreæ scilicet aposteli, quin etiam et beati Stephani protomartyris ipso die fortassis evenire contigerit. Nam quod sancta Ecclesia, ut fidelis anima in festivitate eorum jejunia, vel abstinentias quæ non sunt perpetuo voto propositæ, solvere debeat, Dominus testatur in Evangelio dicens : *Mulier cum parit tristitiam habet; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum* (*Joan.* XVI) : mulierem dicit sanctam Ecclesiam. Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Ecclesia in vitam futuram fidelium populo migrante digna exsultatione repletur; pro qua ejus nativitate multum laborans et gemens in præsenti quasi parturiens dolet : nec novum debet cuiquam videri, si natus dicitur qui ex hac vita migraverit; quomodo enim usitato more dicitur nasci, quando quis ex utero materno procedens in hanc lucem exit; sic quoque jure natus appellari potest quilibet ab hujus sæculi tenebris ad lumen pertingeus viventium : pro qua ergo re apte consuetudine tenetur ecclesiastica, ut solemnes beatorum martyrum, vel confessorum Christi dies, quibus de hoc mundo ad regionem migravere vivorum, nuncupentur natales, sed et eorum solemnia non funebria tanquam morientium, sed ut pote in vera vita nascentium natalitia vocitentur. Ergo si tunc nati sunt utique Deo, cui omnia vivunt, in cujus manu justorum animæ positæ sunt, quando visi sunt oculis insipientium mori, mulier sancta jam non meminit præssuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, id est in lucem æternam : quod si de ejus nativitate lætatur, non jejuniis, non abstinentiis, non denique ullis debet ipso vacare die mœroribus. Quamvis in hac valle lacrymarum semper lugendum sit, et donec perveniatur ad illam angelorum festivitatem, semper mœroribus insistendum : quoniam etsi hic solemnitas agitur, non tamen continua, sed momentanea est, quæ vix aliquando sine dolore perficitur.

VI. Porro dicitis, quod affirment Græci dicentes, quod nullo modo in quarta et sexta feria balneari debeatis, de quo id nos e contra consulentibus respondemus, quod beatus papa Gregorius, et Anglorum gentis apostolus Romanis de Dominico die sermone quodam habito prædicasse legitur (*Epist. lib.* II, *epist.* 3) : Etenim ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominico die nullus debeat lavari, et quidem si pro luxu animi, atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus : si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus; scriptum quippe est : *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* VIII) : et rursum scriptum : *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII). Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si Dominico die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate tota corpori negetur? Itaque quod hic præsul eximius, et suavissimus doctor in Dominico die, qui cæteris diebus venerabilior est, concessit : nos quoque in quarta et sexta feria non negamus, hanc videlicet discretionem ser-

vantes, ut siquidem pro luxu animi atque voluptate quis lavari appetat, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedamus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec quarta, nec sexta feria prohibeamus.

VII. Sciscitamini præterea, si liceat crucem Domini cum reliquiis mundo sive immundo hanc habenti osculari, vel portare; quod ei qui mundus est, omnino licet; nam in osculo quid nisi amor, quo quisque circa ea flagrat, innuitur? in deportatione vero ejus quid nisi mortificatio carnis, vel compassio proximorum exprimitur? siquidem hanc et Dominus bajulare præcepit, sed in mente; verum et cum corpore gestatur, ut et mente gestari debeat facilius admonetur; crux quippe a cruciatu dicitur, et ut præfatus exponit antistes, duobus modis crucem Domini bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem afficimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Igitur crucem Domini, passionem ejus venerantes, osculamini; et pro ejus amore, si necessitas exigit, eadem cogitatione armamini; portate eam, sed cum summa reverentia, et corpore et corde mundissimo, ita ut a mente vestra nunquam decidat, id est, ut et per abstinentiam carnem semper afficiatis, et per compassionem necessitatem proximorum vestram putetis. Qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente. Immundum autem hanc portare nullo pacto permittimus; scriptum quippe est : *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Nullum vero Domini vas sacratius est cruce Dominica, quæ ipsum portare Dominum meruit. Osculari autem eam immundo non licet : quoniam eo ipso quod immundus est, ipse testis est quam mortificationem carnis non diligat; ergo quam non amat nec osculetur, neforte de eo dicatur quod de reprobis Domino per prophetam increpatorie dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX; *Matth.* X); et Psalmista : *Dilexere*, inquit, *eum in ore suo, et in lingua sua mentiti sunt* (*Psal.* LXXVII). De reliquiis vero sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa et vasa fuere suntque Dei, quibusque ad omnia bona opera tanquam organis sanctus usus est, quando voluit, Spiritus.

VII. Ergo præmissa digna reverentia, si munditia mentis et corporis comitatur, etiam quadragesimali tempore, de quo speciali consultatione percunctati estis, crucem Domini et portare et superiori regula custodita licet cum libuerit osculari; sed et tunc maxime, atque ibi, quando et ubi antiqui hostis vel pugnæ vel insidiæ præcipue formidantur.

IX. Corpori et sanguini Dominico quotidie in quadragesima majori si deberetis communicare consulitis: quod ut fiat, Dominum omnipotentem suppliciter exoramus, et vos omnes vehementissime exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit, vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impœnitens, vel non reconciliata fortassis accuset, vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat. Nam quem de horum aliquo conscientia mordet, gravari tanto munere potius quam remedium consequi quodlibet arbitramur : *Judicium enim sibi*, secundum Apostolum, *manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Verum de hoc, et de his qui ecclesiam quidem instant, nec tamen facta oblatione communicant, sacri canones forte sufficienter enuntiant, qui antistiti vestro sunt, qui Deo vobis auctore per mediocritatem nostram ordinandus est, tribuendi, et ab eo sacerdotibus, qui claves tenent scientiæ, duntaxat aperiendi, et vobis nihilominus, in quibus opus est et minime prohibetur, insinuandi. Interim tantum quadragesima, quam mos Ecclesiæ majorem appellat, omnis est die servato superiori tenore communicandum. Quoniam semper est orationi vacandum, et sacrificiis fidelium concurrendum, et illud propheticum, quo dicitur : *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra* (*Isa.* LVIII), jugiter ad memoriam revocandum. Si enim ex consensu conjugatorum etiam alio forte mundo corpore tempore vacatur orationi, quanto potius isto, quo Deo etiam carnis nostræ decimas damus, quo ipsum in abstinentia Dominum imitamur, quo non solum illicita, verum etiam multa a nobis quoque licita merito resecamus, omni est voluptati renuntiandum? et ut licenter orationi vacetur, castitati mentis et corporis incumbendum?

X. Nosse cupititis, si liceat alicui Sabbato, vel Dominico die laborationem aliquam exercere. De hoc sæpe memoratus sanctus papa Gregorius Romanos alloquens ait (*Epist. lib.* XI, *ep.* 3) : Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua, et sanctæ fidei adversa seminasse, ita ut die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi antichristi prædicatores dixerim? qui veniens diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri : quia enim mori et resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum; et quia judaizare populum compellit, ut exteriorem legis ritum revocet, et sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum. Hoc enim quod per prophetam dicitur : *Ne inferatis onera per portas vestras die Sabbati* (*Jer.* XVII), tandiu teneri potuit, quandiu legem licuit juxta litteram custodiri. At postquam gratia omnipotentis Dei Domini nostri Jesu Christi apparuit (*Tit.* II), præcepta legis, quæ per figuram dicta sunt, juxta litteram servari non possunt. Nam si quis dicit hoc de Sabbato esse servandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persolvenda; dicat præceptum quoque de circumcisione corporis adhuc usque retinendum. Sed contra se Paulum apostolum audiat dicentem : *Si circumdamini, Christus vobis nihil prodest* (*Gal.* V). Nos itaque quod de Sabbato dictum est spiritaliter accepimus, spiritaliter tenemus. Sabbatum enim *requies* dicitur : verum autem Sabbatum ipsum Redemptorem nostrum Jesum Christum Dominum ha-

bemus; et qui lucem fidei ejus cognoscit, si peccatum concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die Sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die Sabbati onera per portas introducimus, si in Redemptoris nostri gratia constituti pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac Redemptor noster multa in die Sabbati legitur operasse, ita ut Judæos reprehenderet dicens : *Quis vestrum bovem, aut asinum suum non solvit in die Sabbati, et ducit adaquare?* (*Luc.* XIV.) Si ergo ipsa per se Veritas non custodiri juxta litteram sabbatum præcepit, quisquis otium Sabbati secundum legis litteram custodit, cui alteri nisi ipsi Veritati contradicit? Dominico vero die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum; ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

XI. In quorum apostolorum vel martyrum seu confessorum, atque virginum diebus festis a labore terreno recedere debeatis, inquiritis. In solemnitatibus utique beatæ Mariæ Virginis, et sanctorum duodecim apostolorum, ac evangelistarum, atque præcursoris Domini Joannis, et sancti Stephani primi martyris, necnon et in eorum sanctorum natalitiis, quorum apud vos, Deo favente, memoria celebris, et dies festivus habebitur. Sane sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis et hymnis et canticis spiritalibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Quæ omnia si quis negligens, orationi tantum vacare voluerit [*forte*, noluerit, HARD.], et ad cæteras mundi vanitates licitos labores, converterit, melius illi fuerat ipso die beati apostoli Pauli præceptis obaudiens laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus, quemadmodum ipse, qui licet Dominum ordinasse dicat, ut qui Evangelium annuntiaret, de Evangelio viveret, non tamen usus est hac potestate, sed manibus suis laborabat, ne quem eorum quibus Evangelium prædicabat gravaret (*I Cor.* IV).

XII. Quod interrogatis, utrum liceat in festivitatibus sanctorum judicium peragi, et utrum eadem die debeat homo, si dignus fuerit, ad mortem judicari? sciendum quoniam in his festivitatibus, in quibus superius ab omni opere mundano cessandum esse monstravimus, multo magis a sæcularibus negotiis, et adhuc a mortibus abstinendum fore decernimus : quoniam quamvis utrumque fortasse sine culpa valeat exerceri, quando tamen his quæ Dei sunt, arctius homo debet hærere, quæ mundi sunt a se convenit penitus resecare : præcipue cum eo die ad militiam divinam accedens homo, implicari non debeat negotiis sæcularibus (*II Tim.* II) : et ob reverentiam tantæ solemnitatis non oporteat in medium deferri, nisi unde omnibus gaudium, pax et spiritalis lætitia generetur. Verum his prælibatis, quibus diebus præter hos nulla sint judicia sæcularia exercenda, lex vox affatim edocebit.

XIII. Inter quæstiones vero et consulta leges vos mundanas postulare perhibetis; de qua re nos codices quos necessarios vobis ad præsens esse considerare potuissemus, libenti mitteaemus animo, si quem penes vos esse comperissemus, qui hos vobis interpretari potuisset : si quos autem de mundana lege libros missis nostris dedimus, cum reversi fuerint, nolumus ibi relinqui, ne forte quislibet eos vobis perverse interpretetur, aut falsitate qualibet violet.

XIV. Præterea indicatis, quod quidam Græcus mentiens fateretur se presbyterum esse, cum non esset, ac per hoc plurimos in vestra patria baptizasset. Cum ergo vos inspiratione Dei cognovissetis, quod non esset presbyter, judicaveritis, ut amitteret aures et nares, et acerrimis verberibus cæderetur, et ex vestra patria pelleretur. Ecce impletum est in vobis, ignoscite nobis, quod de quibusdam Apostolus clamat (*Rom.* X), quod habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, nam licet ille male fecerit, si mentitus est, vos tamen in hoc zelum quidem pium, sed minus cautum habuistis : quoniam quamvis ipse sacerdotem esse simulaverit, simulatio tamen ejus salutem plurimis contulit. Siquidem diversi fuere qui diverso modo Christum, sed non propter Christum annuntiabant : sed sive occasione, sive quomodocunque hunc annuntiarent, hos tantum non [*forte*, hos tamen non, HARD.] prohibebat Apostolus, qui solum ut Christus annuntiaretur, plurimum satagebat quia enim Christus ordinaverat, ut qui Evangelium annuntiaret, de Evangelio viveret, si multi idcirco Christum prædicabant, ut commoda terrena acquirerent, ergo non erat Christus in causa, sed avaritia : rursus quia multi Evangelii prædicatores a fidelibus magnis honoribus efferebantur, nonnulli ideo Christum prædicabant, ut similia et ipsi perciperent : ergo non erat Christus in voto, sed invidia. Sed nemo istorum prohibitus est, quominus per hos Christus annuntiaretur, nimirum cum Judas inter cæteros apostolos a Domino missus, et miracula fecerit, et Christum annuntiaverit, et in nomine ejus multos baptizaverit. Itaque ut sedis apostolicæ præsul scribit Anastasius, non quæritur quis, vel qualis prædicet, sed quem prædicet (*Anast.* II, *in epist. ad Anast. imp.*).

XV. Porro interrogatis, utrum homines illi qui hoc ab illo baptisma receperunt, Christiani sint, an iterum baptizari debeant. Sed in nomine summæ ac individuæ Trinitatis baptizati fuere, Christiani profecto sunt, et eos a quocunque Christiano baptizati sunt, iterato baptizare non convenit; quoniam, ut jam nominatus Anastasius apostolicus pontifex ad coæquivocum suum scribit Augustum; et baptismum, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus

pervenit illibatum; quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I.) Si igitur quamvis baptismum ab adultero, vel fure datum fuerit, ad percipientem tamen munus pervenit illibatum; quam ob rem non illibatum, et sine ulla iteratione subsistat, quod quilibet mundanus homo tribuit, et nescimus qua intentione se presbyterum fingens? et certe Acacius Constantinopolitanus quondam episcopus, se sacerdotem fingebat, cum fuerit a Felice papa Romano damnatus: sed quid jam dictus de eo præsul Anastasius dicat, audiamus; ait enim inter alia (*Ibid.*): Cum sibi sacerdotis nomen Acacius videlicet vindicaverit condemnatus, in ipsius vertice superbiæ tumor inflictus est, quia non populus, qui ministeriis donum ipsius sitiebat, exclusus est: sed anima sola, quæ peccaverat, justo judicio proprie erat obnoxia: quod itapue numerosa Scripturarum testatur instructio, et revera quia secundum famosissimum Apostolum *neque qui plantat*, id est catechizat; *neque qui irrigat*, id est baptizat, *est aliquid; sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III). Et ideo malus bona ministrando non aliis, sed sibi detrimenti cumulum ingerit, ac per hoc certum est, quia quos ille Græcus baptizavit, nulla portio læsionis attingit, propter illud: *Hic est qui baptizat*, id est Christus, et iterum: *Deus incrementum dat*, subauditur, et non homo.

XVI. Vos qui sic personam illam judicastis, investigatis, si debeatis hinc pœnitentiam agere: utique denique omne peccatum pœnitentia, quæ non nisi, Dei gratia comitante, proficit, diluitur. Nam Dominus primum Petrum respexit, et tunc Petrus ad lacrymas sese convertit. Peccatum autem vos in illum hominem perpetrasse manifestum est. Primo quidem, quoniam quantum nos comprehendere possumus, nondum clare patuit eumdem hominem non esse presbyterum, et scriptum est: *Nolite judicare ante tempus* (*I Cor.* IV). Secundo, quoniam etsi se finxit esse quod non erat, non tamen fecit quod factum Deo vel fidelibus ejus non placeat: præcipue cum in ea gente, in qua usque ad illud tempus nulla recta fides, nulla vera religio colebatur, sibi et ostium multos lucrandi divinitus videret apertum, et ille forsitan anhelaret plurimos ad tantum donum perducere, in quo se Deum senserat misericorditer adjuvare. Denique si David esse se furiosum finxit (*I Reg.* XXI), ut suam tantum salutem operari potuisset, quam noxam contraxit, qui tot hominum multitudinem quoquomodo de potestate diaboli, et æternæ perditionis abstraxit? maxime cum se sacerdotem simulaverit, non tamen in baptizando egit quod præter sacerdotem in tam evidenti necessitate agere nullum oportet: presbyterum vero, ut opinamur, idcirco se finxit esse; quoniam jam senserat vobis fuisse suasum, quod baptizandi ministerium non nisi presbyteris tantum esset indultum. Tertio, quoniam etsi in ista simulatione valde fuit culpabilis, in tot hominibus conversis satis exstitit laudabilis. Quarto, quia etsi pœna dignus erat, non tamen debuisset modum ultionis excedere, nec in unum hominem tot, et tam crudelia detrimenta congerere: cum dimissis ei naribus, et auribus propriis, sufficeret ad pœnam illi repulsio a patria vestra, quam cum detruncatione membrorum judicantibus vobis expertus est.

XVII. Igitur referentes, qualiter divina clementia Christianam religionem perceperitis, qualiterque populum vestrum baptizari omnem feceritis: qualiter autem illi postquam baptizati fuere, insurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes, non bonam vos eis legem tradidisse, volentes etiam vos occidere, et regem alium constituere, et qualiter vos, divina cooperante potentia, adversus eos preparati, a maximo usque ad modicum superaveritis, et manibus vestris detentos habueritis, qualiterque omnes primates eorum, atque majores cum omni prole sua gladio fuerint interempti; mediocres vero, seu minores nihil mali pertulerint, de his nosse desideratis qui vita privati sunt, utrum ex illis peccatum habeatis, quod utique sine peccato evasum non est; nec sine culpa vestra fieri potuit, ut proles, quæ in consilio parentum non fuit, nec adversus vos arma sustulisse probatur, innocens cum nocentibus trucidaretur. Nam hinc psalmista, postquam dixerat: *Non sedi in consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo: odivi congregationes malignorum, et cum impiis non sedebo;* paulo post deprecans Dominum ait: *Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam* (*Psal.* XXV). Hinc Dominus per Ezechielem prophetam perhibet dicens (*cap.* XVIII): *Ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et post pauca de patre dicit: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis, super montem non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet: pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua, et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius et judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vita vivet. Anima quæ peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Quamvis et de parentibus qui comprehensi sunt, mitius agere debueritis, scilicet ut pro Dei amore, qui eos in manus vestras tradiderat, vitam illis reservaretis, quatenus in oratione Dominica Deo

prompte dicere valeretis : *Dimitte nobis debita no-* A *stra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Sed etsi illos reservare potuistis, qui bellando interiere, et minime vivere permisistis, nec salvare voluistis, non consulte prorsus egistis; scriptum quippe est : *Judicium erit sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). Et per supra nominatum prophetam Dominus : *Nunquid*, ait, *voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (*Ezech.* XVIII.) Verum quia zelo Christianæ religionis, et ignorantia potius quam alio vitio deliquistis, pœnitentia subsequente per Christi gratiam indulgentiam de his et misericordiam consequimini.

XVIII. Scire vos velle significatis, quid de his qui legem Christianam respuunt agere debeatis : in quo B notandum est, quoniam omnis homo sicut per alterius culpam, id est Adæ, contraxit unde purgatione per aquam baptismatis egeat; ita cum ad fidem promittendam ad regenerationis occurrit undam, alium eligit quodammodo patrem, spiritualem videlicet, a quo susceptus instruatur, et omni custodia muniatur, et tanquam depositum quoddam lectori ecclesiæ repræsentetur. Præterea qui fidem respuit quam promisit, ab illo a quo susceptus est, et qui fidei ejus interventor exstitit, debet per omnia revocari. Jam vero si non audierit eum quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est Ecclesiæ, a qua majori studio ad ovile proprium ovem reduci convenit quæ erravit; et ut ad viam veritatis, quæ Christus est, redeat, modis omnibus revocari; siquidem ab ea tanquam a matre, tanquam a magistra suadendum est C illi quatenus videat : quoniam apostatam spiritum imitatus est, de quo scriptum est, quod in veritate non steterit (*Joan.* VIII). Consideret etiam quod Petrus princeps apostolorum clamat : *Si enim refugientes*, inquiens, *coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus : melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud proverbii : Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti* (*II Petr.* II; *Prov.* XXVI; *Matth.* XVIII). Porro si nec Ecclesiam audierit, sit omnibus revera sicut ethnicus, id est gentilis, ac per hoc jam merito per potestates D exteras tanquam extraneus opprimatur. Denique certum est, quoniam sæpe Deus concitat potestates adversus abnegatores Christi, adversus desertores baptismi : et idcirco nemo miretur, quia Deus concitat, ut ponant cervices, et humiliati redeant ad Ecclesiam : quia et Agar cum discessisset a domina sua occurrit ei angelus, et dixit ei : *Quid est, Agar ancilla Saræ? Revertere ad dominam tuam* (*Gen.* XVI). Ad hoc ergo qui hujusmodi est affligitur, ut revertatur, atque utinam revertatur, quia cum fratribus hæreditatem promissam recipiet : nam nisi moverentur potestates Christianæ adversus hujusmodi; quomodo rationem redderent de imperio suo Deo? quippe cum pertineat hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam et sine diminutione velint servari matrem suam Ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt. Siquidem Nabuchodonosor rex, qui statuam suam erexerat, et ad eam adorandam omnes coegerat, laudibus trium puerorum de igne liberatorum commotus dixisse legitur: *Et ego ponam decretum omnibus tribubus et linguis in omni terra : et quicunque dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem* (*Dan.* III). Si ergo sic sævit rex barbarus, ne blasphemetur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne temporali liberare; quanto potius sævire debent reges Christiani, quia Christus abnegatur et irridetur, a quo non tres pueri tantum, sed et orbis terrarum cum ipsis regibus a perpetuis ignibus liberatur? Nam qui illis mentiri, vel esse infideles convincuntur, aut vix aut nunquam ab eis vivere profecto sinuntur : et quomodo non indignentur, et sæviant, quando vident Christum, qui est Rex regum, et Dominus dominantium, ab hominibus abnegari, illudi, et ei fidem promissam non custodiri? Zelentur itaque zelo Dei, quia seipsos per Christum recolunt liberatos a gehenna magis quam ille qui attendit tres pueros ereptos a flamma.

XIX. Quid jure de his faciendum sit, qui ad occidendum regem insurrexerint, venerandæ leges, quas scripto mittemus, vos affatim edocebunt. Verumtamen hoc in arbitrio regis manet, qui non semel tantum, sed et septuagies septies debet peccatum dimittere, juxta quod Dominus in Evangelio sancto Petro mandavit : *Nam cui plus dimittitur, plus diligit*; et quemadmodum Evangelium docet, rex decem millia talenta, id est multa et immania peccata servo non dimitteret, si ipse conservo suo centum denarios, id est minora dimittere noluisset (*Matth.* XVIII; *Luc.* VII).

XX. Quid de homine libero judicandum sit, qui de patria sua fuga lapsus fuerit, si comprehendatur? nihil utique, nisi quod leges decernunt. Verumtamen multos sanctorum de patria sua exisse, et in alia celebrius veneratos fuisse, sacræ produnt historiæ; sed aliis non existentibus causis ob solum exitum nunquam culpabiles judicatos exstitisse, ni fallor, inveni, præsertim cum Abrahæ patri nostro divina voce dicatur : *Egredere de terra, et de cognatione tua* (*Gen.* XII) : et nonnulli Patrum nostrorum exsules per plurimos annos in terra non sua habitaverint; alioquin liber non est, si de patria sua quis non audet egredi. Porro si liber est, et jure nullius conditionis nexibus tenetur obstrictus, non fugit, sed exit de patria sua, quemadmodum et Abrahæ, non Fuge, sed Exi de terra tua dicitur; quod quia fecit obediens, nemine judicante, pœnam quamlibet protulit [*forte*, pertulit, HARD.].

XXI. Si servus a domino fugiens recesserit, si comprehensus fuerit, ignoscendum est ei : alias au-

tem legum scita non transcendantur in eo. Verumtamen semper illud apostoli Pauli præ oculis habeatur salubris admonitionis dicentis: *Domini quod justum est et æquum servis præstate, scientes quoniam et vos Dominum habetis in cœlo* (*Coloss.* IV); et alibi, cum servis ut obedirent dominis carnalibus præcepisset, adjunxit: *Scientes*, inquiens, *quod unusquisque vestrum quodcunque fecerit bonum, hoc consequetur a Domino, sive servus, sive liber; et vos domini eadem facite ad illos remittentes minas, scientes quia et vester et eorum Dominus in cœlis est, et personarum acceptio non est apud Dominum* (*Ephes.* VI).

XXII. Circa hos qui, quando ad pugnam contra hostes proceditis, fugam arripiunt, si non misericorditer præveniat compassio, saltem legum temperetur severitas.

XXIII. De his quibus jussum est contra hostes progredi, et jussioni parere contemnunt, eadem suademus.

XXIV. Quid parricida, id est qui patrem vel matrem occidit, vel etiam qui fratrem, aut sororem interficit, pati debeat, leges indicant; porro si ad ecclesiam confugerit, id quod episcopus loci vel sacerdos, qui ab illo constitutus est, providerit, agendum decernimus.

XXV. Consuetudinis esse patriæ vestræ perhibetis, semper custodes inter patriam vestram, et aliorum juxta terminos invigilare: et si servus, aut liber per eamdem custodiam quocunque modo fugerit, sine omni intermissione custodes pro ea interimuntur, deinde percontamini, quid nos inde judicemus; et de hoc in legibus est requirendum. Verumtamen absit a mentibus vestris, ut tam impie jam judicetis, qui tam pium Deum et Dominum agnovistis: præsertim cum magis oporteat, ut sicut hactenus ad mortem facile quosque pertraxistis, ita deinceps non ad mortem, sed ad vitam quos potestis nihilominus perducatis. Ita ut quemadmodum beatus apostolus Paulus prius persecutor, et contumeliosus, et spirans minarum et cædis in discipulos Domini (*Act.* IX), posteaquam misericordiam consecutus est, divina revelatione conversus, non solum minime cuilibet mortis pœnam intulit, verum etiam anathema esse optabat pro fratribus (*Rom.* IX), et libentissime impendere, et superimpendi paratus erat pro animabus fidelium (*II Cor.* XII): ita et vos postquam electione Dei vocati, et lumine ipsius illuminati estis, non jam sicut prius mortibus inhiare, sed omnes ad vitam tam corporis, quam animæ debetis omni occasione inventa procul dubio revocare, et sicut vos Christus de morte perenni, qua detinebamini, ad vitam æternam reduxit, ita ipsi non solum innoxios quosque, verum etiam et noxios a mortis exitio satagite cunctos eruere, secundum illud sapientissimi Salomonis: *Erue eos qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses* (*Prov.* XXIV).

XXVI. De his qui proximum, id est consanguineum suum, ut est frater, consobrinus, aut nepos, trucidaverint, venerandæ leges proprium robur obtineant. Sed si ad ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur: pœnitentiæ vero, quam antistes loci, vel presbyter consideraverit, absque dubio submittantur: *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat* (*Ezech.* XVIII).

XXVII. De his qui socium suum morti tradiderint, id ipsum quod supra decernimus.

XXVIII. De eo qui ad uxorem alterius comprehensus fuerit, quid judicandum sit, lectis legibus reperietis. Jam vero si ad ecclesiam adulter confugerit, judicandum ab episcopo fore decernimus, quod sacros constat diffinisse canones, vel sanctos apostolicæ sedis præsules clarum est statuisse.

XXIX. Similiter et de eo censemus, qui ad proximam sanguinis sui ingreditur; verum hujus tanti piaculi lepram melius ad sacerdotis considerationem, et judicium profecto dirigimus.

XXX. De eo qui nolens hominem interfecerit, id statuimus quod sacræ regulæ statuant, quas episcopum vestrum apud se penes vos positum præ manibus oportet semper habere.

XXXI. Circa fures animalium si non misericordia, saltem legum edicta serventur.

XXXII. Similiter de his qui virum aut feminam rapuerint, permittimus.

XXXIII. Quando prælium inire soliti eratis, indicatis vos hactenus in signo militari caudam equi portasse, et sciscitamini quid nunc vice illius portare debeatis; quid aliud utique, nisi signum sanctæ crucis? Ipsum est enim quo Moyses mare divisit, et Amalec interfecit (*Exod.* IV), quo Gedeon Madianitas superavit (*Judic.* VII); et Christus Dominus noster diabolum, qui habebat mortis imperium, non solum superavit, sed et prostravit; ipsum est signum quod portamus in frontibus nostris: ipso a cunctis defendimur hostibus, et ab omnibus munimur incursionibus. Hoc est signum fidei, et ingens horror diaboli, quo Christiani principes in necessitatibus suis semper utuntur, et reges veram religionem sectantes sæpe celebres Christo propitio triumphos de hostibus operantur. Sed ut manifestius sciatis, quid pro illa equina cauda in signum debeatis militare convenientius, cum in apparatum belli proceditis, portare; pauca de Constantini actibus memoranda ducimus, qui piissimus Romanorum exstitit imperator, et Christianitatis famosissimus omnium propagator. Ille quippe cum adversus Maxentium urbis Romæ tyrannum exercitum duceret, erat quidem jam tunc Christianæ religionis fautor, nondum tamen, ut est solemne nostris initiari, signum Dominicæ passionis acceperat. Cum igitur multa secum de instantis prælii necessitate pervolvens iter ageret, utique ad cœlum sæpius elevaret [*forte deest* oculos], et inde sibi divinum precaretur auxilium, vidit per soporem ad orientis partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare; cumque tanto visu fuisset exterritus, ac novo perturbaretur aspectu,

astare sibi vidit angelos dicentes : Constantine, in hoc vince : tum vero lætus redditus, et de victoria jam securus, signum crucis, quod in cœlo viderat, in sua fronte designat, et hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, in speciem Dominicæ crucis exaptat ; et ita armis et vexillis religionis instructus adversus impiorum arma proficiscitur, et sine cruore Romani populi, ut ipse Deum precabatur. Maxentio in flumen demerso, de tyranno mirifice triumphavit.

XXXIV. Præterea consulitis, si debeatis, quando nuntius venerit ut ad præliandum pergatur, mox profisci : an sit aliqua dies, in qua non oporteat ad præliandum exire? in quo respondemus : Non est ulla dies in quibuscunque negotiis incipiendis, vel exercendis penitus observanda, præter (si nimia non urgeat necessitas) supra memoratos dies celeberrimos, et omnibus venerabiles Christianis ; non quo vel in his tale quid fieri prohibeatur, cum non sit in diebus spes nostra ponenda, nec a diebus, sed a Deo solo vivo et vero salus omnis penitus exspectanda : sed quo, si inevitabilis necessitas non est, vacandum est in his solito studiosius orationi, et tantæ festivitatis mysteria frequentanda ; nam cum Hebræi quondam Sabbatum observantes noluissent contra hostes suos die sabbatorum arma sustollere, et Deus omnipotens quod in se tantum, et non in observantia dierum spes esset et fortitudo locanda, voluisset ostendere ; occisi sunt ex iis mille viri, ita ut superstites pœnitentia ducti invicem dicerent : *Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecere, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, et justificationibus nostris, citius disperdent nos a terra* (*I Mach.* II).

XXXV. Refertis quod soliti fueritis, quando in prælium progrediebamini, dies et horas observare, et incantationes, et joca, et carmina, et nonnulla auguria exercere ; et instrui desideratis, quid nunc vobis agendum sit : de quo nos necessario vos instrueremur, nisi super hoc vos divinitus instructos contueremur : super divinum enim fundamentum nos ædificare quidquam non possumus. Igitur cum in prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorastis, agere in Dei nomine non omittere, id est ad ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, missarum solemniis interesse, oblationes offerre, confessionem delictorum sacerdotibus facere, reconciliationem et communionem percipere, carceres aperire, vincula dissolvere, et servos et præcipue confractos et debiles, atque captivos libertati donare, ac indigentibus eleemosynas erogare ; quatenus impleatur quod Apostolus admonet dicens : *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu* (*Col.* III). Num illa, quæ commemorastis, id est diei et horæ observationes, incantationes, joca, et iniqua carmina, atque auguria, pompæ ac operationes diaboli sunt, quibus, Deo gratias, jam in baptismate abrenuntiastis, et hæc cum vetere homine et actibus ejus quando novum induistis, omnino deposuistis.

XXXVI. Si die Dominico vel cæteris festis diebus, quando necessitas urget, liceat ambulare, vel ad bellandum procedere? ex trigesimo quarto capitulo harum responsionum nostrarum potestis advertere.

XXXVII. Libros quos vobis ad præsens necessarios esse consideramus, sicut poscitis, animo gratanti concedimus et plures, Deo largiente, præstare desideramus.

XXXVIII. Dicitis quod quando in castris estis, orationem perfectam, et congruam facere nequeatis, ac per hoc exponi cupitis quid agere debeatis: unde nos contra suademus, ut quanto plus hostes sæviunt, et necessitas vel tribulatio incumbit, tanto instantius orationi operam detis. Nam patres nostri plus orando, quam pugnando victores fuere, et voti compotes plus precibus, quam præliis exstiterunt. Denique Moyses orabat, et Josue pugnabat, sed plus ille vincebat orando, quam iste pugnando : aptius ergo ab armis, quam ab oratione vacandum est.

XXXIX. De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique feminis jungi debeatis, liquide cognoscatis ; verum quod leges hinc sanciunt jam meminimus, et denuo memorare summatim operæ pretium ducimus, aiunt enim : Ergo non omnes nobis uxores ducere licet : nam quarumdam nuptiis abstinere debemus, inter eas enim personas quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, matrem et filium, aviam et nepotem, et usque ad infinitum, inter eas quoque personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sacri vero canones, et præcipue Zachariæ summi præsulis decreta quid hinc promulgent, episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.

XL. Consuetudinem patriæ vestræ perhibetis inesse, ut priusquam ad pugnam progrediamini, mittatur a dominatione vestra fidelissimus et prudentissimus vir, qui cuncta arma et caballos, et quæ necessaria pugnæ existunt, consideret ; et apud quem inutiliter præparata inventa fuerint, capite punitur : nunc autem nosse cupitis, quid nos hinc fieri decernamus. Sed hæc nos cuncta vobis ad spiritalis apparatus armaturam convertere suademus, et tantæ severitatis rigorem ad pietatis exercitium inclinare monemus ; ita ut sicut hactenus illa præparatio armorum et equorum diligenter inquirebatur, utrum bene apta esset contra visibiles hostes ; ita nunc studiose investigetur, ut arma spiritalia, id est, bona opera singuli præparata possideant adversus principes et potestates adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI) : porro equus animus intelligitur, quia nimirum sicut homo portatur equo, sic et regitur animo, optime ergo, qui arma contra hostes præparata non habet, perit ; quia, ut scriptum est, *Maledictus vir qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII.)

De equo vero, qui imparatus est animo, bene per Psalmistam dicitur : ***Falsus equus ad salutem, in abundantia autem virtutis ejus non erit salvus*** (*Psal.* XXXIII). Nisi enim falsus esset, imparatus non esset ; equo contra de præparato dicitur : ***Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit*** (*Prov.* XXI). Sic itaque quod hactenus carnaliter observastis, et arma quæ forsitan ab inopibus hæc præparare non valentibus crudeliter exegistis, jam nunc spiritaliter veneramini ; et hæc magnos et parvos præparare pie et indesinenter hortamini.

XLI. De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, et idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, et ratione illos potius quam vi, quod vane sapiant convincatis : opera manuum suarum, et insensibilia elementa, cum sint homines intellectu habiles, adorantes, imo dæmoniis suam cervicem flectentes et immolantes. Nam, ut Apostolus docet : ***Scimus quoniam nihil est idolum, sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant*** (*I Cor.* VIII). Jam vero si vos non audierint, cum eis nec cibum sumere, nec ullam penitus communionem habere : sed eos tanquam alienos, atque pollutos a vestris obsequiis et familiaritate removere debetis, ut tali forte confusione compuncti convertantur, inspirante Deo, ad ipsum qui est verus et non falsus Deus, Creator et non creatus, non factus, sed factor omnium : nam, ut Dominus præcipit (*Matth.* X), de domo illius qui non credit, non solum cibum, verum etiam nec pulverem in pedibus debet educere Christianus, in tantum ut discipuli nescientes quod acciderat, moleste tulerint, quod Petrus princeps eorum ad Cornelium ingressus fuerat, quem ipse, Deo præcipiente, primum ex gentibus fecerat Christianum (*Act.* X) : nulla igitur cum his qui non credunt, idolaque adorant, miscenda communio est. Porro illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest ; scriptum est enim : ***Voluntarie sacrificabo tibi*** (*Psal.* LIII) ; et rursus : ***Voluntaria***, inquit, ***oris mei beneplacita fac, Domine*** (*Psal.* CXVIII ; et iterum : ***Et ex voluntate mea confitebor illi*** (*Psal.* XXVII) ; ultronea quippe Deus obsequia, et exhiberi tantum ab ultroneis præcipit : nam si vim inferre voluisset, nullus omnipotentiæ illius resistere potuisset. Jam vero si quæritis, quid de hujusmodi perfidis judicandum sit, apostolum Paulum audite, qui cum Corinthiis scriberet, ait : ***Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis? nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis*** (*II Cor.* V) ; ac si diceret : De his qui extra religionem nostram sunt nihil ego judico, sed eos Dei judicio reservo, qui judicaturus est omnem carnem. Verumtamen auferte malum ex vobis ipsis, ne videlicet vobiscum morans ut cancer serpat : aut certe dum a fidelibus sibi communicari conspicit, suæ quoque vanitati communicari putet ; ac per hoc veraciorem et sanctiorem suam sectam, quam nostram existimet religionem. Propter conscientiam ergo magnopere idola colentim cavenda est omnino communio : nam qui idololatris communicat, ipsis idolis, imo dæmoniis communicare videtur : ***Omnes enim dii gentium dæmonia*** (*Psal.* XCV.) ; et Apostolus dicens : ***Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo***, adjecit : ***Nolo***, inquit, ***vos socios fieri dæmoniorum*** (*I Cor.* X).

XLII. Asseritis quod rex vester cum ad manducandum in sedili, sicut mos est, ad mensam sederit, nemo ad convescendum etiam, neque uxor ejus cum eo discumbat, vobis procul in sellis residentibus, et in terra manducantibus ; et idcirco quid vobis hinc præcipiamus, nosse desideretis. Unde nos quia non contra fidem quod agitur est ; licet bonos mores satis impugnet, non tam præcipientes, quam suadentes hortamur, ut ad Christianæ religionis cultores principes attendatis, et humilitatis eorum considerantes fastigium, deponatis ex vobis omne ad nihil utile supercilium : legerunt enim illi in Evangelio, dicente Domino : ***Discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*** (*Matth.* XI). Nam antiqui reges, quorum multi sanctorum consortium meruere, ac ideo veraciter reges dicti sunt, quoniam sancti reperti sunt, cum amicis, quinimo cum servis suis convivati fuisse memorantur ; quin potius ipse Rex regum, et Dominus dominantium, Redemptor noster, non solum cum servis et amicis suis, apostolicis scilicet recubuisse, verum etiam cum publicanis et peccatoribus et recubuisse, et manducasse describitur.

XLIII. Quæ animalia, seu volatilia liceat manducare, quantum existimo Dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit et filiis ejus edenda, dicens : ***Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum quasi olera viventia*** (*Gen.* IX) : et demonstratis cœlitus beato Petro in illo disco, quamvis hoc altius intelligendum sit, cunctis animantibus, dicitur : ***Macta, et manduca*** (*Act.* X) ; Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus esse probatur, et societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur : nam ideo, ut sanctus et facundissimus doctor scribit Augustinus, morticinum ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum sed mortuorum animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus causa sumimus alimentum. Porro eorum opinionem, qui quippiam in cibis immundum esse perhibent, per se Dominus destruit dicens : ***Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*** (*Matth.* XV) ; et apostolo Petro divinitus dicens : ***Quod Deus sanctificavit, ut commune vel immundum ne dixeris*** (*Act.* X ; et coapostolus ejus Paulus scribens : ***Omnia***, inquit, ***munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum*** (*Tit.* I). Verumtamen ne forte quilibet ex Veteri vobis Testamento quædam prohibita velint animalia demonstrare, atque ab eorum vos edulio

coercere; notandum est, inter illa quæ prohibita sunt, etiam porcum connumerari; de qua re præfatus sanctus Augustinus de cæteris interim tacens, scribens etiam hujus animalis meminit dicens : Testamento Veteri, ubi quidam cibi carnium prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, qua dicit Apostolus : *Omnia munda mundis, et omnis creatura Dei bona est* (*I Tim.* IV), si possunt, intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis; illis autem litteras propter quasdam præfigurationes tempori congruentes animalia quædam non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque verbi gratia, si de porco et agno requiratur, utrumque natura mundum est; quia *omnis, creatura Dei bona est* (*ibid.*) : quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est; tanquam si stultum et sapientem diceres : utrumque hoc verbum natura vocis, et litterarnm, et syllabarum quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verbum, quod dicitur stultum, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quiddam immundum significat : et fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in rerum genere stultus; et tam illud animal, quam istæ duæ syllabæ, quod dicitur stultum, quiddam unum idemque significat : immundum quippe illud animal in lege positum est, eo quod non ruminet; non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura; qui cum libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant : quod enim utile audieris, velut intestino memoriæ tanquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine volvere; quid est aliud, quam spiritaliter quodammodo ruminare? quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde et ipsa a talibus carnibus abstinentia, tale vitium nos cavere præmonuit. Cum enim de hac munditia ruminandi alio loco ita scriptum est : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum* (*Prov.* XXVII). Has autem similitudines rerum in locutionibus et observationibus figuratis propter quærendi et comparandi exercitationem rationales mentes utiliter et suaviter noverit : sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat, quo non tantum dictis, sed etiam factis prophetari oporteret, et ea quæ posteriori tempore fuerant revelanda, quibus per Christum, atque in Christo revelatis, fidei gentium onera observationum non sunt imposita, prophetiæ tamen auctoritas commendata.

XLIV. Nulla ratio sit in quadragesimali tempore venationibus uti : venantes enim nihil præter carnes captant, ut ergo nihil carnale sectari videamini, decenter a carnibus captandis in quadragesimali præcipue tempore vobis est abstinendum; quanto enim jejunii tempore arctius est divinis cultibus insistendum, tanto est in cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum; præsertim cum neminem nisi reproborum venationes exercuisse sacra designet historia.

XLV. A nobis scire cupitis si in quadragesimali tempore judicia sint exercenda, et ad mortem aliquis addicendus, in quo nos noveritis eadem de quadragesimali tempore super hac respondere consultatione, quæ diebus festis nos duodecimo harum responsionum nostrorum capitulo jam respondisse dignoscimur.

XLVI. Jam vero si quadragesimali tempore liceat, si necessitas exigit, vel si non exigit ulla necessitas, ad bella procedere, non vobis est necessarium exponendum, cum ex priorum propositionum solutionibus quid vos conveniat agere, etiam nobis tacentibus jam ipsi colligitis. Bellorum quippe ac præliorum certamina, necnon omnium jurgiorum initia diabolicæ fraude sunt artis profecto reperta, et dilatand regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alius cujuspiam vitii dilector tantum his intendere, seu delectari convincitur. Et ideo, si nulla urgeat necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed omni est præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum procul dubio præparationi parcendum; ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, et suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet. Porro muri Jericho filiis Israel, qui Sabbatnm jam observandum susceperant, etiam Sabbato urbem circumeuntibus et tubis clangentibus ad terram protracti sunt (*Jos.* VI).

XLVII. Consulitis si liceat in quadragesimali tempore jocis vacare; quod non solum in quadragesimali, verum etiam in nullo tempore licitum est Christianis; sed quia vobis, qui in montem nondum ascendere tanquam infirmi potestis, ut inde sublimia mandata Dei percipiatis, sed in campestribus, quemadmodum filii quondam Israel, positi estis, ut saltem ibi plana et minora quæque præcepta sumatis, necdum possumus suadere, ut omni tempore jocis abstineatis, et quadragesima, ac jejunii tempore, quando peramplius et instantius orationi et abstinentiæ, et omnimodæ pœnitentiæ sicut longe superius exposuimus, vacare debetis, non solum jocis, verum etiam ab omni vaniloquio, et scurrilitate, quæ ad rem non pertinent, atque ab ipso otioso verbo, ut in Evangelio Dominus dicit : *Quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem* (*Matth.* XII) : si de otioso quanto magis de noxio et criminoso? nulla ergo vos voluptatum, et jocorum, et maxime in tempore jejuniorum, vanitas seducere valeat; non enim lamenta cum jocis conveniunt, et fallax, ac deceptrix lætitia, veraces lacrymas producere nescit in proximo : præterea est judex, qui dixit : *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis* (*Luc.* VI); hinc Salomon ait : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV); hinc iterum dicit : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis?*

A (*Eccle.* II.) Hinc rursus ait : *Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia* (*ibid.*); gratum namque Deo sacrificium est afflictio contra peccatum, Psalmista testante, qui ait : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L).

XLVIII. Unde nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur. Iterum quid hinc sacri canones dicant episcopo vestro docente scietis.

XLIX. Præterea sciscitamini, si licet exhibere vobis quemadmodum prius in dotem conjugibus vestris aurum, argentum, boves, equos, etc., quod quia nullum peccatum est et leges hoc connivent, et nos ut fiat minime prohibemus; et non solum hoc, verum etiam quidquid ante baptismum egistis, et nunc quoque vobis agere profecto conceditur (*S. Greg. hom.* 24 *in evang.*). B Nam piscatorem Petrum, Matthæum vero telonarium scimus, et post conversionem suam Petrus ad piscationem rediit, Matthæus vero ad telonii negotium non resedit, quia et aliud est victum per piscationem quærere, aliud telonii lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt, ad illa ergo tantum, quæ ad peccatum implicant, necesse est ut post cenversionem animus non recurrat: quod vero quisque ante conversionem sine peccato exercuit, hoc eum post conversionem repetere non est culpa.

L. Quid de eo, qui de quadragesimali tempore cum uxore sua coierit, sit judicandum, episcopi vestri, et sacerdotis qui ab eo constituetur, arbitrio conside-C randum, ac diffiniendum committimus, qui singulorum mores agnoscere poterunt; et uniuscujusque vestrum causas libratis personis, ac temporibus discernere, seu moderari debebunt. Porro cum ea eodem tempore sine aliqua contaminatione dormire omnino liceret, si ignis, et palea sine læsione communionem aliquam habuissent, vel si diabolicæ fraudis astutiæ nescirentur nam ubi masculus cum femina pariter conversantur, difficile est insidias hostis antiqui deesse, quæ nimirum non defuere, ubi solitaria fratris et sororis, Amnonis scilicet et Thamar, exstitit parvissimo spatio commoratio (*I Reg.* XIII).

LI. Si liceat uno tempore habere duas uxores exquiritis, quod si non licet, scire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas D tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem, ab initio masculum unum fecit et unam feminam tantum (*Gen.* I), cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit; scriptum quippe est : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et odhærebit uxori suæ* (*Gen.* II), non dixit, uxoribus; et iterum : *Erunt duo in carne una* (*ibid.*), masculus scilicet et femina in carne una, et non tres aut plures. Itaque apud quem uno tempgre duæ uxores inveniuntur, interim priorI retenta posteriorem cogatur amittere : insuper et pœnitentiam quam loci sacerdos præviderit præceperit. [Ut cap. 78 *consideravit.* HARD.], compellatur suscipere. Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, qnod Cain in Abel fratrem suum commisit (*Gen.* IV), septima generatione cataclysmo vindicatum fuerit (*Gen.* VII); adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit (*Gen.* IV), nonnisi sanguine Christi abolitum exstiterit, qui septima et septuagesima generatione secundum Evangelium luxerit in mundum.

LII. Si nosse desideratis quid de his qui quemlibet eunuchizant judicandum sit, paginas legum revolvite.

LIII. Consulitis si licet super mensam, in qua sacerdos, aut diaconus deest, vexillum sanctæ crucis imprimere et comedere : quod procul dubio licet, nam omnibus datum est, ut et omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, et ab ejus omnibus impugnationibus in Christi nomine triumphare : superest tantum, ut cum potior adest, inferior hoc sibi nisi jussus non audeat arrogare : quoniam, *Non est discipulus super magistrum* (*Matth.* X), et iterum præcipit Apostolus dicens : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII).

LIV. Dicitis quod Græci fateantur quod in Ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum : hoc ut fieret præceptum fuisse nusquam, ni fallimur, invenitur, ac per hoc, nisi fiat, peccatum non est : nam quidem faciunt hoc, quidam illud, nunc isti hoc genus humilitatis, nunc illud ostentant : nisi forte qui pertinaciter recuset facere, quod omnes viderit facientes. Verum et hoc, et multa in diversis locis alia humilitatis indicio fiunt, et hoc, cum sit, nonnisi humilitatis gratia fit, et revera scriptum est : *Oratio humiliantium se nubes penetrabit* (*Eccle.* XXXV), proinde sive hoc, sive aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus, quia secundum Evangelium, *qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Si enim quis ante principem mortalem veniens cum omni reverentia et timore stat, loquitur, et incedit, quanto potius eum qui ante Deum, qui est æternus, terribilis, et excelsus, accesserit, cum omni pavore ac tremore non solum stare convenit, sed et quasi servum semetipsum in conspectu ejus humiliter præsentare, et quia quorumdam in Evangelio reproborum ligari manus, et pedes præcipiuntur (*Matth.* XXII), quid aliud isti agunt qui manus suas coram Domino ligant, nisi Deo quodammodo dicunt, Domine, ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores : quoniam jam ego eas ligavi, et ecce ad flagella paratus sum? Hinc etiam pectus percutimus signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis, ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, et antequam ultio extrema veniat, commissum pœnitentia digna punire.

LV. Jam vero quod asseritis, Græcos vos prohibere communionem suscipere sine cingulis, quibus sacræ Scripturæ testimoniis hoc prohibere jure pro-

bentur, nos penitus ignoramus, nisi forte illo quo Dominus præcipit dicens : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XXII). Verum hoc sancti Evangelii testimonium non per litteram, sed per spiritum oportet impleri. Nam si ad hoc istud præceptum est ut taliter servaretur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut *lucernæ ardentes* ? (*Exod.* XVIII) et sicut agnum comedentibus jubetur, ut baculum in manibus teneant ? habent suum ista mysterium, et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, qua decet, significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus bonorum splendor operum, de quibus dicitur : *Sic opera vestra luceant* (*Matth.* V), indicatur. Rudes ergo fidelium mentes, ut sanctus et egregius propugnator Ecclesiæ papa Cœlestinus scribit (*epist.* 1) cujus hæc summatim verba mutuati sumus, ad talia non debemus inducere, docendi enim sunt potius quam illudendi, nec imponenda eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

LVI. Nosse vos velle asseveratis, si liceat omnibus vestris præcipue tempore siccitatis, ad pluviam postulandam jejunium et orationem facere, vobis quidem hoc agere licet : quoniam jejunium et oratio magnæ virtutes [*forte*, virtutis, HARD.] sunt, et ad has jugiter faciendas vestra multum valet hortatio ; sed congruentius est si hæc per episcoporum dispositionem fiant : ipsi namque sunt qui ligandi, solvendique potestatem accipiunt, ad horum vocem populi Dei castra moventur, et requiescunt : sine his tanquam sine capite fore videmini, et quasi oves errantes, et non habentes pastorem inceditis. Siquidem in talibus prisco tempore, quod nunc quoque sancta tenet Ecclesia, sacerdotum præcedebat institutio, et omnis penitus ordinatio, et tunc reliquæ plebis subsequebatur assensus, ac per hoc ordine debito custodito, et unanimitate servata, Deo largiente, voti præstabatur effectus.

LVII. Græcos vetare perhibetis eunuchos animalia vestra mactare, ita ut eum qui ex animalibus ab illis occisis comederit, grave commisisse peccatum affirment. Sed nobis valde absonum est, et adhuc frivolum sonat, quod dicitur. Porro quia ratiocinationem ista dicentium non audimus, nihil interim de assertione ipsorum nondum plene cognita decernere diffinitive valemus. Unum tamen scimus, quoniam si eunuchi præcepta Dei custodierint, ad regnum cœleste percipiendum nihil eis obesse membrorum poterit detruncatio, cum secundum Apostolum in resurrectione omnes occurramus in virum perfectum (*Ephes.* IV), et per prophetam Dominus, si ejus mandata observaverint, eunuchis nonnulla læta promittat (*Isa.* LVI). Siquidem et ille eunuchus Æthiops a sancto Luca evangelista pro virtute et integritate vir appellatur dum dicit : *Et ecce vir Æthiops eunuchus potens Candacis reginæ* (*Act.* VIII).

LVIII. Utrum velato an nudato capite mulier in ecclesia stare debeat, Apostolus docet (*I Cor.* XI) : *Mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum ; unum est enim ac si decalvetur, nam si non velatur mulier, tondeatur ; si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum ;* et iterum : *Ideo*, inquit, *debet mulier velamen habere super caput propter angelos*, id est, sacerdotes ; et rursus ait : *Vos ipsi judicate, decet mulierem non velatam orare Dominum ? nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

LIX. Quod de femoralibus sciscitamini, supervacuum esse putamus ; nos enim non exteriorem cultum vestium vestrarum, sed interioris hominis mores in vobis mutari desideramus, nec quid induatis præter Christum, *quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III) ; sed quomodo in fide, ac bonis operibus proficiatis inquirimus. Verum quia simpliciter de his interrogatis, verentes videlicet ne vobis in peccatum imputetur, si præter aliorum consuetudinem quid saltem in minimis agitis Christianorum, ne quid desiderio vestro subtrahere videamur, dicimus, quoniam in libris nostris jussa sunt femoralia fieri, non ut his mulieres uterentur, sed viri : nunc autem, ut quemadmodum a veteri ad novum transistis hominem, ita de priori consuetudine ad morem nostrum per omnia transeatis facite ; sin autem, quod placet agite. Nam sive vos, sive feminæ vestræ, sive deponatis, sive induatis femoralia, nec saluti officit, nec ad virtutum vestrarum proficit incrementum. Sane quoniam diximus jussa fuisse femoralia fieri, notandum est, quia nos spiritualiter induimur femoralibus, cum carnis libidinem per abstinentiam coarctamus : nam illa loca femoralibus constringuntur, in quibus luxuriæ sedes esse noscuntur, quamobrem fortasse primi homines post peccatum in membris suis illicitos sentientes motus ad arboris ficulneæ folia concurrentes sibi perizomata texuerunt (*Gen.* III) ; sed hæc spiritualia sunt, quæ hactenus portare non poteratis, *sed necdum*, ut cum Apostolo dicam, *potestis ; adhuc enim estis carnales* (*I Cor.* III) ; et ideo hinc perpauca diximus, cum plura Deo donante dicere valeremus.

LX. Consulentibus vobis si liceat absque jejuniorum tempore quantulumcunque valde mane comedere, respondemus, quoniam neminem patrum nostrorum ante horam diei tertiam manducasse, nec sancta Ecclesia ante horam hanc traditionem sumendi cibum accepisse recolimus, vel monumentis quibuscunque reperimus : e contrario vero quosdam eorum usque ad vesperum, alios autem usque ad nonam horam diei : porro alios usque ad sextam invenimus jejunasse : nullum autem mane cibi quantulumcunque sumpsisse comperimus, cum potius *Væ* dictum qui mane comedunt fuisse legerimus (*Isa.* V). Quamobrem ab isto maledicto vos alienos esse desiderantes hortamur, ut ante horam diei tertiam nullum omnino corporalem cibum etiam in ipsis insignibus solemnitatibus omnino sumatis : nam quæ solemnitas potest esse Pentecoste sublimior, in qua

Spiritus sanctus super apostolos descendit, ac per hoc homines meruerunt in se suscipere Dominum? In ista nempe festivitate sancti apostoli cum aliis nonnullis hora diei tertia reperiuntur fuisse jejuni, cum repletos Spiritu sancto, et loquentes omnium gentium linguis quibusdam incredulis audientibus, et obstupescentibus, et quod musto essent repleti ii, qui simul aderant falso dicentibus : Petrus apostolorum princeps responderit, dicens : *Non enim, sicut vos æstimatis, ebrii sunt isti, cum sit hora diei tertia* (*Act.* II), ubi notandum quod non solum apostoli, sed et omnes qui cum ipsis erant, id est centum viginti viri, super quos Spiritus sanctus cecidit, hora diei tertia jejuni reperiantur. Simul etiam notandum quod non dixerit beatus Petrus simpliciter : *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt,* sed addiderit : *cum sit hora diei tertia ;* ac si patenter diceret : Ipsi liquido nostis, quod non sit istis consuetudini ante horam diei tertiam jejunium solvere, quamobrem frustra illos ebrios esse putatis. Imitamini itaque hos, ut Spiritus sanctus, et si non tardius, saltem hora tertia diei vos jejunos inveniens, sicut istos, vos quoque inspiratione suæ gratiæ repleat.

LXI. De cætero scire vos velle significatis, quot vicibus laicalis persona per unumquemque diem orationem facere debeat, in quo scire vos convenit, neminem exceptum esse ab eo, quod Dominus in Evangelio dicit : *Oportet semper orare, et non deficere* (*Joan.* XVIII) ; et Apostolus : *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v) ; quod sanissime præfato sancto Augustino docente, sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi ; quæ autem sint hæc certa tempora orandi, quæ nullo die prætermitti debeant, quærite et invenietis.

LXII. Refertis quod lapis inventus sit apud vos antequam Christianitatem suscepissetis, de quo si quisquam ob aliquam infirmitatem quid accipit, soleat aliquoties remedium corpori suo præbere : aliquoties vero sine profectu remanere ; quod utique etiam de illo lapide, qui nunquam sumentibus quotidie certum est evenire videlicet, ut alii quidem ab ægritudine sua remedium sanitatis recipiant, alii vero infirmitate tabescant. Quamobrem nos tanquam erroris *(a)* vobis consulentibus utrum de cætero sit agendum an respuendum, respondemus, et decernimus, quatenus omnis ejusdem lapidis sumptus penitus prohibeatur, et omnimodis refutetur, et in solo illo lapide Domino nostro Jesu Christo, quem reprobavere ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Matth.* XXI), spes totius salutis humanæ ponatur, et tanquam a fortissimo recuperandæ fortitudinis nostræ remedium exspectetur, ad quem vos accedere, et in eo fiduciam omnem locare beatissimus primus apostolorum Petrus per epistolam suam hortatur, dicens : *Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domum spiritalem* (*I Petr.* II).

LXIII. Consulitis præterea si liceat viro Dominico nocturno vel diurno tempore cum uxore sua conjungi aut dormire, quibus respondemus : quoniam si Dominico die ab opere mundano cessandum est, sicut supra docuimus, quanto potius a voluptate carnali et omnimodo corporis pollutione cavendum? præsertim cum Dominici diei nomen, quod nihil eodem die præter quæ Domini sunt Christianus agere debeat, liquido manifestet. Porro idipsum est de nocturno ipsius diei quod de diurno tempore sentiendum. Unus est enim dies, qui tam diurno, quam nocturno spatio constat, viginti quatuor horas habens. Nam nisi tam absentia quam præsentia solis unus existeret dies, nequaquam Scriptura diceret : *Factum est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I) : jam vero si dormiendum simpliciter eodem sit tempore cum uxore propria, quinquagesimo harum responsionum nostrarum capitulo quod sensimus, cursim jam intimavimus. Porro, ut verbis utar Apostoli, *hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (*I Cor.* VII).

LXIV. Quot diebus viro, postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum, non adinventionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani pontificis, et Anglorum gentis apostoli declaratur, qui Augustino episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat, scribens inter cætera dixit (*Epist. lib.* XII, *epist.* 31) : Ad ejus vero (id est mulieris) concubitum vir suus accedere non debet, quoadusque proles quæ gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus nutriendos tradant; quod videlicet sola causa incontinentiæ videtur inventum, qui dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.

LXV. Tunc recte non licet cuilibet communionem Christi percipere, quando gulæ deditus non invenitur jejunus, adeo ut mysticam mensam parvipendens prius cibi laici sumptu jejunium solvisse videatur, Christique venerandum corpus ac pretiosum sanguinem a cæteris non discernens alimentis non præposuisse omni humanæ refectioni, sed postposuisse noscatur. Remedium quippe salutiferum est corpus Christi contra peccatum, et qui hoc ante omnem escam veneranter non sumit (*b*). Et certe quotidie medicos vacuis visceribus sua cernimus pocula propinare : et si hoc pro sanitate corporis agitur, quanto potius est pro animæ salute patrandum? Cæterum quamobrem non debeat is, cui sanguis ex ore vel naribus profluxerit, corpus ac sanguinem Christi percipere, regula nulla docet. Nam

(*a*) Vox illa, *erroris,* aut est corrupta, aut superflua. HARD.

(*b*) Hujus loci pars altera deest.

quod invitus quis patitur, in culpam ei non debet imputari, ac per hoc nec a participatione tanti remedii coerceri : novimus namque quia mulier quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim infirmitas recessit. Si itaque mulier hæc in fluxu sanguinis posita vestimenti Dominici tactu non judicatur indigna, imo ipsius Domini, nam ipsi dixit : *Tetigit me aliquis* (*Matth.* IX); cur ei qui sanguinis ex ore vel naribus fluorem sustinet, non liceat salutifera Christi sacramenta percipere ?

LXVI. Græcos prohibere vos asseritis cum ligatura lintei quam in capite gestatis, ecclesiam intrare; quos [*forte*, quod, HARD.] nos quoque similiter non abs re forsitan inhibemus : nam sæpe memoratus ac semper memorandus apostolus Paulus ait : *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Et iterum : *Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago et gloria est Dei* (*I Cor.* XI); quod enim de velamine dici, etiam de ligaturæ volumine debet, credimus, observari.

LXVII. Perhibetis vos consuetudinem habuisse, quotiescunque aliquem jurejurando pro qualibet re disponebatis obligare, spatham in medium afferre, et per eam juramentum agebatur : nunc autem per quos jurare debeatis a nobis juberi deposcitis. Sed nos ante omnia non sum per spatham, verum etiam per aliam omnino conditam speciem jurari judicamus indignum. Per quem enim quis jurat, profecto et diligit et veneratur, sed et fiduciam suam ei firma stabilitate commendat : quamobrem per Deum jurandum est, qui ab hominibus diligendus et venerandus, et in quo omnis spes et fiducia est locanda, et a quo præ cunctis creaturis est semper auxilium exspectandum, nam cum a Domino per cœlum, terram, caput et Jerusalem non jurare jubetur, nil nisi ut per creaturam juretur, procul dubio inhibetur. Quod autem per Dei nomen jurare præcipiamur, ipso jubente, didicimus. Sane possumus per eas duntaxat creaturas jurare, quæ divinis sunt cultibus deputatæ, ut est templum et altare, in quibus qui jurat, jurat in ipsis, et qui habitat in ipsis, et si quæ sunt talia. Quapropter jure per Evangelium jurandum est, in quo quidquid continetur, nihil nisi Dei, qui in eo scribitur et legitur esse, præfecto dignoscitur : ipsum est enim lex nostra, ipsum testamentum nostrum, quod legiter et testator Dominus et Redemptor noster electis suis disposuit, et si hoc amamus per ipsum etiam juramus; etenim omnis vera qui dicit, per eum jurat quem amat; nos ergo si per Evangelium juramus, et testatorem, et ipsum testamentum diligere comprobamur, et ab ejus mandatis nos nolle recedere procul dubio significamus.

LXVIII. Requisistis post quot dies mulier possit ecclesiam intrare postquam genuerit : in quo nos prædecesoris nostri beati Gregorii papæ vestigia sequentes, eadem quæ ipse decernimus, qui pro nova gente sicut nos modo instruenda scribens, in-

A ter alia dixit (*Epist. lib.* XII, *epist.* 31) : Si mulier hora eadem qua genuerit, actura gratias intret ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur : voluptas enim carnis, non dolor in culpa est, in carnis autem commistione voluptas est; nam in prolis prolatione gemitus, unde et ipsi primæ omnium matri dicitur : *In doloribus paries* (*Gen.* III) : si ergo enixam mulierem intrare ecclesiam prohibemus, ipsam ei pœnam in culpam deputamus.

LXIX. Quot vicibus per totum annum baptismata celebrari debeant, vel si eodem die licitum sit carnes comedi, vel quot in consequentibus ab his sit abstinendum, requiritis. Insignia igitur anni sive solemnia tempora, quibus baptismata celebrantur, secundum canones, duo sunt, Paschæ scilicet et B Pentecostes. Verum circa vos nulla sunt in baptizando tempora penitus observanda; quemadmodum nec erga eos qui mortis vicinæ periculum metuentes tanto lavacro purgari desiderant : a carnibus autem ipso die iis qui Sabbato sancto, vel sabbato Pentecostes baptizati fuerint, abstinere procul dubio convenit : consequentibus vero septem diebus, qui a veteribus dies azymorum dicebantur, et diei resurrectionis Dominicæ convincti [conjuncti] rite celebrantur, si quisquam quandocunque carnibus vesci affectat, multo magis edere carnes oportet.

LXX. Consulendum decernitis utrum presbyterum uxorem habentum debeatis sustentare et honorare, an a vobis projicere : quo respondemus, quoniam licet ipsis valde reprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari convenit, *qui solem suum*, ut C Evangelium testatur, *oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V). Dejicere vero eum a vobis ideo non bebetis, quoniam nec Judam Dominus, cum esset mendax discipulus, de numero apostolorum dejecit. Verum de presbyteris qualescunque sint, vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita ipsorum quidpiam investigandum, sed episcoporum judicio quidquid est, per omnia reservandum.

LXXI. Sciscitantibus vobis, si a sacerdote, qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem suscipere, necne, respondemus : Non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagio-D num existunt. Nec potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere : proinde qualiscunque sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest; idcirco ab eo usquequo episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est : quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt : et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite igitur intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides est enim, quæ vincit hunc mundum, et quia non dantis, sed acci-

pientis sit, docente sancto Hieronymo, ad credendum in omni anima baptismum esse perfectum, et in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum, qui rursus sacræ Scripturæ concordans ait : Priusquam audias, ne judicaveris quemquam, atque ante probationem accusationis illatæ, neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur, reus est; sed qui convincitur, criminosus.

LXXII. Requisistis si liceat in vobis patriarcham ordinari, sed de hoc nihil diffinitive respondere possumus, priusquam legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, et nobis, quæ inter vos multitudo sit et unanimitas Christianorum, renuntient. Nam interim episcopum habetote, et cum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata, et episcopi per singulas ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter eos unus, qui si non patriarcha, certe archiepiscopus appellandus sit; ad quem omnes concurrant, et cujus consilium in causis majoribus præstolentur; idipsum etiam apostolicis regulis præcipientibus ac dicentibus (*Can. apost.* 34) : Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eas primus habeatur, quem velut caput existiment et nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, etc.

LXXIII. A quo autem sit patriarcha ordinandus interrogatis, et idcirco scitote quia in loco ubi nunquam patriarcha vel archiepiscopus constitutus est, a majori est primitus instituendus : quoniam secundum Apostolum minus a majori benedicitur (*Hebr.* VII), deinde vero accepta licentia, et pallii usu ordinat ipse sibi deinceps episcopos, qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen sive patriarcham, sive archiepiscopum, sive episcopum vobis ordinari postuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a pontifice sedis beati Petri, a quo et episcopatus et apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis, in quo hic est ordo servandus, ut videlicet a sedis apostolicæ præsule sit nunc vobis episcopus consecrandus, qui, si Christi plebs, ipso præstante, erescit, archiepiscopatus privilegia per nos accipiat; et ita demum episcopos sibi constituat, qui ei decedenti successorem eligant : et propter longitudinem itineris non jam huc consecrandus qui electus est veniat : sed hunc episcopi, qui ab obeunte archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant : sane interim in throno non sedentem, et præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium a sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, et Germaniæ, et aliarum regionum archiepiscopi agere comprobantur.

LXXIV. Sciscitamini si, cœpta oratione, nuntius venerit de hostibus, ac ideo ipsam orationem consummare nequiveritis, quid vobis agendum sit? Quid aliud utique, nisi ut bonum, quod cœpistis, quocunque vos perrexisse contigerit, perficiatis? nam non est Christianis unus locus orationis, sicut Judæis erat Hierosolymis; et velui Samaritanis in monte Garizim, sed in omnibus locis, quemadmodum et Apostolus ait : *Volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus* (*I Tim.* VIII). Praterea qui in bono opere perseveraverit in finem, hic salvus erit; præcipue eo tempore, quando contra inimicorum itur incursus; et oratione, sicut jam supra diximus, magis quam armis exspectari debet ab hoste triumphus.

LXXV. Judicium pœnitentiæ, quod postulatis episcopi nostri quos in patriam vesiram misimus, in scriptis secum utique deferent; aut certe episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit, exhibebit; nam sæculares tale quid habere non convenit, nimirum quibus per id quemquam judicandi ministerium nullum tribuitur.

LXXVI. Similiter et de codice ad faciendas missas asserimus.

LXXVII. Refertis quod Græcorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni, hanc intra ipsum codicem condat, et si undecunque aliqua vertitur ambiguitas : per hoc affirment scire se posse quod cupiunt. Vos vero consulitis si sit hoc tenendum an respuendum, utique respuendum; scriptum est enim : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas* (*Psal.* XXXIX).

LXXVIII. Enarratis quod populus ille qui propter Christianam religionem ad occidendum vos insurrexere, pœnitentiam agere voluerit, et sacerdotes illi, qui inter vos advenæ sunt, hanc recipere recusarint : nunc autem requiritis quid de eis agendum sit. Si quemadmodum asseritis, sponte pœnitentiam agere volunt, non sunt prohibendi, sed per omnia pœnitentiæ submittendi, quam episcopus, vel presbyter ordinatus ab illo consideraverit : nam non suscipere pœnitentes, non est catholicorum, sed Novatianorum.

LXXIX. Perhibentes quod moris sit apud vos infirmis ligaturam quamdam ob sanitatem recipiendam ferre pendentem sub gutture, requiritis, si hoc agi nos de cætero jubeamus; quod non solum agi non jubemus, verum etiam ne fiat, modis omnibus inhibemus : hujusmodi quippe ligaturæ, phylacteria dæmonicis snnt inventa versutiis, et animarum hominum esse vincula comprobantur, ac ideo his utentes anathemate apostolica decreta perculsos ab Ecclesia pelli præcipiunt.

LXXX. Cum generatione, quæ pacem vobiscum habere quærit, quomodo ad alterutrum pacem firmare et custodire debeatis, inquiritis. Quæcunque gens vobis pacem offerre voluerit, vos nolite renuere, scriptum quippe est : *Pacem sequimini cum omnibus* (*Hebr.* XII). Et rursus : *Cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII) : ubi *omnibus* sonat, nemo a mutua pace prorsus excipitur. Quomodo vero ipsa sit pax cum hujusmodi firmanda, vel custodienda, nisi gentis, cum qua pax ineunda est, mores et verba prænoscantur facile diffinire non possumus.

Verumtamen quia est laudabilis pax, est et perni-

ciosa, providendum est, ut in omni pacto Christus præponatur, ita ut lege ipsius, et præcipue fide illæsa persistente, fœdus, quod invicem pangitur, permaneat incorruptum : quam autem pacem sectari debeatis, Dominus manifestat, cum dicit : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV), cum eo igitur qui pacem Christi non habet, nec nos communionis habere pacem debemus; sed nec cum illo qui pacem idcirco postulat, ut liberius nociva committat.

LXXXI. Percontati estis, si cum generatione, quæ Christiana est, fœdus interposito ex utraque parte jurejurando feceritis, et post hæc illi pactum dirumpere, et super vos insurgere voluerint; utrum et vos adire contra eos audeatis, an aliud quid agere debeatis. Verum omnis est necessitas toleranda, magis quam a nobis quælibet iniquitas perpetranda : proinde fœdus quod pangitis, nulla est occasione violandum, nisi forte in confirmandi fœderis ipsius articulo interpositum est, quatenus sic una pars id foret observatura, si pars hoc altera nulla tergiversatione violasset; siquidem a Christiano genus omne mendacii summopere declinandum est propter illud, quod a Deo dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et iterum : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Et Apostolus : *Nolite*, ait, *mentiri invicem* (*Col.* III). Jam vero si illi postposito juramento, diruptoque fœdere contra vos insurrexerint, quid vos oporteat agere, episcopus vester a vobis inquisitus respondeat, qui juxta positus et circumstantiam rerum, et temporum qualitatem, et mores personarum, et justitiam partium clare cognoscens, quod congruentius et salubrius esse perspexerit, tunc facilius poterit indicare, et quid agi conveniat cuncta prænoscens vobis pleniter intimare. Verum nos interim rebus incognitis satius admonemus, ut semper rogetis ea quæ pacis sunt.

LXXXII. Cum paganis autem quod sit Christiano pactum faciendum, Apostolus indicat, qui nullam communionem luci ad tenebras, Christi ad Belial (*I Cor.* VI), fideli cum infideli dat intelligi debere prorsus existere. Verum si eo fidelis animo pactum cum infideli constituit, ut eum ad cultum veri Dei possit attrahere, non est prohibendum : quandoquidem Apostolus etiam matrimonium, quod ex fideli constat et infideli, non inhibet permanendum (*I Cor.* VII); et Moyses cognatum suum ad Dei veri notitiam trahere volens, ejus societatem non aspernatur, sed comitatui suo ducem fore summopere deprecatur. Inveniuntur autem nonnulli sanctorum et fidelium cum alienigenis et infidelibus pacta et amicitiæ fœdera contraxisse diversa : sed eos non tanquam infidelitatem eorum, et superstitionem approbantes coluisse, sed tanquam in angarias diversis usibus implicasse et præcipue in terrenis eos quæstibus et servilibus occupasse.

LXXXIII. Si liceat vobis de criminalibus peccatis aliquem judicare consulitis; sed si nemo voluisset peccare, nemo debuisset aliquem judicare; at postquam peccatur, profecto et judicatur. *Scimus* enim, ut secundum Apostolum dicamus, *quia justo lex non est posita, sed injustis, et non subditis, et impiis, et peccatoribus, sceleratis, patricidis, et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei* (*I Tim.* I) : non autem vobis licet clericos judicare, cum vos magis ab ipsis conveniat judicari.

LXXXIV. Requirendum a nobis ducitis quid de eo judicandum sit, qui quemlibet falso criminatus fuerit, et postmodum accusator fallax apparuerit. De hoc quamvis venerandæ leges abunde quod justum est innuant; nos tamen potius cum Apostolo vos ad misericordiæ viscera quam se Deus super sacrificium velle testatur, semper convenit exhortari; siquidem ipse cum gentes, quarum magister erat, doceret, non ad austeritatem legis, sed potius eas ad misericordiæ viscera provocabat dicens : *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiæ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (*Col.* III).

LXXXV. Ergo similiter et circa eum, de quo sciscitamini, qui mortiferum quid homini dederit ad bibendum, vos ad misericordiam exhortamur, sicut et Dominus jubet, dicens : *Dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* VI).

LXXXVI. Si fur vel latro deprehensus fuerit, et negaverit quod ei impingitur; asseritis apud vos, quod judex caput ejus verberibus tundat, et aliis stimulis ferreis, donec veritatem depromat, ipsius latera pungat; quam rem nec divina lex, nec humana prorsus admittit, cum non invita, sed spontanea debeat esse confessio, nec sit violenter elicienda, sed voluntarie proferenda : denique, si contigerit vos etiam illis pœnis illatis, nihil de his, quæ passo in crimen objiciuntur, penitus invenire, nonne saltem tunc erubescitis, et quam impie judicetis agnoscitis? Similiter autem si homo criminatus talia passus sustinere non valens, dixerit se perpetrasse quod non perpetravit; ad quem, rogo, tantæ impietatis magnitudo revolvitur, nisi ad eum qui hunc talia cogit mendaciter confiteri? quamvis non confiteri noscatur, sed loqui, qui hoc ore profert, quod corde non tenet. Relinquite itaque talia, et quæ hactenus insipientes exercuistis, medullitus exsecramini, quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Porro cum liber homo crimine fuerit appetitus, nisi jam pridem repertus est alicujus sceleris reus, aut tribus testibus convictus pœnæ succumbit, aut si convinci non potuerit, ad Evangelium sacrum, quod sibi objicitur, minime commisisse jurans absolvitur; et deinceps huic negotio finis imponitur, quemadmodum crebro dictus Apostolus doctor gentium attestatur : *Omnis*, inquiens, *controversiæ*

eorum finis ad confirmationem est juramentum (*Hebr.* VI).

LXXXVII.. Utrum si mulierem viduam nolentem vitam monasticam suscipere, quia monacham fecerit, peccatum committat, inquiritis : sed in hoc sciendum est, quoniam aliæ sunt virtutes, sine quibus ad vitam ingredi non possumus, aliæ vero sunt, quæ nonnisi ab sponsore requiruntur; sine humilitate quippe, castitate et eleemosynis, et orationibus, nullus ad vitam ingredi valet, et ista sunt cum his similibus, quæ requiruntur ab homine. Monachicum autem habitum induere ac vitam remotam ducere, nonnisi a spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alicui, ut monasticum habitum, et vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat; hic tanquam violentus peccatum evadere non valet : et quoniam quod agitur ex accipientis voto non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis suæ judicio carebit.

LXXXVIII. Pro parentibus vestris, de quibus consulitis, qui infideles mortui sunt, propter peccatum incredulitatis orare non licet, secundum illud Joannis apostoli dicentis : *Est peccatum ad mortem, non dico ut oretur pro eo* (*I Joan.* V), peccatum quippe ad mortem est in eodem peccato morientibus.

LXXXIX. Fruges novas et rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat, quod pene in ipso initio mundi Abel et Cain egisse legimus.

XC. Animalia sive volatilia, si sine ferro mactentur, et solo ictu hominis percussa moriantur, si liceat comedi sciscitamini. De hoc sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum pleniter scripsit, de cujus verbis nos modicum quid nunc propter prolixitatem tangimus : Ubi, inquit, ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat : quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas, non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est; et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris irridentur, ita omnium animos in hac retinuit illa sententia Veritatis : *Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV.)

XCI. Neque quod Christianus persequitur, et a pagano percutitur et occiditur animal, neque quod paganus persequitur, Christianus occidit, a Christiano comedendum est; ne videlicet fidelis cum infideli saltem in modico communicasse videatur : *quæ enim pars fideli cum infideli?* (*II Cor.* VI) et rursus propter conscientiam non fidelis utique, sed infidelis gloriantis scilicet se, quod sibi a Christiano fuerit communicatum, ac per hoc autumantis, eo quod non fuerit a fideli spretus, quod vanitas erroris sui a Christiano exstiterit approbata.

XCII. Desideratis nosse quot sint veraciter patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, et Alexandrinam, et Antiochenam. Romanam, quam sanctorum principes apostolorum Petrus ac Paulus et prædicatione sua instituerunt, et pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt. Alexandrinam, quam evangelista Marcus discipulus et de baptismate Petri filius a Petro missus instituit et Domino Christo cruore dicavit. Antiochenam, in qua conventu magno sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, et quam beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit. Constantinopolitanus autem et Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam ecclesiam nec apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna synodus, quæ cunctis synodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit : sed solum, quia Constantinopolis nova Roma dicta est, favore principum potius quam ratione, patriarcha ejus pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem præsul, licet et ipse patriarcha dicatur, et secundum antiquam consuetudinem ac Nicænam synodum honorandus sit, salva tamen metropoli propria dignitate : sed et in eadem sancta et magna synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliæ episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in cœlis est, quæ est mater nostra; illa vero Jerusalem terrestris, secundum quod Dominus prædixit, adeo funditus ab Ælio Adriano imperatore Romano destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, et ab eodem Ælio Adriano in alio est loco constructa; ita ut locus Dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, et a prædicto Ælio Adriano urbs illa Ælia vocitetur.

XCIII. Porro quis patriarcharum secundus sit a Romano consulitis; sed juxta quod sancta Romana tenet Ecclesia, et Nicæni canones innuunt, et sancti præsules Romanorum defendunt, et ipsa ratio docet, Alexandrinus patriarcharum a Romano papa secundus est.

XCIV. Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma oriatur, et ab illis per totum mundum tribuatur : et ideo nosse desideratis, si verum sit : sed jam credimus quod vestra solertia quam verum non sit animadvertit.

XCV. Quid de his agendum decernimus, qui pro quibuscunque culpis ad ecclesiam fugiunt, requiritis : sed quamvis ea sacri canones, quæ leges mundanæ sanciunt, custodienda flagitent, et leges circa quosdam immisericordes appareant : nos tamen qui non spiritum hujus mundi suscepimus, si quispiam ad ecclesiam fugerit, non illum nisi sua voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. Denique se quondam latrones diversorum criminum rei ad asylum templum Romuli fugientes indemnitatem consequebantur, quanto potius hi qui ad templum Christi confugium faciunt, delictorum remissionem suorum adipisci debent, et jam sibi a suspecto jura-

mento præstito omni pristinæ securitati restitui.

XCVI. Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda (*Matth.* v), vel odio prorsus habenda; quæ est, Apostolo præcipiente, sicut a Christo Ecclesia, diligenda (*Ephes.* v); quanto autem hæreticorum ore Christus et accusatur, et in gentibus blasphematur, sed hos interim perversa prædicantes tolerat, et respiscentes a misericordiæ gremio non repellit.

XCVII. Similiter et de servo, qui dominum suum apud principes accusat, custodiendum est, cui secundum Apostolum a domino suo etiam minæ sunt remittendæ (*Ephes.* VI). Sed quid de servo dicimus, quado Dominus generaliter omnibus et de omnibus, præcipit : *Dimitte*, inquiens, *et dimittetur vobis?* (*Luc.* VI) et Apostolus : *Videte ne quis malum pro modo alicui reddat* (*II Thess.* v). Ubi enim *alicui* interposuit, etiam servum comprehendit. Jam si non omnes comprehendisse dicis, audi quod sequitur : *sed semper quod bonum est sectamini invicem in omnes.*

XCVIII. Si sit sepeliendus qui seipsum occidit, vel si sit pro eo sacrificium offerendum, requiritis. Sepeliendus est quidem, ne viventium odoratui molestiam ingerat: non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulcra ferendus : sed et si qui sunt qui ejus sepulturæ studio humanitatis obsequuntur, sibi, non illi qui sui exstititi homicida, præstare videntur. Sacrificium vero pro eo non est offerendum, qui non solum ad mortem usque peccavit, sed et mortis sibimet interitum propinavit. Quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Joannes apostolus dicit non orandum (*I Joan.* v), quam is qui Judam imitatus sui ipsius homicida fuisse magistro diabolo comprobatur.

XCIX. Si est Christianus intra ecclesiam sepeliendus inquiritis. Hanc sanctus papa Gregorius quæstionem absolvit, dicens (*lib.* IV *Dialog.*, c. 50) : Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesiis sepeliantur; quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur.

C. Qui in prælio defunctus fuerit, utrum reportandus ad propria sit, si parentes ejus aut socii ejus voluerint, ex præcedente capitulo potestis colligere. Siquidem idcirco, si voluerint propinqui, ad proprio reportandus est mortuus, ut ejus tumulum intuentes proximi recordentur ipsius, et pro eo Domino preces fundant. Nam et sanctum Joseph tale quid de ossibus suis obiturum mandasse sacra prodit historia (*Exod.* XIII).

CI. Quibus eleemosyna eroganda, investigatis : quod Dominus in Evangelio manifeste demonstrat dicens : *Omni petenti te da;* et iterum Patrem me-

A morans ait : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* v); et Apostolus : *Dum*, inquit, *tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal.* VI), id est Christianos. Verumtamen est in eleemosyna fadienda quidam ordo discretionis observandus, quem nos pleniter exponere studio nunc brevitatis omittimus. Sed quidnam hoc nomen signet, primitus indicemus : eleemosyna quippe Græce, Latine misericordia dicitur, et certe scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX). Ergo primum sibi debet homo præ cæteris eleemosynam facere : siquidem omnem regulam bene agendi a se debet homo incipere, placens scilicet Deo per munditiam mentis et corporis, ac per hoc sibi tribuens B illum panem vivum, qui de cœlo descendit. Deinde vero eleemosyna exhibenda est propinquis egestatem patientibus, sicut scriptum est : *Carnem tuam ne despexeris* (*Isa.* LVIII) : nam et ipsa natura docet nos de hoc : et quod ipse propinquo meo non exhibuero, quando extraneus exhibebit; deinde autem his maxime misericordia præstanda est, qui petere confunduntur. Sane notandum est; quia sunt nonnulli quibus nil conferri debet, sicut scriptum est : *Da bono, et ne receperis peccatorum* (*Eccli.* XII); et rursum : *Ne dederis impio* (*ibid.*); et iterum : *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus* (*Tob.* IV). Panem enim et vinum suum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt, impendit : qui vero indigenti etiam peccatori C panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit; nimirum non peccatorum sed justum nutrit, qui in illo non culpam, sed naturam diligit: unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones.

CII. Non esse inferendam pagano violentiam ut Christianus fiat, supra docuimus.

CIII. De libris profanis, quos a Saracenis vos abstulisse, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit, inquiritis : qui nimirum non sunt reservandi; *Corrumpsunt* enim, sicut scriptum est, *mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV); sed ut pote noxii et blasphemi igni tradendi.

CIV. (Dist. 4, *a*, *A. quodam.*) A quodam Judæo, D nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus (*Act.* II *et* XIX), baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius (*lib.* I *de Spir. sanct.* c. 3), constat eos non esse denuo baptizandos : sed primum utrum Christianus, an paganus ipse Judæus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est, quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus : Jam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis

evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina cœlestis insinuat; et iterum : Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant, et tamen etiam illic novit Dominus qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præscientia multi qui foris videntur intus sunt. Et alio loco : Et jam corde tardiores, quantum existimo, intelligunt baptismum Christi nulla perversitate hominis sive dantis sive accipientis posse violari; et rursus : Potest tamen, ait, tradere separatus, sicut potest habere separatus, sed quam perniciose tradere; ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat.

CV. Consulentibus et instrui poscentibus vobis, quid de eo faciendum sit, qui super præcepta apostolica se efferens prædicare tentaverit, unus ex eis, id est, Paulus respondet, et instruit dicens : *Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Gal.* I). Verumtamen cum hoc fit, non est passim nec a vobis qui laici estis, temere judicandum; *in multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III).

CVI Postremo deprecamini nos suppliciter, ut vobis quemadmodum cæteris gentibus veram et perfectam Christianitatem non habentem maculam aut rugam largiamur, asserentes quod in patriam vestram multi ex diversis locis Christiani advenerint, qui prout voluntas eorum exstit, multa et varia loquuntur, id est Græci, Armeni, et ex cæteris locis : quapropter juberi poscitis utrum omnibus his secundum varios sensus eorum obedire, an quid facere debeatis. Verum nos in his non sumus sufficientes, sed sufficientia nostra ex Deo est; et beatus Petrus, qui in sede sua vivit et præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Nam et sancta Romana Ecclesia semper sine macula fuit et sine ruga, nimirum quia ille hanc instituit, cujus fidei confesssio divinitus exstitit approbata; ad quam videlicet Christianitatis fidem, licet ejus mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam, inspirante Deo, ecce scripta nostra, et missos ac diversos codices in patriam vestram destinavimus; et quousque radices roboris consequamini, vos rigare nullo modo desistemus; et quousque ad solidum perfectionis cibum perveniatis, vos saltem lacte potare nunquam penitus omittemus (*I Cor.* III), nam gaudium meum, et corona mea vos estis in Domino (*Philip.* IV). De his autem quos in patriam vestram diversis locis advenisse perhibetis varia et diversa docentes, multa vobis jam scripsimus, et nunc scribere aliqua, doctoris gentium suffragantibus sanctis eloquiis, procuramus, qui inter Corinthios tales esse formidans, aiebat : *Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones in vobis sint* (*II Cor.* XII). Verumtamen quantum ad fidem rectam pertinet non curamus qui prædicent, sed quem prædicent; ipse quippe scripsit : *Quidam*, inquiens, *quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim mihi est? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo et gaudebo* (*Philipp.* I). Sed et qui hæc dixit, audite quid alibi dicat : *profana autem et inaniloquia devita; multa enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* (*II Tim.* II). Verumtamen in his omnibus aderit misericordia Dei missis nostris et futuro episcopo vestro, qui vos instruant, et quid agere debeatis abundanter erudiant: sed et illi sive nunc, sive post hæc semper in rebus dubiis et negotiis majoribus sedem totius Ecclesiæ more consulent apostolicam, et ab illa instructi in quibus oportet, instituent, et quæ Dei sunt sedula prædicatione docebunt.

Hæc quidem suggestionibus sive quæstionibus vestris, prout Dominus dedit, respondimus, non quantum potuimus, sed quantum sufficere posse prævidimus. Cum autem episcopum, Deo concedente, per præsulatus nostri ministerium habueritis, ille vos docebit omnia quæ ad officium suum pertinent, et si quæ sunt quæ non capiet, ab apostolicæ sedis auctoritate suscipiet. Deus autem qui in vobis salutem maximam operatus est, hanc perficiat, consolidet et usque in finem stabiliat et corroboret. Amen.

XCVIII.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 866.)

Hortatur imperatorem ad legatos begnigne audiendos, repetit quæ in superioribus epistolis de Ignatio, Photio, Rhadoaldo et Zacharia dicta sunt, docet epistolam a se missam corruptam fuisse, restituitque loca depravata, demonstrat Photii promotionem vel ea de causa rejiciendam, quia a Gregorio Syracusano damnato fuerat consecratus, et imperatorem, qui eum defendebat, arguit. Petit ut epistolam contumeliarum plenam, quam ipse imperator miserat, jubeat comburi : sin minus, dictatores ejus, dispositores, atque præceptores minatur se excommunicaturum, et ut epistola ad illius dedecus in episcoporum concilio coram omnibus comburatur, præcepturum; tandem ostendit plurimum conducere causæ Ignatii et Photiii ut uterque Romam veniat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, piissimo et gloriosissimo dilecto filio MICHAELI magno imperatori.

Quanto majora sunt beneficia Dei, quæ gratuita misericordia sua vestræ collata sunt pietati, tanto procul dubio virtutum vestrarum debent insignia fecundius abundare : et quanto dono ipsius imperium vestrum gloriosius esse dignoscitur exaltatum, et super omnia regnorum culmina sublimatum, tanto

infirmitate propria considerata oportet sub potenti manu ejus solo tenus humiliari, et prona mente, quod omnia ex illo quidquid boni habet, quidquid sibi arridet, sine dubio possideat, submisse, seduleque pensare, scriptum quippe est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli* III); et rursus: *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII); et ad Saul dicitur: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* (*I Reg.* XV.) Nihil quippe a sublimibus personis offertur Deo gratius humilitate. Nihil autem humilitati principum magis congruit, quam libenter audire queritantiam voces, prædicantium exhortationes, et imminentes, seu futuras a speculatoribus Domini prænuntiatas cavere calamitates. Denique, cum non omnes prophetiæ spiritum accepimus, unde scire possumus, quæ circa subjectos nostros, vel circa eos qui ejusdem fidei sunt nobiscum, aguntur, si præsentium verba, vel absentium scripta ab auditu nostro vel visu prorsus excludimus? Epistolæ namque stylus tanquam quidam adventantium, seu gestorum negotiorum ostiarius est. Quid ergo nosse poterit omnium curam habens subditorum, et precipue religionis providentia vestra, si adempto janitoris officio intus nuntiari non permittitur, quod a diversis suggerere clementiæ vestræ auribus foris deposcitur. Debetis ergo cunctorum suggestiones absque ulla prorsus retractatione pio semper auditu percipere, referentiumque voces honestatis, imo reperiendæ justitiæ, ac æquitatis avidi absque qualibet dispectione dignanter admittere; sicque demum magistra ratione, quæ semper privatæ voluntati non postponi, sed anteponi debetur, a falsis vera, et a noxiis salubria sequestrare, et falsa quidem, seu noxia summo libramine reperta, merito repellere; quæ autem vera, sive proficua esse probantur, jure consequenter admittere: nam amatoris justitiæ indicium est quoslibet, et quomodolibet hanc velle penitus invenire. Justitia nempe pretiosa margarita est, quæ non solum in thesauris regiis, verum etiam in sterquiliniis est quærenda. Quanto potius a sede Petri, cui Deus Pater pretiosissimum margaritum, id est Filium suum, revelavit, est sine omni cunctatione speranda et exspectanda: necnon et oblata totis præcordiorum ulnis ardentissime suscipienda. Nolite igitur, fili charissime, scripta nostra, vel missos a visitatione vestra secludere: nolite a beati Petri legatione tranquillissimas aures vestras avertere. Infidelium est enim, imo de salute sua desperantium, aures a voce prædicantium claudere, *sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiunt vocem incantantium* (*Psal.* XXV), id est prædicantium.

Cæterum vos, qui pii, Deo gratias, suadibiles estis, tanto aures ad audiendos clamores pauperum, id est humilium, et pro Ecclesia Dei vociferantium aperire debetis: tantoque ad audiendam legem dirigere vestram intentionem oportet, quanto ipsi penes Deum haberi orationem vestram acceptam desideratis, quantoque cum in opportunitatibus clamatis, et exaudiri medullitus exoptatis. Siquidem virgines illæ fatuæ, quæ foris positæ incassum, *Domine, Domine, aperi nobis* (*Matth.* XXV), clamarunt, idcirco apertam januam non invenerunt: quoniam aurium suarum januam salutiferis vocibus non aperuerunt. Sicut enim misericordiam facientes, misericordiam consequentur, quod de unaquaque virtute sentiendum est: ita voces, quæ pro causa Dei proferuntur, qui audierit, voces quoque suas constituet exaudibiles, sicut e contra qui non audierit, non audietur, quemadmodum scriptum est: *Qui obturat aures suos ne audiat legem, oratis ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII). Porro, cum quædam mulier typum Ecclesiæ gestans, Domino: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti* (*Luc*, XI), clamaret, confestim audivit, quod *magis beati sint, qui audiunt verbum Dei et custodiunt* (*ibid.*). Itaque audite, serenissime imperator, voces legatorum nostrorum, vel voces litterarum nostrarum audite patienter, audite tranquille; quas confidimus in Domino, non invenietis a divinis præceptis in aliquo dissentire, vel a paternis diffinitionibus studio discrepare. Nam si antequam has audiatis, repellitis, et a vocibus [*forte melius*, a vobis, HARD.] antequam de his, quæ fortassis in eis in dubium veniunt, interrogaveritis, excluditis contra divinum præceptum: de incognitis judicare, et non probata damnare, procul dubio dignoscemini. Itaque sapientissimum Salomonem, qui filium quem instruit ad auditionem suam potissimum invitat sequentes, hæc vobis scripto tanquam charissimo filio præmisisse sufficiat (*Prov.* IV).

Cæterum et si non vobis, saltem nobis consulentes, quæ mittenda operæ pretium duximus, scribere non omittimus, et causas Ecclesiæ ipsius, vel nostras, etsi non auribus tuis, certe tanquam coram præsentia Dei fidenter exponimus. Igitur quæ penes Ecclesiam Constantinopolitanam diebus tuis, o excellentissime imperator, acta sunt, hactenus quæruntur, sapientia quidem tua liquido novit. Sed qualiter zelo zelati pro domo Dei sollicitudinem scilicet omnium ecclesiarum secundum Apostolum (*II Cor.* XI), more prædecessorum meorum circumferentes, nos de his egerimus, vel disposuerimus, non tam brevi quam veraci stylo pietati tuæ significamus: et ne aliter sinceræ menti tuæ suaderi tentetur, vel aliter quod egimus, tibi subripiatur intelligi, præsentibus te syllabis edocemus: quod prudentiam tuam dudum jam non lateret, si vel hostes Christi, qui vere est veritas: non in mendacium veritatem converterent, vel nos affectu voluisse paterno, tanquam charissimo filio hanc tibi reserare, studuissent asserere: vel si quo dilectionis ardore circa salutem tuam flagremus, falsitatis fuco noluissent contegere. Igitur postquam audivimus quod quidam qui invidiæ facibus accensi, et superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum, contra pastorem et magistrum suum fratrem videlicet, et comministrum nostrum Ignatium ecclesiæ præfatæ sanctissimum patriarcham insur-

rexissent : quidam vero instar viperarum ac parri- A cidarum parentem proprium,eumdem scilicet beatissimum virum ferinis dentibus impetissent, et ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat tyrannidis suæ cornu penitus removissent :acerrimis doloribus augustiati, atque mœroribus vehementibus cruciati, cœpimus qualiter erga eum viscera benignitatis, ut pote circa fratrem ostenderemus,sedula meditatione tractare. Scriptum quippe est :*Qui viderit fratrem suum necessitatem habere,et clauserit viscera sua ab eo,quomodo charitas Dei manet in eo ?*(*Joan.* III.) Maxime cum scandalum et schisma in jam dicta urbe,et in adjacentibus sibi civitatibus propter quemdam Photium ex foro, ac sæculari militia et habitu,atque a palatinis ædibus eductum,ac subito tonsuratum, et in eadem ecclesia contra sacros ca- B nones promotum,non modicum audiremus obortum. Aliis videlicet Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc tanquam inconvicto, et superstite Ignatio factam merito detestantibus.Sed dum quid hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tantæ pestilentiæ mederi possemus, nobiscum incessanter et anxie cogitaremus ;ecce repente legati sublimitatis tuæ ad sedem apostolicam cum epistola regia pervenerunt,accusationes quasdam adversus jam fatum consacerdotem nostrum Ignatium deferentes, et ut a sede apostolica missos daremus,qui scandala illa sedarent,et schismata dissiparent,magnopere postulantes. Quibus benigne receptis,et legationis injunctæ sibi, seu scriptorum delatorum tenore perspecto, mœstitiam quam prius rumor solus in corde nostro pepererat, casuum evidenter ostensorum certior C confestim relatio multiplicavit.

Quapropter,qaia sicut imperii tui divinitus inspirata sapientia nobis qui cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices illius per abundantiam cœlestis gratiæ egerimus,cui specialiter a Deo dicitur : *Pasce oves meas* (*Joan.* XVII) ; et rursus : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXIII) : non potuimus dissimulare, non potuimus negligere,quominus visitaremus oves dispersas et dissipatas : vel quominus confirmaremus in fide et bonis moribus fratres nostros et proximos. Et quia inter cætera, quæ de schismate jam fatæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hi qui missi fuerant, testabantur, maxime eamdem Ecclesiam ad Iconomachis recidivam contentionem excitantibus assere- D bant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari : idcirco duos episcopos,qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet et Zachariam una cum ecclesia, quæ apud nos est, datis litteris, quæ [*forte redundat vox illa*, quæ, HARD.] Constantinopolim, idem nimirum piaculum exsecrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes, nisi ut tantummodo causam Ignatii patriarchæ,qui ante de ecclesia pulsus,quam ab aliquo accusatus exstiterat,diligenter investigarent, et sedi apostolicæ, et voracibus plenius referrent indiciis ; quemadmodum Job beatissimus edocet :*Causam*, inquit,*quam nesciebam,diligentissime investigabam* (*Job* XXIX). Photii vero consecrationem non solum mine interim admittendam esse credimus[*edit.Rom.* credidimus],verum etiam ipsis legatis nostris,ne cum illo,nisi cum laico[*forte*,nisi ut cum laico, HARD.] usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac commoda jussione præcepimus.Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem (*epist.* 10):Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia,nihil possumus incognitis rebus cujusquam partis in præjudicium diffinire,priusquam universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque genitricis semper Virginis Mariæ,ac sanctorum ipsius imaginibus quidquid quæstio afferret, juste, ac pie diffinire licentiam dantes. Quæ cuncta ita esse, ut dicimus, litteræ nostræ, quæ Augustæ mansuetudini tuæ, necnon et Photio per eosdem missos nostros destinaveramus,si ita sunt apud vos, quemadmodum a nobis fuere transmissæ, patenter poterunt indicare. Verum de hoc in subditis late dicturi, ad propositum redeamus. Pervenientes igitur iidem missi nostri Constantinopolim minis imperii tui,(sicut ipsi postea nonnunquam fatebantur) deterriti, et horrendis terroribus impulsi, spretis monitis nostris, contemptis et epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo postposito timore Dei (sicuti postea claruit) in contrarium verterunt omnia quæ sibi fuerant imperata.

Verum de his a nobis collecto bis sanctorum episcoporum occidentalium regionum concilio, juxta quod Dominus ait : *In quo judicio judicaverunt, judicatum est;et in qua mensura mensi sunt,remensum est eis* (*Matth.* VII) : contigit enim illis, quemadmodum Vitali quondam et Miseno episcopis, qui sicut isti Constantinopolim missi,eorum,pro quibus destinati sunt, adversæ parti communicando, non exsecutores, sed impugnatores inventi sunt : de quibus beatus Felix apostolicæ sedis antistes,et Alexandrini Petri,seu Constantinopolitani Acacii præsulum damnator imperatori Zenoni scribens (*epist.* 10), inter cætera Vitalem,ait, atque Misenum cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul et communione apostolica censura privavit.

Quoniam factum est, sicut ipse Cyrillo abbati Acrimitensi [Acœmetensi] scribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus Christianus :qui rursus de eis mentionem faciens,ad jam fatum principem de eorum transgressione dicit : Plebi suasum est Christianæ nos talibus præbuisse consensum, quos mox ut regressi sunt,prævaricatio impune non habuit. Nam eos apud beatum Petrum apostolum sancta mecum synodus residens dum convicti plura mentirentur, ordine et communione nudavit:ne eorum incorrepta perfidia securitatem præberet inimicis. Jam vero si vos prædictis legatis nostris vim (quemadmodum ipsi fatebantur) intulistis, licet eos

exemplo memoratorum oportuerit antistitum deterreri, imo ne vel impulsi ad talia laberentur, Domini, *Nolite timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x), dicentis, debuerint præceptis arceri, contra divinam tamen reverentiam a te, o catholice princeps, probatur admissum, ut beati apostoli Petri directa legatio, imo hæc in illo proferentis Christi, qui dicit : *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x) : tanquam in captivitatem redacta teneretur (*Ex epist.* 9 *Felicis* III).

Verum quia res et personæ utrarumque partium istius temporis cum illo pene in cunctis conveniunt, memorabilis viri jam nominati Felicis sedis apostolicæ præsulis apud vos etiam clementissime verbis alloqui procuravimus, qui ad superscriptum Augustum scribens inter alia (*ibid.*) : Cum, inquit, apud barbaras etiam nationes, atque ipsius Deitatis ignaros, pro exsequendis negotiis vel humanis, jure gentium semper legationis cujuslibet habeatur sacrosancta libertas, notum est omnibus : quanto magis ab imperatore Romano, et Christiano principe in rebus præsertim divinis oportuerit intemeratam servari? Sed quia superius de falsatæ epistolæ per jam dictos tunc Rhadoaldum, et Zachariam episcopos ad te directæ scriptura memoriam fecimus, restat ut partim loca, in quibus falsata est, quantum inspectis exemplaribus Græcis, quæ nobis per Leonem a secretis misisti, nosse tribuitur, aperiamus.

Asserentes primitus, quomodo non ordo legitimus, nec a sanctis Patribus usitatus, in lectione ipsius epistolæ fuerit observatus : quandoquidem eadem epistola non solum de sacris imaginibus, verum etiam de audiendo fratre et coepiscopo nostro Ignatio sententiam sedis apostolicæ continebat. Et vos eam in causa quidem Ignatii consacerdotis nostri, quæ prius ventilata est, nescimus, cujus usi concilio, silentio contexistis, solum hanc postea, quando pro veneratione sanctarum imaginum synodus collecta est, demonstrantes : quamvis in his, quæ ibidem ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, et per omnia talis a vobis effecta sit, ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videamur : sed vere non sic in synodis prisco tempore collectis, non sic actum fuisse nonnullorum gesta conciliorum demonstrant. In illis enim apostolicæ sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur, sed ut omnibus, qui erant in domo Dei lucerent, in propatulo ponebantur, et ut si qua turpitudo vel macula in fidei pulchritudine a quolibet tentaretur induci, facile patesceret, ac si specula in omnibus habebantur, et quasi quædam rectitudinis formula qua imprimi cæteri possent posita, colebantur.

Quod ut manifestius pateat ex his huic epistolæ pauca duximus inserenda. Primo etenim loco sancta synodus apud Ephesum congregata, sanctæ memoriæ Cœlestini papæ prius epistolam legit, et ita demum ad alia exsequenda vacavit, ita ut jubente sancto
A Cyrillo, qui idcirco in præfata synodo ante omnes sedit, quia et ipse locum jam memorati papæ ibidem (sicut gesta ejusdem synodi testantur) obtinuit : ipsa epistola cum competenti honore Latine primitus, et postea in Gr.ı cam dictionem sine ullo fuco falsitatis jam translata sit coram synodo lecta : In tantum, ut ex ejus propemodum specialis judicii tenore sit perfidus Nestorius Constantinopoleos antistes expulsus, dum eadem synodus in sententia contra eum prolata tali modo prosequitur : Necessario, inquiens, coacti tam ex canonibus, quam ex epistola sanctissimi Patris nostri et comministri Cœlestini episcopi Romanorum Ecclesiæ, lacrymantes sæpius ad hanc mœrore plenam contra eum venimus sententiam. Et ad eumdem papam postea scribens, præfatum Nestorium
B per epistolam ab ipso sanctissimo præsule scriptam, rationabiliter asseverat fuisse damnatum. Epistola quoque sancti Leonis papæ adeo apud omnes orientales episcopos exstitit venerabilis, ut hanc columnam orthodoxiæ vocarent; et omnes in ea præsules Constantinopoleos Anatolio præcedente subscriberent : ita ut Chalcedonensis magna synodus nil diffinisse, nil respuisse, nil suscepisse, nisi quod vel illa, vel vices apostolicæ sedis ibi reservantes diffinierunt, projecerunt, vel admiserunt, penitus agnoscatur, et (sicut in relatione sua, quam ad piæ recordationis snæ Marcianum Augustum habuit, invenitur) prima ruina Dioscori, qui epistolam sanci Leonis recitari prohibuit, exstitit, dum sic aiunt : Nos igitur considerantes et universa orbe factas tempestates, et causam inquirentes hujus rei auctorem comperimus
C Dioscorum quondam Alexandrinorum episcopum, primum quidem, quia epistolam a sanctissimo archiepiscopo senioris Romæ Leone directam ad sanctæ memoriæ Flavianum quondam Constantinopolitanæ urbis episcopum recitari prohibuit. Sed quid per singularum concilia synodorum immoremur, cum in omnibus illis semper ab apostolica sede scriptum prolatum, et ordine præponatur, et auctoritate scripturis cæteris antecellat? Quod si sublimitatis tuæ non latuit sapientiam, oportebat ut etiam ipsa diebus suis talium sequeretur exemplorum vestigia.

Sed tandem aliquando ad ostendendum partim sata in epistola nostra loca, opitulante Domino, sicut præmisimus, accedamus : partim vero dicimus, quoniam prolixitatem vitantes, eadem commemo-
D rare per singula recusamus, quandoquidem nec in his, quæ de venerandis imaginibus per eamdem locuti sumus epistolam, tenor styli nostri, vel intentionis exstiterit observatus. Siquidem cum nos inter alia commemorassemus, quod multoties conventus factus fuerit sanctorum Patrum, a quibus et deliberatum, ac observatum exstiterit, qualiter absque Romanæ sedis, Romanique pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Hoc videlicet de majoribus duntaxat Ecclesiæ negotiis nos innuentes, quod et veraces historiæ, et synodalia gesta sæpe diffinitum, sæpe et factum fuisse testantur : Vos erasistis *absque*, et interposuistis

cum, significare scilicet attentantes : Deliberatum fuerat a sanctis Patribus, ut cum sedis apostolicæ, et ecclesiæ vestræ consensu omnis rei finis debeat omnino proferri : cum hoc fieri semper nulla ratione valeat, nullo prorsus exemplo gestum patescat, præsertim cum hæc apostolica semper sedes in sana doctrina perstiterit.

Vestra vero ecclesia (quantum ad præsulatum pertinet) infirmante capite sæpe languerit : ac per hoc ista nequiverit ascire quovis modo consensum, cujus pessimum exsecrabatur non immerito sensum. Deinde cum nos exprobrantis affectu per eam causari videamur, pro eo quod cœtus conveniens Constantinopolim sine Romani consultu pontificis Ignatium proprio privasset honore, quod nusquam nimirum de Constantinopolitano præsule nisi fortassis ab hæreticis absque Romano papa factum fuisse recolitur : Vos hoc commutastis dicentes, quod in nos prius a vobis fieri non debuisse non scripsissemus, tanquam vel nos postea id fieri censuissemus : aut tanquam nos legatos nostros non ad audiendam solummodo et nobis referendam Ignatii causam, sed ad diffiniendam Constantinopolim miserimus, cum nonnullis in eadem epistola interpositis inveniri queat, quod depositionis ejusdem consacerdotis nostri censuram non terminari, sed tantum perquiri, et nobis significari ad deffiniendam auctoritatem apostolicam [*forte*, auctoritate apostolica, HARD.] luce clarius decreverimus. Nam si nos pro deffinienda controversia fratris nostri Ignatii tunc legatis nostris quidquam præcepimus, vel eum damnationi subjici decrevimus, ut quid ne sententiam diffinitivam suscipere [*forte*, susciperet, HARD.], licet non digne nec legitime decertaverint, attamen quantumcunque et quomodocunque contradixisse, ac ne deponeretur, restitisse probantur. Siquidem (ut cætera nunc commemorare differamus) in epistala vestra ex ore vestro didicimus, quomodo illi non solum consensum noluerunt ipsius præbere damnationi, verum etiam qualiter, ne tantum piaculum a vobis in eum committeretur, interdixerint : quæ profecto et ipsi minime contradicerent, si ut depositioni ejus interessent, nos sibi mandatum tribuisse recolerent, et vos postea nisi illos præter jussionem nostram fecisse clare sciretis, eos et vobis commendare, et super hujusmodi noxa transgressionis excusare nullo modo studeretis.

Jam vero si dictis, quam ob rem illos deposuerimus, cum eos in damnatione sæpe fati patriarchæ consentire noluisse tam manifeste sciamus, respondemus, quia nihil illis bonum profuit inchoasse, et in bonitate minime perdurasse, *Quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Quid enim proderit alicui pro veritate primum quidem impetum dare, et post paululum aut suasionibus, aut terroribus, aut alio quolibet vitio a veritatis tramite declinare? Porro si Vitalis et Misenus, de quibus supra diximus, a beato Felice papa honore pariter et communione privati sunt, qui ad talia vel impulsi dilapsi sunt; quanto potius isti pari debent ultioni succumbere, qui parem quidem prævaricationem, sed non pares, imo nullas pœnas sicut illi quondam perpessi sunt. Post hæc autem quidquid de jam fati fratris et comministri nostri Ignatii tyrannica repulsione, quidquid de inconsiderata et invidiæ plena in eum prolata sententia, quidquid de violatis paternis diffinitionibus, quidquid de Photii scripseramus irregulari promotione, saltu quodam astutiæ transcendentes, etiam sanctorum Patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad concilii pervenirent notitiam contexistis, et veluti in quodam silentii sudario ligata, in terra dum divinitus attributa talenta fuerint, abscondistis, licet continuatim deveniendo in conspectu missorum nostrorum et perquirendo Ignatio. Quamobrem traditam sibi plebem, et constituta decessorum meorum spreverit, quæ nos post multa scripsimus, dictis superioribus conglutinaveritis. Non tamen quæ nos confestim subintulimus, passi estis ad cognitionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vel ad synodi auditionem perferri.

Subintulimus quippe nos post illa verba ita continuo prosequentes : Et in hoc agendum subtili examine a nostræ jussionis legatis depositionis ejus censura perquiratur : quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem observatus fuerit, vel non manifestum existat; ac deinde cum nostro præsulatui significatum fuerit, quid de eo agendum sit, apostolica sanctione diffiniamus, ut vestra ecclesia, quæ tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps et inconcussa permaneat : sed vos hæc, ut prætulimus, occultantes, a piorum, qui fortassis illic habebantur, notitia subduxistis.

Ad nihil plane aliud intendentes, nisi ut non tenebrarum opera manifestatione lucis arguerentur, et ut nos his quæ illic irrationabiliter acta fuerant, dum nostra scripta tacentur, consensum præbuisse reputaremur. Probat hoc præcipue post multa utilia, quæ ibi non utiliter corrupta, vel defraudata sunt, novissimus ejusdem epistolæ locus, in quo nos quidem legatos nostros commendantes, amplitudinem tum deprecati fueramus de ipsis inter alia dicentes : Et cum in conventu Ecclesiæ sederint pro ecclesiasticis diffinitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum sentiant : vos vero protinus subintulistis, quasi nos his continuatim subjunxissemus perhibentes : A nobis enim quæ hujusmodi sunt dispositionis et statuta sunt et diffinita.

Hoc præcepto vestra utinam placens Deo sagacitas innuere volens quæcunque a legatis nostris statuta fuerunt et diffinita, nos statuisse, vel diffinisse per omnia dignoscamur; qui tamen scriptus versiculus, nec a nobis prodiit, nec eis (præter quod ad sacras magines pertinet, et id quoque irreprehensibiliter) diffiniendum sive scripto, sive verbo terminare quidquam, vel deliberare præcepimus. Ita esse quæ

diximus superius a nobis annotatis sententiis, testificantibus exemplaribus ejusdem epistolæ nostræ ubi nos depravata rejacent affatim edocentibus. Nam si nos ideo missos nostros destinassemus, ut vice nostra Ignatii essent negotii judices, quemadmodum vos prætenditis, qui latrocinale illud concilium, in quo Ignatins deponi putatus est, judicium nostrum scribentes asseritis. Ante totius litis motionem, atque ante omnis initium controversiæ sedem ei propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat, atque per ecclesiasticum canonem resumeret quod illi potentia sæcularis ademerat : quatenus sic deinde propria sede, necnon et omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis restitutus jam et armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum, et litigii conflictum potest arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus tuis fieri censeas, imperator multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur pietas tua debuit prævidere.

Sed hæc nos ex innumeris studio veritatis defalsatæ memoratæ crebrius epistolæ nostræ dilectionibus summatim tetigisse sufficiat. Cætero vero (quæ supersunt) per legatos nostros, quos ad divinitus protectum imperium tuum ecce direximus, inspectis immutilatis exemplaribus, quæ illis tranquillitati tuæ demonstranda tradidimus, facile potes agnoscere. Quamobrem et nos quoque dilectionem tuam paterno salutantes affectu deprecamur, et per Deum, in cujus manu corda sunt regum, enixius obsecramus, ut eamdem ipsam epistolam, quam gloriæ tuæ per longe superius memoratos Rhadoaldum et Zachariam misimus, his præsentibus missis nostris monstare, atque ad collationem cum exemplaribus, quæ eis dedimus, faciendam mora sufficiente accommodare digneris : quatenus per hoc scire valeant, utrum sic eadem epistola in sua penes vos integritate maneat, quemadmodum exstiterat a nobis tuæ sublimitati directa : an a quoquam fuerit postmodum ad superius annotatas depravationes perducta.

Et siquidem per vestratum aliquem tantum nefas patratum est: quoniam apud Græcos (sicut nonnulla diversi temporis scripta testantur) familiaris est ista temeritas : miramur, et modis omnibus obstupescimus, si regius excellentiæ tuæ honor, qui judicium diligit, ad tantum potuerit dedecus incurvari, cum ad hoc magis divinitus ordinatus sit, ut depravata corrigat, et falsata pristinæ veritatis honestati restituat; aut enim justa fuerunt quæ missimus, sicque consequenter oportuit ea servari, aut si justa putata non sunt, in quo justa non fuerint, per aliud saltem scriptum exponi vel nobis referri, et summa ratione debuerunt patenter ostendi. In nullo tamen horum oportuit ea vel ecclesiæ quæ apud vos est, cognitione privari, vel aliqua falsitatis depravatione fraudari.

Porro si tuæ mansuetudinis postposita notitia hoc immane sacrilegium gestum est, nihilominus immensa admiratione ducimur, et quia tantum imperium illud potuit, et tantam fraudem perferre jure dolemus. Denique sacrilegium non immerito commisisse dicendus est, qui scripta pietatis fidelium, atque pii principis notioni vel subducit, vel a sui veritate submovens velamento præstigiorum suorum obnubilat. Verumtamen nos quomodocunque falsitati, vel depravationi eadem sit epistola submissa, grates innumeras agimus Deo, cujus inspiratione et fidelia ejus exemplaria penes nos retinuimus, et cujus permissu qui hæc vel authenticam ipsam scripsere superesse noscuntur.

Nos autem Ignatii fratris et coepiscopi nostri privationi quocunque discrimine, priusquam a nobis specialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus consensimus aliquando, Deo nos confirmante, nullo modo consentiemus.

Verum non ita justificamus eum, ut nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus, pro quo fortasse merito poterat, legitima discussione facta, quodlibet canonicæ jaculum pati sententiæ : cum scriptum in apostolicis litteris confiteamur, dicentes: *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III) ; et rursus : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I); sed ita volumus, et ita decernimus istius modi pontificem digna pro factis recipere, ut sacerdotale decus penitus non vilescat, nec tam facile pontificalis apex terra tenus incurvetur. Ita, inquam, volumus, et ita decernimus hunc, imo quemcunque pontificem justæ subdi sententiæ, ut non a sæcularibus quibuscunque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam ecclesia sua privetur, non ab inferioribus, sed a majoris auctoritatis personis recti calculi sententiam consequatur. Ita denique volumus, et ita decernimus istius, imo vero cunctorum sacerdotum causas examinare, culpam suam punire ut paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur, atque munitur, quoquomodo violemus.

Ad extremum ita volumus, et ita decernimus, pontificem qualiscunque sit, judicari : ut ecclesiæ, cui præest, jura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit Ecclesiæ jus dignum servari, si præsul ejus a quibuslibet, vel quandolibet, aut quomodolibet impetratur, et pro libito cujuscunque tanta facilitate pellatur. Quod cum ita sit, non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscunque sit, non inter sanctissimos et beatissimos patriarchas connumerare. Qui licet apud vos sit tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus, a nobis tamen nonnisi qualis a decessoribus meis habetur, creditur et veneratur ; nullo quippe nostro examine alicujus criminis reus, nullo est, nostro speciali judicio repertus obnoxius : ac per hoc (cum nulla est) nulla sententia condemnandus

aut a nostri Ecclesiæque nostræ communione collegii æquestrandus, aut aliquibus, nisi honorabilibus vocabulis appellandus. Sed nec in Photii sacerdotali provectu, præstando favore in vota condescensionis nostræ modo quolibet inclinabimus.(a) Ergo tranquillitas tua litterarum saltem nunc tenere cognoscat sedem beati Petri apostoli in neophyto et mœcho, et Constontinopolitanorum Ecclesiæ invasore Photio, olim justeque damnato, ac nihilominus præsentia synodali nuper eliso, communionis nunquam, nisi a prævaricatione cessaverit, præbituram esse consensum.

Qui, ut cætera nunc omittamus, a Gregorio Syracusano vel cæteris schismatis institutus, imo destructus, contra omne fas alterius præsidere non potest Ecclesiæ. Nam merito destructus esse creditur, qui a destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? Quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, et dejectus dejicere non potuit, sic destructus construere, et elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe status sui oportet eum vigore consistere, et firmis imiti per omnia basibus, qui alterum vel prosterne vel conatur statuere.

Gregorius ergo, qui canonice ac synodice depositus et anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit. Per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem et invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum manus lævare. Cæterum Gregorius, qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui magis quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiamsi is qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes. Hinc enim scriptum est : *Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII). Si exsecrabilis, utique et non audibilis; si non audibilis, ergo inefficax; si inefficax, profecto Photio nihil præstans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur. Porro si prætendit injuste ab Ignatio se fuisse depositum, quid de omnibus qui in synodo illo tempore convenerunt, sententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod si et illos injuste fecisse dicere præsumit, quare cum eis nunc communicat, et quosdam eorum sacerdotio dignos existimat? Quos tamen recte prius non judicasse reprehendit, et sententiæ quam protulerunt, eos secundum se debere succumbere non nescit? Sed videamus quorum judicio vel quorum auctoritate Gregorius post depositionem et anathema, honorem episcopatus præsit [præsumpsit], vel officium pristinum recepit. Omnes enim illum et depositum norunt et anathematis vinculis obligatum ac per hoc totius Ecclesiæ communione privatum. Jam vero si dixeritis quia ipse sibi Gregorius et honorem resumpsit, et pristinum officium recepit, audite quid Apostolus dicat : *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sed et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret* (*Hebr.* V). Sed et venerabiles Antiocheni canones præcipiunt : Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquod de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, sive episcopus sit, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis: sed et excommunicantes omnes abjici de Ecclesia, et maxime si posteaquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare præsumpserint. Carthaginenses quoque regulæ excommunicatum qui ante audientiam communicare tentaverit, ipsum in se damnationem protulisse manifeste denuntiant. Si ergo secundum Apostolum nemo sibi honorem accipit, et Christus non se clarificavit ut pontifex fieret, qui omnes cum Patre et Spiritu sancto glorificantes se glorificat, et ipse est pontifex, de quo rursus idem dicit Apostolus : *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, etc. (*Hebr.* VII).

Et si episcopus, qui damnatus a synodo est, juxta sacros canones, si ausus fuerit aliquid de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, et ante audientiam communicare, ipse in se damnationem protulit; ita ut nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed et communicantes omnes abjici de Ecclesia; quanta putas Gregorius pœna mulctandus est, qui post damnationem sui et anathema, in hæc omnia commisisse probatur, id est, et super Christum se extulit, et quod ipse non fecit, iste et honorem sibi resumpsit, et ut pontifex esset, se arrogantissime clarificavit, et ante audientiam excommunicatus communicare et velita usurpare præsumpsit, et damnatus de sacro ministerio non solum aliquid, verum etiam multa juxta priorem consuetudinem tetigit? Quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamsi nulla commissa existerent, pro quibus damnari potuisset, quoniam prælati judicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injuste ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est inobedientia, mereantur.

Igitur prælatos damnare indifferenter, oportet horrescere. Quicunque vero minoris auctoritatis

(a) Hic ingens lacinia est ex ep. 10 ejusdem Nicolai.

sunt, damnare sollicite caveant, ne majorum suorum sententiam transgrediantur : alioquin licet injuste nonnunquam damnati sunt,ex ipsa temeraria prævaricatione, culpa, quæ nondum forte perpetrata fuerat, et ultio, quam culpa necdum merebatur, procul dubio subsequuntur. Nihil quippe lignum vetitum in se mortiferum habuit; sed qui inobedienter ex eo comedit,mortem sibi et posteris propinavit : non quia lignum malignum ; cum quod Deus fecit,totum fecerit bonum : sed quod mala sit transgressio, et nolenti subjici, per eam merito sit orta damnatio. Porro si dicitis, Gregorium ab imperio vestro, et ab antistibus fuisse receptum, percontari libet, o sapientissime imperator,quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite potest, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur? id etiam veneranda et universali synodo Nicæna de utraque professione luce clarius inhibente.Nam a sæculari potestate nec ligari, nec solvi sacerdotem posse, manifestum est : et idcirco affatim approbatur Syracusanum Gregorium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo valuisse reconciliari (*a*).

Ubi si pontificum quoque sociatur assensus,quærimus utrum præcesserit an fuerit subsecutus? Si subsecutus est, nihilominus ad id reditur, ut absolutio a sæculari potestate per præcepta valere non possit,pontificumque secutus assensus, adulationis vel terroris fuerit potius quam legitimæ sanctionis; si præcessit, doceatur a quibus, et ubi ille sit gestus; si secundum Ecclesiæ regulam celebratus,si a paterna traditione profectus,si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si âd majoris auctoritatis sedem quam illa est a qua Gregorius damnatione tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulas est relatum, si ipse præsul qui ligavit, absolvit. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Syracusanus Gregorius se gloriatur absolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec ecclesiasticis legibus fuerit expetitus, nec a mundana potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Jam vero si dicatis : Non ego absolvi, sed a pontificibus ut solveretur postulavi : e contra illi multo magis a vobis postulare debuerunt, ut si eum velletis absolvi, legitima ecclesiastici tenoris absolutio præveniret; et hæc omnia quæ superius dicta sunt,secundum Ecclesiæ tramitem servarentur,præcipue cum non ab inferiori vel pari, sed a majori persona, et, sicut ex apostolicis canonibus edocemur,solum ab eo qui eum sequestravit,aut certe a prima sede jure possit absolvi.Inferior quippe vel compar antelatum vel comparem, non annuente majori, absolvere non potest. Sola igitur potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos quos potior suus obligaverat, sine prima sede absolvere non potuerunt.

(*a*) Hæc totidem legas in tomo Gelasii de anathematis vinculo.

Veruntamen licet contra Nicænenses sacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint, nunquam tamen eum a vinculo damnationis et anathematis exuerunt, quem absolutione prævaricatoria potius nexuerunt,et hunc,dum solvere nixi sunt, nodis majoribus dediderunt. Quin imo dum sententiam majoris contemnentes transgressi sunt, vel etiam suam tergiversatorio consilio lenique sensu sibimet facti contrarii destruere sunt moliti, pari prævaricatione habentur innexi, et simili pœna secundum apostolicos et nonnullus alios canones tenentur obstricti : ita ut communicantes expelli de Ecclesia jubeantur,ac per hoc,reos reum justificare constat minime potuisse, nec ligatos ligatum solvere modo quolibet valuisse. Ecce a quibus, o Christianissime princeps, Photius est institutus. Ecce qualis est Gregorius, qui Dormitantius convenientius poterat dici. Quamobrem cogita, fili charissime,tracta et tecum sedula meditatione perquire si stare Photius possit, etiamsi miris virtutibus polleat,etiamsi omni scientia fulgeat, quando qui hunc statuisse tentavit, dudum jam cecidit; et volens erigi cum conantibus se erigere, nunquam recuperaturus denuo ruit.

Consideret ergo divinitus vestes inspiratus apex quomodo Photius, etiamsi nihil aliud sibi jure valeat impedire,queat in sacerdotali gradu persistere : quandoquidem institutor suus,cum hic ordinaretur, non solum sacerdotio, verum etiam ipso carebat Christiano vocabulo; et sicut jam exposuimus, nec damnatus justificare, nec depositus erigere, nec ligatus potest quemquam per impositionem manus provehere : impossibile est enim horum aliquid fieri.(*b*) Judicate ergo,mansuetissime imperator,cui potius obediendum est, Deo, an hominibus; judicate cui potius resistendum sit, potestati quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque super cunctam Ecclesiam extulit, an ordinationi Gregorii Syracusani, cui dicendum est : Væ homini illi, per quem in Ecclesiam Christi tot scandala venerunt (*Matth.* xxv) : quique olim, sicut ipsi scitis, a fratre et comministro nostro Ignatio et a synodo quæ sub eo erat, depositus est,et ut apostolica sedes in ejus damnatione consentiret,ab ipso consacerdote nostro postulata est. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo ac Benedictus, sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent : Unius quippe mediator non est. Quamobrem interim depositio ipsius a sede apostolica non suscepta,remansit infirma. Cumque idem Gregorius per legatum suæ partis, Zachariam nomine, sedem agnovisset apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem nostrum sævientibus contumeliis conquievit; sed benignitate Dei et patientia sedis apostolicæ in superbia abutens, in ipsum videlicet Ignatium pa-

(*b*) Hic ingens rursus lacinia ex ep. 10 ejusdem Nicolai.

triarcham suum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit; et eo superstite, neophytum in Constantinopolitanam Ecclesiam consecravit; quin potius et adversus sedis istius decreta contumax esse non destitit, qui pro se, non contra se ipsius ab ea decreta paulo antea data, tanquam ingratus non recolit, et veluti tergiversator arma præparat adversus arma sibi tutelam salutis non modice conferentia, et murum destruere nititur, qui ne ipse destrueretur fortissime custodivit. Et agit nunc, quantum in se est, ut ea statuta prorsus habeantur invalida, quæ cum ipse his egeret, supplex petebat, et ut fortiora essent adamante, submissus optabat, atque ut sibi auxiliarentur, humiliter implorabat; necnon et contra ea repugnantur forsitan tyrannos et sacrilegos judicabat. Nisi enim sedes apostolica ei parceret, ille quomodo correverendissimum Ignatium posset destruere, brachium non haberet. At ille usus est sedis apostolicæ bonitate in malignitate, et beneficium in patris sui convertit exitium.

Dicite igitur, imperator, obsecro, cum ita sit, quomodo non debeamus nos Ignatium non adjuvare? aut usque ad audientiam, quantum in nobis est, indemnem non penitus conservare? vel quomodo non possimus Gregorium, et hos qui ex parte ipsius sunt, merito condemnare? Quando Ignatius, nisi a nobis esset impeditus, sic illos canonice forsitan sterneret, ut et eum nullo conamine potuissent impellere: isti qui non nobis hæserunt, quos in adjutorium suum habere promptissimos meruerunt, nec a nobis consilium acceperunt, ut hi cum patriarcha suo vel canonice judicari potuissent, sed vires suas a nobis ne frangeretur servantes, eas adversus eum protinus præpararunt. Undique perpendite quantum nos nunc Ignatio debitores sumus, qui sibi obstaculum et inimicis ejus facti sumus defensionis umbraculum; quamvis nos non ideo judicium istorum distulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, sed ut sic sententia in hos prolata valetudinem haberet, ut a nobis examinatio præcederet; et rursus sic ab istis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii persona vocata vel convicta nostræ præsentiæ non deesset.

Quamobrem dilato parumper judicio, et infirmata sententia, missum est utrique parti, sedis apostolicæ præsulis præsentandum obtutibus, ac etiam, ut par est, subjiciendum diffinitionibus: sed dum pars Ignatii properando disponit iter, ab hostibus ejus viribus resumptis, non jam fidem apostolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur et innumeris malis affectus ab Ecclesiæ regimine sequestratur. Et hoc totum factum est eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem servantes, et utriusque lateris audientiam postulantes, Ignatii non firmando sententiam, imo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum sententiam in eos prolatam non interim auctoritate sedis apostolicæ roboraverint, sed usque in præsentiam ejusdem apostolicæ sedis differri decreverint.

Quamobrem, charissime fili et laudabilis Auguste, quia quasi per nos inventa est Ignatii dejectionis materia, idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro cujus in terris, licet indigni, vicem gerimus, Christi oraculo peculiariter dicitur: *Et confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), etiam hoc specialiter dicitur eum non solum adjuvare et confirmare, verum etiam sicuti ipsi potestis advertere, totis nos pro illo viribus oportet per omnia disceptare; ut videlicet totum in illo funditus aboleatur, quod per nos lædendi fomitem adversariis ejus reperientibus, ei violentiam inferri monstratur; totumque recipiat, Christo propitio, quod, dum nos moderate ac regulariter gerimus, ipse præjudicialiter amisisse dignoscitur. Quoniam et præfati decessores nostri, Leo scilicet et Benedictus, beatæ recordationis pontifices, si tale quid diebus eorum Gregorius vel complices ejus patrassent, videlicet ut abusi tanto compassionis et patientiæ sedis apostolicæ circa se beneficio in Ignatium manus suas injecissent, ut adversus eum, ipsis sanctis præsulibus inconsultis, linguas suas taliter exacuissent; profecto eos tanquam ministros inquietudinis, et ipsos se sole clarius obnoxios ostendentes, sine quavis retardatione protinus condemnassent, et tantum piaculum impietatis eorum destruere ardentissime studuissent. Sed quia illi divina vocatione ab hac convalle lacrymarum subducti sunt, hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successimus in honore, in cujusque tempore crudelitas, quæ diebus ipsorum cœpit radices mittere, consummata perpatuit. Proinde nos, primo quia sedis apostolicæ de tota Ecclesia fas habentis judicare, moderamina retinemu; secundo quoniam fratribus injuriam passis subvenire debemus; postremo quia, sicut jam diximus, oportet nos in eorum labore succedere, in quorum successimus pontificatus honore: quemadmodum ipsi decessorum suorum exempla secuti sunt, et operis eorum strenui cultores inventi sunt; quod ipsi profecto agerent adjuvante Domino, habentes, quemadmodum illi, ejusdem zelum justititiæ, seu privilegium dignitatis, nos studiose perficere procuravimus, nimirum quod omittere procul dubio, sicut nosse cunctis clare tribuitur, non valemus.

Sed dicis, o imperator, etiam sine consensu nostro Photium et ecclesiam retenturum, et communionem Ecclesiæ habiturum, Ignatium vero nihil per nos meliorationis penitus adepturum. At nos e diverso credimus quod Ecclesia Christi sacros canones et præcipue Nicænos non tradat oblivioni, præcipientes videlicet ut hi qui abjicuntur, ab aliis non recipiantur. Credimus etiam quod diu membrum incolume non subsistat hærens membris ca-

piti non hærentibus. Postremo credimus quod cætera membra, si tamen affectant vivere, caput quandoque sequantur. Verum in omnibus his, secundum Apostolum, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX); et ideo pro labore pietatis moras ullas, roborante nos Deo, minime fastidimus, quia etsi nostrum est currere, divinæ tamen est potestatis, quando ei placuerit ad palmam perducere.

Quod autem facere apostolicam sedem decuit, sicut ad omnes orthodoxos Ecclesiæ catholicæ scripsimus, strenue fecit : Dei vero est cœpta perficere. Nam nos vomere quidem linguæ terram proscindimus mentium et in ea verborum semina spargimus, Deus autem potens est illi et sui rore [*f.*, rorem] Spiritus infundere, et augmento gratiæ fecundare, atque eorum quanta et qualia vult, et quomodo vult, ad uberem et multiplicem fructum perducere : quoniam nos, etsi agri Dominici cultores sumus, attamen *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* (*I Cor.* III).

Verum his ita se incunctanter habentibus, constat eos qui semel a sedis apostolicæ præsulibus perculsi sunt, sententia illius hodieque constringi, ita ut eorum nonnullos quidem prolata contra se judicii tela principum tegmine munitos non statim sauciaverint, quandoque tamen medullitus penetraverint, nonnullus autem etiam post mortem susceptam cunctis exsecrabiles omnino reddiderint. Quotquot autem in ipsa communione sedes apostolica tenuit, aut dum viverint ab Ecclesia sunt universali recepti, aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Præterea illos in quorum damnatione non consensit singulari prærogativa dissolvit. Quæ ut manifestius prudentia tua cognoscat, ex his pauca commemorare studebimus. Primo quidem claviger cœli Petrus et primus sessor sedis istius, Simonem Magum non ferri sed linguæ mucrone prostravit. Sed ille principum utens virtute non solum in nequitia sua permansit, sed et male moriens, sui causa, in ejusdem damnatoris sui mortem principes inflammavit. Deinde cum Asiani omnes inter cæteros, evangelista Joanne auctore, quarta decima luna cum Judæis putarent Pascha celebrandum (*a*), hos præsul meritis et nomine Victor a communione collegii separavit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum præsulibus non solum huic manus minime præbuerunt, verum etiam pertinaciæ redarguerunt. Felix quoque papa Constantinopolitanum Acacium non solum deposuit, verum et insolubilibus anathematis vinculis innodavit (*b*). Sed adeo est contemptus, ut idem Acacius, mundi dilectorum tuitione protectus, etiam nonnullis Romanis pontificibus decedentibus, et officio sacerdotali juxta præcedentem consuetudinem fungeretur, et exceptis paucis, omnium Orientalium communione frueretur. Porro Agapetus apostolicæ sedis præsul Anthimum Constantinopolitanum similiter antistitem condemnavit (*c*), et in loco ejus ordinavit Mennam, pro quo videlicet Anthimo Silverius et Vigilius Romani pontifices ab Augusta Theodora multa incommoda, sed et discrimina sunt perpessi : sed ad restitutionem ejus nullatenus inclinati.

His ergo de pluribus sedis apostolicæ magnis et præclaris rectoribus carptim commemoratis, quid mirum si nos pro Photio contemnimur, cum videamus apostolorum principem pro veritate contra Simonem defensa etiam mortem snbire? quandoquidem, licet sero, licet post multos sudores, quandocunque tamen mundus totus ea defendit quæ Petrus contra Simonem defendisse dignoscitur, ea damnat quæ illum damnasse describitur.

Quid autem mirum si nobis pro ecclesiastica correctione laborantibus manum non datis, sed et duritiis redarguitis? cum videamus Victorem papam et martyrem, qui ideo vere victor est, quia martyr pro ecclesiastica traditione, pœna a totius Ecclesiæ præsulibus pertinaciæ redargutum : quandoquidem Ecclesia tota nunc cum illo sapit, et quod fecit laude prædicat dignum. In quo animadvertendum quia si tunc ille pro justitia tanta severitate non uteretur, sicuti nonnulli hortabantur episcopi, hactenus fortassis error ipse mansisset, præcipue cum etiam eo tanto zelo succenso, usque ad Ephesinam priorem in aliquibus perdurasse synodum legerimus. Quid præterea mirum si sedes apostolica diebus tuis parvipenditur, nec ab imperio tuo tibique subjectis auditur? cum videamus sanctum Felicem adeo ab imperatoribus prædecessoribus tuis contemptum, ut ab eo anathematizatum Acacium ita sua protectione munirent, ut et sede Constantinopolitana dum vixit abuteretur, et in perfidia sua mala moreretur. Verumtamen propitio Christo, sedis apostolicæ pontificibus indefesse certantibus, a catholicis jugi fatigatione remota, tandem aliquando a sæpe fati beati Felicis sententia, id est Ecclesia [*f.*, sententia est Ecclesia, HARD.] tota conversa. Et quia prædictus Acacius non est inventus superstes, consequenter nomen ejus in Ecclesia taceri sancitum est (*d*). Sed et tu, imperator orthodoxe, de ipso nunc cum sede apostolica sapis, qui si illo tempore fuisses repertus, pro eo contra eam et in hac causa fieres fortassis accensus.

Ad extremum, quid mirum si pro dejectione Photii nobis minaris, quando antecessores tui principes pro Anthimo jam dicto prædecessores meos usque ad confessionem persequendo perduxerint? Verumtamen, licet diutissime laboraverint, sævie-

(*a*) Eusebius lib. V Hist., c. 24.
(*b*) Felix III in epist. 3, et Liberatus, de causa Nestorii et Eutychetis, cap. 18.
(*c*) Agapetus in ep. 4 et 5, et Liberat. c. 21. Pontifical. *in Silverio* et *Vigilio*.
(*d*) Gelas. in epistola 11 : *Absolutionem quam superstes nec quæsivit omnino nec meruit, mortuus jam non potest impetrare.* HARD.

rint, et tot diras adversus eos afflictiones commoverint, sententiam tamen eorum mutare vel Anthimum revocare ad pristinum statum nullo modo potueruut : qui licet tarde, quandoque tamen et ipsum Anthimum, et sensus ejus cum sede apostolica sapientes detestati sunt, et Mennam virum sanctum, ab ipsa promotum, non sicut vestrates falso autumant, sed cum ea hunc digne recipientes veneranter amplexi sunt. Quis vero tunc videns Petrum vel successores ejus, Simonem præfatosque prævaricatores tam fortiter debellare, non poterat indignari, et eos tanquam insensatos efferri penitus arbitrari, præsertim cum pro eisdem perfidis totus præter paucissimos adversus illos cum principibus suis pugnaverit orbis? Sed quia veritas tegi funditus humanis non potest conatibus, et præfati, quin et alii sancti summique pontifices spe freti, quæ non confundit (*Rom.* v), tot labores arripuerunt, idcirco sol justitiæ radios suos fortasse mittens et nebulam dissipavit erroris, et veritatis paulatim lumen ostendit : sicque demum quantum illi defensores Ecclesiæ recte sapuerint, et isti nequiter oberraverint, tandem evidenter innotuit. Ita quoque et nos, ut verbis egregii loquamur Apostoli : *Habentes eumdem spiritum fidei quem et patres nostri, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum* (*II Cor.* IV; *Psal.* CXXV), et nos credidimus, propterea quod et loquimur; et confidimus, quoniam qui Abraham contra spem dedit filium, potens est nobis pro Ecclesia sua laborantibus et incrementa spiritalium frugum donare, et earumdem frugum uberem fructum multiplicare.

Unde dicito, quæsumus, o imperator piissime, cujus prolixitatis inobedientia, vel cujus multitudinis insolentia, aut cujus potestatis excellentia, nos ab hac fide vel spe debeat aut valeat saltem parumper avertere? Præsertim cum beatissimus jam designatus exclamet Apostolus : *Est*, inquiens, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum uon apparentium* (*Hebr.* XI); et rursus : *Spes*, ait, *quæ videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII).

Hac igitur fidei suæ spe certificati, fili charissime, nos quidem de percipienda mercede laborum (etiam si vos nobis nunquam obedieritis, etiamsi quantum potestis apostolicæ sedis reniti contenderitis) nullatenus dubitamus. De te tamen, tanquam de dilectissimo filio, vehementer ingemiscimus et tristamur, quoniam non priorum vestigia, sed pravorum principum exempla sectatus apostolicæ et primæ in toto orbe terrarum sedis edicta, perversorum hominum suasionibus illectus, atque decreta postponis, et anathematis obligamenta, quibus persecutores Ignatii comministri nostri, Photium videlicet, qui post depositionem nimis multa de ministerio sacro contingere juxta præcedentem consuetudinem ausus est, et fautores ejus regulariter irretivit, contemnis, et quasi minus Christianus temere parvipendis.

Quod quantum sit a pio intellectu removendum, et a fidelium cordibus exsecrandum, eximius præsul nostræ sedis moribus et nomine Grægorius ostendit, cum de hoc scriberet, dicens (*lib.* IX, *epist.* 49) : Si sunt qui certissime talia sentiunt vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est eos, quæ et ego et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contra sentiunt, contra loquuntur. Et rursus : Ipsi, inquit, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanissime æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia despiciendi per omnia et anathematizandi sunt, ut unde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur.

Sed si forte dicis npn debuisse nos tam concite audita dicta credere, nec tam ad proferendam sententiam esse proclives, noveris, o imperator, hoc rationabiliter posse dici, si culpa cum clamore, quemadmodum Sodomorum et Gomorrhæorum, non esset : si quæ de Gregorio gesta superius intimavimus, tam in propatulo non exstitissent : si scripta vestra, quæ apud Constanttnopolim contra consacerdotem nostrum Ignatium, vel circa Photium, imo vero per Photium, gesta sunt evidenter, nullatenus indicassent : vel si legatos nostros et epistolas pietas tua benigne suscepisset, vel si susceptas ausu temerario nemo fallacia depravasset, et illa ab earum veritatis tenore nullateuus amovisset. At ubi piaculum non solum cum voce, sed et cum clamore commissum est, et sanguis insontis fratris, sicut hactenus, clamabat ad Deum de terra, et vestrates, juxta quod per prophetam de reprobis exprobrantis effectu [affectu] perhibentur, *peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isa.* III); postquam scripta quoque vestra, id est peccatum [*f.*, ipsum peccatum, HARD.] consummatum, liquido demonstrarunt, postquam etiam missos nostros aversatos a colloquio fidelium, et jussis nostris aversos, et epistolas nostras occultatas atque falsatas agnovimus; quid potuimus consultius vel cautius agere, quam, ne ut magis ac magis scelus ut cancer serperet, id funditus exstirparemus; et, ne ut [*f.*, ut ne, *id.*] desides et negligentes judicaremur, pro domo Dei celerem fervidumque zelum ostenderemus? Præter hæc autem, quia falso divulgati fueramus nos vel Ignatii depositioni vel Photii promotioni consensisse, idcirco veloci studendum esse satisfactione, et Christi Ecclesiam de hoc certificare jure prævidimus.

Verum, quemadmodum audita crimina non facile credi, sed cognita sine tarditate puniri debeant, sanctus jam nominatus papa Gregorius et magister egregius, sapienter edocet dicens (*Expos. in ps.*

pœnit.) : Peccatum cum voce, culpa est in actione; peccatum vero etiam cum clamore, est culpa cum libertate. Sed quid hoc exemplo nisi nos admonemur ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus, quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensamus. Ipse quippe ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait : *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII). Omnipotens itaque Dominus, et omnia sciens, cur ante provocationem quasi dimittit, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare?

Ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est : *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII); ille de quo rursum scriptum est : *Dominus patiens est redditor* (*Eccli.* V), in tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante judicii diem prævenit : et ecce malum et quasi cum difficultate credidit, cum audivit, et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit; ut nobis videlicet daret exemplum quod majora crimina et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda cum veraciter agnoscuntur.

Nos igitur quomodo ad puniendum audita mala proclives aut præcipites fuimus, quando, sicut longe superius diximus, antequam legati vestri, Arsa vir videlicet illustris spatharius ac cæteri Romam venissent, quæ apud Constantinopolim postea gesta fuissent veraciter agnovimus, nos jam audita nec tamen credita penitus habebamus? Postquam vero iidem missi vestri ad sedem apostolicam pervenerunt, quæ auditu solo primitus didiceramus, patefieri coram nobis, et tota Ecclesia quæ apud nos est, manifeste cœperunt : nec tamen nos interim ad sui damnationem quo modo pertraxerunt.

Postquam vero missi nostri, quos isthuc ad hæc per ordinem ac subtiliter investiganda et pleniter invenienda, seu vestræ notitiæ veraciter referenda destinaveramus, una cum Leone a secretis imperiali legato regressi sunt, et tam epistolam tuam quam cætera scripta de his quæ Constantinopoli gesta sunt, ab illo suscepimus et diligenter investigavimus, eosdem missos nostros una cum sancta synodo regulariter examinavimus, cuncta quæ gesta sunt, euucleanter didicimus, omne quoque dubietatis nubilum ex corde pepulimus, ac per hoc, docente magnisona Christi tuba, præfato scilicet papa Gregorio (*lib.* VI, *epist.* 14), quod supra meminimus, sicut audita mala tarde credidimus, ita tot probationibus cognita, citius punire necessario precuravimus; et hoc rite : nam ad cognoscendam et condemnandam impietatem Nestorii sancta Ephesina synodus solam epistolam ejus, quam ad beatum Cyrillum scripserat, recitatam sufficere credidit. Quinta præterea synodus etiam jam mortuos Origenem atque Theodorum per eorum damnanda scripta non recte sapuisse repertos, anathemate percutit. Sanctus quoque papa Gelasius de damnatione Acacii vestræ quondam urbis episcopi ad Dardanos scribit, dicens (*epist.* 11) : Hic, si examinatio quæritur, jam judicio non erat opus, postquam litteris suis ipse confessus est. Christi præterea confessor papa Martinus Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum et Paulum Constantinopolitanos, solis eorum in sua sacra synodo scriptis recensitis, damnationi contradidit (*conc. Lateran.*). Hæc ergo et tot prædecessorum meorum exempla sequentes solemniter nos Photium et complices ejus damnasse manifestum est, præsertim cum ex vobis audierimus in scriptis Ignatium, qui merito christus Domini dicendus est, a subjectis et inferioribus suis sententiæ gladio transverberatum fuisse, ac detrimentum dignitatis propriæ pertulisse, quod apte secundum David in Saule, quem dicit christum Dei, nuncupatur *(a)* abjectus tamen a Domino jam dignoscebatur exhorruisse, Regum prodit historia, qui dum ex ore pueri Amalecitæ, etiam mendaciter dicentis, audisset quod occiderit Saulem, non alia certitudine requisivit, sed protinus hunc percussit, dicens : *Sanguis tuus super caput tuum, os enim tuum locutum est adversus te, dicens : Ego interfeci christum Domini* (*II Reg.* I).

Verumtamen quid opus est hinc multa prosequi, cum hodieque penes Ecclesiam Constantinopolitanam impietas ipsa vigeat, prævaricatio regnet, schismata multiplicentur? Porro si sententiam nostram exhorrescitis, et hanc alicujus valetudinis esse putatis, ne illam formidetis tantum, quia in prævaricatores et contaminantes prolata est, quantum quia perpetuo constringit inobedientes, et nisi resipiscentes nunquam omnino resolvit : Quapropter, fili charissime et Christianissime princeps, quem cum omnibus imperio tuo subjectis alloquimur, auferte malum de medio vestrum, tollite adulterum, tollite tyrannum et pervasorem Ecclesiæ; reddite fratri et coepiscopo nostro Ignatio Ecclesiam sibi divinitus creditam, de qua vos illum ante omnem audientiam canonicam expulistis : reddite quod tulistis, et emendate pro Deo quod contra Deum egistis; relinquite malum, convertimini ad nos et corrigemini : et liberati a malo, a nobis nullatenus dividemini, quoniam nos non in Photium ideo sententiam tulimus quia homo est, quia Photius dicitur, sed quia est persona prævaricatrix, et quia viventis antistitis, et ea nulla ex parte legitime carentis, usurpavit Ecclesiam. Itaque malefactum quod in ea est et in

(*a*) Locus obscurus.

fautoribus ejus punitur irrogatione sententiæ: quæ A prævaricatio, quod maleficium si recedat, jam non erit illa persona, in quam sententia prolata est. Remanebit enim homo, et Photius, quem non damnat, inquantum homo est et hominis nomen censetur, sed inquantum prævaricator et malefactor est. Si ergo desinat esse prævaricator, sententia nostra in eo locum penitus non habebit: alter enim erit quam ille, cui illata sententia est, dum incipiet esse quod non fuit, vel non esse in quem prolata sententia est: nam quandiu in hoc manet, cui illata sententia est, vere insolubilis est illa sententia. Et quantumlibet floret ille, cui irrogata est [erogata], quantislibet affluat honoribus, tantislibet miris laudibus efferatur, illa sententia perpetuo confringetur. Et nisi resipiscat, si non modo, certe vel post paucos, aut B etiam post multos annos, aut certe quandoque, etsi non vita sua carebit Ecclesia quam tyrannice possidet, carebit tamen post mortem Christianitatis procul dubio nomine, cujus professionem inverecunde conculcat.

Jam vero si sententia nostra se ac fautores suos judicat obligatos, et idem cum eis posse absolvi: hoc enim significare videmini, cum epistola nobis directa nos mutare voluntatem, consilium ac sententiam sæpius exhortamini; utique non prætendit injustitiam, et esse alicujus momenti profecto non dubitat, quæ tum potuit obligare, et a qua se cum fautoribus suis possit absolvi, quia non posset obligare nisi justa. Cum autem justa sit, nonnisi damnato errore juste resolvitur.

C Ergo fateatur errorem Photius cum fautoribus suis, deponant prævaricationem omnes quos ligatos tenet justa sententia: sed tu multo magis, fili charissime, qui tantum justitia et pietate cunctos debes superare, quatenus dissoluta prævaricatione dissolvatur quisque consequenter et sententiæ prolatæ censura; quia et Nathan propheta palam publiceque in facie regis David et commissum pronuntiavit errorem, et quia hoc ipse commiserit, omnino non tacuit, sed confessione correctum consequenter absolvit. Præterea non omittendum esse credidimus nos commemorare præterito anno per indictionem videlicet tertiam decimam epistolam sub nomine vestro conscriptam, per Michaelem protospatharium suscepisse; quæ tantis erat verbis contumeliosis, D imo blasphemiis respersa, ut scriptor ejus nonnisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, et dictatoris labia pro dictionibus venena fudisse videantur; adeo, ut si cujuspiam simpliciorum cor penetrent, non enim hæc aures prudentium suscipiunt, hunc continuo necent, nimirum tanto miserabilius, quanto mors animæ magis quam corporis per illum virulentum haustum admittitur. De cujus immanitate piaculi, licet vobis jam nos scripsisse recolamus, eadem tamen scribere vestræ sapientiæ nunc, mihi quidem non pigrum, vobis autem et multis necessarium.

Denique opinati sumus, et adhuc nihilominus opinamur, quod pietas vestra tandem aliquando resipiscat et de Ecclesiæ Constantinopolitanæ restaurando statu nobis salubria suadentibus acquiescat. Sicque demum omnia scripta, quæ male sint compilata, non solum adversum nos et hanc sanctam Ecclesiam, verum etiam contra fratrem nostrum et comministrum Ignatium, coram universa imperii sui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis Ecclesiæ fidelibus, quæ foret apostolicæ sedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii seu inventoribus perversorum dogmatum immineret ultio, profecto patesceret.

Impossibile est enim, quanquam nostras nos speciales injurias curare floccipendamus, ut tantorum ac talium sanctorum Patrum et propugnatorum Ecclesiæ [catholicæ Ecclesiæ], ac destructorum diversarum hæreseon atque defensorum orthodoxæ fidei blasphemias æquanimiter sustineamus, vel etiam tantæ sedis, sive tam excellentis Ecclesiæ Romanæ, cui Deo deservimus auctore, contumelias perferamus.

Verum, quamvis et de nobis humiliter sentiamus, non tamen, conscientia dictante, vera esse quæ vos de nobis perhibetis, asseveramus; sed ut diximus, ea postponentes, illa potius quæ Jesu Christi sunt investigamus. Etsi male congesta adversus ejus famulos, adversus ejus ordinationes, adversus ejus dispositiones [*pro* dispositione, HARD.] stabilita privilegia reperiuntur, nulla patientia toleramus: et non solum hæc destruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perversitatis dignam vicissitudinem reddere necessario meditamur. Nimirum ne hos quis impunitos intuens, aut nunc aut futuro tempore deinceps talia præsumat præstigia falsitatis componere, vel commenta blasphemiarum hujusmodi figmentis contradicere. Quapropter, imperator sublimissime, diligenter propter Dominum inquirentes atque scrutantes, si vestra illam non fuisse præceptione tam cœnosam inveneritis confectam, imo toxicatis syllabis infectam epistolam, ut interim de tot præstigia texentium pœna taceamus, quam illi vobis zelo veritatis flagrantibus involvere, (*a*) convenit saltem hujus socia accepta, et palam cunctis igne succensa per augustales vestros tam nobis quam omnibus ad quorum notitiam pervenit, destinatos apices competenti satisfactione a tam perverso sensu et tam profanis adinventionibus, quod a sensu vestro non fuerint commentis tradita, vos exhibere prorsus immunes. Jam vero si vobis in multis hujus mundi sollicitudinibus occupatis subreptum est, ut talia scribere mandaretis, ne pigeat clementiam vestram hoc etiam ipsum humiliter confiteri, et legibus vestris ut hujusmodi scripta nullius habeantur momenti, decernere: ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipsius quoque sæpe memoratæ ac semper exsecrandæ epistolæ vel exemplaris ejus apices intemeratis pro reverentia manen-

(*a*) Deesse hic quiddam videtur.

tibus sacris dictionibus, flammeo dedantur igni voranda, ut et sinistræ opinionis nævo, quod ex blasphemiis scriptis incurreretis, carere valeatis. Et ingrati filii circa matrem vestram, ex qua imperandi fastigium vos et patres vestri ordine cœlitus disposito percepistis, nullatenus appareatis.

Sin autem, scitote quoniam postquam in hac vos pertinacia persistere finetenus velle compererimus, primum quidem congregatis cunctarum Occidentalium regionum venerabilibus sacerdotibus, dictatores et dispositores, atque præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis sanctarum, vel paternarum traditionum, ab omni Christiana compage remotus, apostolica freti auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus. Necnon et Patrum ac prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ, vel exemplaria fortassis epistolæ, quin potius non solum hæc, sed et omnia scripta quæ vel adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium inique confecta, vel adversus nos causam illius canonice prosequentes, furiose deprompta sunt, perenni damnationi mandabimus.

Deinde vero decernentibus nobiscum, et simul considerantibus eisdem sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite videntibus cunctis suspensam vasto supposito foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis discat pius quod amet, et crudelis quod timeat; nam tot et talia blasphemiarum commenta, quin potius veracium litterarum depravationes audisse et tacuisse, (a) cohibuisse est. Quamobrem, venerabilis imperator, valde mihi, sicut ipse comprehendere poteris, cavendum est ne, si nos præstigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tanquam vera recognita, vel comprobata hæc admisisse fallaciter apud stolidos æstimetur [*pro* æstimemur, Hard.]. Nec possumus in Ecclesia Dei dissimulando tam spurca relinquere germina, quæ antecessorum nostrorum beatissimorum pontificum tempore, aut nunquam exorta, aut certe si uudecunque vel quodocunque exorta sunt, eorum judicii ligone, antequam proficerent, radicitus exstirpata sunt.

Destruite ergo vos et dissipate illa, alioquin a nobis fore destruenda, seu funditus dissipanda modo quem prædiximus, antenoscite, quamvis antequam nos ista vobis scriberemus, quæ nunc sublimitatem vestram hortamur, hoc vos sponte facturos esse putaremus: sed quia quod putatum est, nullum effectnm hactenus habuit, idcirco nos salutem vestram illæsam manere volentes, ut hoc nunc saltem agatis, affectu paterno monemus. Alioquin, ut jam præfati sumus, sic, Deo favente, de cætero vigilabimus, et studiis quibus possumus insistemus, ut inter exanimes computentur qui auctoritatem Petri non senserint, imo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint; ita ut nec ista quæ perniciose compilata sunt defendere, sed nec his similia, ut non dicam scripto tradere, vel in mentem volvere, quis ulterius audeat. Non enim figmenta quæ ordinationi Dei resistunt, quæ evangelicis vocibus contradicunt, quæ sanctorum Patrum diffinitionibus obviant, quæ synodicis constitutionibus adversantur, quæ si sic dimittantur, innumera possunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre dispendia, incolumia sine discrimine nostro valemus deserere, et existimationi nostræ vel nunc vel post decessum nostrum tantum, quod absit, nedum [*pro* nævum, *ut in epist.* 104] ad destructionem simpliciorum, et mutilationem sedis apostolicæ privilegiorum relinquere.

Itaque, fili desiderabilissime et Auguste clementissime, tanquam sapientissimus filius lætifica patrem tuum, et tandem aliquando mœstitiam de pectore matris tuæ veluti gratissimus natus repelle, removendo videlicet mœchum et ei reddendo legitimum. Destrue, quæsumus, opus diaboli, et omnes supplantationes ejus subverte. Opus est enim diaboli, et ejus subversutiis actum est, mihi credite, ut patriarcha pelleretur Ignatius, et sibi Ecclesiam creditam Photius adulter invaderet: ipse quippe callidus et veternosus inimicus, volens inferioris dignitatis sacerdotibus imponere sempiternum sileutium, eum quem sublimioris auctoritatis esse conspexit, impetendum primitus existimavit; et ad hunc prosternendum quotquot potuit, vires armavit, atque totius invidiæ facibus etiam mundi principes inflammavit.

Cur hoc, nisi ut dum ili eum qui super se esset, elisum cernerent, ipsi (utpote minoris auctoritatis) pro veritate loqui penitus non auderent, et tanto jam sublimioribus personis prave agentibus, minus audenter ex adverso se opponerent, et tanto minus pro domo Domini murum licenter conscenderent, quanto in potiorem suum talia perpetrari conspicerent. Sed tu, imperator, qui plus religione quam brachio carnis hostes Ecclesiæ vincis, vince versutias ejus et omnia molimina ipsius subverte: exaudi nos, si libet; sin autem vel protectorem tuum exaudi, et verba quæ ad Jeremiam locutus est, ad te delata cognosce. Ait enim: *Ecce constitui te hodie super gentes, et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I). Evellas videlicet, et destruas, et disperdas, et dissipes, juxta competens imperio vestro ministerium, omnes argumentationes diabolicas, et omnia membrorum ejus machinamenta, et præcipue illa quæ per Photium orta sunt, male pullulentia germina: ædifices autem et plantes cunctarum virtutum mœnia, et honestorum odoriflua morum aromata: imo quæcunque per vos de fratris et coepiscopi nostri

(a) Pro *connivisse*, ut in epistola 104. *Cohibendi* verbo pro *connivendi* sæpe abutuntur veteres libri. Hard.

Ignatii sunt dignitate destructa, et de his quæ ad officium patriarchale pertinent, a persona qualibet irreverenter evulsa.

Jam vero si vel peccatis impedientibus, vel perversis hominibus suadentibus, missis imminentibus nostris, quod suadere vobis etiam ad imperii vestri felicitatem nitimur, non ducitis, quod gementes dicimus, adimplendum, et dilationibus, proh dolor! solum decernitis fore studendum; scire volumus excellentiam vestram quoniam de persona Ignatii atque Photii, de quorum agitur controversia, nihil discretius atque mitius, necnon et salubrius arbitramur quam ut uterque ad Romam ad renovandum examen, quod tamen secundum indulgentiam promittimus, tenore ac ordine quo jam vobis per Michaelem protospatharium significavimus, vestro favore veniat, ita ut Ignatius, qui omni est humano destitutus auxilio, quemadmodum venire valeat vestro pro Christi amore collato sibi fulciat juvamine. Jam vero si epistolæ per eumdem legatum vestrum, a quo vobis modo delata non est, tenorem vel ordinem quo diximus prænominatas personas Romam fore venturas scire cupitis, a præsentibus missis nostris exigite, et hunc nosse plene valebitis. Siquidem illis exemplaria epistolarum quas magnitudini vestræ, necnon Photio per Rhadoaldum et Zachariam tunc episcopos direximus, scripta pro collatione cum authenticis facienda tradidimus: cum quibus etiam exemplaria epistolarum, quas vobis et Photio per Leonem a secretis misimus, et hujus, quam per Michaelem protospatharium nos destinasse prædiximus, secum nihilominus deferendum contulimus.

Juxta ergo tenorem et ordinem quo præfatas personas ad iterandum judicium huc venire decrevimus, latius sagax industria vestra reperiet, quem nos in hac fastidium prolixitatis declinantes, replicare refugimus. His igitur, inspirante Deo, ita vestræ serenitatis auribus intimatis, sciat a Domino redimitum imperium vestrum missos sibi a præsulatu nostro, Deo auctore destinatos, Donatum videlicet reverendissimum et sanctissimum sanctæ Ecclesiæ Ostiensis episcopum, et religiosos ac venerabiles sanctæ Romanæ Ecclesiæ Leonem tituli sancti Christi martyris Laurentii, qui appellatur Damasi, presbyterum, atque Marinum apostolicæ nostræ sedis diaconem, quos benigne clementia vestra suscipiens, utpote Christianæ religionis cultrix, in omnibue pie traetet, et intactos quandiu vos penes remorantur, et indemnes prorsus manere decernat: quin et aditum simulque locum quæ injuncta sunt sibi, vobis licenter exponendi congruum eis ac sufficientem impartiri dignetur. Sicque demum in quibus Deus annuerit, et cordi vestro impetraverit, ordinatis, illæsos ad nos protinus eos et absque qualibet impediente molestia redire sinat.

Sed quoniam in Dei omnipotentis servitio diriguntur, per ipsius terribile nomen, quod Trinitas est inseparabilis; et per horrendum divinum judicium, in quo ante pavendum Christi Dei nostri tribunal omnes astabimus, et districtam reddituri sumns pro meritis rationem, vos adjuramus, et totis præcordiis obsecramus, ut eisdem missis nostris apud vos positis nullam læsionem, vel cum reverti inde voluerint, obstaculum inferatis, neque inferre alium quemlibet permittatis: quin potius a cunctis insidiatorum molitionibus eos intrepidos et securos reddatis. Quatenus illis ad nos, etsi vestram vobis salutem suadere possunt, efficacibus redeuntibus, cunctis gentibus pateat quantum Deum coronatorem vestrum, pro cujus Ecclesiæ pace atque correctione legatione perfuncti sunt, honoretis: et quantam reverentiam principum apostolorum, a quorum sede profecti sunt, præ oculis habeatis. Siquidem nos, o tranquillissime imperator, illos non ad synodum celebrandam destinavimus, non ad lites et contentiones excitandas direximus. Scimus enim quod docente Apostolo, *servum Domini non oporteat litigare* (*II Tim.* II); sed hoc totum est pro quo misimus, videlicet ut, servata apostolicæ sedis auctoritatis reverentia, restaurationem Ecclesia Constantinopolitana status recipiat, et pax et unanimitas sanctis Ecclesiis et imperio vestro reddatur, atque perpetuis, Deo propitia, temporibus custodiatur; necnon et nomen vestrum diutinis ac prosperis crescat successibus. Et quemadmodum piorum præcedentium Augustorum miris hic post funus præconiis attollatur, et in cœlis æterni regni beatitudine perfruatur. Alioquin secundum Apostolum, *verbum Dei non est alligatum* (*II Tim.* II); qui rursus ait: *Vivus enim est Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus; compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* IV); quo usi nec inobedientes, nec adversantes Ecclesiæ Dei, nec molestiam inferentes famulis ejus dimittere quoquo modo poterimus impunitos. *Qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XI). Quæ nos omnia, licet strictim, idcirco dicimus et satagimus, necnon et diligenter exsequimur, ut plurima commemorare prætermittamus. Primo, ut ne nos de talenti acceptione, quam in privilegiorum quantitate percepimus districtam, si pigri reperiamur, coram summo judice cogamur, reddere rationem. Secundo, ne in irregulari dejectione Ignatii, consacerdotis nostri et fratris, vel in promotione Photii quoquo modo consensisse putemur. Tertio, ne sacerdotalis ordo tam ignominiose vilescat, ut Domini nostri et sacrum corpus ejus tractantes, atque Sancti sanctorum ejus velamina penetrantes, et præcipue summum in diœcesi sua locum retinentes, tam facile de cætero impellantur, et a vulgaribus quibusque ac inferioribus suis, necnon et laicis prosternantur, et absque ullo examine aut comprobato crimine gradu proprio et Ecclesia sua priventur. Quarto, quoniam manifestum est qualiter, sede apostolica in Gregorii Syracusani et sociorum ejus damnatione non consentiente, ipsi modo quem prædiximus ad hæc exci-

tanda surrexerint: et nunc nisi nos hæc corrigamus vel puniamus, veremur ne nobis deputetur in culpam. Nimirum qui successores sumus eorum quorum ipsi benignitate abusi, licet nobis inconsultis, ad ista prolapsi sunt. Quinto, ne ipsum quoque imperium vestrum, vel successorum vestrorum tam leviter adversus Ecclesias Dei vel præsules eorum perverse suggestionis flatibus commoveantur.

Unde pietatem vestram obsecramus, et coram Deo et sanctis angelis ejus contestamur, ut obediatis nobis, et nos in hac vita potius audire curetis hortantes atque rogantes, quam beatum Petrum cœlestis regni clavigerum in futuro sentiatis accusantem, atque damnantem. Nam si nobis non obedieritis, ipse contemnitur, cujus vices gestamus et auctoritate clamamus. Porro si illum contemnitis, ipsi jam considerate qui de vobis erit, vel quam in terribili judicio Dei rationem dabitis, qui in tanta sublimitate positi, per exemplum vestrum cunctis subjectis vestris ultimi exitus præcipitium demonstretis: non solum autem in præsenti tempore, verum etiam in futuro, imperatoribus videlicet et cunctis mundi principibus, necnon et omnibus omnino fidelibus.

Exhorrescite igitur tot hominum exemplo vestro pietatem destruere; formidate tantarum animarum operari periculum; pertimescite fidelibus, ad salutem forte tendentibus, tantam perniciem præparare, et pro his omnibus coram districto judice sine quibuslibet excusationis ambagibus de omnibus rationem omnimodam dare. Quoniam quot exemplo vestro ad talia fuerint devoluti, de tot animarum dispendio eritis prorsus obnoxii; et tot procul dubio, quod non optamus, pœnas luetis, quot noxiæ actionis vestræ forma in inobedientiæ chaos demergitis. Quæ omnia, pietate vestra nobis obediente, avertat Dominus, nam ista nos pro salute vestra prosequimur et exigimus. (*Ex ep. Gelasii papæ ad Anast. imp.*) Unde ne irascaris si te tantum diligimus ut temporale regnum quod assecutus es, te velimus habere perenne; et qui imperas nunc hominibus, regnes cum Christo; et qui cras moriturus es, vitam percipias et gloriam æternam [*cod. Vatic.*, sempiternam]. Data Idibus Novembris, indictione xv.

XCIX.

AD PHOTIUM.

(Anno 866.)

Exprobrat Photio multa crimina, quæ in occupanda Ignatii sede commisit; probat illum et divinum et humanum jus violasse; nuntiat ipsum depositum fuisse, et si non paret sententiæ, minatur illi perpetuam usque ad obitum excommunicationem.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, viro Photio.

Innumerabilium reperiris prævaricationum obnoxius, et venerandorum canonum, atque paternarum diffinitionum, quinimo et divinorum mandatorum contumeliiis multipliciter ac impudenter elatus: siquidem et ex schismaticorum; sed et cum venerabilis frater et coepiscopus noster Ignatius Constantinopolitanam regeret Ecclesiam, a sanctæ communionis participatione contra regulas avertentium parte fuisse dignosceris, et ex sæculari administratione atque militia, et ex foro subito tonsuratus, a Gregorio Syracusano dudum episcopo a synodo damnato et ab apostolica sede convicto episcopus ordinari et nuncupari passus, etiam vivente ac superstite Ignatio patriarcha sedem ipsius invasisti; et sponsam, quam a Christo sponso immaculatam custodiendam, veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis, vel latronis irrumpens, ac violentus, rapax et scelestus adulter subripuisti. Et præter, imo adversus apostolicos canones, sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per eos obtinuisti. Deinde cum damnatis et anathematizatis; atque cum his, qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent, et a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans, et conversans contra fidem promissam, contraque tuam professionem, qua pollicitus es, te adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse facturum, congregasti concilium, et cum sequentibus tuis depositis et damnatis et excommunicatis, et anathematizatis, et aliis sine Ecclesiis, atque cum his, a quibus vel tu irregulariter ac illicite provectus fueras, vel quos ipse temere ac indebite promoveras contra eumdem fratrem et comministrum nostrum depositionem facere, et anathema dicere ausus es. Deinde apostolicæ sedis missos, quos pro causa sacrarum imaginum, et pro inquirenda, et nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, et ob inveniendum modum promotionis tuæ destinaveramus: quibus potuisti argumentis a nostris mandatis avertere, more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ, præsumpsisti, et ad processionem, quæ tibi cum comparibus tuis habebatur: sicuti eorum professione patefactum est, et sancto Spiritu revelante venerandæ synodo, quæ a nobis collecta est, claruit, ad damnatorum et schismaticorum, tuamque confusionem contempta legatione, quæ vel gentilium more servari debuit, pertransisti [*pro* pertraxisti. Hard.], et in illusionem beati Petri aspstoli, cujus a sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecisti, sed etiam impugnatores omnium, quæ sibi fuerant imperata, monstrasti. Postremo episcopos, qui tibi tanquam adultero, et pervasori communicare noluerunt, exsilio relegasti, et ipsis jubentibus contra canones tui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuisti. Et usque in præsens Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinis. Ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis et horribilibus tormentis afficere non quiescis: sed et omnes quotquot pro veritate, et fide commode persistere deprehendis, quibus prævales modis perdere imprætermisse moliris.

Quamobrem in his et hujuscemodi te cognoscentes contra evangelicas, apostolicas, et propheticas, atque canonicas institutiones efferre dolemus, et nimiis mæroribus affecti, necessario te præsentibus apicibus admonemus, hortamur et obsecramus, ut in tanta gloria non decipiaris, et æterna bona pro his brevibus non amittas. Pensa quam pauca sunt omnia, quæ hic mulctent [mulcent], quamlibet multa esse videantur. Perpende, quæso, quam multiplex sit, et quam prolixa pœna gehennæ, et hanc incidere pertimesce, hanc tibi acquirere medullitus exhorresce. Nam, secundum Evangelium, *Quid prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatnr?* (*Marc.* VIII.) Scimus quoniam sapientia præditus, et scientia ditatus haberis. Sed audi quid propheta de quibusdam sapientibus dicat : *Sapientes,* inquit, *sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt* (*Jer.* IV). Porro de scientia egregius Apostolus ait : *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (*I Cor.* VIII), Ergo quantum non prosit, imo quantum obsit, non ad bona sed ad mala facienda habentibus sapientiam animadverte : et noli gloriari si habes scientiam sine charitate, quoniam, teste Apostolo, illa inflat, ista ædificat, (*I Cor.* IV). Et certe absurdum ac indecens est, ut eam, quæ inflat, virtutem habeas, illa vero quæ ædificat, careas. Quam autem habuisti charitatem, quando videbas fratrem et comministrum nostrum Ignatium ab ecclesia sua pelli, impeti, et adversus eum conjurationes et conspirationes præparari? Et non solum minime illum, cum posses, utpote ad sæculum clarus et honorabilis adjuvisti, verum etiam cum factiosis concurristi, et cum machinantibus adversus eum, et varias malignitatis argumentationes excitantibus concertasti. Quin potius horum omnium peccatum, quod generat mortem, in te proprie consummatum est, nimirum qui cunctarum prævaricationum in illum commissarum tu auctor factus es. Nam et si te homicidam dicimus, non mentimur. Joanne apostolo clamante, qui ait : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* II) : si ergo qui odit fratrem homicida est, quanto potius is, qui patrem non solum odit, sed et quantum in se est, mactat? insuper etiam si, ut Achab, quæ illius sunt rapit, et possidet, homicida dicendus est, et non solum qualiscunque homicida, verum etiam et parricida? Pater enim tuus erat Ignatius, et tu filius ejus, qui tantum a te præ naturali patre debuerat venerari, quantum spiritus, quo relativa hæc nomina mutuo possidetis, præferendus est carni.

Porro si te viperam appellamus, non fallimur, siquitudem tu, nonnisi parente perempto, proficere credidisti. Jam vero si te tam [*leg.* Cham : *quod et sequentia plus nimio confirment*] similem asserimus, nec sic erramus : ipse quippe adeo in irrisionem et contumeliam patris prorupisti, ut de cathedra sacerdotali eum projiceres, et ad illudendum mimis, et scenicis inverecunde proderes. Extremo, si te Judæis comparamus, fortasse non modicum
A quidem a vero discedimus : nam ipse non solum super magistrum tuum contra Evangelium factus es, verum etiam ordinationi Dei resistens adversus eum dentes tui, arma et sagittæ, et lingua tua machæra acuta effecta est. Quandoquidem non, sicut sanctus David, mittere manum in christum Domini formidasti, sed sicut principes latronum non habentes bona regem suum trucidantes, insurgere contra rectorem tuum versutis insidiis magnopere procurasti. Quos idem sanctus David, sicut et illum qui se christum Domini (Saulem videlicet peremisse nuntiaverat, tanquam homines impios, et principem suum trucidantes, tradere morti laudabiliter jussit (*II Reg.* I). Quanquam etiam si nihil in his reprehensionis admitteres, cum pridie laicus fueris et
B sæculo militaveris, nequaquam tam repente debueras ad summi sacerdotii pervenire fastigium : quandoquidem nec monachorum poteras subito secundum probabilium Patrum traditionem, perfectionem consequi, Gelasio, Gregorio et Adriano magnis, et vere sanctis sedis Romanæ præsulibus id ipsum, quod serenissimo Augusto, atque tibi jam scripsimus, multipliciter inhibentibus. Sane si horum tanquam ignotorum, sanctitatis insignia non agnoscebas (licet cujus fidei, cujus studii fuerint, per eorum nosse scripta sufficeret) saltem Cœlestini, atque Leonis, ejusdemque sedis pontificum reverentiam præ oculis habuisses : quorum sententiæ tota per mundum diffusa inclinatur Ecclesia : quorumque doctrinam (sicut in sacratissimis tertia et quarta synodis videre est) Christiana veneratur apprime religio.
C Quinimo et quorum virtutum decus, et eloquentiæ nitorem, necnon et morum probitatem ac exhortationum suavitatem non solum fideles reges, verum etiam infideles ac tyranni, barbarique principes, reverentia, vel pavore non modico mansuefacti vehementer amplexati sunt et sectati. Quod si magnos sanctosque fuisse non negas (quia nec vales : alioquin pugnabit pro eis orbis terræ contra insensatos) oportet ut in cunctis Ecclesiæ dogmatibus, et disciplinis eos solerter attendas, et veneranter admittas. Nam si in cæteris nostræ religionis negotiis eorum assertionibus cesseris, et in his eos, in quibus tuæ promotioni contradicunt, contempleris, apparet te minus saluti communi, quam sorti privatæ intendere, ac per hoc, non quæ Jesu Christi, sed quæ tua
D sunt, quærere. Aut illæ bonæ arbores fuerunt, et bonos fructus fecerunt, aut malæ (qued absit) et fructus eorum mali : et si quidem boni fuerunt et fructus eorum boni, oportuit eos tanquam bonos sequi : *Non enim potest* (Evangelio testante) *bona arbor malos fructus facere* (*Matth.* VII). Porro si de eisdem non cum tota Christi Ecclesia sapis, necesse est qualiter vel ipsi, vel fructus eorum mali fuerint, plurimis adhibitis ex omni Ecclesia testibus comprobes et affirmes : quoniam tibi soli super hoc negotio contraria suadenti non creditur.

Jam vero si dixeris, Bona et grata sunt, atque salubria, quæ prædicaverunt, vel statuerunt, sed

non omnia, nam horum quædam dulcia, quædam amara fuere, Jacobus tibi pro eis respondet apostolus, dicens, ***Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?*** (*Jac.* III.) quoniam sicut idem iterum ait : ***Neque salsa dulcem potest facere aquam*** (*ibid.*) :Spiritus enim sanctus quorum vasa isti fuerunt, non potest nisi dulcia per hos, quos repleverit,eructare. Præterea si profiteris omnia eorum decreta salutifera quidem fore, sed hæc vos hactenus ignorasse,nec sic profecto excusabiles eritis.Nisi enim ignorantiæ peccata essent, nequaquam Psalmista pro his Dominum precaretur, dicens : ***Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris*** (*Psal.* XXIV) : qui rursus denique dicit : ***Noluit intelligere,ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo*** (*Psal.* XXXV). Qui enim non ait, Non intellexit,sed ***Noluit intelligere,ut beue ageret***, profecto monstravit, quia sæpe proposito voluntatis ignorantia procuratur.Idcirco de ignorantia cuncta ad securitatem auferes,si apostoli formidolosa verba consideraveris,quibus ait: ***Siquis autem ignorat, ignorabitur*** (*I Cor.* XIV) : quia profecto, docente sancto Gregorio papa, qui ea quæ sunt Domini nesciunt,a Domino nesciuntur.Sed dicis : Hæc non in lege suscipimus,et prevaricatores,qui significantius Græce παράνομοι dicuntur, non sunt, nisi qui præter legem acceptam aliquid pravitatis committunt,sicut Apostolus ait : ***Ubi non est lex, nec prævaricatio*** (*Rom.* IV). Sed audi,et expavcsce quod rursus idem dicit Apostolus : ***Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*** (*Rom.* II). Alioquin gentes, quæ legem non acceperunt, excusabiles fateberis. Verum ego universos qui inique agunt transgressores dixerim, psalmographi habens auctoritatem, qui canit : ***Prævaricantes***,inquiens, ***reputavi omnes peccatores terræ*** (*Psal.* CXVIII.) Dicens ergo, ***prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ***,etiam gentes, quæ legem non acceperunt,comprehendit.Quoniam etsi legem per Moysen datam non acceperunt, acceperunt tamen legem naturæ, quæ nisi corrupta fuisset,lex Mosaica data non esset : quam videlicet legem naturalem nunc a te non inconvenienter exigimus,qui gloriaris sanctorum tantorum pontificum edicta nullatenus accepisse.

Denique hanc sibi datam, si volumen cordis tui conscientia scrutata fuerit, procul dubio non negabit.Ibi quippe scriptum reperies, lege naturæ dicente,a nemine velle lædi,a nemine velle tua prorsus auferri. Quapropter apte præcipitur : ***Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris*** (*Luc.* III), et Domino dicente : ***Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*** (*Matth.* VII). Ideoque non poteris hanc te legem non accepisse negare,cum eam etiam ipsa natura doceat,et propria uniuscujusque voluntas edere [*forte*,ea de re. HARD.] jugiter innotescat. Quod si hanc datam tibi fuisse denegas,profecto sedis apostolicæ præsulum decreta te accepisse demonstras. Quid enim illa nisi quod tibi non vis fieri,aliis ne feceris, dicunt, quando præcipiunt ne subito factus clericus clericis dominetur, qui per singula stipendia militaverunt,et omnem in Dominicis castris ætatem egerunt. Quid, inquam, illa, nisi omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis, jubent, quando præcipiunt, ne prioris ordinis sui quislibet saltu præpropero in alienum honorem ambiat immoderata cupiditate transcendere, vel pro suo libitu jura studeat aliena pervadere. Et certe si tu per singula stipendia in Ecclesia Constantinopolitana militasses, et omnem in Dominicis castris ætatem egisses,et quilibet prioris professionis saltu præpropero in honorem tuum ambiret,et immoderata cupiditate transcenderet,et pro libitu studeret tua pervadere, mox in vocem prorumperes,et adversus hunc querelas exponeres. Et quia præceptum est : ***Non concupisces rem proximi tui, neque omnia quæ illius sunt*** (*Exod.* X); et rursus : ***Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris*** (*Luc.* III), sufficientibus scriptis palam cunctis ostenderes, et quod Joannes Baptista militibus,ut neminem concuterent, neque calumniam facerent, et contenti essent stipendiis suis, præcepit, intentissime commemorans, et ait : Noli me concutere,noli mihi calumniam facere : sed esto tu, qui miles sæculi hactenus fuisti, stipendiis tuis contentus, quia sic tibi præcursor Domini dicit, et excelsis vocibus exclamares, et fieres forte singultiens : Ea stipientia, eorum fructus laborum noli concupiscere ; noli subripere, noli de me,vel de meis commilitonibus male sentire : noli modo vincere nos omnes tot curriculis temporum diversis præliis Domini jam fessos, tot sudoribus et vigiliis pro civitate ipsius jam tabefactos velle saltu quodam ambitionis transcendere,et in nobis ex militia nostra non electus,vel profectus noli ducatum arripere. Igitur cum ea, quæ sedis apostolicæ præsules instituerunt, in litteris sacris invenias, imo vero in temetipso jugi perseverantia relegas : noli, quia decreta ipsorum non susceperis amplius asseverare : cum ipsi nihil,nisi quod naturalis, quod Mosaica, necnon et gratiæ lex jussit,instituant ; et quidquid in Sardicensi sancti Patres concilio statuerunt, custodiendum prorsus definierunt.Inter quos Osius ille famosus, et magnus inventus est Athanasius, quamvis timescimus quid somnians dicas ejusdem concilii canones apud vos non haberi, quod procul a vero multis esse probatur indiciis.

Primum quidem,quoniam quando Zacharias,qui se prætendebat episcopum, ex parte Syracusani Gregorii, et collegarum, ejus apostolicam sedem adiit, eorum deposcens renovari judicium : hos se in appellatione canones, et eos, a quibus missus exstiterat,fuisse secutos aiebat. Deinde nos diligentissime requirentes reperimus ipsos canones eo sensu, et numero non solum in novis,verum etiam in veteribus, atque authenticis codicibus, qui veraciores soliti sunt inveniri, Græce conscriptos, quo cæteris Latinis canonibus inserti esse cernuntur, nimirum qui et a præsulibus provinciarum pene to-

tius orbis definiti sunt, et illis omnibus satis placuisse per eadem exemplaria Græca monstrantur. Quomodo autem non esse penes vos Sardicenses canones tu solus astruere poteris, quando non solum a Latinæ, verum etiam cum aliis a Græcæ linguæ hominibus statuti sunt et promulgati? Qua de re credibile non est, quod illic definitum est, unumquemque ipsorum minime linguæ propriæ tradidisse. Aut quomodo non sunt penes vos (*a*) canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur? Jam vero [*forte*, si et canones cum, Hard.] si et habitus tum præfatorum insignium Romanorum pontificum decretalibus institutis, de laicis ad ecclesiasticos gradus non temere provehendis emissis, contemnendos esse putasti, saltem doctorem gentium Paulum apostolum audire consensisses, et quam sancti patres in Sardicensi concilio convenientes in hoc cum eo concordaverint, attendisses. Nam et audenter dicimus, et veraciter profitemur, quoniam qui Sardicense concilium non recepit, nec Paulum apostolum recepit. Quid enim (ut cætera prætermittamus) Sardicense concilium statuit, quando dicit : Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione sæculari episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus : et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus? Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique per prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia, et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur ; quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium beatus apostolus ne hoc fieret, denuntiasse, et prohibuisse videatur : sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, et merita fuerint comprobata ; nisi quod Apostolus præcipit dilecto discipulo, dicens : ***Manum cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*** (*I Tim.* v.) Et de diaconibus : ***Hi autem probentur, et sic ministrent*** (*I Tim.* iii). Quis autem majorem concordiam quam in his verbis Apostoli, et memorati concilii poterit invenire? Quid vero est, *cito*, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, imo ante exhibitionem subjectionis potius, quam celsitudo prælationis? Jam vero si Apostolus (ut intermisse prædicti concilii mentio differatur) diaconos probari præcepit, et sic ministrare, quanto igne doctus episcopus diutinis est temporum spatiis per omnium exercitia virtutum probandus, et tanquam aurum in fornace diversarum tentationum examinandus? Sicque demum purgatus jam, et [*forte*, exceptis cunctis probris, moribus et virtutibus manifestus, *etc.*, *vel* expiatis cunctis pravis moribus, *etc.*,] expiatis cunctis probis moribus et virtutibus, manifestus ad prælationis fastigium provehendus. Igitur nos quidem de indebita promotione tua summatim hæc scripsisse tibi cognosce.

Tu autem qui etiam cogitationum tuarum testis es, quam illicite sis provectus, scire facilius poteris. Qua de re alienum cessa de cætero pervasum locum tenere, nec fias domui Israel in offendiculum iniquitatis, et nec amplius cæcis ducatum præstes erroris. An non (ut multa omittamus) offendiculum domui Israel factus es, qui tantam Domini plebem Ignatium deserendo contra suam subscriptionem, vel professionem agere compulisti? An non ei ducatum erroris prætitisti, quando illi pastorem suum infideliter deserere, et te, cui non pertinebat aliquid de ovibus, sequi callide suasisti? Verum tanti reatus pondere jam fungeres, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensares, quæ ait : ***Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*** (*Matth.* xviii). Per molam quippe asinariam sæcularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, et per profundum maris, extrema damnatio figuratur. Melius ergo tibi fuerit, ut sub exteriori habitu te ad mortem sæculi acta constringerent, quam sacra officia ambiendo, et non solum unum, sed etiam cum magistro patre, ac pastore tuo plurimos eorum, qui in Domino credunt scandalizando, in culpa te cæteris imitabilem demonstrares : quia nimirum si solus caderes, ut cunque te tolerabilior inferni pœna cruciaret. Fuge itaque principatum nequiter usurpatum : declina præesse, qui innumeris dignosceris indesinenter obesse. Scriptum legisti quia ***Jesus*** (qui utique rex verus est) ***cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit*** (*Joan.* vi) : quis enim principari omnibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit. Ad crucis vero patibulum sponte cum venit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut videlicet membra ejus discerent favores mundi fugere terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare.

Igitur tandem aliquando audi nos, quos si audieris, non senties erga te penitus inflexibiles, nec ad misericordiam duriores : quia, ut Leo Magnus apostolicæ sedis antistes beato Flaviano scribit (*epist.* xii, *ad fin.*) : Dominus noster verus et bonus pastor, ***qui animam suam posuit pro ovibus suis, et qui venit animas hominum salvare, non perdere*** (*Joan.* x), imitatores non vult esse pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia

(*a*) Collectio canonum est Joannis Antiocheni, quæ quinquaginta titulis constat. Hanc Justellus edidit. Hard.

non repellat. Siquidem nunc pro omnibus, quæ sparsim per hujus epistolæ textum te contra omnia jussa divina perpetrasse commemoravimus, Dei omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli, ac omnium simul sanctorum, atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus sancti per nos judicio cuncto sacerdotali honore, ac nomine (quod gementes dicimus) alienus, et omni clericatus ex officio prorsus exutus: ita ut si post notitiam hujus sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus, dum unanimitate et concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentasti in Constantinopolitano throno præsidere, ac sæpe fato venerabili coepiscopo nostro Ignatio, quominus ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere posset impedisti: vel si de ministerio sacro ulterius ausus fuisti aliquid more sacerdotis contingere, juxta præcedentem consuetudinem (quod contra canones est) nullo modo liceat tibi communionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus tuis, atque fautoribus perpetuo Dei judicio, ac sententia per mediocritatem nostram existens, sacrum corpus et sanguinem Domini Jesu Christi nonnisi vicino mortis periculo percepturus. Quatenus hæc unusquisqne dicens: nequaquam de cætero temeraria præsumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante dux esse velit, quam tironis consummet officium, et ante tentet docere, quam discere, sicut in eadem Constantinopalitana Ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis (quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est) quisque ab ipsis (ut ita dixerimus) cunabulis, imprætermisso labore in Ecclesia Christi desudant; et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is qui deforis est, alterius ovilis Christi repente principatum arripiat, et nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere, et grex Dominicus incipiat eum utpote extraneum, et improvisum omnino contemnere, præsertim cum perspiciat nihil sibi stipendia profecisse meritorum, et alienum suorum cernat consumere fructus laborum. Data Idibus Novembris, indictione XV.

C

4 AD BARDAM CÆSAREM.

(Anno 866.)

Dolet se depulsum fuisse de spe, quam ob multa quæ a principio de ejus pietate audierat, in ipso collocaverat; hortatur eum ut resipiscat, et causam Ignatii apud imperatorem agat, ipsisque legatis sedis apostolicæ faveat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, in Christo diligendo filio BARDÆ inclyto Cæsari.

Postquam Dei omnipotentis in te cœperunt dona miris successibus abundare, eorumque donorum insignia longe lateque gtoriosissime coruscare, necnon et apud aurium nostrarum auditur odorifera crebrescente fama laudabiliter frequentare, cœpimus et nos exinde immensas eidem omnium donarum largitori Domino gratias agere: et ut hæc in te crescere faceret, enixius implorare, qui pro magnæ pietatis suæ, ac ineffabilis misericordiæ multitudine tanto apicem excellentiæ tuæ post sublimius extulit, quanto per te oppressos erigi, et opprimentes comprimi, et exaltantes Ecclesiam suam exaltari, et humiliantes hanc voluit humiliari. Posuit quippe te in Ecclesia sua sicut cedrum, ut sub umbra tua refrigerium cruciati, et protectionem inveniant desolati, ac diversis fatigationibus lacerati. Post hæc autem audivimus in Constantinopolitana urbe dissensiones, contentiones, clamores, conjurationes, conspirationes, factiones, animositates, simultates, et cætera incommoda, seu discrimina, ita ut jam imminere credamus illa tempora, quæ ab apostolo novissimis diebus instatura fore prædicta sunt, et urgere putarentur omnia signa, quæ Redemptor noster finem mundi præventura esse pronuntiavit. Quid autem nequius, imo periculosius, quam ante justam, canonicamque audientiam sola sæculari potentia præsulem a sua sede propelli, atque ecclesia sibi divinitus commissa, consensuque ac subcriptione provincialium sacerdotum, et compatriarcharum communione roborata privari? et eum qui inter Deum et hominem interpres, ab intercessione populorum, nulla monstrata noxa, solo pro libitu uniuscujusque removeri? Quid, inquam, nequius, aut periculosius, quam ut discipuli manu in magistrum injiciant? filii viperas imitantes parentem propriam (quantum in ipsis est) interficiant? eique maledicere, a quo benedicti sunt? eum projicere, a quo ad singulorum graduum honorem profecti sunt? Quid vero præsumptuosius, quam si pulsus aliquem pellere, aut remotus removere, aut ligatus ligare tentet? Quid præterea inconvenientius, vel inordinatius, atque confusius agi potest, quam tanta numerositate Constantinopolitanorum clericorum, tanquam tota vel fidei violatione polluta, vel inscitiæ insipientia enervata, vel diversis criminibus irreta, spreta penitus, ac reprobata, laicum super hanc erigere, et extraneum super eam inducere, et in ea contra sacros canones, imo vero adversus apostolum neophytum ordinare? Jam vero si neophytum nonnisi noviter in fide plantatum dicitis: respondemus, non hoc illud nobis nomen significare: siquidem in illo nomine, quod est neophytus, nihil de fide sonat.

Sed dicitis: Ita hoc sancti Patres nostri interpretantur, videlicet ut neophytus noviter in fide plantatus intelligatur? At nos respondemus, quod postquam in compositione nominis hujus nil de fide sonare scit, non solum in fide, verum etiam in clericali militia noviter insertus neophytus valeat appellari, quemadmodum et sanctus papa Gregorius, et Anglorum gentis apostolus intercessor vester apud Deum, qui et vim nominis istius perspicaciter intel-

lexit, et patres illos forsan, quos dicitis, subtiliter investigavit, inter cætera scribit, dicens : Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus : sic modo neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Quid rursus perniciosius est, quam cuiquam ex schismaticis intra septa Dominica principatum tribuere, et per damnatos sanctificare, et per depositos ad sacerdotium sublimare, et viventis locum subripere, et alteri Christi sponsam commissam temerare, et in apostasiam multos demergere, et in infidelitatem impellere, et a professione, vel subscriptione sua non paucos avertere, et ecclesiam per exteras potestates accipere, ac per hoc in ovile Dominicum, non per ostium, sed ex adverso, ac aliunde conscendere, et in id more furis atque latronis, seu lupi rapacis irrepere, et primum quidem pastorem necare, deinde vero ovium alias quidem trucidare, alias autem dispergere, conterere, nudare, lacerare, ac diversis modis et machinationibus disperdere? Quid postremo, quæsumus, horribilibus, et exsecrabilius, quam Dominica, seu sanctorum Patrum, necnon et apostolicæ sedis scripta pro religione, pro disciplina, pro correctione missa violare, et quædam quidem eorum fidelibus occultare, quædam vero defraudare, et subtractione, ac commutatione, necnon et additione quædam callide depravare? Missos quoque beati Petri apostolorum principis variis argumentis a sibi commissis avertere, et ad præcessionem [*al.*, processionem], quæ a schismaticis, excommunicatis et damnatis agebatur, pertrahere, illosque contempta legatione, quæ vel gentilium more tractari debuit, nonnullis incommodis subdere, et ad extremum in illusionem beatissimi Petri, a cujus sede profecti fuerant, non solum inefficaces redire facere, verum etiam impugnatores omnium, quæ mandata fuerant, demonstrare? Quæ et his similia, necnon et his pluriora in Constantinopolitana urbe, vel in adjacentibus sibi civitatibus patrari audientes, immenso sumus mœrore repleti, et anxietate nimia perturbati. Sed quia horum omnium auctor tu existere fama divulgante diceris, intolerabili cruciatu mentis afficimur, et doloribus undique coaugustamur. Unde videlicet cum Jeremia in vocem prorumpere, ac libet lamentabiliter mœstitiæ operam dare, flebiliterque exclamare : *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum* (*Jer.* IX), ut plangam, et lugeam tantam et talem perniciem, tantum et tale dispendium? Frustrata est enim spes nostra : confidentia nostra decepit nos. O damnum incomparabile, o exitium nonnisi per te, Domine Jesu, quoquo modo destruendum! Versa sunt dona Dei, quæ olim fuerant tibi collata, in armaturam adversus Ecclesiam ejus, et quæ ille pro salute plurimorum tribuit, in perniciem evidentem sunt commutata multorum. Sed revertere, fili mi, revertere, piissime Cæsar, revertere : quia Dominus noster misericors est, et te revertentem extensis benignitatis brachiis clementer amplectetur. Et non tantum indignatus est pro læsione, quam Ecclesiæ illius operatus es, quantum lætabitur, si quem læsisti adversus Ecclesiam, adjuvare contenderis. Porrigat igitur pietas tua Constantinopolitanæ Ecclesiæ manum, nec patiatur hanc amplius suo jam destitutam rectore subsistere : et mœrentem ac lugentem incedere. Virtutum charismata, quæ tibi Dominus noster Jesus Christus contulit, non contra se, sed pro se, proque sancta Ecclesia sua præparata semper inveniat : teque de beneficiis suis esse melioratum gaudeat, et gratias agere continuis horis, atque momentis reperiat.

Legatos præterea (Donatum videlicet reverendissimum, et sanctissimum sanctæ Ecclesiæ Ostiensis episcopum, et religiosos, ac venerabiles sanctæ Romanæ Ecclesiæ Leonem tituli sancti martyris Christi Laurentii, qui appellatur Damasi, presbyterum, atque Marinum apostolicæ nostræ sedis diaconem) quos Constantinopolim in nomine Domini destinavimus, ita libenter, ita benigne suscipite, atque tractate, quemadmodum orthodoxi principes beati Petri apostoli missos suscipere, necnon tractare soliti fuisse multis apicibus referuntur. Nam et impietatem paganorum transcendere comprobantur, quicunque legatos ecclesiarum quibuslibet putaverint contumeliis impetendos. Apud ipsos enim et si non habetur legatio fortassis accepta, persona tamen legati semper judicatur immunis, præsertim cum legatio præfatorum nihil nisi quæ pacis sunt, satagat et tantum quæ justitia diligit, ipsa verecunde suadere contendat. Scilicet ut ablato mœcho Ecclesiæ Constantinopolitanæ, proprio reddatur episcopo : et si quid huic restituto jam fortassis objicitur, servato ordine audiatur, et judicetur; videlicet ut inferior a potiori judicetur, et non minorum (quod contra omne fas est) sententiæ subjiciatur. Quam præterea fortitudinem ostendetis, si totus indignationis vestræ pondus super duas, vel tres personas inflectitis; et pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona solum calcandos vel conterendos existimatis? Sed videte (quia ejus capitis pedes calcantur, quod olim, ut quid sibi persecutio ingerebatur, pro ipsis e cœlo clamavit) ne verbum alligetis, neque occultetis legationem nostram : quoniam, dicente Apostolo : *Nec verbum Dei est alligatum, nec veritas ullo pacto poterit occultari* (*I Tim.* II); quæ etiam dicit : *Nihil opertum quod non reveletur, et occultum, quod non sciatur* (*Luc.* XII). Si autem talentum acceptum in terra abscondere extremæ damnationis est, quanta pœna mulctandus est, qui alterius talentum volentis hoc ad lucrum Domini sui multiplicare, tollit, et abscondit, vel etiam fraudare non pavescit? Porro de talenti acceptione nullam poteris omnino excusationem prætendere. Accepisti quippe non minimum talenti donum, etiam et antequam ad Cæsareas infulas pervenires, familiaritatis scilicet locum apud Augustum, et impetrandi quod volebas, facillimam gratiam. Si ergo nihil ei pro ecclesiæ proprio rectore

desolatæ detrimentis locutus es, nihil pro his, qui A pro fratre et pro coepiscopo nostro Ignatio patriarcha abjecti, vel exsiliati, aut oppressi sunt, pie suadere curasti, pro talenti retentione profecto positurus es rationem. Habens igitur magnificentia tua obtinendi penes Augustum talentum ea, quæ postulant damnationem, pro retento talento timeat, si [*forte*, nisi, HARD.] cum valet apud eum pro reddendo priori Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsule, vel pro perdendis nimis oppressis instanter intervenit. Præcipue cum donante divina gratia sublimas vestra non solum impetrandi quod vult apud Augustum munus assecuta sit, verum etiam per Cæsaream excellentiam, quam adepta est, ipse valeat concedere quod rogat, et largiri quod sibi ad lucrum proficiat sempiternum. Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exiget, quantum dedit. Quamobrem valde nobis, charissime, metuendum est, et omnibus modis formidandum, quod Sapientia terribiliter mundi principes admonens: *Discite*, inquit, *judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est potestas a Domino vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: horrende, et cito apparebit vobis, quoniam, judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). Quas voces sedulo tractans et mente revolvens pietas tua paveat, o Cæsar: quoniam secundum Apostolum, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* V); et idcirco consilium nostrum audi, et quæ contra fratrem et comministrum nostrum Ignatium, vel adversus complices ejus, vel communicatores egisse te recolis, celeri stude satisfactione corrigere, et quæ per te destructa sunt, indifferenti cura pristino statui reddere: quæ cuncta, Domino auxiliante, facile (sicut credimus) adimplebis, si tranquillitas tua in susceptione et auditione missorum sancti Petri debitum honoris officium exhibuerit. *Testis autem mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi* (*Philipp.* I), et hoc ipsum idcirco magnopere postulem, ut et ministerium meum adimpleam, et Ecclesiæ status, et ordo reformetur, et gloria magnificentiæ vestræ, præstante Domino, de corruptibili felicitate ad incorruptam, a mortali vita ad immortalem, et a culmine terreno ad cœleste fastigium, et a temporali atque cito defluenti claritate ad perennem et semper manentem beatitudinem perducatur, et divina visione cum sanctis omnibus et electis angelis perfruatur. Data Idibus Novembris, indictione decima quinta.

—

CI.

AD IGNATIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 866).

Certiorem Ignatium facit de omnibus quæ in ejus causa a reditu legatorum Zachariæ et Rhadoaldi acta fuerunt, et qualiter Photius fuerit in concilio depositus et anathematizatus cum suis sectatoribus: ipse vero una cum suis restitutus.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo ac sanctissimo fratri et comministro nostro IGNATIO patriarcha Constantinopolitano.

Dici non potest, frater charissime, quantis mœroribus, vel quantis anxietatibus ob immensitatem B tribulationum, et persecutionum in vos illatarum afficiamur, quantisque nos laboribus, et certaminibus fraterna dilectione provocati, jugiter ac indesinenter immisceamur. Nimirum qui et causam vestram reputamus, et onera totius Ecclesiæ bajulamus. Etenim considerato ministerio nostro, quod divinitus per beatum Petrum apostolum ad nos usque derivatum suscepimus, non est pro fratribus nostris silendi facultas, quibus major et honor et onus cunctis Christianæ pietatis, et ecclesiarum correctionis inesse debere sollicitudo dignoscitur. Sustinemus quippe cunctorum qui premuntur gravamina, quin potius sustinet in nobis hæc sanctus Petrus apostolus, qui in omnibus (ut confidimus) administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Quæ vero de vobis sedis apostolicæ auctoritatem habentes, ac C privilegia ipsius vindicantes decrevimus, dilectioni vestræ his intimamus affatibus: quoniam apud nos hoc semper fuistis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse : non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Igitur, postquam legati nostri (Rhadoaldus scilicet et Zacharias dudum episcopi) quos Constantinopolim pro inquirenda solummodo causa remotionis vestræ a sede Constantinopolitana, inter illa, quæ jussu nostro pro sacris imaginibus erant agenda, miseramus, reversi sunt : et tam eorum relatione, quam scriptis per Leonem imperialem a secretis nobis delatis, comperto, quod ipsi etiam sententiam contra vos dederint, tanta sumus mœstitia, tantoque cruciatu mentis attriti, quanto contraria gesserunt omnibus, quæ sibi fuerant D imperata : quantoque per eos visa sunt stabiliri, quæ credebamus penitus exinaniri : quantum etiam subreptum est, atque persuasum omnibus, nos in talibus præstitisse consensum. Quapropter dum apud nos imperatoris missus (id est Leo) adesset, convocata tota, quæ apud nos Ecclesia est, professi sumus coram ipso, sicut et profitemur, pro dejectione vestra et confirmatione Photii nunquam misisse, nunquam missuros esse ; et in depositione vestra, vel promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Et hæc sæpius dicta, et palam annuntiata, atque in apostolatus nostri epistolis taliter inserta, tam excellentissimo impe-

ratori Michaeli, quam Photio destinatis præfato Leoni a secretis decretis deferenda tradidimus.

Deinde vero qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina ordinatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, hanc sinistram procul faceremus suspicionem (ne videlicet in hac saltem tenuis subsannandi oriretur occasio) cogitare cœpimus, et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, et collecta sancta synodo in Ecclesia Dei, in qua beatus Petrus rejacet: primum quidem (decernente nobiscum sancta synodo) Zacharias depositionis et excommunicationis sententiam pertulit: Rhadoaldi comparis videlicet sui judicio propter absentiam protelato, (a) quod tamen se similiter deponens, et communione privatus, et ipse non in finem evasit. Præterea deposuimus Photium, imo Deus deposuit eum, tanquam neophytum et pervasorem, atque adulterum, et omni sacerdotali honore, seu clericatus officio, necnon et patriarchatus nomine prorsus exuimus: et si post notitiam hujus nostræ sanctionis in Constantinopolitano throno præsedit, aut vobis ad recipiendam Ecclesiam impedivit, vel si ausus fuit de ministerio sacro quidquam more sacerdotis contingere, communione et loco satisfactionis omnino privavimus, et una cum communicatoribus et fautoribus suis anathematizavimus pariter et Gregorium, qui Syracusanæ Ecclesiæ, Deo contempto, præest, eo quod a vestra se communione sequestraverit, et Photium irregulariter ordinaverit, et post dispositionem sacrum ministerium tetigerit, sancivimus, atque statuimus omni sacerdotali gradu fore privatum: ita ut si postea præsumpsit in sacro officio more sacerdotis ministrare, anathema sit. Et si contra vos turbas excitavit (vel excitaverit), vel a vestra communione fideles averterit, anathema sit: et omnes communicantes ei ab Ecclesia abjiciantur: sed et ipsi anathema sint. Eos vero, quos Photius ordinavit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratori suo communicasse, omni clericatus officio dispoliavimus. Vos autem auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgavimus nunquam fuisse, nec esse depositum, vel anathematizatum, tanquam qui ab imperiali potentia sis absque ulla canonica auctoritate tua pulsus Ecclesia, et tanquam qui ab obligatis nullo possis haberi vinculo colligatus: et ab eis, qui nullam te judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum tui honoris discrimen pati debueris. Itaque vos omni vinculo anathematis per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, et per auctoritatem sacrorum canonum remoto, pristinæ dignitati, sedi, gradui, patriarchio, ac pristinis et pontificalibus infulis, atque officiis restituimus, et confirmavimus: ita ut quicunque in omnibus huic decreto non obedisset, vel se a vestra communione separasset, vel ulterius contra vos aliquod judicium absque sedis apostolicæ consensu protulisset: si quidem clericus esset, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus foret alienus; si vero laicus exstitisset ille, qui (quisquis esset) constitutioni nostræ contraire tentasset, et vos sedem et omnem pristinam dignitatem recipere non permisisset, vel si post receptam denuo vos impellere tentasset, vel per sermonem vestrum [*leg.* vobis] aliquam molestiam irrogasset, omni benedictione paterna privaretur, et maledictione Chanam filii Cham, qui verecundiam patris non cooperuit, sed irrisit, mulctaretur, et cum parricidis æterna pœna (Domino judicante) percelleretur, et nexibus anathematis nonnisi resipiscens penitus erueretur. Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post nec dicendam depositionem vestram in exsilio relegati, vel ministerio, aut gradu cessati, ac privati sunt, statuimus, ut exsilio dissoluto proprias ecclesias, atque gradus recipiant: ita ut, si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpsit, et ut ecclesias, vel gradus resumant, impedivit, vel impedierit, quousque obtemperet, anathema sit. De his autem, qui ex horum catalogo forte ab aliis criminarentur, decrevimus eos antea quidem proprias ecclesias, et gradum recipere: non autem nisi ab apostolicæ sedis Romano pontifice judicari. Sed si qua præter regulam egisse forte dicerentur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus, juxta quod sacri præcipiunt canones. Hæ sunt, frater charissime, quæ in superius memorata veneranda synodo una cum fratribus et consacerdotibus nostris diversarum provinciarum occidentalium, secuti antecessorum nostrorum auctoritatem egimus, et statuimus. Quæ idcirco beatitudini vestræ nota facere curavimus, ut scire valeat, quæ nostra sit super negotio vestræ fraternitatis intentio, et nemo possit aliter vobis de his suadere quæ gesta sunt.

Nunc autem hortamur, ut spe, quæ in Deo est, erecti, ne deficiatis in tribulationibus, scientes *quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem spes autem non confundit* (*Rom.* v). Nam et nos licet longe positi, ubi pravitatem persequentium vos agnovimus, fraterna sollicitudine nos urente non modico flagramus incendio, licet inter Ecclesias Dei, quæ in unum Christi thalamum undique referuntur, nihil longe sit, nihil habeatur extraneum. Unde, frater charissime, consolatio vestra ex Deo sit, qui dat semper virtutem confidentibus in eum. Habetis exempla sanctorum, qui olim seminantes in lacrymis, in gaudio messuri sunt in futuro. Non amat Dominus noster servum nisi experimentis probatum; Christianas animas rerum palæstra semper exercet. Nostri nobis bella moverunt (si tamen nostri dicendi sunt), quos ad inimicum transivisse fœdere rupto sentimus. Nulla est tribulatio temporalis, si sit ante oculos præmium sempiternum, cui nihil convenit anteponi. Clamat noster hymnidicus: Si adversus se castra consistant,

(a) Locus corruptus.

spe illuminationis ejus sibi penitus non timendum (*Psal.* XXVI).Rogamus ergo quidquid inimicus intulit, ferre patienter. Indixit injurias, indixit contumelias, indixit exsilia; ille in suis hoc passus est, qui pertulisse pro nobis sputa, flagella,mortemque dignoscitur.Patientiæ vobis,atque constantiæ forma Stephanus primus Christi martyr existat. Sed longum est ire per singulos, qui vitam vel moriendo, vel confitendo mercati sunt. Habetis tamen vos,qui Ecclesia estis expulsi,beatæ recordationis Athanasii Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi sacerdotis exemplum : cui non eonsolationis sit illius tolerantia,cui non spem faciat ejus exspectata[inexspectata] reversio? Ejicitur Ario persequente, sed revocatur Domino prosequente. Passus est carcerem, passus est angustias; nec mirum,si vir apostolicus ea passus est, quibus Apostolus se gloriatur exercitum : fugatus illinc in nostris partibus roboratus est, et in se hac sede requiem communionis invenit,a qua semper catholicis subvenitur. Verumtamen sensit in tribulationibus lassitudinem,qui factus est in persecutione confessor : unde non debetis temporalem vobis illatam dejectionem dolere, quia sicut credimus)Deo non cecidistis.Photium ergo ne timeamus, ne a regione [*forte*,regno]vivorum dejiciamur : illud est nostrum, illud æternum.Nostrum enim non est unde transitur; sed illa vere nostra sunt quæ spes certissima pollicetur.Sunt autem, dicente Apostolo, *quæ oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.*II). Data Idibus Novembris, indictione XV.

CII.

AD THEODORAM AUGUSTAM.

(Anno 866.)

Hortatur Augustam, quam multis laudibus ornat, ad patientiam, et ad collocandum in Deo spem suam. Ostendit se in Ignatii restitutione omnem suam ponere operam.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimæ filiæ THEODORÆ, imperatori quondam terreno, nunc autem spiritualiter cœlesti conjunctæ.

Virtutes vestras, quibus præditæ antecedentium vos Augustarum nulli diebus istis apparuistis secundæ, quibus etiam,et præcipue in causa pietatis, earum nemini estis inferiores inventæ, subtiliter atque sollicite recolentes, Deo cunctipotenti, cujus munere has percepistis, grates immensas referre,et ejus sancto nomini benedicere non cessamus,atque piorum studiorum vestrorum præconia pro imitatione audientium inter fidelium colloquia jugiter enarramus. Tu quippe etiam principe marito tuo contra leges Ecclesiæ sentiente superstite,sana sapere et recta defendere non formidasti.Tu,inquam,in orthodoxa religione perseverans,unicum filium non terreni patris,sed supercœlestis iter aggredi docuisti. Quis autem morum insignia,quis correctionum tuarum facta fortia narrare sufficiat? Cum enim sola principabaris, Domino cooperante, non solum ab hoste visibili, verum etiam nullo mare infirmior Ecclesiam Domini ab hoste invisibili (hoc est ab errore)texisti : et perversorum dogmatum nebulam, tanquam solis radius ab Ecclesiæ facie depulisti. Senserunt in te hæretici virile pectus,et mirantes insuperabile robur, quod femina fueris ambiguum habuerunt. Cur hoc,nisi quia sedis apostolicæ dogmata sequebaris, et Constantinopolitani monita pontificis,cui Romana Ecclesia communicabat, amplectebaris? Sic enim devoti filii paternum venerantur affectum : et in nullo prorsus ingrati circa parentes suos consentiunt inveniri; sed inimici quid agunt? apprehendunt, ejiciunt,et quid plura? omni dehonestati subjiciunt. Sed exempla patientiæ,quibus ista contemnere : et illa, quæ sunt æterni imperii, docearis appetere, o Christianissima filia, satis abundant. Nam legifer Moyses et Aaron sanctus Domini murmur et duras contumelias, atque seditionem patiuntur ab iis,quos velut filios in sinu portabat, et adeo diligebat, ut Domino volenti eos perdere,et facere eum in gentem magnam,diceret : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). Sic beatus Samuel ab his quibuo multa præstiterat beneficia,de principatu propellitur; sic propheta Zacharias ab eo, cui pater suus regnum vindicaverat, et ipse viam salutis ostendebat,lapidibus impetitur.Sed quid per hominum genus diutius immoremur? quando ipse mediator Dei et hominum Dominus noster Jesus Christus ab his,quibus cæcos illuminavit,languidos plurimos pristinæ sanitati restituit, mortuos excitavit, probra, sputa, flagella et mortem crucis sustinuit? Devenimus quippe,heu! in ea quæ beatus apostolus prædixit periculosa tempora Paulus,cum scriberet: *Et in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi* (*II Tim.* III); ubi et interposuit : *Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace.* Imo devenimus in eos lugendos et deplorandos dies, in quibus proh dolor! juxta quod et Dominus in Evangelio dicit : *Tradet frater fratrem in mortem, et insurgent filii in parentes* (*Marc.* XIII). Sed hæc facientes et sævientes hostes quid agunt? dum cupiunt abesse, prosunt, et cum lædere moliuntur, plurimum præstant; privant tyrrannice regno temporali, sed donant (licet nolendo) imperium sempiternum; auferunt terrenam gloriam,sed conferunt cœlestem beatitudinem. Commulatur enim eorum argumentum iniquitatis in artificium æquitatis : et arma perniciei seu tyrannidis versa sunt in instrumenta salutis et pietatis. Quoniam quantumlibet sæviant æmuli, quantumlibet hostes insaniant,*diligentibus* tamen *Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII) : nimirum quia *non est sapientia, non est scientia,non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI).Ergo,charissima filia,confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus,et in adversitatibus unicum Domini solum adite refugium:statuentes etiam

pedes vestros in petra, super quam Dominus principaliter suam construere delegit Ecclesiam : et ab ejus communionis soliditate, sicut nec hactenus, ita quoque usque in finem nullis procellæ alienamini flatibus. Nos vero, qui ejusdem immeriti sumus vicarii, tam circa statum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quamque circa recuperationem fratris et coepiscopi nostri Ignatii, juxta ministerium nobis creditum, segnes inveniri vel desides nullo pacto confidite. Quomodo autem erga vos, vel erga dilectas filias vestras agatur, vel si forte qui cordi est, per præsentes missos nostros, quibus suffragari vos in opportunitatibus petimus, fida mente nobis, et indubitabili conscientia, quæsumus intimate. Data Idibus Novembris, indictione xv.

CII.

AD EUDOXIAM AUGUSTAM.

(Anno 865).

Rogat ut agat partes Ignatii apud imperatorem.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ EUDOXIÆ gloriosæ [*in cod. Vatic. deest* gloriosæ] Augustæ.

Nihil in regia sublimitate justitiæ dilectione decentius, nihil in infirmitate muliebri fortudine mentis honestius. Quid autem laudabilius vel robustius, quam si femina virile pectus induat, et adhuc in causa pietatis virorum studia superet? Qua de re principio litteris alloquentes, hortamur, et vehementissime deprecamur, ut Deum omnipotentem affectu, quo decet, et cultu quo convenit, diligatis : et præcipua sollicitudine circa statum Ecclesiæ ipsius invigiletis: ita ut apud dilectissimum filium nostrum a Deo protectum Michaelem tranquillissimum imperatorem conjugem vestrum summa instantia impetrare procuretis, et femineæ infirmitatis oblitæ viriliter agere studeatis : quatenus invasore Constantinopolitanæ Ecclesiæ, seu mœcho, atque neophyto Photio remoto, fratri et coepiscopo nostro Ignatio eadem ecclesia permissione ipsius, atque favore reddatur ; quoniam contra omnem regulam, et præter omnem ordinem, illa præfatus reverendus antistes dispoliatus, atque privatus est. Verum adeo imperium vestrum pro hac eadem re noverit, præfato a Deo conservando Augusto desiderabilissimo filio nostro missos, et litteras apostolatus nostri competibiles destinasse; quibus vestram quoque pietatem sociantes petimus, ut tantum legationem eorum adjuvetis, et eis in omnibus suffragemini, quantum beatum Petrum apostolum et cœlestis regni clavigerum culmini vestro semper adesse benignum medullitus exoptatis. Non enim frustra nobilitatem vestram Christus Deus noster imperii conjugis vestri fecit consortem, nec posuit vos nisi ut Ecclesiam ejus adjuvetis, erga statum ejus vigiletis, famulis ipsius auxiliemini, mærentes consolemini, oppressos et elisos erigatis, pulsos et exsiliatos revocetis, et cuncta depravata, confusa, inordinata, atque destructa, vigori pristino reformetis : verum etiam, ut tanquam fortis virago et insignis adjutrix viro vestro ad multa intendenti, et innumera disponenti, adjutorium impendatis : et ne inter tot varietates a justitiæ culmine decidat, manum solatii quodammodo porrigatis. Sic Dominus in principio conditionis humanæ protoplasto mulieris adjutorium sibi simile tribuit (*Gen.* I), ne videlicet vir solitarius alterius forte consilio destitutus, facilius ad ima decideret, difficiliusque post casum resurgeret, juxta quod scriptum est : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem* (*Eccle*, IV) : quamvis ipsi dispensationem divinam in contrarium verterint, et concessa liberi arbitrii dignitate, seu ditissima potestate petulanter abusi sint. Porro si vos nunc cooperanti collegæ vestro prospera vel amica Ecclesiæ suggeritis: si, ut mœchum repellat, et legitimum Ecclesiæ Constantinopolitanæ reddat, suadetis, si penes eum, ut ea, quæ in plurimis occupatus pariter, et intentus minus recte patravit, in priorem ordinem reducat obtinetis : quid vos, nisi salutiferum ejus dicemus adjutorium, et laudabile vestrum prædicabimus contubernium? Nam (nobis credite) non minus his temporibus venerabilis Ignatii repulsio, seu temeratoris Photii promotio imperio vestro, quam Evæ suggestio nocuit. At vero si econtra, salubri vestro nomine [*forte*, molimine], seu certamine, quæ callide sunt suasa, vel charissimo filio nostro suggesta, dissolvantur, et quæ nos pro salute communi decrevimus, adimpleantur, profecto in imperii vestri orbe quasi per alteram Evam (id est per obedientem) cuncta quæ destructa sunt, restaurabuntur. Ille namque priscus serpens et antiquus adversarius non cessat Ecclesiam Domini, quæ de utroque sexu componitur, diversis versare machinamentis. Unde et Apostolus ne sensus quorumdam (*a*) corrumperentur a castitate Christi, memor seductionis Evæ valide formidabat. Quamobrem necesse est ut cum forte calcaneo vestro (id est perfectioni bonæ operationis vestræ), per vasa sua, id est per malos operarios tentaverit insidiari, caput ejus protinus conteratis, id est in ipso mox initio pravæ suggestionis deprehensas serpentis, et ministrorum ejus venenosas suasiones quasi conculcantes, ad nihilum redigatis. In calcaneo namque finis est corporis, quo non inconvenienter consummata virtus exprimitur. Has quippe inimicitias posuit Deus inter serpentem et mulierem, videlicet ut ipse coluber ab ea, quam deceperat, non spatio quolibet interposito, sed confestim in ipso virulentæ suggestionis articulo conteratur : nec ei diutinus venena sua spargendi aditus concedatur : quæ velut cancer serpant, et ad cor usque penetrando perveniant. Quæ autem sint, quæ dicimus, præstantissima sapientia vestra (credimus) jam advertit. Nolumus enim vos a quoquam decipi :

(*a*) Id est, *corruerent*. Sed suspicio est deesse aliquid : quod palam fiet ex secundæ ad Corinthios capite undecimo : quem locum vide.

nolumus vos a charitate Christi quibuslibet subverti versutiis: nolumus quorum vis vipereis adversus Ecclesiam Dei commoveri suasionibus, qui magis volumus et optamus, et pium fastigium vestrum enixius imploramus, ut vos in integritate fidei, et in tramite rectitudinis populo Dei, qui est Ecclesia, more sanctæ illius Esther reginæ perseverantes, virum quoque vestrum circa Dei timorem, amoremque succendatis: et erga sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ recuperationem, prudenter inflammetis: quatenus a Photii mœchi, neophyti, ac invasoris, ac per hoc damnati, et anathematizati, communione se muniens, quidquid in fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium molestiæ intulit, et sibi commissam regere permittens Ecclesiam corrigat: salutique suæ, atque imperii sui consulat, et Dominum sibi, suisque B omnibus propitium faciat. Quod vos cum virtute summi regis, in cujus manu corda regum sunt, obtinere posse procul dubio credimus: et excusationem de impossibilitate nullam habere (si voluntas affuerit) omnimodis arbitramur. *Siquidem per mulierem fidelem*, secundum Apostolum, *etiam infidelis vir salvabitur* (*I Cor.* VII). Quando Photius [*leg.* Quando potius, *etc.* dignoscitur?] per fidelissimam feminam vir potuerit salvari, qui, Deo gratias, non solum infidelis non est, absit, verum etiam Christianissimus et religiosissimus esse dignoscitur.

Deponite ergo cunctam muliebrem infirmitatem, et ergo eum, ea, quæ pia sunt, quæ sanctæ Ecclesiæ congruunt, impetrare satagite: nec deficiatis, neque tardetis, ut nostris obediat precibus, nostras exaudiat tanquam spiritalis patris sui petitiones, in- C desinentibus apud eum suggestionibus, atque supplicationibus agere; necnon et quasi virili fortitudine circumcinctæ in constantia continua decertare. Quoniam (ut prætulimus) non vos Dominus frustra imperii conjugis vestri fecit esse consortem, et nisi pro populo ejus legitime laboraveritis, in districto divino judicio districtam procul dubio dabitis rationem. Aggredimini ergo, et induimini fortitudine, et pro statu, ac ordine Ecclesiæ Dei et erectione afflictorum, et oppressorum certamen assumite, imitantes videlicet superius memoratam beatam reginam Esther, quæ pro populo Dei etiam in mortem dedit animam suam, et quousque hunc liberavit [*forte*, liberavit a ruina. HARD.], anima ferias nullas suo certamini tribuit: cui Mardochæus ille laudabilis B patruus ejus (quemadmodum nos nunc vobis) inter cætera ita suggesserat: *Ne putes*, inquiens, *quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis: Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi, et tu et domus patris tui peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tempore tali parareris?* (*Esth.* IV.) Quantum autem piæ imperatrices, quarum vos imitatrices esse volumus, sedi beati principis apostolorum Petri devotæ fuerint: et hanc præ cunctis sedibus honoraverint, qualiterque sublimissimos principes circa reverentiam Romani pontificis inflamma- A verint, ex epistola Gallæ Placidiæ, quam Theodosio Augusto scripsit, potestis agnoscere: quam idcirco solam commemoramus, quoniam epistolarem excedere locutionem vitamus. Ait ergo: Non modicum detrimentum est ex his quæ gesta sunt, ut fides, quæ tantis temporibus regulariter custodita est, a sacratissimo patre nostro Constantino, qui primus in imperio [*leg.* splenduit Christianus nuper, *etc.* HARD.] splenduit, Christianitas nuper turbata sit. Ad arbitrium unius hominis es, qui in synodo Ephesinæ civitatis odium et contentiones potius exercuisse narratur, militum præsentia, et metu appetens Constantinopolitanæ civitatis episcopum Flavianum: eo quod libellum ad apostolicam sedem emiserit, et ad omnes episcopos harum partium per eos, qui directi fuerant in concilio a reverendissimo episcopo Romæ, qui secundum diffinitiones Nicæni concilii consueti sunt interesse, domine sacratissime fili venerabilis imperator. Hac itaque gratia, tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem immaculatam fidei catholicæ religionis salvari præcipiat, ut secundum formam et diffinitionem apostolicæ sedis, quam etiam nos tanquam præcellentem similiter veneramur, in statu sacerdotii ille, remanente per omnia Flaviano, ad concilii et apostolicæ sedis judicium transmittatur; in qua primus ille, qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinavit: quando scilicet decet nos huic maximæ civitati, quæ domina omnium est, tuam in omnibus reverentiam conservare. Diligentius autem etiam in hoc providete, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, sub nobis imminui videatur, et per præsens exemplum similia gerantur [schismata generentur] in episcopos, ac sanctas ecclesias. Videte igitur, charissima filia, qualiter hæc Dei cultrix Augusta, ut priscam fidem servet, satagat: et quod Constantinopolitanus episcopus sæcularium metu fuerit appetitus, doleat: qualiter eum libellum ad sedem apostolicam misisse commemoret; qualiter sedem apostolicam, tanquam præcellentem veneretur: qualiter secundum formam et diffinitionem ejus Flavianus submitti ad judicium sedis ipsius (quemadmodum et nos de Ignatio et Photio statuimus) hortetur: qualiter in sede Romana illum primum qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinasse recolat: qualiter etiam diligenter providendum esse censeat, ne quod priscis temporibus custoditum fuerat, imminui videatur, et per præsens exemplum similia gerantur in episcopos, ac sanctas Ecclesias. Quæ cuncta, filia charissima, diligenter attendentes, et per hujus piæ Augustæ vestigia gradientes, hujusmodi reverentiam, hujusmodi cultum circa sedem beati Petri, et exhibete, et exhiberi a Christianissimo conjuge vestro strenue suadete. Quatenus imperium, quod temporaliter assecutæ estis, cum illis Dei cultricibus, et honorem sancti Petri sedi exhibentibus imperatricibus, percipiatis æternum, et gloriam incorruptibilem eodem intercedente apostolorum eximio, cui vos

in legatis, et in legatione ipsius reverentiam per obedientiam impendere cohortamur, in cœlesti palatio incorruptibilem et immarcessibilem largiente rege regum Domino consequamini. Data Idibus Novembris, indictione xv.

CIV.

AD CLERUM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 866.)

Percenset omnia quæ a die quo Constantinopolim missi sunt Rhadoaldus et Zacharias, fuerunt acta. Item commemorat concilii Romani decreta, repetitque omnia quæ in superiori epistola dicta sunt de promotione Photii, et de Gregorio Syracusano, qui Photium consecravit, et de epistola imperatoris, quam comburi jubet.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis metropolitanis, et episcopis Constantinopolitanæ sedi subjacentibus, atque universo venerabili clero Constantinopolitanorum Ecclesiæ.

Ea quæ nuper apud Constantinopolim gesta sunt hactenusque geruntur, sanctitatem vestram non credimus ignorare ; sed qualiter zelo zelati pro domo Domini, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, more decessorum meorum sollicitudinem omnium Ecclesiarum Dei circumferentes, nos de his egerimus vel disposuerimus, vobis non tam breviter quam veraciter intimamus. Igitur postquam audivimus quod quidam vestrum invidiæ facibus accensi, et superbiæ fastu arroganter elàti, more Judæorum contra pastorem et magistrum suum, fratrem videlicet comministrum nostrum Ignatium, Ecclesiæ præfatæ sanctissimum patriarcham, insurrexerint: quidam vero instar viperarum ac parricidarum parentem proprium, eumdem scilicet beatissimum virum, ferinis dentibus impetierint, et ab Ecclesia ipsa, cui jure præsidebat, tyrannidis suæ cornu penitus removerint, acerrimis doloribus angustiati atque mœroribus vehementibus cruciati, cœpimus qualiter erga eum viscera benignitatis, utpote circa fratrem, ostenderemus, sedula meditatione tractare. Scriptum quippe est : *Qui viderit fratrem necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* (*I Joan.* III.) Maxime cum schisma in jam dicta urbe, et in adjacentibus sibi civitatibus, propter quemdam Photium, ex foro et sæculari militia et habitu atque a palatinis ædibus eductum, ac subito tonsuratum, et in eadem ecclesia contra sacros canones promotum, non modicum audiremus obortum. Aliis videlicet Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc, tanquam inconvicto et superstite Ignatio factam, merito detestantibus.

Sed dum quod hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tanti rumoris certitudinem nosse possemus, incessanter et anxie cogitaremus, ecce repente cum epistola regia quidam episcoporum, quorum unus erat Gangrensium metropolitanus, cum Arsa, viro glorioso spathario, Augustalem ferentes legationem, ad sedem apostolicam pervenerunt, accusationes quasdam in scriptis adversus jam fatum consacerdotem nostrum Ignatium, et in verbis excusationes pro Photio deferentes, et ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent et schismata dissiparent, magnopere postulantes. Quibus rite susceptis, et legationibus injunctæ sibi seu epistolæ delatæ imperialis inspecto tenore, mœstitiam quam prius rumor solus in corde nostro pepererat, casuum evidenter ostensorum certior confestim relatio multiplicavit. (*a*) Quapropter quia, sicut divinitus inspirata sapientia vestra novit, cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices illius per abundantiam cœlestis gratiæ geramus, cui specialiter a Deo dicitur : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI) ; et rursus : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), non potuimus dissimulare aut negligere quominus visitaremus oves dispersas et dissipatas, vel quominus confirmaremus in fide et moribus bonis fratres nostros et proximos.

Et quia inter cætera quæ de schismate jam fatæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hi qui missi fuerant testabantur, maxime eamdem Ecclesiam ab Iconomachis, recidivam contemptionem excitantibus, asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari : idcirco duos episcopos qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet et Zachariam, una cum Ecclesia quæ apud nos est, datis litteris tam ad Augustum quam ad Photium scriptis, Constantinopolim, idem nimirum piaculum exsecrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes nisi ut tantummodo causas Ignatii patriarchæ, qui antea de Ecclesia pulsus quam ab aliquo accusatus exstiterat, diligenter investigarent, et sedi apostolicæ plenis et veracibus referrent indiciis, quemadmodum Job beatissimus edocens : *Causam*, inquit, *quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job* XXIX) : Photii vero consecrationem non solum minime interim admittendam esse credidimus, verum etiam ipsis legatis nostris, ne cum illo nisi quæ cum laico usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac omnimoda jussione præcepimus. Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem (*epist.* 10) : Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque genitricis semper virginis Mariæ, ac sanctorum ipsius imaginibus, quidquid quæstio afferret, juste ac pie diffinire licentiam dantes, quæ cuncta ita esse ut dicimus litteræ nostræ, quas Augustæ mansuetudini necnon et Photio per eosdem missos nostros destinaveramus, si ita sunt apud vos quemadmodum a nobis fuere transmissæ, patenter poterunt indicare. Nam si nos

(*a*) Hic ingens lacinia ex ep. 1 Nicolai.

pro diffinienda controversia fratris nostri Ignatii tunc legatis nostris quidquam præcepimus, vel eum damnationi subjici decrevimus, ut quid nec sententiam diffinitivam suscipere, licet non digne nec legitime decertaverint, attamen quantumcunque et quomodocunque contradixisse, ac ne deponeretur restitisse, probantur; siquidem, ut cætera nunc commemorare differamus, in epistola imperiali didicimus quomodo illi non solum consensum noluerunt ipsius præbere damnationi, verum etiam qualiter ne tantum piaculum committeretur interdixerunt: cui profecto et ipsi minime contradicerent, si ut depositioni ejus interessent, nos sibi mandatum tribuisse recolerent; et charissimus filius noster pius Augustus, nisi illos præter jussionem nostram egisse claresceret, eos et nobis commendare et super hujuscemodi noxa transgressionis excusare nullo modo studeret. Jam vero si dicitis quamobrem illos deposuerimus, cum eos in damnatione sæpe fati patriarchæ consentire noluisse tam sciatis manifeste, respondemus quia nihil illis bonum profuit inchoasse et in bonitate minime perdurasse, quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Quid enim proderit alicui pro veritate primum quidem impetum dare, et post paululum aut suasionibus, aut terroribus, aut aliquolibet vitio a veritatis tramite declinare? Porro si Vitalis et Misenus a beato Felice papa honore pariter et communione privati sunt, qui olim ad talia, quemadmodum isti nunc, vel impulsi vel dilapsi sunt; quanto potius isti pari debent ultioni succumbere, qui parem quidem prævaricationem, sed non pares, imo Constantinopoli nullas pœnas, sicut illi quondam perpessi sunt? Porro si nos ideo missos nostros destinassemus, ut vice nostra Ignatii essent negotii judices, quemadmodum imperatoria perhibebat epistola per Leonem a secretis missa, quæ latrocinale illud concilium, in quo Ignatius deponi putatus est, judicium nostrum fuisse non veraciter asserebat: profecto ante totius litis motionem atque omnis initium controversiæ, sedem ei propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat; atque per ecclesiasticum canonem resumeret quod illi potentia sæcularis ademerat, quatenus sic deinde sede propria necnon et omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis, vestitus jam et armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum et litigii conflictum posset arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus fieri censeatur, multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur debuit prævideri.

Præterea quando præfatos missos a nobis direximus, epistolam quam eis mansuetissimo imperatori, sicut prætulimus, dandam tribuimus, in tribus voluminibus, uno eodemque tenore ac eisdem syllabis scribi præcepimus. Et unum quidem ex hic apud nos pro futuro testimonio retinuimus, suspecti videlicet jam de fraudanda epistola, quod postea probavimus. Aliud vero, ut præmissum est, jam memorato pio Augusto eis dedimus offerendum. Porro tertium eisdem legatis nostris præbuimus, injungentes ut hoc sibi ad instructionem suam tanquam speculum præ oculis jugiter habitum reservarent, et cum Constantinopoli conventus fieret sacerdotum, in quo a legatis nostris comminister noster Ignatius fuerat audiendus, si præfatus Augustus nollet ibidem sibi missum recitari epistolæ nostræ volumen, ipsi hoc quod illis apud se retinendum dederamus, quodque unius formæ per omnia cum cæteris duobus quorum jam mentionem fecimus, erat, in ipso conventu legerent et ad notitiam omnium vestrum quomodocunque perferrent. At illi pervenientes Constantinopolim, minis imperatoriæ potestatis, sicut ipsi postea fatebantur, deterriti, spretis monitis nostris, ac epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo postposito timore Dei, sicuti postea claruit, in contrarium vertere omnia quæ sibi fuerant imperata. Denique et cum Photio adultero, Ecclesiæ invasore atque neophyto, quod sibi multipliciter prohibitum fuerat, inter sacrosancta mysteria communicaverunt, et Ignatium virum senem et sanctum, ac per duodecim annos innocenter Ecclesiam Dei regentem, et nobiscum et vobiscum atque cum universali et orthodoxa Ecclesia communicantem, Constantinopolitanorum factioni perniciosissime concinentes, damnaverunt, et sacerdotalibus infulis exspoliatum ab Ecclesiæ regimine modis omnibus expulerunt. Quem non ita justificamus, ut nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus, pro quo fortasse merito poterat, legitima discussione facta, quodlibet canonicæ jaculum pati sententiæ, cum scriptum in apostolicis litteris confiteamur, dicentes: *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III); et rursus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Sed ita volumus et ita decernimus istiusmodi pontificem digna pro factis recipere, ut sacerdotale decus penitus non vilescat, nec tam facile pontificalis apex terra tenus incurvetur. Ita, inquam, volumus, et ita decernimus hunc, imo quemcunque pontificem, justæ subdi sententiæ, ut non a sæcularibus quibuscunque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam Ecclesia sua privetur, non ab inferioribus sed a majoris auctoritatis persona recti calculi sententiam consequatur.

Ita denique volumus et ita decernimus istius, imo vero cunctorum sacerdotum causas examinare culpasve punire, ut paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur atque munitur, quoquomodo violemus.

Ad extremum ita volumus et ita decernimus pontificem, qualiscunque sit, judicari, ut Ecclesiæ cui præest jura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit Ecclesiæ jus dignum servari, si præsul ejus a quibuslibet vel quandolibet, et quomodolibet impetatur, et pro libito cujusque tanta facilitate pellatur. Quæ cum ita

sit, non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscunque sit, non inter sanctissimos et beatissimos patriarchas connumerare; qui licet apud vos si tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus, attamen non nisi qualis a decessoribus meis est habitus, creditus et veneratus, habetur, creditur et veneratur, nullo quippe nostro examine alicujus criminis reus, nullo est nostro speciali judicio repertus obnoxius, ac per hoc nulla est nostra sententia condemnandus, aut a nostris Ecclesiæque nostræ communione collegii sequestrandus, aut aliquibus nisi honorabilibus vocabulis appellandus; sed ad narrationis ordinem redeamus. Missi præterea nostri, tandem reversi, nihil aliud renuntiavere nisi depositum Ignatium et Photium in sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies legatus a nobis imperialis nomine Leo a secretis susceptus, duo volumina obtulit, quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem de sanctis habebat imaginibus acta; per quæ videlicet cognovimus quia nec imperator epistolam nostram, qua fratrem et coepiscopum nostrum ad solam audientiam ante conspectum missorum nostrorum accersiri decreveramus, in depositione ipsius consacerdotis nostri, quæ prius, sicut putatur, facta est, ostendit : nec iidem missi nostri parilem, ejus ac per omnia consimilem, quam eis in episcoporum conventu recitare jusseramus, demonstrare curaverunt. Sed nec, quantum in eisdem voluminibus in Latinum sermonem ex Græco translatis reperitur, ordo legitimus, et a sanctis Patribus usitatus in lectione ipsius epistolæ exstitit observatus. Quamvis et in his quæ in conventu qui posterius pro sacris imaginibus collectus est, ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, et per omnia talis effecta sit ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videremur. Quidquid enim de ipsius recessu vel præjudicio, quidquid de sententia non a Romano pontifice secundum morem in eum prolata, quidquid de violatis paternis diffinitionibus, quidquid de Photii scripseramus irregulari promotione, saltu quodam calliditatis trancendentibus [*f.* transcendentes], etiam sanctorum Patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad concilii pervenirent notitiam, more suo falsidici transcenderunt, et cum divinitus attributa talenta fuerint, velut in quodam silentii sudario ligata sub terra penitus absconderunt, Quo comperto, moleste tulimus, et quid sine missis nostris actum fuerit confestim intelleximus, qui talia [*f.*, qui qualia] cum missis nostris perpetrata fuissent, patenter agnovimus. Aut enim justa fuerunt quæ misimus, sicque consequenter oportuit ea servari, aut si justa putata non sunt, in quo justa non fuerint per aliud saltem scriptum exponi, et nobis referri, et summa ratione debuerunt patenter ostendi. In nullo tamen oportuit ea vel Ecclesiæ quæ apud vos est cognitione privari, vel aliqua falsitatis depravatione fraudari. Detulit præterea idem Leo

A imperialis legatus augustales litteras, deprecantes quatenus et in depositione Ignatii et in confirmatione Photii consensum præberemus et subscriberemus. At nos, divina docente gratia, dum idem adesset missus, convocata tota quæ apud nos est Ecclesia, decrevimus, et statuimus, atque professi sumus coram ipso et coram eadem sancta Ecclesia, sicuti et [*edit. Rom.*, est] nunc per eamdem ac per vos profitemur coram universali sancta Christi Ecclesia, pro dejectione Ignatii vel consecratione Photii nunquam misisse, nunquam missuros esse, et in depositione Ignatii et promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Ex his sæpius dictis et palam annuntiatis, atque in apostolatus nostri epistolis taliter insertis, et eidem Leoni a B secretis tam imperatori quam Photio ad defendendum datis, hunc a nobis remisimus.

Igitur cum hæc gerebantur, nondum Rhadoaldus et Zacharias episcopi, quos, ut præmissum est, Constantinopolim miseramus, confessione propria vel synodali examine convicti erant, aut patenter ostensi quod ipsi deposuissent Ignatium, vel communicassent adultero Photio : quamvis hoc et illa concilia, quæ imminentibus illis Constantinopoli celebrata sunt, videlicet tam id quod adversus patriarcham Ignatium, quam id quod pro sacris imaginibus collectum est, patenter innuerint, et imperialis epistola clare denuntiaverit, atque præfatus Leo a secretis regius, his negantibus, in facie sæpissime atque constantissime coram nobis et primoribus Ecclesiæ nostræ jam dixerit. Sed procedente tempore, murmur multorum C ab aliis [illis] partibus Romam venientium, quinimo persecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, sensim eosdem cœpit episcopos muneribus fuisse corruptos diffamare, et quod communicassent Photio, et deposuissent Ignatium, divulgare. Quo audito, nimio mœrore repleti, qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina dignatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sinistram procul faceremus suspicionem, videlicet ne in hanc saltem tenuis subsannandi oriretur occasio, cogitare cœpimus et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum Occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, et collecta sancta synodo in Ecclesia Dei in qua beatus Petrus apostolorum princeps corpore redolet et virD tutibus emicat, deinde propter frigidiorem locum in ecclesia Salvatoris quæ ab auctore appellatur Constantiniana et quæ prima in toto terrarum orbe constructa est; ibique recitatis omnibus scripturis de Græco sermone in Latinum conversis, tam videlicet nefanda synodo quæ per jam fatum Leonem a secretis apostolicæ sedi delata est, quam etiam imperiali epistola : in quibus omnibus existimata depositio Ignatii continebatur, et deductus in medium Zacharias tunc episcopus, quia Rhadoaldus propter absentiam haberi ad præsens non poterat, et discussus et diligenter examinatus, inventus est in depositione Ignatii et communione Photii omnino culpa-

bilis, in quo idem Zacharias se obnoxium recognoscens, proprio ore ac proprio scripto se Constantinopolim a sede apostolica directum iisse, et quæ sibi a nobis agenda fuerant injuncta neglexisse, ac quæ sibi fuerant prohibita peregisse confessus est : Ignatium scilicet sine jussione apostolicæ sedis deponendo, et Photio contra nostri apostolatus præceptionem communicando. Tunc decernente sancta nobiscum synodo, depositionis et excommunicationis suæ sententiam præfatus Zacharias accipiens, foveam quam aliis præparavit incidit.

Alterius, id est Rhadoaldi, examinatione propter absentiam usque ad aliam synodum protelata, ad quam canonice sæpe invitatus, qui occurrit depositionis et excommunicationis sententiam, quam complex ejus promeruit : insuper, et anathematis, si cum Photio de cætero communicasset, obligamentum merito non evasit. Dignum quippe fuit ut par iniquitas par gigneret utrique judicium, et æqualitas esset in retributione quibus parilitas exstitit in transgressione. Nam quia idem Rhadoaldus objecta non diluit, vera esse quæ de illo dicebantur, etiamsi alia nulla constarent indicia, examen subterfugiens omnino firmavit. Et idcirco jure illi non profuit absentia, quam ipse non casu accedente, sed voluntate propria ministrante, quemadmodum Nestorius quondam, et Dioscorus, sibi procurasse probatum est. Nam, ut sanctus papa Bonifacius in decretali sua docet (*epist.* 1, *ad episcopos Galliæ*), manifestum est confiteri eum de crimine, qui, indulto et toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsam quoque pro confessione procuratam toties constet absentiam.

Hinc etiam egregius sedis apostolicæ præsul et magnus Ecclesiæ propugnator scribit Hormisda (*epist.* 2, *ad episcopos Galliæ*) : Sali, inquiens, declinant examen conscientiæ, quæ jussa sunt non tenentes. Sed ut quid multa prosequamur, cum juxta quod Dominus dicit ; ***Judicio, quo judicaverunt, jupicatum sit eis*; *et in qua mensura mensi sunt, remensum sit eis*** (*Matth.* II). Contigit enim illis quemadmodum Vitali quondam et Miseno episcopis, qui sicut isti Constantinopolim missi, eorum pro quibus destinati sunt, adversæ parti communicando, non exsecutores, sed impugnatores inventi sunt. De quibus beatus Felix apostolicæ sedis antistes, et Alexandrini Petri seu Constantinopolitani Acacii præsulum damnator, imperatori Zenoni scribens, inter cætera (*in ep.* 9, *ad Zenonem imp.*) : Vitalem, ait, atque Misenum, cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul et communione apostolica censura privavit, quoniam factum est, sicut ipse Cyrillo abbati Acymetensi [*al.*, Acrinctensi, *forte* Acœmetensi] scribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus Christianus : qui rursus de eis mentionem faciens, ad jam fatum principem de eorum transgressione dicit : Plebi suasum est Christianæ nos talibus præbuisse consensum. Quos mox [*F.* quos mox ubi, HARD.] regressi sunt, prævaricatio impune non habuit. Nam eos apud beatum Petrum apostolum sancta mecum synodus residens, dum convicti plura mentirentur, ordine et communione nudavit, ne eorum incorrecta perfidia securitas proveniret inimicis. Porro quæ in superius memorata venerabili et sancta synodo unanimiter ac consonanter de Photio usurpatore ac invasore Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque fautoribus ejus, seu de fratre ac consacerdote nostro Ignatio patriarcha, vel de his qui ex parte ipsius sunt, necnon et de sacris imaginibus canonice, rationabiliter catholiceque statuerimus et promulgaverimus, subter annexis capitulis declaratur.

I.

Photii damnatio.

Photius qui ex schismaticorum et se a sanctæ communionis participatione avertentium parte esse dignoscitur, et ex sæculari ministratione atque militia et ex foro subito tonsuratus, a Gregorio Syracusano dudum episcopo, a synodo damnato et ab apostolica sede convicto, episcopus ordinatus est, et vivente ac superstite consacerdote nostro Ignatio, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha, sedem ipsius invasit, et in sponsam quam a Christo sponso immaculatam custodiendam veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis atque latronis ingrediens, ac si violentus, rapax et scelestus adulter, irrupit. Deinde cum damnatis et anathematizatis, atque cum his qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent, a decessore meo sanctæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans et conversans contra fidem promissam, contraque suam professionem, qua pollicitus est se adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse facturum, congregavit concilium, et una cum sequacibus suis depositis et damnatis, excommunicatis et anathematizatis, et aliis sine sedibus, atque cum his a quibus vel ille irregulariter et illicite provectus fuerat, vel quos ipse temere ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem et comministrum nostrum Ignatium depositionem facere et anathema dicere ausus est. Deinde apostolicæ sedis missos, quos, pro causa sacrarum imaginum, et pro inquirenda et nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, et ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti destinaveramus, quibus potuit argumentis a nostris mandatis avertere more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ (*Ut in ep.* 6 *Felicis P.*, *ad Acacium C P.*), præsumpsit, et ad processionem quæ et cum comparibus suis habebatur, sicuti eorum professione patefactum est, et sancto Spiritu revelante venerandæ synodo quæ a nobis collecta est ; claruit, ad damnatorum et schismaticorum communionem contempta legatione, quæ vel gentilium more servari debuit, pertraxit, et in illusionem [*in ep. Felicis*, læsionem] beati Petri apostoli, a cujus sede profecti fuerant, non solum inefficaces redire fecit, sed etiam impu-

gnatores omnium quæ fuerant mandata monstravit. Postremo episcopos qui ei tanquam adultero et pervasori communicare noluerunt, exsilio relegavit, et sui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuit. Et usque hodie Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinit, ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis et horribilibus tormentis afficere non quiescat. Sed et omnes quotquot pro veritate et fide cum eodem persistere comprehenderit quibus prævalet modis perdere imprætermisse moliatur.

Hæc [*f.*, Per hæc, HATD.] et his similia contra evangelica, apostolica, prophetica atque canonica instituta se efferens, sit Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli, ac omnium simul sanctorum atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus sancti per nos judicio, omni sacerdotali honore et nomine alienus, et omni clericatus officio prorsus exutus ; ita ut si post notitiam hujus sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus cum unanimitate et concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentaverit in Constantinopolitano throno præsidere, aut sæpe fatum venerabilem coepiscopum nostrum Ignatium, quominus Ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit, impedierit, vel si ulterius ausus fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere ; juxta præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus, una cum communicatoribus suis atque fautoribus suis perpetuo Dei per nostram mediocritatem judicio ac sententia sacrum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, non nisi vicino mortis periculo, omnino percipiat : ut hæc unusquisque dicens, nequaquam de cætero temeraria præsumptione ex laicis subito in Dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante ducatum præstare velit, quam tironis consummet officium, et ante tentet docere quam discere, sicut in eadem Constantinopolitana Ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est, quippe ab ipsis, ut ita dixerimus, incunabulis imprætermisso labore in Ecclesia Christi desudant, et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is qui de foris est, alterius ovilis Christi repente principatum arripiat, et nitatur quos esse suos non recgnoscit, discerpere ; et grex Dominicus incipiat eum, utpote extraneum et improvisum, omnino contemnere, præsertim cum perspiciat nil sibi stipendia profuisse meritorum, et alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

II.

Gregorii episcopi Syracusani iterata damnatio.

Gregorium sane, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter atque Deo contempto præest, eo quod et ipse ex parte schismaticorum sit, et postquam a synodo episcopatus officio privatus, et a decessore meo sanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus est, et Photium laicum subito consecrare in episcopum non formidavit, et de sacro ministerio ausus est multa contingere : juxta præcedentem consuetudinem sancimus, et juxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus atque statuimus omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio, ita ut nullo modo liceat ei in qualibet synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Sed et si contra fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema sit, et omnes communicantes ei ab Ecclesia abjiciantur ; sed et ipsi anathema sint.

III.

Eorum privatio quos Photius ordinaverat.

Eos vero quos Photius neophytus et Constantinopolitanæ sedis invasor in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicasse, omni clericali officio privamus, et apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto eos penitus sequestramus.

IV.

Restitutio Ignatii

Reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium, sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore proprio throno privatus est, et postea a Photio adultero prævaricatore ac pervasore sedis Constantinopolitanæ, et ab ejus complicibus excommunicatis videlicet et anathematizatis atque damnatis, et sine episcopalibus sedibus, et a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa obligatis hominibus anathematizatus est : et postremo ab apostolicæ sedis missis contra nostram præceptionem, ut sanctæ synodo Spiritus sanctus revelavit, et Zacharias dudum episcopus, qui unus de eisdem duobus legatis exstitit, propria confessione manifestavit, infulis est sacerdotalibus despoliatus : auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgamus, sancimus atque decernimus unquam nec fuisse nec esse depositum vel anathematizatum, tanquam qui ab imperiali potentia sit absque ulla canonica auctoritate pulsus Ecclesia, et tanquam qui ab obligatis nullo possit haberi vinculo colligatus, et ab eis qui nullam cum judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum sui honoris discrimen pati debuerit. Et ideo illum, id est eumdem fratrem et consacerdotem nostrum Ignatium patriarcham, omni vinculo anathematis ab eo remoto, per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, et per auctoritatem sacrorum canonum et decretalium constitutionem more sanctorum Patrum prolatorum, pristino honori, pristinæ dignitati et sedi pristinæ, gradui ac patriarchio, ac pri-

stinis pontificalibus infulis atque officiis restituimus, statuimus ac confirmamus; ita ut quicunque post notitiam hujus apostolicæ atque synodicæ sanctionis, quominus omnia quæ præmisimus insignia pontificatus recipiat, eum impedierit, et non in omnibus huic decreto obedierit, vel se ab ejus communione separaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, absque sedis duntaxat apostolicæ præmisso consensu; si quidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus sit alienus, atque perenni pœna, tanquam qui magistrum prodit, cum Juda traditore constringatur, et nisi a prava intentione recesserit, perpetuo anathemate maneat condemnatus: si vero laicus exstiterit, ille quisquis est, huic nostræ constitutioni contraire tentans, et eum sedem et omnem pristinam duntaxat dignitatem recipere non permiserit; vel si post receptam priorem sedem, denuo illum impellere et a patriarchio expellere tentaverit, vel personæ ipsius seu sacerdotali honori aliquam molestiam sine primæ hujus sedis consensu intulerit, omni benedictione paterna privetur, et maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris videns non cooperuit, sed irrisit, mulctetur, et cum parricidis æterna pœna, Domino judicante, percellatur, et nexibus anathematis, non nisi resipiens, penitus eruatur.

V.

Restituuntur episcopi a Photio relegati.

Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post injustam dejectionem fratris, et coepiscopi nostri Ignatii, vel in exsilio relegati, vel ministerio, aut gradu invidiose privati sunt, statuimus, ut exsilio dissoluto proprias sedes atque gradus recipiant. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, et ut sedes vel gradus resumant, impedierit, quousque obtemperaverit, anathema sit. Sane si qui ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea sedes quidem et proprios gradus recipere; judicari autem nisi a sede Romana non patimur: sed si qua præter regulam forte egisse dicuntur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus: juxta quod et sacri præcipiunt canones.

VI.

De sacris imaginibus.

Quoniam oportet nos majorum nostrorum statuta, immoto mentis intuitu conservare, et in omnibus sanctorum Patrum semper dogmata venerari; diffinimus de sacris et reverendis imaginibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque semper Virginis genitricis Mariæ, et omnium sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quæ Ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules pro eis decreverunt, ac statuerunt illibata persistere, atque intemerata manere. Quapropter Joannem quondam Constantinopolitanum antistitem, et sequaces ipsius, qui eas frangendas atque calcandas esse ore polluto asseverant, A quam diu de his nobiscum non senserint, et juxta sanctorum pontificum Romanorum decreta, et aliorum catholicorum Patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo, et ab Ecclesia catholica atque apostolica esse anathema. Hæc sunt, quæ de his sedes apostolica statuit: hæc sunt, quæ synodice regulariterque decrevit: hæc sunt, quæ vos tanto studiosius oportet amplecti, tanto sollicitius observare, quanto satius nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc universalem semper Ecclesiam tenuisse, ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior hæc secundum primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit. Et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quan- B doque probaverit, et quæ illa refutavit, ipsa refutaverit. Verum vos quomodocunque obedieritis, vel non obedieritis divinis institutis, vel paternis canonibus; nos tamen in Ignatii fratris et coepiscopi nostri quocunque discrimine, priusquam a nobis specialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus consensimus, aliquando. Deo nos confirmante, nullo modo consentiemus. Sed nec in Photii sacerdotali provectui præstando favore, vota condescensionis nostræ modo quolibet inclinabimus, sed omnibus viribus nostris, atque conatibus pro coactæ justitiæ provectione, pro restaurando videlicet legitimo et repellendo mœcho (quandiu vivam) occurrere; et quod nostrum est agere, nullatenus actore Deo cessabimus, et nunc obsecrando, nunc hortando, nunc increpando, nunc etiam regu- C lariter admonendo: insuper et auctoritate apostolica eos, qui contumaces sunt, feriendo, nunc verbis, nunc litteris, quod rectum et justum, atque inchoatum est, die ac nocte cum virtute summi opificis consummare studebimus (*a*) Ergo fraternitas vestra litterarum saltem nunc tenore cognoscat, sedem beati Petri apostoli, neophyto, et mœcho, et Constantinopolitanorum Ecclesiæ invasori Photio olim, justeque damnato, ac nihilominus præsentia synodali nuper eliso, vel fautoribus ejus, nisi a prævaricatione cessaverint, communionis nunquam præbituram esse consensum. Qui (ut cætera nunc omittamus) a Gregorio Syracusano, vel cæteris schismaticis instructus, imo destructus, contra omne fas nulli præsidere potest Ecclesiæ. Nam merito destructus esse D creditur, qui a destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, et dejectus dejicere non potuit, sit destructus construere et elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe status sui oportet eum vigore consistere, et firmis inniti per omnia basibus qui alterum, vel

(*a*) Ingens hic lacinia, qualis in ep. ejusdem Nicolai.

prosternere, vel conatur statuere. Gregorius ergo, qui canonice, ac synodice depositus, et anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitnr nihil Photius ex Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit: per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem et invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum levare manus. Cæterum Gregorius, qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui magis, quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiamsi is, qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes. Hinc enim scriptum est: *Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXI): si exsecrabilis, utique non audibilis: si non audibilis, ergo inefficax: si inefficax, profecto Photio nihil præstans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur.

Porro si prætendit injuste ab Ignatio fuisse depositum, quid de omnibus, qui in synodo illo tempore convenerunt, sententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod si et illos injuste fecisse dicere præsumit, quare cum eis nunc communicat, et quosdam eorum sacerdotio dignos existimat? quos tamen recte prius non judicasse reprehendit, et sententiæ, quam protulerunt, eos secundum se debere succumbere, non nescit? Sed videamus quorum judicio, vel quorum auctoritate Gregorius post depositionem et anathema, honorem episcopatus resumpsit, vel officium pristinum recepit. Omnes enim illum et depositum norunt, et anathematis vinculis obligatum, ac per hoc totius Ecclesiæ communione privatum. Jam vero si dixeritis quia ipse sibi Gregorius et honorem resumpsit, et pristinum officium recepit; audite quid Apostolus dicat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret* (*Hebr.* V). Sed et venerabiles Antiocheni canones præcipiunt (*cap.* 4): Si quis eqiscopus damnatus a synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint de sacro ministerio contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed et communicantes omnes abjici de Ecclesia, et maxime si postquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint. Carthaginenses quoque regulæ excommunicatum, qui ante audientiam communicare præsumpserit, ipsum in se damnationem protulisse manifeste denuntiant. Si ergo, secundum Apostolum, *nemo sibi honorem accipit, et Christus non se clarificavit ut pontifex fieret*, qui omnes cum Patre et Spiritu sancto glorificantes se glorificat, et ipse est pontifex, de quo rursus idem dicit Apostolus: *Talem decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus*, etc. (*Hebr.* VII.) Et si episcopus qui damnatus a synodo est juxta sacros canones, ausus fuerit aliquid de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, et ante audientiam communicare, ipse in se damnationem protulit, ita ut nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis; sed et communicantes ei omnes abjici de Ecclesia: quanta putas Gregorius pœna mulctandus est, qui post damnationem sive anathema, hæc omnia commisisse probatur, id est et super Christum se extulit, et quod ipse non fecit, iste et honorem sibi resumpsit: ut et pontifex esset, se arrogantissime clarificavit, et ante audientiam excommunicatus communicare et vetita usurpare præsumpsit, et damnatus de sacro ministerio, non solum aliquid, verum etiam multa, juxta priorem consuetudinem tetigit: quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamsi nulla commissa existerent, pro quibus damnari potuissent. Quia prælati judicium semper inferioribus formidandum est, si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injuste ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est inobedientia, mereantur. Igitur prælatos damnare indifferenter oportet horrescere. Quicunque vero minores sunt, damnari sollicite caveant, nec majorum suorum sententiam transgrediantur: Alioquin licet injuste nonnunquam damnati sunt, ex ipsa temeraria prævaricatione, culpa quæ nondum forte perpetrata fuerat, et ultio quam culpa necdum merebatur, proculdubio subsequentur. Nihil quippe lignum vetitum in se mortiferum habuit; sed qui inobedienter ex eo comedit, mortem sibi et posteris propinavit: non quia lignum malum, cum Deus, quod fecit, totum fecerit bonum; sed quod mala sit transgressio, et nolentis subjici, per eam merito sit orta damnatio. Porro si dicitis Gregorium ab imperatore, et ab antistitibus fuisse receptum, percontari libet, o sapientissimi fratres, quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite potest, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur. Id etiam veneranda universali synodo Nicæna de utraque professione luce clarius inhibente (*cap.* 8). Nam a sæculari potestate nec ligari, nec solvi sacerdotem posse manifestum est: et idcirco affatim approbatur Syracusanum Gregorium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo valuisse reconciliari: ubi si pontificum quoque sociatur assensus, quærimus utrum præcesserit, an fuerit subsecutus: si subsecutus est, nihilominus ad id reditur, ut absolutio a sæculari potestate percepta valere non possit; pontificumque secutus assensus adulationis, vel terroris fuerit potius, quam legitimæ sanctionis; si præcessit, doceatur a quibus et ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione deprómptus, si ad majoris auctoritatis sedem, quam illa est, a qua Gregorius damnatione tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulam est relatum, si ipse præsul, qui ligavit,

absolvit. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Syracusanus Gregorius se gloriatur absolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nec a mundana potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Jam vero si dicitis : Non imperator absolvit, sed a pontificibus ut solveretur postulavit. Econtra, illi multo magis ab Augusto postulare debuerunt, ut si eum vellet absolvi, legitima ecclesiastici tenoris absolutio proveniret, et hæc omnia, quæ superius dicta sunt, secundum Ecclesiæ tramitem servarentur, præcipue cum non ab inferiori, vel pari, sed a majori persona, et sicut ex apostolicis canonibus edocemur, solum ab eo, qui eum sequestravit, aut certe a prima sede, jure possit absolvi. Inferior quippe, vel compar antelatum, vel comparem, non annuente majori, absolvere non potest : sola igitur potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos, quos potior suus obligaverat, sine prima sede absolvere non potuerunt. Verumtamen licet contra Nicænos sacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint : nunquam tamen eum a vinculo damnationis et anathematis exuerunt. Quem absolutione prævaricatoria potius nexuerunt, et dum hunc solvere nisi sunt, nodis majoribus dediderunt. Quinimo dum sententiam majoris contemnentes transgressi sunt, vel etiam suam tergiversatori consilio, lenique sensu sibimet facti contrarii destruere sunt moliti pari prævaricatione habentur innexi, et simili pœna, secundum apostolicos et nonnullos alios canones tenentur obstricti : ita ut communicantes ei, pelli de ecclesia jubeantur. Ac per hoc reus reum justificare constat minime potuisse, nec ligatos ligatum solvere modo quolibet valuisse. Ecce a quibus, o beatissimi Christi ministri, Photius est institutus : ecce qualis est Gregorius qui Dormitantius convenientius poterat dici.

Quamobrem cogitate, fratres charissimi, tractate, et vobiscum sedula meditatione perquirite, si stare Photius possit, etiamsi miris virtutibus polleat, etiamsi omni scientia fulgeat, quando qui hunc statuisse tentavit, dudum jam cecidit, et volens erigi cum conantibus se erigere nunquam recuperaturus denuo ruit. Consideret ergo vestra divinitus inspirata prudentia quomodo Photius, etiamsi nihil aliud sibi jure valeat impedire, queat in sacerdotali gradu persistere : quandoquidem institutor suus cum hic ordinaretur, non solum sacerdotio, verum et ipso carebat Christiano vocabulo. Et sicut etiam exposuimus, nec damnatus justificare, nec depositus erigere, nec ligatus potest quemquam per impositionem manus provehere. Impossibile est enim horum aliquid fieri. Quapropter attendite, charissime, non solum hæc, verum etiam paternos canones et præcipue apostolorum, Antiochenos, atque Carthaginenses, et quid de damnatis et excommunicatis, atque de his præcipiant, qui merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, diligentissime considerate, ac studiose recolite : nam nos quod decrevimus, quod statuimus de his, quos recepimus et ereximus, vel de his, quos abjecimus et a sacerdotio vel, communione pepulimus, vestræ in Christo fraternitati notum facere canonice procuravimus ; juxta quod et magni venerandique Nicæni concilii regulis admonetur (*cap.* 10), quatenus de his, qui communione quandoque privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine episcopis, per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. Ergo nos quod debuimus fecimus ; ea videlicet vos scire volentes, quæ, Deo teste, non nisi zelo rectitudinis egimus, et affectu conservandæ paternæ constitutionis exsecuti sumus : vestrum autem est obedire : alioquin eamdem cum eis sententiam jure meritoque subire, Antiochenis canonibus secundo capitulo præcipientibus ta : Si quis de episcopis, aut presbyteris, aut diaconis seu quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste communione privetur, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ. Et rursus capitulo quarto, quod etiam superius commemoravimus: quid idem dicat antiquitus acceptum, concilium, studiose recolite. Cavete ergo, dilectissimi ne cum his commisceamini, qui sanctis fuerunt inobedientes institutionibus, ne par sententia involvat, quos uno communionis glutino invenerint irretitos.

Videte præterea quia de ignorantia nullum jam potestis excusationis habere præsidium, qui et canonum, Deo inspirante, memores, et nostris edocti jam nunc estis epistolis. Nolite communicare itaque peccatis alienis, nolite nobis inobedientes esse, quoniam inobedientia protoplastum de paradiso expulit. Inobedientia, idololatria merito nuncupatur, sicut sanctus Samuel ad Saulem loquitur, dicens : *Quasi peccatum hariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Perpendite ergo quantum sit exsecrabile repugnare, quantum detestandum acquiescere nolle quod hariolandi peccato, scelerique idololatriæ comparatur, Clamat apostolorum princeps : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* IV) : et coapostolus ejus Paulus : *Qui resistit*, inquit, *potestati Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII). Judicate ergo cui potius obediendum sit, Deo an hominibus : Judicate cui potius resistendum sit, potestati, quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque super cuncta Ecclesia extulit, an ordinationi Gregorii Syracusani, cui merito malitiæ suæ dicendum est : Væ homini, videlicet per quem in Ecclesia Christi tot scandala venerunt ; quique olim, sicut ipsi scitis, et nos supra retulimus, a fratre et comministro Ignatio et a synodo, quæ sub eo erat, depositus est, et ut apostolica sedes in ejus damnatione consentiret, ab ipso consacerdote nostro postulata est. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo et Benedictus sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent : unius quippe mediator non est. Quam-

obrem interim depositio ipsius a sede apostolica non suscepta remansit infirma. Cum per idem Gregorius per legatum suæ partis Zachariam nomine sedem agnovisset apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem nostrum sævientibus contumeliis conquievit, sed benignitate Dei, et patientia sedis apostolicæ in superbiam abutens, in ipsum videlicet Ignatium patriarcham suum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit, et eo superstite neophytum in Constantinopolitana Ecclesia consecravit : quin potius et adversus sedis istius decreta contumax esse non destitit, qui pro se, non contra se, ipsius ab ea decreta paulo ante data tanquam ingratus non recolit, et velut tergiversator arma præparat adversus arma sibi tutelam salutis non modice conferentia et murum destruere nititur, qui ne ipse destrueretur, fortissime custodivit. Et agit nunc quantum in se est, ut ea statuta prorsus habeantur invalida : quæ, cum his ipse egeret, supplex petebat : et ut fortiora essent adamante submissus optabat, atque ut sibi auxiliarentur humiliter implorabat, necnon et contra ea repugnantes, forsitan tyrannos et sacrilegos judicabat : nisi enim sedes apostolica ei parceret, ille quomodo contra reverendissimum Ignatium posset exercere brachium, non haberet. At ille usus est sedis apostolicæ bonitate in malignitatem [*al.*, malignitate], et beneficium in patris sui convertit exitium.

Dicite igitur, obsecro, fratres, cum ita sit, quomodo non debeamus nos Ignatium adjuvare, aut usque ad audientiam (quantum in nobis est) indemnem non penitus conservare? vel quomodo non possimus Gregorium, et hos qui ex parte ipsius sunt, merito condemnare? quando Ignatius, nisi a nobis esset impeditus, sic illos canonice forsitan sterneret, ut eum nullo conamine potuissent impellere. Isti qui non nobis hæsere, quos in ajutorium suum habere promptissimos meruerunt, nec a nobis consilium acceperunt, uti cum patriarcha suo vel pacificari, vel canonice judicari potuissent : sed vires suas a nobis ne frangerentur servatas, adversus eum protinus præpararunt. Unde, quæso, perpendite, quantum nos nunc Ignatio debitores simus, qui sibi obstaculum, et inimicis ejus facti sumus defensionis umbraculum, Quamvis non ideo judicium istorum distulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, sed ut sic sententia in hos prolata, valetudinem haberet, ut a nobis examinatio præcederet. Et rursus sic ab istis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii persona vocata, nec convicta [*al.*, vel *c*onvicta, Hard.] nostræ præsentiæ non deesset. Quamobrem dilato parumper judicio, et interim infirmata sententia, missum est utrique parti sedis apostolicæ præsulis præsentandum obtutibus, ac ejus (ut par est) subjiciendum diffinitionibus. Sed dum pars Ignatii properandi disponit iter, hostibus ejus viribus resumptis, non jam sedem apostolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur, et innumeris malis affectus ab Ecclesiæ regimine sequestratur. Et hoc totum factum est, eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem servantes, et utriusque partis audientiam præstolantes, Ignatii non firmando sententiam imo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum sententiam in eos prolatam non interim auctoritate sedis apostolicæ revocaverint, sed usque in præsentiam ejusdem apostolicæ sedis deferri decreverint.

Quamobrem, charissimi, quia quasi per nos inventa est Ignatii dejectioni materia, idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro, cujus in terris licet indigni vicem gerimus, Christi oraculo peculiariter dicitur : *Confirma fratres tuos*, etiam pro hoc specialiter eum non solum adjuvare et confirmare, verum etiam (sicut ipsi potestis advertere) totis nos pro illo viribus oportet per omnia decertare, ut videlicet totum in illo funditus aboleatur, quod per nos lædendi fomitem adversariis ejus reperientibus ei violentiam inferre monstratur, totumque recipiat, Christo propitio, quod dum nos moderate, ac regulariter egimus, ipse præjudicialiter amisisse dignoscitur. Quoniam et præfati decessores nostri (Leo scilicet et Benedictus beatæ recordationis pontifices) si tale quid diebus eorum Gregorius vel comptices ejus patrassent, videlicet ut abusi tanto compassionis, et patientiæ sedis apostolicæ circa se beneficio in Ignatium manus suas injecissent : aut adversus eum ipsis sanctis præsulibus inconsultis linguas suas taliter exacuissent profecto eos tanquam magistros inquietudinis, et ipsos se sole clarius obnoxios ostendentes, sine quavis retractatione protinus condemnassent : et tantum piaculum impietatis eorum destruere ardentissime studuissent. Sed quia illa divina vocatione ab hac convalle lacrymarum subducti sunt hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successimus in honore, in cujus tempore crudelitas, quæ diebus ipsorum cœpit radices emittere, consummata perparuit. Proinde nos primo, quia sedis apostolicæ de tota Ecclesia fas habentis judicare moderamina retinemus : secundo quoniam fratribus injuriam passis subvenire debemus : postremo, quoniam (sicut jam diximus) oportet nos in eorum labore succedere, in quorum successimus pontificatus honore : quemadmodum ipsi decessorum suorum exempla secuti sunt, et operis eorum strenui cultores inventi sunt, quod ipsi profecto agerent, adjuvante Domino, habentes quemadmodum illi eumdem zelum justitiæ, seu privilegium dignitatis studiose perficere procuravimus. Nimirum quod omittere procul dubio (sicut nosse cunctis clare tribuitur) non valemus sane quia Gregorium neophytum consecrasse diximus, ne Photium quidem neophytum quando quasi in sacerdotem consecratus est, negent ; sancti papæ Gregorii, et Anglorum amplissimæ, ac fidelissimæ gentis apostoli (nam signaculum apostolatus ejus ipsi sunt in Domino) verba comme-

moremus, qui ait : Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus, sic modo neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus et ambiendos honores sacros irrepserit.

Præterea non omittendum esse credimus, nos commemorare præterito anno per indictionem videlicet tertiam decimam, epistolam sub nomine principis conscriptam, per Michaelem imperialem protospatharium suscepisse, quæ tantis erat verbis contumeliosis, imo blasphemiis respersa, ut scriptor ejus non nisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, et dictatoris labia pro dictionibus venena fudisse videantur, adeo ut si cujuspiam simplicium cor penetrent (non enim hæc aures prudentium suscipiunt) et hos continuo necent ; nimirum tanto miserabilius, quanto mors animæ magis, quam corporis per illum virulentum haustum admittitur. De cujus immanitate piaculi licet Augusto per jam fatum legatum jam nos scripsisse recolamus, eadem tamen nunc scribere vestræ beatitudini ratum duximus. Denique opinati sumus, et adhuc nihilominus opinamur, quod pietas ejus tandem aliquando resipiscat, et de Ecclesiæ Constantinopolitanæ restaurando statu nobis salubria sudentibus acquiescat : sicque demum omnia scripta, quæ male sunt compilata, non solum adversus nos et hanc sanctam Ecclesiam, verum etiam contra fratrem nostrum et comministrum Ignatium, coram universa imperii sui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis Ecclesiæ fidelibus quæ foret apostolicæ sedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii, seu inventoribus perversorum dogmatum immineret ultio, profecto patesceret. Impossibile est enim (quanquam nostras nos speciales injurias curare floccipendamus) ut tantorum ac talium sanctorum Patrum et propugnatorum catholicæ Ecclesiæ, ac destructorum diversarum hæreseon atque defensorum orthodoxæ fidei blasphemias æquanimiter sustineamus vel etiam tantæ sedis, sive tam excellentis Ecclesiæ Romanæ, cui Deo deservimus auctore, contumelias perferamus.

Verum, quamvis et de nobis humiliter sentiamus, non tamen, conscientia dictante, vera esse quæ de nobis perhibuit, asseveramus : sed (ut diximus) ea postponentes, illa potius quæ Jesu Christi sunt, investigamus, et si qua male congesta adversus ejus famulos, adversus ejus ordinationes, adversus ejus dispositiones stabilita privilegia reperiuntur nulla patientia toleramus, et non solum hæc destruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perversitatis dignam vicissitudinem reddere necessario meditamur. Nimirum ne hos qui impunitos intuens, aut nunc, aut futuro tempore deinceps talia præsumat præstigia falsitatis componere, vel commenta blasphemiarum hujuscemodi figmentis contrahere.

Quapropter eidem imperatori sublimissimo per epistolam præsulatus nostri cohortando direximus, in qua etiam vos ad votum nostrum laborare summopere convenit : quatenus diligenter inquirat atque scrutans si sua illam non fuisse præceptione tam cœnosam invenerit confectam, imo toxicatis syllabis infectam epistolam, ut interim de tot præstigia texentium pœna taceamus, quæ illos se zelo veritatis flagrantes involvere convenit ; saltem hujus socia accepta et palam cunctis igne succensa per Augustales suos tam nobis quam omnibus, ad quorum notitiam pervenit, destinatos apices competenti satisfactione a tam perverso sensu, et tam profanis adinventionibus, quod a sensu suo non fuerit commentis tradita, se exhibeat prorsus immunem. Jam vero si sibi in multis hujusmodi sollicitudinibus occupato subreptum est, ut talia scribere mandaret, ne pigeat clementiam ejus etiam hoc ipsum humiliter confiteri, et legibus suis, ut hujusmodi scripta nullius habeantur momenti, decernere : ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipsius quoque sæpe memoratæ, ac semper execrandæ epistolæ vel exemplaris ejus apices, intemeratis pro reverentia manentibus sacris dictionibus, flammeo dedantur igni voranda. Et ut sinistræ opinionis nævo, quod ex blasphemis scriptis incurreret, carere valeat, et ingratus filius circa matrem suam, ex qua imperandi fastigium ipse et patres sui ordine cœlitus dispositio percepit, nullatenus appareat. Sin autem, scitote, quoniam postquam in hac eum pertinacia persistere fine tenus velle comperimus : primum quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus sacerdotibus dictatores et dispositores, atque præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis sanctarum, vel paternarum traditionum ab omni Christiana compage remotos, apostolica freti auctoritate, duris anathematis vinculis innodabimus : necnon et Patrum, ac prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ vel exemplaria fortassis epistolæ : quin potius non solum hæc, sed et omnia scripta, quæ vel adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium inique confecta, vel adversus non causam illius canonice prosequentes, furiose depromota sunt, perenni damnationi mandabimus.

Deinde vero decernentibus nobiscum, et simul considerantibus eisdem sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite videntibus cunctis suspensam, vasto supposito foco, ad vituperium imperialis apicis coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus : quatenus his rite paratis, discat pius quod amet, et crudelis quod timeat. Nam tot et talia blasphemiarum commenta, quin potius veracium litterarum depravationes, audisse et tacuisse, connivisse est.

Quamobrem, venerabiles fratres, valde mihi (sicut ipsi comprehendere poteritis) cavendum est ne, si nos præstigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tanquam vera recognita vel compro-

bata, hæc admisisse fallaciter apud stolidos existimemur. Nec possumus in Ecclesia Dei dissimulando tam spuria relinquere germina, quæ antecessorum nostrorum beatissimorum pontificum tempore aut nunquam exorta, aut certe, si undecumque vel quomodocumque exorta sunt, eorum judicii ligone, antequam proficerent, radicitus extirpata sunt. Destruat ergo etiam vobis hortantibus ipse et dissipet illa : alioquin a nobis fore destruenda, seu funditus dissipanda, modo quem prædiximus, antenoscite : quamvis antequam nos ista vobis scriberemus, pro quibus nunc sublimitatem ejus hortamur, hoc ipsum sponte facturum esse putaremus. Sed quia quod putatum est, nullum effectum hactenus habuit : idcirco nos salutem ipsius illæsam manere volentes, ut hoc nunc saltem agat, affectu paterno monuimus : alioquin (ut jam præfati sumus) sic Deo favente, de cætero vigilabimus, et studiis quibus possumus insistemus, ut inter exanimes computentur, qui auctoritatem Petri non consenserint, imo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint : ita ut nec ista, quæ perniciose compilata sunt, defendere, nec his similia, ut non dicam scripto tradere, vel in mente volvere qui ulterius audeat. Non enim figmenta, quæ ordinationi Dei resistunt, quæ evangelicis vocibus contradicunt quæ sanctorum Patrum diffinitionibus obviant quæ synodicis constitutionibus adversantur, quæ (si sic dimittantur) innumera possunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre dispendia, incolumia sine discrimine nostro valemus deserere : et existimationi nostræ, vel nunc, vel post discessum nostrum, tantum, quod absit, nævum ad destructionem simplicium, et mutilationem sedis apostolicæ privilegiorum, relinquere.

Cæterum ut charitas unanimitatis vestræ de fratris et comministri nostri Ignatii sanctissimi patriarchæ dejectione nobiscum doleat, quæ prævalent ei solamina nobiscum exhibeat. Nam si juxta Apostolum *quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII) ; quanto potius compatiendum est illi, quod inter cætera membra præcipuum tenuisse locum dignoscitur? Unde si non pro unius et specialis personæ prælati fratris nostri repulsione, vel certe pro summi sacerdotis conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis. Nam si licitum fuerit sæculari potestati de Ecclesiæ Domini præsulibus taliter judicare, vel si rursus fas exstiterit inferioribus de prælatis sibi jam temere ista patrare, perpendite, ne ad perniciem vestram, imo totius Ecclesiæ nunc et futuris temporibus præsumptio talis prævaleat : quod si attenditis, ecce jam cernitis. Nam impietas tantum caput extulit, ut ecclesiarum præsulibus postpositis, et ordine canonico conculcato, laici nunc ecclesiastica moderamina teneant, et pro libitu proprio modo istos removeant, modo illos in locum eorum promoveant, et rursus quos nunc approbant, post modicum mentis victi levitate repellant. Ut enim sæculares, ac laici homines quælibet scelera

A valeant licenter committere, et pro his a nullo pontificum, qui ex clero promotus hæc summa poterat auctoritate compescere, libere redarguantur. Nec de clericorum catalogo permittunt ad sacros ordines provehi, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius, ac familiarius sub Christo duce forti militantes fortius comprimere possent : sed ex seipsis eligunt, qui facta eorum tanto minus præsumant arguere, quanto se paulo ante de horum cœtu, favore ipsorum promotos meminerint : quod illis partibus tanto familiarius agitur (ista præsumptio videlicet, ut ex laicis subito tondeantur, et in episcopos consecrentur) quanto ex consuetudine hac inolevisse testantur, quam nos econtra tanto studiosius ex Ecclesia Dei eradicare volumus, quanto B nimium noxæ jam esse clericis, et omni religiosæ plebi supra docuimus : quantoque scimus ex sacris canonibus, quod non minus consuetudo [mala consuetudo], quam perniciosa corruptela vitanda sit : et scimus quod paulatim crescens jam suæ pestiferæ nequitiæ gramine multos invaserit, adeo ut temeritas hæc tantum excreverit, ut jam minime clericis egeant, dum contra sacros canones ex seipsis subito tonsuratum, quem voluerint, eligant, et ad labores clericorum mentis oculos non inflectant. Ac per hoc fit, ut alienus comedat ipsorum fructus laborum ; et stipendia meritorum extraneus hostis insperatus subripiat, ita ut nihil proficiat clericis in castris Dominicis militasse, vel gradatim per singulos ecclesiasticos ordines ascendisse, dum alter saltu hos omnes transcendit, et repente principatur in eis, qui C inter eos nec contra spiritales hostes arma sustulit, nec diversis Ecclesiæ adversariis pro veritate prælians aliquando restitit.

Quantum autem ne de laicis temere quislibet ad episcopatum eligatur, sacri canones, cum aliis prohibeant, Sardicenses ostendunt, Osio episcopo capite decimo tertio dicente : Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de fori administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus, et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua D modestia, qua gravitate et verecundia, et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur : quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur, aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est : maxime cum et magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret, denuntiasse, et prohibuisse videatur (*I Tim.* V) : sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, et merita fuerint comprobata. Contuemini ergo, et futura, ime urgentia mala conspicite : medici estis, imminentes morbos per præcedentia signa prævidete : episcopi estis, exsurgens in Ecclesia Christi horrendum exitium prospicite : speculatores estis,

in altam mentis arcem conscendite, et in gregem Dominicum feram pessimam irruere cupientem a longe contemplamini. *Quasi tuba exaltate vocem vestram, et annuntiate populo Dei scelera eorum : super montem excelsum*, id est altitudinem virtutum, *ascendite. Qui evangelizatis Sion, state in fortitudine, potestatibus hujus sæculi ex adverso ascendite, et murum pro domo Dei opponite, ac quibuslibet potestatibus inique agentibus contraite* (*Isa.* LII) : sicque fiet, ut nec sicut canes muti de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione districtam Domino rationem reddere compellamini, vosque episcopos et consacerdotes nostros, imo Ecclesiam Christi illis in partibus constitutam ab ingenti pernicie, ac noxia labe ipso juvante laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis.

Verum nos de ipsis hæc vobis scripsisse sufficiat Pax autem Dei, *quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV), præcordiorum vestrorum intima penetret : et quam de salute omnium vestrum solliciti simus, vobis Deus omnipotens clementer aperiat; et quomodo vos cupiamus in visceribus Christi, et in Ecclesiæ gremio continere, quæ diffusa in toto orbe terrarum, quasi unius Christi thalamus est, atque in sancta communione una vobiscum persistere, ut unum sapiamus omnes, et non sint in nobis schismata (*I Cor.* I), illuminationis suæ gratia revelare dignetur : ita ut de corruptione fidelium congaudentes, et congratulantes, uno animo, et uno ore glorificemus et collaudemus Deum Patrem videlicet, et Filium, et Spiritum sanctum per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Quisquis autem hanc epistolam nostram Constantinopoli legerit, et eorum notioni [*Cod. Vatic.*, notitionibus, qui], quibus missam intellexerit, quidquam ex his, quæ in ea sunt occultaverit, si locum potest invenire sufficientem, anathema sit. Quisquis etiam interpretatus eam fuerit, et ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit præter illud, quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretanti scientiam intelligendi non tribuit, anathema sit.

CV.

(*a*) AD SENATORES CONSTANTINOPOLITANOS.

(Anno 866.)

Ut faveant causæ Ignatii, et abstineant a communione Photii.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, singulis quibusdam senatoribus Constantinopoleos a paribus.

Fidelium relatione, qui ad sanctorum apostolorum limina orationis gratia veniunt, agnovimus gloriam tuam in Dei esse timore pariter et amore semper intentam, et in ejus famulatu summa, jugique devotione sollicitam. Quapropter Deo gratias agimus: et ut bono studio quod cœpisti, perseverantiam det, atque in futuro dignam vicissitudinem tribuat, ejus misericordiam suppliciter exoramus : præcipue quoniam diceris miseriæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ compati, et ejus perturbationem, atque detrimentum molestissime ferre : ita ut fratri et coepiscopo nostro Ignatio ejusdem Ecclesiæ patriarchæ, ejusque dejectionis condoleas et congemiscas : licet (sicut oportebat) libere pene nullum ei auxilium præstes. Nam perfectorum virorum est, non solum justitiam et veritatem quæ Christus est, coram cunctis mundi principibus confiteri, verum etiam, si necesse sit, usque ad mortem tota virtute defendere. Quis enim filiorum, nisi ingratus, nisi impius, non doleat, non usque ad mortem satagat pro spiritali patre suo tam furiose dejecto, et a commissa sibi divinitus cura pastorali tam temere sequestrato, et in locum ejus adultero subrogato? Quis, inquam, filiorum, nisi ingratus, nisi impius, non doleat, non usque ad mortem satagat pro sancta Ecclesia matre sua, quam tantis viderit quotidie perturbationibus agitari, et tam irregulariter suo rectore privari, et invasori ac neophyto pro libitu uniuscujusque contradi? Curre igitur, dilectissime, et si est perfectus in te Domini timor, nulli potestati veritatem absconde, Redemptorem audiens dicentem : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (*Matth.* X). Porro si tanta libertas in te spiritus non est, nec te tantum amor Christi succendit, ut mundi potestatibus, quod prave fecerunt, non corrigentibus libere contradicas : saltem a fratris, et coepiscopi nostri Ignatii, et communicatorum ejus (quod tamen secundum indulgentiam dicimus) te quacunque læsione coerce : et a communione invasoris, neophyti, ac adulteri Photii omnino suspende; sciens quia nos apostolica, canonica, necnon et rationabili censura juste hunc, et synodice, atque secundum privilegiorum apostolicæ sedis auctoritatem jure deposuimus, et pro tot prævaricationibus et præsumptionibus suis una cum multarum provinciarum occidentalium regionum antistitibus, eum consonanter anathematizavimus. Proinde provideat, et precaveat prudentia tua, charissime, ne communicet peccatis alienis, ac per hoc alterius irretiatur nexibus vinculorum : quin potius si potest Ecclesiæ Dei subveniens pro repellendo mœcho et revocando legitimo dare operam, bene : sin autem vel salvans salvet animam suam, et secundum illud propheticum : *Exite de medio eorum, et pollutum nolite tangere* (*Isa.* LII). Legatos præterea, quos Constantinopolim misimus, pro ejus amore, a cujus sede profecti sunt, in quo se occasio præbuerit, benigne subsequi charitas tua contendat : videlicet ut propitio Christo et legatio eorum efficax habeatur, et ipsi sine læsione qualibet ad nos revertantur.

Deus omnipotens et pietatem, atque dilectionem, quam te circa sanctæ Ecclesiæ statum fama frequens habere testatur, in præcordiis tuis per amplius, et perfectius augeat : et te, quæ diximus, sollicite pro-

(*a*) Citatur in concilio VIII, sed Græce non exstat. Inscripta ibi dicitur πρὸς τοὺς συγκλητικούς. HARD.

sequentem hic diu præsentis felicitatis munere perfrui faciat, et futuræ beatitudinis præmia sine fine concedat.

CVI.

AD UNIVERSOS CATHOLICOS.

(Anno 866.)

Acta (*a*) *Ignatii et Pothii demonstrat, et ordinem temporum epistolarum prescribit.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, omnibus veræ religionis ministris, ac universis orthodoxis fidei cultoribus, sanctissimis videlicet et reverendissimis patriarchis, metropolitis, et reliquis episcopis, atque cunctis fidelibus catholicam duntaxat cum sede beati Petri pietatem sectantibus, sanamque doctrinam nobiscum defendentibus, per Asiam scilicet et Libyam constitutis.

Quæ apud Constantinopolitanam urbem paulo ante gesta sint, vel etiam nunc gerantur, sanctitatem, seu religionem vestram, non credimus ignorare; sed qualiter zelo zelati pro domo Dei sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundum Apostolum circumferentes (*II Cor.* XI), nos de his disposueramus, breviter charitati vestræ his nostri apostolatus litteris intimamus. Et ne aliter sinceræ vestræ menti suaderi tentetur, vel aliter quod egimus vobis suggeratur, veraci relatione et præsentibus vos litteris edocemus. Igitur postquam quidam invidiæ facibus accensi, et superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum contra pastorem proprium insurrexerunt, et patriarcham suum (communis tum videlicet nostrum Ignatium sanctissimæ præfatæ urbis antistitem) ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat tyrannice projecerunt: ac Photium quemdam ex foro, ac sæculari militia, et habitu, atque a palatinis ædibus eductum ac subito tonsuratum eidem contra sacros canones Ecclesiæ præfecerunt. Tunc cœpit scandalum et schisma in jam dicta urbe, et in adjacentibus sibi civitatibus, non modicum oboriri: aliis quidem Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc tanquam inconvicto et superstite Ignatio factam merito detestantibus. Tunc inito consilio imperator Michael, qui et ipse Bordæ patricii versutiis suasus Photii parti favebat, ad apostolatum nostrum legatis cum epistolis destinatis, accusationes quasdam adversus Ignatium deferentibus, petiit ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent, et schismata dissiparent. Quo audito, quoniam (sicut a Deo inspirata vestra novit prudentia) cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices ipsius gerimus, qui specialiter divinitus dicitur: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Et iterum: *Tu*, inquit, *aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII): non potuimus dissimulare, non potuimus negligere, quominus visitaremus oves, dispersas et dissipatas, vel quominus confirmaremus in fide et bonis moribus fratres nostros et proximos. Et quia inter cætera, quæ de schismate jam facto Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hi qui missi fuerant testabantur, maxime eamdem Ecclesiam ab Iconomachis redivivam contentionem excitantibus asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari: duos episcoporum qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum faciendum opus idonei nobis esse videbantur (Rodoaldum scilicet et Zachariam) una cum Ecclesia, quæ apud nos est, datis litteris Constantinopolim, tantum nimirum piaculum execrantes, e latere nostro direximus: nihil eis injungentes, nisi ut tantummodo causas Ignatii, qui ante de Ecclesia pulsus, quam ab aliquo accusatus exstiterat, diligenter investigarent: et sedi apostolicæ plena et veraci relatione referrent. Photii vero consecrationem non solum minime admittendam esse decrevimus, verum etiam ipsis legatis nostris, ne cum illo, nisi quasi cum laico, usque ad notitiam nostram communicarent frequenti ac omnimoda jussione præcipimus: solum scilicet eisdem venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque genitricis semper virginis Mariæ, ac sanctorum ipsius imaginibus quidquid quæstio afferret, juste ac pie diffinire licentiam dantes. At illi euntes, spretis monitis nostris, contemptis epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo postposito timore Dei, sicuti postea claruit, in contrarium verterunt omnia, quæ sibi fuerant imperata. Denique et cum Photio adultero, ac Ecclesiæ invasore, atque neophyto, quod sibi multipliciter prohibitum fuerat, in sacrosancta mysteria communicaverunt, et Ignatium virum senem, et sanctum, ac per duodecim annos innocenter Ecclesiam Dei regentem, et nobiscum et vobiscum, atque cum universali et orthodoxa Ecclesia communicantem, Græcorum factioni perniciosissimæ concinnantes damnaverunt, et sacerdotalibus infulis exspoliatum ab Ecclesiæ regimine modis omnibus expulerunt. Quæ sanctæ vestræ in Christo fraternitati, et piæ generalitati, quia contra nostram fuerint gesta dispositionem jamdudum significavimus. Porro præfati missi nostri tandem reversi, nil aliud renuntiavere, nisi depositum Ignatium et Photium in sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies legatus a nobis imperialis, nomine Leo, a secretis susceptus, duo volumina obtulit: quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem de sanctis habebat imaginibus acta. Detulit præterea idem Leo imperiales litteras deprecantes, quatenus et in depositione Ignatii, et in confirmatione Photii, consensum præberemus et subscriberemus. At nos divina docente gratia, dum idem adesset legatus, convocata tota quæ apud nos est Ecclesia, decrevimus et statuimus, atque professi sumus coram ipso, et coram Ecclesia Dei, sicut et

(*a*) Hæc epistola insertis litterarum aliarum exemplis disjuncta est in tres partes; quarum *prima* hæc est in ordine nostro CVI edita; *secunda* quæ Michaeli imperatori perperam inscripta est, XLVII legitur in nostra editione et incipit his verbis: *His ita se habentibus; tertia* invenitur sub fine LXXXVII ad hæc verba: *hæc quidem*, usque ad illa, *fore prævidimus*. Quæ sunt ultima hujus epistolæ. Edit. Post Jaffe in *Regestis Pontificum Romanorum*.

profitemur non pro dejectione Ignatii, vel consecratione Photii, nunquam misisse, nunquam missuros esse : et in depositione Ignatii, et promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Et his sæpius dictis, et palam annuntiatis, atque in apostolatus nostri epistolis taliter insertis, et eidem Leoni a secretis imperatori Michaeli, vel Photio ad deferendum datis, hunc a nobis absolvimus. His ita vestræ sinceræ religioni ostensis, quæ scripta per singula tempora pro hac re miserimus, singillatim huic scripto inferius annexa demonstrantur. Primo etenim loco nostri apostolatus habentur epistolæ ad Michaelem piissimum imperatorem, et ad Photium Ecclesiæ Constantinopoleos invasorem per Rodoaldum et Zachariam transmissæ. Secundo loco continetur satisfactio nostra, cujus textum vestræ a Deo conservandæ generalitati dudum transmisimus. Sed ignorantes utrum ad vos usque fuerit delata, idcirco hanc vobis denuo mittendam existimavimus; qua nosse valeatis quæ fuerit super hoc negotio nostra voluntas. Tertio loco posita est epistola, quam per Leonem a secretis imperialem videlicet legatum, de quo superius diximus, post reversionem missorum nostrorum sæpefato Michaeli Augusto direximus, et ad Photium alteram. Præterea quæ subsequuntur, eo sunt ordine huic inserta volumini, quo per singula tempora gesta vel missa fuisse noscuntur.

CVII.

AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONICÆ.

(Anno 866.)

Hincmarum graviter perstringit, quod in causa clericorum dejectorum callide ac dissimulanter egerit, quodque Benedicti papæ litteras mutilas et corruptas proferre ausus sit. Quare episcopos iterum covenire, et clericorum historiam accurate rerscribere, clericos vero interim suis gradibus restitui jubet. Non probat autem quod Wlfadum ante plenam restitutionem ad episcopatum promoverint.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis, qui per gratiam Dei et decretum nostrum apud Suessonicam urbem convenerunt.

Reverentissimum fratrem et coepiscopum nostrum Egilonem de vestro sacro collegio ad apostolicam pervenientem sedem, magna cum exsultatione suscepimus, et de agnita per eum omnium vestrum status incolumitate lætiores effecti, auctori grates immensas rependimus. Illud præcipue bonum atque jucundum arbitrantes, quoniam vos, fratres, sicut corpore, ita et mente in unum cohabitasse comperimus, et in dejectorum fratrum revelatione unum cor et unam animam una cum spiritu nostro possedisse cognovimus. Spiritus quippe sancti præsentiam testatur congregatio sacerdotum, et in medio sui Dominum habere se monstrant, qui in ipsius nomine conveniunt in idipsum. Nos etenim clamorem eorumdem dejectorum spernere clericorum ratio nulla sivit, et ad vociferationes eorum ad sedem apostolicam etiam sub decessoribus meis frequenter emissas, aures obturare paterna charitas non permisit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur, quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla scripta sedi apostolicæ diversis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter investigaremus : accidit ut etiam, Deo revelante, acta concilii, quod auctore fratre et coepiscopo nostro Hincmaro præfatos viros segregasse dignoscitur, ab eodem venerabili antistite nobis dudum transmissa, cum actionibus pro Rothado venerabili episcopo venirent ad manus. In quibus quanta reprehensionum inveniatur congeries, si voluerimus exhibere per singula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falsitas in ipso mox actionum invenitur principio. An non falsitas, cum sponte pervenisse dejecti illi ad ecclesiæ januas pro sua necessitate scribuntur, qui venisse probantur inviti? Præcipue cum Wlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter exstitit recitatum? Ibi ante tempus examinis, jam judicatum, et ante legitimum judicium, condemnatum fuisse dignoscitur. Ibi ante audientiam, et ante certum numerum collectorum episcoporum, presbyteri diaconique privationi ministeriorum suorum subduntur. Ibi metropolitanus antistes modo sua jura deponit, modo resumit : modo subest synodo, modo præest, modo quasi accusatus, modo accusator, modo judex accedit : et pro libitu propria vicibus alternantibus cuncta disponens, more cujusdam animantis, non semper unius ejusdemque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare, proclamare coguntur, et tanquam accusatores libellum proclamationis porrigere compelluntur : licet tenorem libelli juxta morem gestis frater noster Hincmarus non inseruerit, cum eisdem nonnulla minus etiam necessaria probetur inseruisse. Ibi absens, et ut illic habetur, ægrotus addicitur, et dolor super dolorem apponitur, dum absens Wlfadus libello quasi præsens ascribitur, et in lecto jacens, nunquamque reclamans, societatem habere cum præsentibus reclamatoribus falso prætenditur. In quo considerandum est quia si leges sæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos sunt, ægrotum respondere non cogunt, quanto minus a Domini sacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipsum conflari dignoscebatur, et quod hunc ad depositionis casum impellere probatur? quo dolore in hac vita major ubi quæso est? Et ut strictim per omnia complectamur, ibi sola obedientia subditorum, quam Apostolus præpositis exhibere jubet, reputatur in culpam; et qui prælati judicio temere non restiterunt, sed humiliter colla supposuerunt, severissime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, et qui misericordiam petivere, nec justum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, si textus et finis ejusdem concilii accepti non sunt, quando in nomine Domini juxta morem inchoatum non est? Nam cum

Apostolo, omne quodcunque fecerimus in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facienda præcipiente (*Col.* III), ritus ecclesiasticus in colligendis conciliis id observet, et in hoc duntaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermissum : constat procul dubio, non eos in nomine Domini congregatos exstitisse, ac per hoc eum minime in sui medio habuisse, qui tale concilium imo conventicula sua de sanguinibus contra psalmistam congregaverunt (*Psal.* XIII), et quoddam animal imitati, nonnisi exstinctis propriis filiis posse subsistere putaverunt.

Jam vero, si idem concilium ab apostolica sede fuisse prætenditur approbatum, quemadmodum id versuta fuerit cavillatione ab apostolica sede perceptum, fraternitati vestræ breviter intimamus. Denique frater et coepiscopus noster Hincmarus, de B memoratis clericis, Wlado scilicet et collegis ipsius, quod sibi visum est, consummato mox prædecessori meo beatæ recordationis Leoni præsuli non semel supplices litteras misit, quatenus idem concilium approbans auctoritate apostolica roboraret. Quod ille non solum minime annuit, verum etiam agere sollicite tenuit, dicens idcirco se petitiones ejus pro confirmanda synodo, in qua depositi præfati viri fuerant, suspendisse, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui synodo resederant, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta ejusdem synodi destinare debuisset : præcipue cum ibidem legati sedis apostolicæ præsentes non fuerint. Postremo eo quod hi, quos ille auctoritate synodi affirmabat depositos, per proprias litteras sedem apostolicam appellaverint, et vellent sua se apostolica audiri C præsentia, et tunc, si culpabiles invenirentur, non abnuerent canonicam sustinere censuram. Sed venerabilis Hincmarus, sciens utique concilium illud, ut supra ostensum est, reprehensionibus non paucis respersum, acta quidem illius per neminem episcoporum, qui his interfuerunt, destinavit : ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non cessavit. Sed dejectorum iterato clamore crebescente clericorum, nec sic quod petebatur laudabilis præsul indulsit. Præcepit autem per alteram suæ sanctionis epistolam, ut idem frater Hincmarus ad concilium cum illis occurreret, ad quod suum ipse legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, e latere suo direxerat, ad renovandum videlicet judicium vice sua, et congregatis rursus, episcopis ad depositorum D reclamantium, auxiliante Domino, trutinandum ac sopiendum negotium. Ita ut si eisdem dejectis clericis contigisset, ut in ipsa debuissent depositione persistere, et obedire renuissent, sedemque apostolicam iterum expetissent, ne sedis apostolicæ dissolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut frater Hincmarus, vel missus ejus veniret : quatenus cum fratribus suis episcopis æquum de his judicium conferre potuissent, et utraque parte conveniente causas eorum eadem sedes sancta canonice definisset. Verum ille, qui prius episcopus, legatum videlicet concilii sui, sedis apostolicæ visioni subtraxerat, etiam suam audientiæ ab eo designatæ præsentiam subducens, probavit de se illa quæ dicta sunt : videlicet quod tale concilium statuerit, quale superius strictim monstratum est. Interea eo voti effectu frustrato, apostolicæ sedis pontifex Leo, qui fratris Hincmari propositum noverat, ab hac luce subtractus est. Cumque sanctæ memoriæ Benedictus, vir apostolicus, ei successisset in ordine pontificatus, rursus reverendus Hincmarus arma præparat, et eidem summo præsuli, tanquam suarum inexperto versutiarum, latenter subripit et in ipso consecrationis ejus principio suadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret : non tamen ei ullo modo subripi aut suaderi potuit, ut a justæ diffinitionis et discretissimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret : verumtamen, sicut videre est, et ipsi jam forsitan agnovistis, ita per quoddam ei privilegium concessum illius concilii roboravit institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservaret, et ut vobis jam scripsimus, ita tribuit honorem alteri, ut sibi quod tribuebat non demeret. Unde actum est, ut quod male petitum fuerat, Spiritu, docente Dei, bene sapiens præsul concederet, et nihil proficeret humana subreptio, ubi pectus tanti pontificis divina replebat infusio : nec obesset cujusdam suasio, ubi antistitis sancti prudens obviavit et providentissima moderatio : dum in ipso privilegio tenorem præmiserit, quod sic decretum est ab eo manenda inconvulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo sibi a fratre nostro Hincmaro referebantur. Interposuit enim ancipitem in eo sententiam dicens : Si ita est nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin diffinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate. Licet ipse hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu excipiens, et nostræ visioni subduxerit, et aliorum notioni subtraxerit. Interserens insuper quæ idem summus pontifex aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis diffinitionibus dixit : Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritatem, semperque manere statuimus, et sequenti, quæ ipse quidem aliter posuit, frater vere Hincmarus quædam addens, plura subtrahens, vel commutans, aliter prosecutus est. Sed adhuc et in alio mira fratris Hincmari rursus accedit astutia, et soli proprio voto favens se immiscet prudentia. Denique cum apostolicæ et reverendæ memoriæ decessor noster papa Benedictus ei privilegium, de quo nunc diximus, contulisset, ita quæ in eo continentur firmavit, ut suspensam sententiam his jungeret, et ut per omnia sedi apostolicæ sua privilegia, sicut jam fati sumus, et auctoritatis propriæ jura (quem in hoc et nos quoque secuti sumus) inviolabilia reservaret : interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum censuit, ne quilibet contra eadem canonica constituta, et decreta pontificum Romanorum pertinaciter ob-

viasset : id est, ne quis vel contra illa, quæ fratri Hincmaro concesserat, vel quæ sedi propriæ reservarat, agere tentavissset. Sed ille, quæ horum suo libitui favere conspexit, omnium notitiæ patefecit : quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxit. Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii, quæ ab eo sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. Quantum vero talis scriptorum depravatio ac mutilatio noceat, ipsi jam potuistis advertere, qui in concilio videntes quædam ipsius constituti, sicuti vestro relatu didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppressos pium laborem deterriti minus perfectum deseruisse nunc dignosceremini, nisi nostris instructi monitis, et nostris ibidem confortati litteris inveniremini. Miserat enim sæpe memoratus antis- B tes, egregiæ recordationis decessori meo per scripta sua, quod iidem clerici ad vicinos episcopos provocaverint, contra se libellum proclamationis dederint, judices sibi ipsi elegerint, et cætera, quæ longum est numerare, significans. At ille divinitus inspiratus, ei rescribens : Si, inquit, ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti (quod frater Hicmarus de textu penitus erasit), ratas easdem (subauditur diffinitiones) apostolica promulgamus, non in omnibus, ut ipse addidit, fore auctoritate, semperque manere statuimus. Deinde subjunctum est, quod ipse longe aliter mutavit scribens, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuisse, tam a nobis, quam a sancto concilio vestro exstiterit comprobatum, quod suggesserat merito in irri- C tum ductum est, quod contra dejectos non simpliciter impetraverat. Sed ad propositum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis sæpe memoratis, qui semper ad apostolicam sedem appellaverunt, etiam nobis litteris suis pro dejectione sua quærimoniam exponentibus, non fuit dissimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum quidem fratri et coepiscopo nostro Hincmaro misimus, uti commemoratos viros, Wlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeret ad se revocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum secum fraterne tractaret, atque misericorditer consummare contenderet, alioquin ad concilium vobiscum, quibus et nos quoque pro D hoc ipso scripsimus, simul occurreret ; quatenus omnes in unum convenientes, causas eorumdem clericorum examinaretis, et non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniretis : si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam nostrum suscepturæ speciale judicium personæ vices tenentes utriusque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, suscepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium vestrum, manifestissime significantes, crebro memoratos clericos a totius consona voce concilii dignos graduum suorum receptione pronuntia-

A tos ; ubi nulla, sicut eisdem litteris vestris reperimus, disceptatio provenit : nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit : nullus accusator, nullus condemnator repertus est : sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruit, eisdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Quanquam vos nos egeritis solemniter, minime secundum quod nos decreveramus, sedi apostolicæ plena relatione actionum seriem reserantes : adeo ut propemodum ipsius vestri concilii gestis incognitis, ad diffiniendum quid de sæpedictorum clericorum statu pene retraheremur, nisi labor prædecessorum nostrorum, apud nos in rerum gestarum scripturis inventus, nos ad se tandem perficiendum pleniter animasset. Debuistis enim, quidquid de Ebbonis dejectione, relevatione, horum clericorum promotione, et ipsius Ebbonis iterata repulsione, ad aliamque ecclesiam migratione, vel undecunque ibi quippiam ventilatum est, nobis scripto unanimiter, pleniter, ac fideliter intimare : non solum autem nobis intimare, verum etiam monumentis insertum ad pleniorem penes nos notitiam et certitudinem reservare. Sed quia hoc negligentia prætermissum est, saltem nunc omni diligentia procurate, ut quæcunque super hac re scripta, tam a nobis prius et nunc, quam a vobis edita reperiuntur, et quid hinc coepiscopus Hincmarus, et illi dejecti clerici sedi apostolicæ suggesserint atque retulerint, in volumen unum ordine quo missa sunt redigantur, et apostolicæ sedi, ut competens est, vobis eorum exemplaribus reservatis, summo studio dirigantur. Quod cum diligenter actum fuerit, tunc profecto plene scire possumus cuncta vos in concilio strenue peregisse : et quod hactenus omissum est, hoc ordine Christo juvante recuperabitur. In quo tamen agendo venerabilem Wlfadum præ cæteris abundantiorem convenit curam arripere. Deinde vero volumus vos esse sollicitos, ut si de cætero tale quid forte contigerit evenire, pro quo conventum in regionibus vestris fieri sacerdotum præcipiamus, hoc inter cætera nulli penitus oblivioni tradatis : sed post omnia id agere majorum more studiosissime satagatis. Arridet autem huic unanimitatis vestræ sententiæ atque diffinitioni etiam fratris et coepiscopi nostri Hincmari professio : quia non solum eosdem fratres, et antea se minime ab officio suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse, sive in repulsione ipsorum subscripsisse ; verum etiam et nunc ad synodum, sicut nos præcepimus, convenisse, et his quæ de restitutione illorum cæteri antistites consenserunt, paratissime annuisse, et obtemperare curasse testatur, cujus etiam nomen in epistola synodica (sicut nostra relatio indicat), una cum nominibus vestris, qui simul convenisse dignoscimini, pariter ascriptum inventum est. Illud tamen ridere libuit, quod idem antistes crebro memoratos clericos ab officio se minime suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse fatetur : præsertim cum hæc non

veritate fulta multis esse probatur indiciis, quæ superius summatim tetigimus, et nunc ea vel plura commemorare studio brevitatis omittimus. Nam nisi ille eos, etiam ante omnem audientiam, et adhuc cum ad se non accusantes, sed misericordiam postulantes accesserint, ab officio suspendit: quid est quod in actis concilii sui, quod ipse ad sedem apostolicam misit, ab eo suspensi ab officio fuisse memorantur? quibus cum tacens nihil ipse responderit, quid aliud, nisi vera eos prosecutos, silentio suo tribuit patenter intelligi? Et e diverso illi super quo querelas suas crebro dicto sanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant? vel quem, nisi eum, suum impulsorem a gradibus propriis, et infestum sibi, quem circa se veluti patrem benignum debebant cognoscere, frequenti relatione pandebant? Postremo nisi ille in dejectione ipsorum subscripsit, imo nisi totius depositionis eorum seriem ipse scripsit, quid est quod ei in subinde memorato privilegio, quod sibi ab apostolica sede roborari petiit, beatæ memoriæ decessor meus ad eum loquens, quod ipse diffinitiones illas in synodo cum cæteris episcopis collecta, juxta relationem utique suam propriis digitis roboraverit, manifestat? Quod si dicit, nunquam se in illa synodo subscripsisse, ergo nec decessor noster aliquam ei synodum privilegio suo firmavit? quippe cum ipse eam, quam auctoritate apostolica stabilivit, propriis digitis ipsius roboratam specialiter fuisse commemoret. Igitur fratres charissimi, nos in præfatorum clericorum restitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, et omnium vestrum hortatu generatis incitante consensus, omnimodam conniventiam præbere potuisse cognoscite. Sed quoniam non secundum decretum nostrum eorum examinatio mera et perfecta discussio provenit, nec promotio vel abjectio ipsorum in synodali conventu qualis fuerit, liquido reperta est, nec apostolicæ sedi sufficienti relatu monstrata: idcirco paululum a consummanda restitutione ipsorum interim deliberativum consensum nostrum coercere necessarium duximus. Verum quia in decernendo et in judicando quod canonice deliberatum est, ac in restituendis sæpe dictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, sicut decuit et ordo poposcit, nostra præcessit auctoritas; conveniens ac honestum est, ut juxta postulationem vestram, nostræ firmationis perfecta subsequatur integritas, eo duntaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, et hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant, ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus, et quodammodo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poterit. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis, fratri et coepiscopo nostro Hincmaro licentia sit, intra totius hujus capedinem anni, sæpe dictos exhi- A bere clericos ab ordinibus suis canonice fuisse dejectos; ita ut quidquid habet calumniarum, prosequendi et exsequendi sibi sit omnino facultas. Quod si totius hujus anni circuitu dilapso, contra eos nullam justam apud sedem apostolicam querimoniam composuerit, nec illos appetere de quocunque vel cujuscunque reatu, vel excessu, seu damnatione studuerit; ipsis quidem deinceps in ordinibus permanentibus, nos profecto nulli corpori dabimus operam, nec ullo pacto a summa cessabimus diligentia, donec aut ipse nunc illos juste comprobet restitutos, aut juste per se quondam ostendat remotos. Alioquin nos subsequenter exhibere procul dubio convenit, non solum sæpe fatos clericos præjudicialiter absque canone ab officio sequestratos, verum B etiam ordinatorem eorum inconvenienter, ac sine consequentia ecclesiastica, regimine præsulari privatum. Quod plane præter eum nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat, quandoquidem et nobis ita claret, quantum autumare possumus, quemadmodum his qui in illo tempore præsto fuisse memorantur.

Illud tamen, charissimi, prætereundum inter cætera fore non duximus, quod quantum relationis vestræ series innuit, minus caute quam sanximus regularia constituti nostri exsecuti sitis edicta. Nos quippe, etsi appellantium sedem apostolicam clericorum, et ad judicium ejus provocantium causam, propter amovendum a vobis prolixioris laborem itineris, illic audiri, vel etiam diffiniri statuimus: non tamen quemquam eorum promovendum, vel ad emi- C nentiorem ordinem provehendum indulsimus, quemadmodum nunc factum esse vestro favore per scripta vestra didicimus. Miramur insuper et quærimus, quænam illa sit summa rei, quam vos nostræ auctoritati reservasse prætenditis, et hanc invenire non possumus. Quam enim nobis summam reservastis negotii, cujus adeo finem perducere maturastis, ut nobis inconsultis, etiam pastoralem restitutis conferre sollicitudinem pateremini? et qui ad eos pristino gradui reformandos nostræ auctoritatis eguistis, ad promovendum responsum nostrum nequaquam præstolari duxistis? Quantum autem filius noster Carolus gloriosus rex id a nobis exegit; sed nos vestram charitatem et honorificentiam, quos jam convenire jusseramus, merito conservantes, D nullo pacto, priusquam rerum nobis exitus per vos patefieret, consensum in hoc præbituros semper ei rescripsimus; quod, fratres, saltem ad vicem minime custodientes, laudo vos, sed in hoc non laudo. Porro si quispiam sedem apostolicam, per Sergium sanctæ memoriæ papam, Ebbonem quondam archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebbonem, donec synodali ejus examine causa discuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Statutum quippe in magna et veneranda Nicæna synodo legerat, ut de his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, episco-

pis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus. Donec igitur auctoritate sua hujuscemodi pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio, examinatio vel dijudicatio proveniret, apostolica sedes nihil agere debuit, nisi quod egit; videlicet ut ab aliis abjectum ipsa nequaquam indiscusse susciperet. Præcipue cum prædictus Ebbo non quasi pro depositione sua queritans, et legitime restitui volens examine præcedente sedem apostolicam appellaverit: sed, ut codex episcopalis indicat, a contumacibus suasus, et his junctus, repente et reconciliari ad ea, et pallio decorari quærens, et quasi episcopus inter episcopos, B nulla causæ discussione præveniente, communicari poscens, ad eamdem summam sedem accesserit, a qua jam reprobatus ab aliis merito debuit reprobari, donec supplex ab ea sese canonice posceret adjuvari. Nam constat, ut sanctus papa scribit Gelasius (*epist.* 11 *ad Dardanos*), uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ et unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet. Verumtamen qualiscunque fuerit, vel quæcunque pertulerit Ebbo, a se ordinatis, qui nihil præter humilitatem et obedientiam exhibuerunt, C nullum prorsus intulit offendiculum, quoniam et beatissimus Leo ad Mauros scribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens (*Epist.* 91): Maximum quoque, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticæ pravitatis alienus est, ab episcopali, quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate. Et Anastasius ejusdem apostolicæ sedis præsul, quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec ecclesiæ sacramenta commaculent, ad Anastasium principem scribens evidentissima ratione demonstrat. Oramus sanctam fraternitatem vestram in Christo nunc et semper valere. Data VIII Idus Decembris, indictione XV.

CVIII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 866.)

Ejusdem argumenti cum præcedente. Hincmari enim fraudes aperit circa clericos dejectos, et circa litteras Benedicti papæ. Sub finem etiam arguit quod pallio concessum ultra modum uti diceretur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo Rhemensi.

Epistolam beatitudinis tuæ cum epistola synodi missam per legatum ejusdem vestri sacrati collegii, Egilonem videlicet fratrem et coepiscopum nostrum, A suscipientes, et tam ex ipsis epistolis, quam ex verbis ejusdem venerabilis viri, devotionem et supplicem parentiam tuam, quam erga sedem apostolicam habes, etiam nunc agnovimus, perpetuamque benevolentiam tuam, quam circa dejectos fratres et filios alacriter exhibuisse te dicis, laudamus, nimirum qui et secundum apostolum flevisse te cum flentibus indicas, et nunc gaudere cum gaudentibus manifestas (*Rom.* XII). Quorum et nos quoque clamorem clericorum spernere ratio nulla sivit, et ad vociferationes eorum ad sedem apostolicam etiam sub decessoribus meis frequenter emissas, aures obturare paterna charitas non permisit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur: quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla scripta sedi apostolicæ diversis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter investigaremus: accidit ut etiam Deo revelante acta concilii, quod auctore te præfatos viros segregasse dignoscitur, a te nobis dudum transmissa cum actionibus pro Rothado venerabili episcopo, venirent ad manus. In quibus quanta reprehensionum inveniatur congeries, si voluerimus exhibere per singula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falsitas in ipso mox actionum invenitur principio. An non falsitas, cum sponte pervenisse dejectos illos ad ecclesiæ januas pro sua necessitate ipse describas, qui venisse probantur inviti? præcipue cum Wlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter exstitit recitatum? Ibi ante tempus examinis jam judicatum, et ante legitimum judicium condemnatum fuisse dignoscitur. Ibi ante audientiam, et ante certum numerum collectorum episcoporum presbyteri diaconique privationi ministeriorum suorum subduntur. Ibi metropolitanus antistes modo sua jura deponit, modo resumit: modo subest synodo, modo præest: modo quasi accusatus, modo accusator: modo judex accedit, et pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta disponens, more cujusdam animantis, non semper unius ejusdemque coloris apparet. Ibi, inquam, nolentes proclamare, proclamare coguntur, et tanquam accusatores libellum proclamationis porrigere compelluntur, licet tenorem D libelli juxta morem gestis non inserueris, cum eisdem nonnulla minus etiam necessaria proberis inseruisse. Ibi absens, et ut illic habetur ægrotus addicitur, et dolor super dolorem apponitur; dum absens Wlfadus libello quasi præsens ascribitur, et in lecto jacens nunquamque reclamans, societatem habere cum præsentibus reclamatoribus falso prætenditur. In quo considerandum est, quia si leges sæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos sunt, ægrotum respondere non cogunt, quanto minus a Domini sacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eu dem ipsum conflari dignoscebatur, et quod

A nunc ad depositionis casum impellere probabatur, quo dolore in hac vita major ubi quæso est? Et ut strictim pene omnia complectamur, ibi sola obedientia subditorum, quam Apostolus præpositis exhibere jubet (*Hebr.* XIII), reputatur in culpam, et qui prælati judicio temere non restiterunt, sed humiliter colla supposuerunt, severissime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, et qui misericordiam petiverunt, nec justum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, si textus et finis ejusdem concillii accepti non sunt, quando in nomine Domini juxta morem inchoatum non est? Nam cum Apostolo, omne quodcunque fecerimus Deo in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facienda præcipiente (*Col.* III), ritus ecclesiasticus in colligen- B dis conciliis id observet, et in hoc duntaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermissum: constat procul dubio, non eos in nomine Domini congregatos exstitisse, ac per hoc eum minime in sui medio habuisse, qui tale concilium, imo conventicula sua de sanguinibus contra Psalmistam congregaverunt (*Psal.* XV), et quoddam animal imitati, non nisi exstinctis propriis filiis posse subsistere putaverunt. Jam vero si idem concilium ab apostolica sede prætenditur fuisse approbatum, quemadmodum id versuta fuerit cavillatione ab apostolica sede præceptum, fraternitas tua non nescit. Denique de memoratis clericis, Wlfado scilicet et collegis ipsius, quod tibi visum est, consummato, mox præcessori meo beatæ recordationis Leoni præsuli non semel supplices litteras misisti, C quatenus idem concilium approbans, auctoritate apostolica roboraret. Quod ille non solum minime annuit, verum etiam agere sollicite renuit, dicens: Idcirco se petitiones tuas pro confirmanda synodo, in qua depositi præfati viri fuerant, suspendisse, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui in synodo resederant, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta ejusdem synodi destinare debuisses, præcipue cum ibidem legati sedis apostolicæ præsentes non fuerint. Postremo quod hi, quos tu auctoritate synodi affirmabas depositos per proprias litteras ad sedem apostolicam appellaverint, et vellent iterum sua se apostolica audiri præsentia, et tunc si culpabiles invenirentur, non abnuerent catholicam sustinere censuram. Sed venerabilitas tua sciens utique D concilium istud, ut supra ostensum est, reprehensionibus non paucis respersum, acta quidem illius per neminem episcoporum, qui his interfuerant destinavit: ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non cessavit. Sed dejectorum iterato clamore crebrescente clericorum, nec sic quod petebatur laudabilis præsul indulsit. Præcepit autem per alteram suæ sanctionis epistolam, ut ipse ad concilium cum illis occurreres, ad quod suum ipse legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, e latere suo direxerat: ad renovandum scilicet judicium vice sua, et congregatis rursus episcopis ad depositorum reclamantium auxiliante Domino trutinandum ac sopiendum negotium. Ita ut si eisdem dejectis clericis contigisset, ut in ipsa debuissent depositione persistere, et obedire renuissent, sedemque apostolicam iterum expetissent, ne ipsius apostolicæ sedis dissolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur lieentia. Cum quibus præcepit ut tua fraternitas vel missus ejus veniret: quatenus cum fratribus suis episcopis æquum de his judicium conferre potuisset, et utraque parte conveniente, causas eorum eadem sancta sedes canonice definisset. Verum qui prius episcopum, legatum videlicet concilii tui sedis apostolicæ visioni subtraxeras, etiam tuam audientiæ ab ea designatæ præsentiam subducens, probasti de te illa quæ dicta sunt: videlicet quod tale concilium statueris, quale superius monstratum est. Interea te voti effectu frustrato, apostolicæ sedis et beatæ recordationis pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propositum noverat, ab hac luce subtractus est. Cumque sanctæ memoriæ Benedictus vir apostolicus ei successisset in ordine pontificatus, rursus reverentia tua arma præparat, et eidem summo præsuli, tanquam suarum inexperto versutiarum, latenter subripit, et in ipso consecrationis ipsius principio suadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen ei nullo modo subripi aut suaderi potuit, ut a justæ definitionis et discretissimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. Nam sicut videre est, et ipse liquido nosti, qui ejusdem privilegii paginam penes te habere repositam dignosceris, ita per privilegium tibi concessum illius concilii roboravit institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservaret. Unde actum est, ut quod male petitum fuerat, Spiritu docente Dei, bene sapiens præsul concederet; et nihil proficeret humana subreptio, ubi pectus tanti pontificis divina repiebat infusio: nec obesset cujusquam suasio, ubi antistitis sancti prudens obviavit et providentissima moderatio; dum in ipso privilegio tenorem præmiserit, quod sic decretum est ab eo manenda inconvulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo sibi a sanctitate tua referebantur. Interposuit enim ancipitem in eo sententiam dicens: Si ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin diftinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate. Licet tu hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu minus simpliciter excipiens, et nostræ visioni subduxeris, et aliorum notioni subtraxeris: interserens insuper quæ ille aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis definitionibus dixit: Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritate, semperque manere statuimus, et sequentia. Quæ ipse quidem aliter posuit: ut vero addens atque commutans prosecutus es, dicens: Ratas easdem apostolica promulgamus in omnibus fore auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus

oriatur. Quod quantum inter se discreparet, videlicet quod ille promulgavit, et quod tu minuisti, vel adjecisti, vel mutasti, ipse perpendis. Sed adhuc et in alio mira fraternitatis tuæ accedit astutia, et soli proprio voto favens se immiscet prudentia. Denique cum apostolicæ sanctitatis atque memoriæ idem decessor noster papa Benedictus tibi privilegium, de quo nunc diximus, contulisset, ita quæ in eo continentur firmavit, ut suspensam sententiam his jungeret, et ut per omnia sedi apostolicæ sua privilegia, sicut jam fati sumus, et auctoritatis propriæ jura (quæ in hoc et nos quoque secuti sumus), inviolabilia reservaret. Interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum censuit, ne quilibet contra eadem canonica constituta et decreta pontificum Romanorum pertinaciter obviasset, id est, ne quis contra illa quæ tibi concesserat, vel quæ sedi propriæ reservarat, agere tentavisset. Sed tu quæ horum tuo libitui favere conspexisti, omnium notitiæ patefecisti : quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxisti. Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii, quæ sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. Quantum vero talis scriptorum depravatio aut mutilatio noceat, ipse jam potuisti cum fratribus et coepiscopis tuis advertere, qui in concilio videntes quædam ipsius constituti, sicut relatu ipsorum didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppressos pium laborem deterriti minus perfectum deseruisse nunc dignoscerentur, nisi nostris instructi monitis, et nostris ibidem confortati litteris invenirentur. Quamobrem jure fortassis te fraudis aliquid in talibus committere fateri possemus, nisi reverentiæ tuæ, quod ipse non speras, parcere nostra moderatio studuisset. Siquidem relationum detruncatio, non solum cognitionem ab hominibus subtrahit, verum etiam audientes in errorem inducit. Ecce enim dicimus : Justus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo : unde si una sola syllaba subtrahitur, blasphemia protinus in Deum sine cunctatione committitur. Si ergo unius syllabæ tantum in Deum piaculum gignit ablatio, quantum putas tot potest dictionum recisio ignorantibus generare dispendium? Quamvis sit in hoc facto et aliud quoque subtiliter considerandum. Nam cum anathematis interpositio, non solum illos, qui contra beneficia tibi concessa committunt, verum etiam et hos, qui jura sedis apostolicæ temere dissolvunt, complectendo percellat, et tu ipsam interpositionem anathematis, quæ ad sedis apostolicæ pertinent privilegia tacens, post textum præceptionis tibi concessæ, in eo duntaxat quod te mulcet commemoraveris, aperte claret te nos hujusmodi argumento callide tetigisse : cum profecto liqueat, sic illud vinculum anathematis decessoris nostri decretum non observantes percellere, ut tamen jus apostolicæ sedis semper maneat illibatum ; et si ita esse quod suggerebatur, foret per omnia comprobatum. Quod ergo nos in causa dejectorum egimus clericorum, a sedis apostolicæ pertinet privilegium, ac per hoc merito inde sumus immunes. Tu vero violationis ejusdem privilegii haberis obnoxius : qui pulsis illis clericis ad sedem apostolicam provocantibus, manum obicem subdole præparasse cerneris, ac per hoc illatam in eodem constituto anathematis pœnam convenientius incidisse crederis. Videlicet eum talem crebro dicti privilegii textum et tenorem additione, detruncatione, ac mutatione tua cunctis ostenderis, ut merito subinde memoratis clericis metum et desperationem posset incutere, ac eos ab inchoata reclamationis voce prorsus avertere. Nam cum nobis, quos nosti utique prisco Ecclesiæ Romanæ more in regestis exemplaria scriptorum, quæ a sede dantur apostolica, reservare, et quos conjicere potuisti, cum tempore decessoris mei darentur, ea etiam præsentialiter intuitos esse, sic mutilatum et depravatum idem institutum mittere non formidaveris, quam depravatum et defraudatum nullam hujus experientiam habentibus ad subversionem vim patientium forsitan exhibuisti? Quam profecto rem magnopere, frater charissime, fugere debuisti : veritus videlicet, ne si non adversus sæpe dictum tibi collatum privilegium, vel contra principale sedis apostolicæ jus agere videreris, saltem ne in aliquo ipse falsarius, quod absit, a sacerdotali verecundia repererireris. Misisti enim egregiæ recordationis decessori meo per scripta tua, quod iidem clerici ad vicinos episcopos provocaverint, contra te libellum proclamationis dederint, judices sibi ipsi elegerint, et cætera quæ longum est dinumerare significans. At ille divinitus inspiratus tibi rescribens : Si, inquit, ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti, (quod tu de textu penitus erasisti) ratas easdem (subauditur diffinitiones) apostolica promulgamus, non in omnibus, ut ipse addidisti, fore auctoritate, semperque manere statuimus. Deinde subjunctum est, quod tu longe aliter mutasti scribens, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuisse, tam a nobis, quam a sancto concilio vestro fuerit comprobatum, quod dudum suggesseras, merito in irritum ductum est, quod contra dejectos non simpliciter impetraveras. Sed ad propositum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis sæpe memoratis, qui semper ad apostolicam sedem appellaverunt, etiam nobis litteris suis pro dejectione suæ querimoniam exponentibus, non fuit dissimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum tibi misimus, uti commemoratos viros, Wlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeres ad te revocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum tecum fraterne tractares, atque misericorditer consummare contenderes, alioquin ad concilium cum cœteris in illis regionibus constitutis archiepiscopis et episcopis, quibus et nos quoque pro hoc ipso scripsimus, simul occurreres,

quatenus omnes in unum convenientes causas eorumdem clericorum examineretis, et non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito diffiniretis. Si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam, nostrum susceptpturæ speciale judicium personæ vices tenentes utriusque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, suscepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium vestrum, manifestissime significantes, crebro memoratos clericos a totius consona voce concilii dignos graduum suorum receptione pronuntiatos. Ubi nulla, sicut eisdem litteris vestris reperimus, disceptatio provenit, nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit; nullus accusator, nullus condemnator repertus est: sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruit, eisdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Ergo si innoxii sunt illi quondam depositi ab unanimitate omnium approbati qui deposuerant quomodo sunt innoxii jure, nescimus. Arridet autem hujus unanimitatis vestræ sententiæ, atque diffinitioni, etiam tua, quamvis non simplex, submissa tamen professio, qua non solum eosdem fratres, et antea te minime ab officio suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse sive in repulsione ipsorum subscripsisse, verum etiam et nunc ad synodum, sicut nos præcepimus, convenisse, et his quæ de restitutione illorum cæteri antistites consenserunt, paratissime annuisse, et obtemperare curasse test ris. Cujus etiam nomen in epistola synodica, sicut ejus relatio indicat, una cum convenientium fratrum et consacerdotum nominibus pariter ascriptum inventum est.

Illud tamen ridere libuit, quod fraternitas tua crebro memoratos clericos ab officio se minime suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse fatetur: præsertim cum hæc non veritate fulta multis etiam probentur indiciis. Sed quamvis superius summatim tetigissemus quæ gesta sunt, nolumus tamen hæc pleniter exaggerare, ne compellamur quæ digna sunt judicare. Nam nisi tu illos, etiam ante omnem audientiam, et adhuc cum ad te non accusantes, sed misericordiam postulantes accesserint, ab officio suspendisti; quid est quod in actis concilii tui, quod ipse ad sedem apostolicam misisti, a te suspensi ab officio fuisse memorantur? Quibus cum tacens nihil ipse responderis, quid aliud nisi vera eos prosecutos silentio tuo tribuisti patenter intelligi? Et e diverso illi super quo querelas suas crebro dictæ sanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant, vel quem nisi te suum impulsorem a gradibus propriis, infestum sibi, quem circa se veluti patrem benignum debebant cognoscere, frequenti relatione pandebant? Postremo, nisi tu in dejectione ipsorum subscripsisti, imo nisi totius depositionis eorum seriem ipse scripsisti; quid est quod in subinde memorato privilegio, quod tibi ab apostolica sede roborari petisti, beatæ memoriæ decessor meus ad te loquens, quod tu diifinitiones illas in synodo cum cæteris episcopis collecta, juxta relationem utique tuam, propriis digitis roboraveris, manifestat? Quod si dicis, unquam te in illa synodo subscripsisse, ergo nec decessor noster aliquam tibi synodum privilegio suo firmavit. Quippe cum ipse eam, quam auctoritate apostolica stabilivit, propriis digitis tuis te specialiter roborasse commemoret.

Jam vero, quod in epistola tua nobis scripsisti, dicens eorumdem clericorum salubrem ac regularem statum et cupisse te et cupere, et quæsisse et quærere, quis audiens eorum qui cursum negotii vel controversiæ hujus novit, non miretur, et non obstupescat? Porro si cupisti, ubi est certamen, quod pro eorum, ut pote filiorum, recuperatione sumpsisti: Et si quæsisti, ubi apparet? ubi datur saltem intelligi? Verum ostende tu nobis quando statum eorum cupiveris, vel quæsieris, et nos ostendemus tibi prolixitate dimissa breviter, quod non statum, sed casum semper eorum cupiveris et quæsiveris. Nam quid est quod obtinere modo legatis, modo litteris, apud decessores meos, Leonem scilicet et Benedictum beatæ recordationis pontifices te cupere et quærere significas, nisi ut eorum quidem dejectio firmetur, restitutio vero nunquam speretur, casus perpetuo roboretur, status aliquando minime reformetur? Ecce quomodo statum eorum cupivisti, ecce quomodo statum quæsisti. Sed dicis fortasse, te non qualemcunque statum eorum, sed salubrem ac regularem cupivisse atque quæsisse. Verum vel hoc quibusvis exhibe testibus, aut quibus cupis ostende probationibus. Nam tua, nec alia quæ penes nos rejacent, de te tale quid indicant scripta; cum potius ad omnimodam ruinam ipsorum affectum tuum jugiter intentum fuisse patenter insinuent. Ad extremum, si tu eos non dejecisti, quare non cum tui fuerint erexisti? Jam vero, si et id tua sola auctoritate agere nequivisti, quare pro eis apostolicæ sedis auctoritatem non petivisti? quam sic contra eos utinam non petisses. Si quidem ubi est dolor, quem pro eis, ut pote pro filiis, incurristi? ubi est saltem modicus labor, quem pro restituendis illis clementer arripuisti? Quamvis forte verum sit, quod te dejectioni eorum condoluisse et statui gaudere testaris: hoc duntaxat modo, ut sicut de dejectione ipsorum condolueras, ita nunc de statu congaudeas, quia videlicet nec tunc casui eorum condoluisti, nec nunc statui fortasse congaudes. Sed inter hæc libet ad epistolæ tuæ verba intuitum mentis inflectere, et quam nobis non simpliciter scripseris, strictim ostendere. Indecens quippe est, licet te non pudeat, sedi apostolicæ subdole scribere, nisi astutiæ tuæ argumenta ipsa valeat comprehendere. In illa namque epistolæ tuæ constantia, nihil de abjectione clericorum eorum commemorasti; et quam injuste fuerint depositi, nihil penitus demonstrati: cum te oportuerit eosdem profiteri clericos, pro consecratione sibi per Ebbonem collata, nullam sui gradus pati debuisse jacturam. Præsertim cum ipse cum cæ-

teris fratribus et coepiscopis tuis in synodica epistola, quam ad sedem apostolicam communiter misistis, Ebbonem solam [*forte*, solum, HARD.] iram principis in sua qualicunque dicta damnatione incurrisse profitearis. Verum si ita sacros canones intellexisti, cum illos judicasti, saltem hoc ipsum diceres, et quod hinc nos censuissemus, ut pote majoris auctoritatis, amplecti contenderes. Per talem enim confessionem, quam Ebbo fecisse prætenditur, nemo canonicæ damnationi subjicitur. Quod si tu taces, nos silere non possumus, et quod omnes injustum fatentur, ipse justum, quantislibet utaris argumentis, probare non poteris. Quod si formidatum est, ne injusta damnatio eorum in discrimen redundaret auctoris, et ideo quod injuste fuerit prolata taceatur, non congruum initur consilium. Facilius quippe veniam quis veritate, quam exquisitis et minus aptis adinventionibus impetrat. Præsertim cum veritas liberet, mendacium vero perdat, maxime cum non sit timendum, ubi timor non est : nec agnoveris nos talem circa te gestare dilectionis affectum, ut quid te velimus incurrere detrimenti, cum potius tui semper avidi fuerimus augmenti. Nam et Ebbonis causa, et istorum clericorum negotium, quæ prima transierunt, ut tibi cautelam non discrimen tribuant, anhelamus. Regiam quippe viam tenentes, sic illis prodesse decrevimus, ut tuæ sanctitati obesse nullo modo videremur : sicque rursum securitatem tibi super hoc præbemus, ut clericis crebro dictis hanc nullatenus adimamus. Ad ultimum vero, epistola, quæ nobis a te nunc missa dicitur, utrum tua fuerit, convenienter ambigitur; cum nec legatum tuum, qui hanc a te nobis transmissam ediceret, direxeris, nec eam sigillo tuo secundum morem signare studueris. Unde mirandum est, cum in dejectionem ipsorum clericorum etiam volumen non breve composueris, quamobrem in restitutionem saltem unam epistolam simplicem non edideris. In quo apparet, quantum ibi alacritatis, quantum hic desidiæ studium fuerit. Quamvis hæc ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ sanctitatis vel dignitatis exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odii oscula non nescias : sed ne adeo in privilegiorum tuorum defensionem vel elationem immoderatius erigaris, ut apostolicæ sedis jura quoquomodo temere tetigisse videaris (dist. 8 : *Mala consuetudo*). Nam mala consuetudo, quæ non minus, quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur : et incipiunt prævaricationes et variæ præsumptiones, celerrime non compressæ pro legibus venerari, et privilegiorum more perpetuo celebrari. Igitur nos in præfatorum clericorum restitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, et omnium vestrum hortatu generalis incitante consensus, omnimodam conniventiam præbere potuisse cognosce. Sed quoniam non secundum decretum nostrum eorum examinatio mera et perfecta discussio provenit, A nec promotio vel abjectio ipsorum in synodali conventu qualis fuerit liquido reperta est, nec apostolicæ sedi sufficienti relatu monstrata, idcirco paululum a consummanda restitutione ipsorum interim deliberativum consensum nostrum coercere necessarium duximus. Verum quia in decernendo, et in judicando quod canonice deliberatum est, ac in restituendis sæpe dictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, sicut decuit, et ordo poposcit, nostra præcessit auctoritas : conveniens ac honestum est, ut juxta postulationem vestram, nostræ firmationis perfecta subsequatur integritas : eo duntaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, et hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur; B ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant : ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus, et quodam modo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire potest. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis fraternitati tuæ licentia sit, intra totius hujus capedinem anni sæpe dictos exhibere clericos ab ordinibus suis canonice fuisse dejectos : ita ut quidquid habes adversus eos calumniarum prosequendi et exsequendi tibi sit omnino facultas. Quod si totius hujus anni circuitu dilapso, contra eos nullam justam apud sedem apostolicam quærimoniam composueris, nec illos appetere de quocunque vel cujuscunque reatu vel excessu seu damnatione studueris, ipsis C quidem deinceps suis ordinibus permanentibus, non profecto nulli torpori dabimus operam, nec ullo pacto a summa cessabimus diligentia, donec aut tu juste nunc illos comprobes restitutos, aut juste per te quondam ostendas remotos. Alioquin nos subsequenter exhibere procul dubio convenit, non solum sæpe fatos clericos præjudicialiter absque canone ab officio sequestratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter ac sine consequentia ecclesiastica regimine præsulari privatum : quod plane præter te nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat, quandoquidem et nobis ita claret, quantum autumare possumus, quemadmodum his qui illo in tempore præsto fuisse memorantur. Postremo scire te volumus, nostris auribus intimatum D esse, fraternitatem tuam non certis temporibus, et juxta morem aliis metropolitanis antistitibus definitis, pallio a sede apostolica concesso uti. Quod valde displicet, si id a sanctitate tua fuerit elate commissum, ut humilitatis oblita cæteris fratribus suis studeat videri sublimior : quamvis hoc non ad inanem gloriam utendum sit, sed ad ornatum cunctarum virtutum gestandum. Quod bene tempore quo ipsius pallii usum a sede apostolica percepisti, scripto paginæ more solito tibi ostensum atque perceptum est. Cujus usus si fraternitati tuæ a sede apostolica omni tempore concessus est, licet sit præter Ecclesiæ consuetudinem perceptus, ac per hoc rationabi-

liter amittendus (nam privilegium meretur, ut sanctus papa Simplicius scribit, amittere, qui concessa sibi abutitur potestate), tamen his nostris admonitus competenter affatibus, stude ita modeste hoc uti, ut nec elatio mentis invadat, nec jactantia inflet, nec vana gloria vulneret, nec nodum propriæ dignitatis excedat, nec temperantia, sine qua cæteræ virtutes imperfectæ consistunt, oblivioni tradatur. Optamus fraternitatem vestram nunc et semper bene valere. Data VIII Idus Decembris, indictione XV.

CIX.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 866.)

Respondet ad superiores ejus litteras de gestis in synodo Suessionensi.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecte filio CAROLO glorioso regi.

Cum talem se gloria vertra circa nos semper exhibeat, et frequentibus vel litteris vel legatis missis erga pontificium nostrum devotæ visitationis cultum impendat, et decretis nostris obedientiæ sublimia colla gratanti facilitate submittat: nonnisi beatum Petrum apostolum dilectorem suum, cujus locum meritis oppido discrepantes observamus, in nobis honorare se debet pro certo cognoscere : imo Deum in suo apostolo venerari, qui et sanctis suis tantam gloriam tribuit, et nos sollicitudinis eorum hæredes ac successores esse constituit. Sed et nos gratiarum actiones condignas promptæ devotioni vestræ referentes, multo magis ejus omnipotentiæ, per quem et pro cujus nomine talia gerantur, laudes assidue persolvere non cessamus. De cætero, fili charissime, grates piæ benignitati vestræ rependimus, quoniam totum desiderium suum colligens in dejectorum clericorum recuperando statu, studuit delere noxam, quam in depositione ipsorum consensum præbendo contraxerat. Et credimus quod superet merces alacritatis, quam nunc habuistis in receptione, delictum quod commiseratis in eorum dudum repulsione : quoniam istud Dei amore, illud hominis subreptione patratum est. Verumtamen hortamur, et sicut dilectum filium admonemus, cavere vos ne talibus de cætero conniventiam facile tribuatis : quoniam quod hodie committitur, utrum ad emendationem pervenire quandoque valeat ignoratur. Illud præterea commemorare libet, quod inter alia epistolæ vestræ de fratre et coepiscopo nostro Hincmaro textus enuntiat, dicens videlicet, quod omnino consequenter cum reliquis consacerdotibus omnino explere acceleraret, nisi juxta privilegium decessoris nostri domni Benedicti, et nostrum, summam nobis reservandam cœpti de restitutione docerent negotii. Quorum scilicet privilegiorum tenorem si non suatim frater Hincmarus partim celasset, et quædam, quæ illic habentur inserta, quadam astutia cognitioni communi negasset, neminem putamus privilegia nostra a sedis aposto-

A licæ institutis, vel ab obedientia quam exigimus, avertissent. Non enim nos inobedientiam prædicavimus, vel ne obtemperaretur decretis sedis apostolicæ definivimus : cum potius eisdem testantibus privilegiis, salvo Romænæ sedis in omnibus jussu atque judicio, synodum, quam ille pro clericorum dejectione memoratorum collegerat, stabiliter esse manendam censuerimus : et ea conditione ipsius privilegii tenorem ei firmaverimus, si nunquam ille a sedis apostolicæ præceptionibus aliquo tempore discrepasset. Frustra ergo privilegia a sede sibi apostolica concessa, ne sanctiones explere nostras acceleraret, asseverat impedisse : cum constet potius, ut ipsorum textus insinuat, quo magis ad obediendum nobis acceleraret, ea hunc multipliciter admonuisse : atque si rata, quæ sibi collata fuerant, circa se

B sentire voluisset, ad obtemperandum institutis nostris se illa plenius ac abundantius incitasse. Gloriosissimæ præterea charitati vestræ denuo pro Balduino gratias agimus, denuo circa eum exhibitum tantum inclinem vestræ devotionis affectum laudamus, denuo quod deest, oblatis pro eo petitionibus nostris, suppleri per pietatis vestræ munificentiam deprecamur. Justum enim est, ut bonum, quod pro divinitatis respectu nobis intervenientibus cœpistis, ut obedientiæ ac dapsilitatis vestræ, atque clementiæ merces perfecta sit consummare benevole satagatis. De cætero, charissime, vigil esto, et solerter intentus circa sanctam Romanam Ecclesiam, et erga sedem apostolicam, quemadmodum Dei cultores parentes vestros exstitisse nonnulla scripta et probabiles viri

C testantur : quoniam illæ penitus vestri, dilectorumque vestrorum, penes apostolorum confessiones nullo modo poterunt oblivisci. De restitutis vero clericis quid decreverimus, epistola nostra fratri et coepiscopo nostro Hincmaro missa recitata sapientiæ vestræ auribus poterit intimare. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc et semper bene valere, dilectissime fili. Data VIII Idus Decembris, indictione XV.

CX.

(*a*) AD WLFADUM CLERICUM RHEMENSEM, ET SOCIOS.

(Anno 866.)

Gratulatur de ipsorum restitutione, quam ratam habet, monetque ne injurias ulciscantur, et ut Hincmaro præsertim reverentiam exhibeant.

(Apud Mansi, *ibid.*)

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus clericis Wlfado scilicet et cæteris qui cum

D eo dudum depositi, nunc vero decreto sedis apostolicæ ac synodali promulgatione restituti Deo auctore consistunt.

Divinæ miserationis plenitudinem neminem velle perire, nec de sacrato numero gregis sui casu quolibet decidere, nullus, qui divitias bonitatis ejus considerat, prorsus ignorat, cum etiam proprio Filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum (*Rom.* VIII) : cujus ovis, quæ perierat, pietatis humeris reportatur ad gregem; cujusque clementiæ

(*a*) *Ad Wlfadum et socios.* Wlfadi vicissim et sociorum in codice Laudunensi exstat epistola ad Nicolaum, in qua gratias agunt de sua restitutione, petuntque ut sibi altiores gradus provehi liceat. JAC. SIRM.

viscera nos quoque pro modulo nostro sectantes, non passi sumus voces vestras diu contemnere, nec super contritione ac gemitu vestro compassionis aures obstruere, nec dejectionem, quam a fratre et coepiscopo nostro Hincmaro, seu cæteris episcopis, nullius æquitatis censura pertulistis, sine iteratæ ventilationis examine præterire. Ideoque jussimus fratrum et coepiscoporum nostrorum Galliæ, Neustriæ, vel Germaniæ synodum celebrari, et causam vestram in eodem venerando concilio examinari et non aliqua emersa disceptatione, Deo præ oculis habito, definiri. Quo Dei gratiæ juvamine peracto suscepimus nunc litteras synodi, relationem omnium continentes episcoporum, vos innoxios cunctorum unanimitate comprobatos, et a totius consona voce concilii dignos graduum vestrorum receptione pronuntiatos, manifestissime referentes. Ubi nulla disceptatio, nulla varietas alia atque alia defendentium, nullus accusator vel condemnator inventus est; sed cunctorum, una cum jam dicti fratris et coepiscopi nostri Hincmari consensu, una eademque sententia, atque in restitutione vestra par omnium consonantia, similiter pronuntiata definitio claruit. Propterea et nos quoque in restitutione vestra et receptio et graduum vestrorum conniventiam præbuisse cognoscite, et congratulari vobis pro statu vestro, quemadmodum de abjectione condoluimus, procul dubio credite. Igitur quoniam in decernendo et in judicando quod canonice deliberatum est, et in restituendis vobis Deo præduce sicut decuit et ordo poposcit, nostra præcessit auctoritas, conveniens ac honestum est, ut nostræ firmitatis perfecta subsequatur integritas. Ea pro re congaudemus vobis, et ut jam fassi sumus, congratulamur, et quæ decreta sunt super status vestri recuperatione, Dei omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli, atque per eos nostræ mediocritatis auctoritate roboramus, et ut secundum beneplacitum Domini jugi stabilitate faciente Deo maneant libenter oramus. Præterea volumus et hortamur vos, ut tales de cætero in omnibus vos exhibeatis, ut in nullo ingrati circa beneficia Domini vobis collata reperiamini. Proinde misericordiæ ipsius gratias agite, et quoniam vos in finem non deseruit semper in mentem reducite, humilitatem præ oculis semper habentes et cor vestrum ad meditandum quæ æterna sunt, infatigabiliter erigentes: ante omnia vero sollicite præcaventes, ne memores vestrarum sitis injuriarum, neque succenseatis adversus eos qui has vobis intulisse probantur. Fratri autem et coepiscopo nostro Hincmaro debitam humilitatem et competentem reverentiam exhibete: nec sit aliquo tempore vobis licentia contra eum, pro eo quod ab eo fueritis ab officio suspensi, querimoniam componendi, vel sinistra ii vicissitudinem retribuendi. Quoniam nos in erectione vestra nullius ruinam quæsivimus nec si unam partem stabilire volumus, ut partis alterius dignitatis vel juris detrimenta patiamur. Fruimini ergo hujus nostræ præceptionis decreto, et hoc pro vestri munimine, ac graduum stabilimento contra omnes calumniatores vestros utimini: vobisque semper existat facultas in opportunitatibus ad sedem apostolicam provocare, et ejus judicium secundum canones præstolari. Nolumus tamen vos ignorare, nos fratri et coepiscopo nostro Hincmaro dedisse inducias, ut intra spatium anni hujus licentiam habeat contra vos de dejectione vel restitutione vestra, si velit, apud nos negotium exsequendi. Quod idcirco dicimus, ut sollicitos vos reddamus, et qualiter si necesse fuerit ei resistatis, ante præsciatis, ut ejus talis arma justitiæ vestræ præparare valeatis. Optamus vos in Christo bene valere. Data VIII Idus Decembris, indictione decima quinta.

CXI.

AD NOBILES AQUITANOS.

(Anno 866.)

Ut res ecclesiarum, quas injuste quoquomodo retinent, sine mora reddant, ac deinceps ab iisdem abstineant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis omnibus nobilibus atque primoribus seu cunctis Aquitaniæ habitatoribus.

Sollicitudinis, quam pro universis ecclesiis Dominicis sustinemus, necessitas nos compellit de omnium fidelium statu impigram gerere providentiam. Quapropter de vobis etiam solertem curam circumferentes, audimus quosdam vestrorum, quod non optamus, ita contra Deum efferri, ut ecclesias ejus et diversa pia loca deprædari non timeant, et res eis pertinentes distrahere non recusent. Quæ res valde nos contristavit, et ultra quam dici possit menti nostræ mœstitiam generavit. Et ideo, filii charissimi, curæ nobis fuit, ut his vos nostri pontificatus hortaremur affatibus, ut saluti vestræ providentes solerter a tanta crudelitate cessetis, quinimo quæ violenter aut quoqnomodo sine lege tulistis, reddentes tantum corrigere curetis. Nam quamvis Domini sit terra, et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII), illæ tamen res, quæ a piis principibus, atque fidelibus quibusque hominibus, sacratis locis collatæ sunt, specialiter esse Domini sine cunctatione creduntur, dum divinis cultibus dicatæ, ac Deo famulantium usibus existere deputatæ cernuntur. Unde in Deum procul dubio committunt, et ipsi præjudicium inferre probantur, quicunque has usurpare, et sibi non legitimæ vindicare non metuunt. Nimirum quoniam cum a piis quibusque locis res auferunt Deo militantium stipendia subtrahunt: et dum subsidium divino cultui jugiter famulantibus adimunt, laudes Dominicas quodammodo ab ipsis hominum faucibus abstrahunt. Quamobrem vos rogamus, ut ab ista tyrannide remoti, sua singulis Deo sacratis locis sine dilatione reddatis: ita ut nihil ex his apud vos retineatis, nisi quæ forte per propriam voluntatem rectorum quorumdam sacrorum locorum legaliter acquisistis. Ita ut etiam illa sub omni integritate restituatis, quæ simplicitate vel desidia faciente rectorum venerabi-

lium locum, de salariis, quæ sunt semper in usu et jure perenni sacratis locis collata, vos constat ordine non bono tulisse, et hactenus contra Dei leges illa possidere probamini. Similiter autem et de his hortamur a vobis fieri, quæ regis quomodocunque a sanctis locis aliquo tempore abstulerunt, et vobis in beneficium contulerunt. Quod justum non fuit, nec est : et quisquis hæc sibi vindicat, Deum inde sine dubio habebit judicem et ultorem. Quoniam si qualescunque rapaces et violenti, nisi corrigantur, si non humano nunc, certe quandoque divino judicio districtissime punientur : qua putatis pœna mulctandi sunt, qui contra Deum ipsum rapinam et violentiam perpetrare manifestissime comprobantur? Denique prædecessores vestri, antiqui principes, adhuc et moderni, non solum minime a piis Domino B dicatis locis diripiebant, verum etiam ex suis propriis innumera conferebant : adeo ut eadem sancta loca eorum sumptibus cum Dei auxilio dedicata sint, et eorum opibus ampliata; quos si in largitionibus imitari non vultis, saltem quæ Dei sunt ipsius violenter auferre nolite. Si enim qui de palatio regis aliquid præsumit, non evadit legaliter impunitus, quanto minus qui ab ædibus Dei, qui est rex regum, et Dominus dominantium, ea quæ ipsius sunt violenter usurpat, ejus valebit effugere non subsequente correctione judicium, vel sine pœna poterit exsilire? Itaque quoniam horrendum est incidere in manus Dei viventis, admonemus vos et hortamur, et tanquam divina præsentia protestamur, ut res ecclesiarum, quas injuste retinetis, eisdem sanctis locis sine procurata mora reddatis : et deinceps nec eas, nec C alias a piis locis subripere præsumatis. Si quis autem vestrum nos audire contempserit, et quæ salubriter suadere vobis nitimur, obedienter perficere, ac sine dilationis studio minime observare curaverit, omnipotentis Dei et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli auctoritate, quos in nobis contemnit, simul per eos et nostræ mediocritatis sententia, venerandi corporis et pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione penitus privatus existat. Si autem resipuerit, et his quæ per hujus epistolæ textum dicimus obedire studuerit, et communionem Christi mysteriorum, et beatitudinis gratiam et salutem consequatur æternam. Optamus vos in Christo bene valere. Data mense Decembri, indict. xv.

CXII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 866.)

Ut curet a Lothario restitui ea quæ a Helletrude sorore sua Berengarii vidua abstulerat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Litteris scilicet suis de Helletrude Berengarii comitis quondam relicta nobis pernotuit, Lotharii videlicet regis pressuris annihilatam, ejusdemque præjudicia fore perpessam, apostolatui nostro hæc atque alia suggessit, quo eidem Lothario apostolicis exinde

A mitteremus litteris monita, et vobis, dilectissime filii fatrique vestro Ludovico excellentissimo regi nostram dirigeremus epistolam : quatenus vobis succurrentibus atque foventibus ipsa procul dubio vidua ad perfectam de suis rebus perveniret justitiam; quoniam non solum prædia a genitore suo Lothario imperatore per præceptum largita sustulit, sed etiam proprietates ejus a parentibus suis sibi præfatæ Helletrudi dimissas collusiose subripuit, eisdemque sanctæ Dei Ecclesiæ infideles Nortmannos paganos beneficiali more sane donavit. Nos vero jam dicto Lothario nepoti vestro apostolicas litteras mittere nequivimus : quia pro nefariis et illicitis negotiis ab illo abolendis, vobis plane auditis, excommunicatum habemus. Sed excellentiæ vestræ ineffabili dilectione colendæ, poscendo dilectissime fili, dirigimus, ut pro reverentia apostolorum principum, ad quos quasi refugium faciens, rogavit illa scriptis justitiam, et pro eo quod jure agnationis, sive majoris natu, vos a talibus illum decet coercere illicitis, super his per vestrum missum, aut epistolam, tam ex nostra sanctione jubendo, quam ex vestra parte rogando, seu legum auctoritate monendo, jam sæpedicto regi mittere studeatis. Et si vos forte, una cum fratre vestro Ludovico glorioso rege conjuncti, eumdem nepotem vestrum quæque pro causa sororis suæ, ut credimus, fueritis allocuturi, quæsumus affatim, ut hujus crebro fatæ viduæ Helletrudis causam, tam de propriis quam de beneficiis per testamentum a jam dicto Lothario Augusto quondam concessis, nulla officiente ratione usque ad finem perducatis : ut cum, Deo favente, a priore nævo fuerit correctus, illius feminæ causas restituat, et ut ne adjiciat iniquitatem super iniquitatem in regno suo, sed faciat justitiam suam abundanter. Quoniam quidem regum examina decet omnibus subvenire, præcipue viduis, quarum judex Christus est. Itaque hujus instar epistolæ epistolam de hac causa nunc ceu vobis, haud secus Ludovico fratri vestro direximus. Dolemus oppido pro talibus, eminentissime rex, prædia Christi fidelium quoquomodo tollentibus, et Christi regis infidelibus beneficii more donantibus. Interea rogamus ut quidquid perfectionis consulta super his vestra perfecerit excellentia, scriptis per singula apostolatui nostro non dedignetur vestra intimare regalis magnitudo. Excellentiam vestram nunc et semper bene D valere optamus in Christo.

CXIII.

PRIVILEGIUM PRO PARTHENONE VIZELIACENSI.

(Anno 867.)

[Apud Acherium, *Spicilegii*, tom. II.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, religiosæ et Deo dicatæ, quæ divino nutu divinaque providentia in monasterio fuerit constituta, quod a vobis Gerardo scilicet clarissimo nostro illustrissimo comite, et nobilissima filia Berta in nomine Domini nostri Jesu Christi, et veneratione beatissimæ Virginis Mariæ genitricis ejusdem Dei et Do-

mini nostri Jesu Christi, in loco vel agro qui dicitur A Vizeliacus, in pago Avalensi iu finibus Burgundiæ, constructum est, opibusque ditatum, et omnibus quæ post eam in eodem monasterio abbatissæ regimen tenuerint in perpetuum : de quo monasterio cum omnibus jure ad se pertinentibus pro remedio et futura retributione animarum vestrarum hanc sanctam hæredem Romanam fecistis Ecclesiam, illudque per donationis paginam, beato Petro apostolorum principi contulistis.

Quando ea [ad] quæ catholicorum virorum corda pontificum sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio, divina præveniente clementia, succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, alacri et læto sunt animo concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiunt si nollent facere, peti debuerant: proinde juxta vestram B petitionem monasterio in honore Domini nostri Jesu Christi quod in parochia urbis Augustodunensis in loco et regno prænominato a vobis religiosa devotione fundatum est, hujusmodi privilegia præsenti nostræ apostolicæ auctoritatis decreto indulgentes concedimus, confirmamus atque statuimus, ut nulli regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædito dignitate, vel cuiquam alii de his quæ eidem monasterio a vobis, vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione liceat quocunque modo concedere, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a vobis quam ab eis quæ in eodem loco in officio abbatissæ vel conversatione religiosa successerint, C seu qni pro animæ suæ remedio ibidem oblationes suas obtulerint, a præsenti tempore illibata et sine inquietudine volumus, et apostolica auctoritate præcipimus possideri, earum tantum usibus, pro quarum sustentatione ac gubernatione concessa sunt fuerintque, modis omnibus profutura, ea conditione ut nullus successorum nostrorum in sancta hac sede, cui auctore Domino deservimus, unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu concedere, vel retinere, per futura tempora patiatur. Sed censum tantummodo in testamento traditionis vestræ, quo ex eodem monasterio hæredem hanc sanctam fecistis matrem Ecclesiam, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, piæ paternitatis suf- D fragium eidem monasterio, et abbatissæ, et monachis sub Regula sancti Patris Benedicti ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus ut, obeunte abbatissa prædicti monasterii, non alia ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quam consensus monachorum secundum timorem Dei et institutionem Regulæ beati Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex prævideerit ordinandam, aut suggestione monacharum consenserit ordinatam.

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de sacerdotibus, nullum de regibus, vel quemcunque fidelium per se suppositamve personam de ordinatione ejusdem abbatissæ, vel clericorum atque presbyterorum, vel de largitione chrismatis aut consecratione basilicæ, aut de quacunque commoditate specialis (*a*) aut temporalis obsequii, sive quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in auro vel alia qualibet specie commodi vel exenii loco quidquam accipere, neque eamdem abbatissam ordinationis suæ causa quidquam dare præsumere; ne hac occasione ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur, aut jam oblata sunt, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbatissa ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in cœnobio eodem indicat, ne ancillarum Dei quies quoquomodo populari conventu valeat perturbari, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium, et religiosorum, ac religiosarum, atqne beneficentiam quam jabet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem gratis fieri [non] denegamus, verum etiam suademus. Sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, cunctis post vos succedentibus, qui idem monasterium a vobis exstructum, et S. R. Ecclesiæ traditum sub usufructuario retinetis, vel eis quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus.

Si quis vero sacerdotum, judicum, atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisve sui dignitate, percussus apostolico anathemate, careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit a sacratissimo corpore Dei et Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Sofronii, regionarii et scrinarii Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio. Datum vero per manum Tiberii, primicerii sedis apostolicæ.

CXIV.

EPISTOLA AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Ad pacem ineundam hortatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS LUDOVICO imperatori.

Christianæ religioni nihil officit, imo proficit, si

(*a*) *Specialis* lege *spiritalis*, ita enim postulat sensus. Librarium fefellit compendium scribendi *spalis*.

charitate magistra divino intuitu cum exteris quibusque pro Remediis et securitate Christianorum placitum inieritis,cum constet non ob aliud id fieri nisi ut fera sævitia eorum quæ in fideles unanimiter exardescit, aliquo modo refrenetur. Nam cum Salomonem cum alienigenis ad sanctam gloriam multiplicandam et ad templum Domino facilius construendum amicitiæ fœdera habuisse Dominica sciamus referente historia,quid mirum si pius imperator ad gloriam Dei et ad securitatem sanctæ Ecclesiæ,quæ vere divinum est templum,cum exteris gentibus placitum confirmet; maxime cum piæ memoriæ Carolus, abavus vester, nonnisi ad remedium et solatium Christianorum qui in diversis locis inter eos tanquam grana inter paleas tundebantur.placitum cum eorum principe noscitur procul dubio perpetrasse?

CXV.

AD CAROLUM [CAROLUM CALVUM] REGEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De Joanne Scoto, quod in quibusdam bene non senserit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Relatum est apostolatui nostro quod opus beati Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus, Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti et nostro debuit judicio approbari : præsertim cum idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, et nobis præfatum opus sine ulla cunctatione mittat : quatenus dum a nostri apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

CXVI.

AD DONNUM EPISCOPUM.

(Anno 867).

De quodam qui fratrem suum occiderat.

[Ivo, x, 184.]

Nicoaus Donno episcopo et Carolo regi.

Quidam vestræ diœceseos vir Hugo nomine venit, qui lacrymoso affatu nostro pontificio retulit qualiter fratricidium,antiquo hoste cogente,fecerat,et qualiter sub pœnitentiæ jugo pro tanto facinore a vestra fuerat constitutus beatitudine. Nos autem tantæ adversitatis piaculum, et fraterni sanguinis audientes effusionem non paucas fundentes lacrymas contristati sumus. Tamen quia,ut aiebat,tantæ maculæ culpam lacrymarum fonte abluere fraterna jubente gratia malit, sancimus ut proprias possessiones quæ ab eo pro hoc facto ablatæ sunt, incunctanter recipiat, ne paupertatis inopia constrictus ad pejora deducatur. Nam et propria legitimaque uxor illlius a qua separatus est,vestra sanctitas illi ut statim reddatur satagat,ne in fornicationis voraginem,quod noluimus,incidere videatur. In reliquis vero secundum pœnitentiæ modum quam illi instruxistis peragere maneat.

CXVII.

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

Monasterialibus disciplinis nullus subjiciatur invitus.

[Gratian., Decr. II, c. 20, q. 3, c. 4.]

Præsens clericus nomine suo Lambertus,una cum patre suo, nomine Attho, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans adiit præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater ejus in laicali adhuc ordine in prædiis propriis ædificasset duo monasteria, voluntatem gerens ut post decessum suum præsens ejus filius Lambertus in locum ejus succederet : quem infra teneram ætatem inter octavum et decimum annum constitutum memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione extra omnem illius voluntatem cucullam induit.Igitur post quoddam ipsius temporis spatium, ut ipse dicit Salomon episcopus,cum quibusdam aliis absque patris oblatione,vel abbatis percepta benedictione, eumdem Lambertum monasticum habitum induere fecit, ut ferunt, invitum : et sub hac occasione, paterna seu materna hæreditate a fratribus suis privatum esse, atque contra omnem, ut dictum est, voluntatem suam, quasi regularem illum monachum permanere volunt. Super qua re diligenti cura investigantes etiam sub abjuratione patrem ipsius, si verum diceret, interrogavimus : sed idem pater Attho respondit se talem habuisse et habere voluntatem, ut filius suus verus monachus fieret, et in locum ejus succederet. Sub testificatione autem jurejurando firmavit : quod quando primitus ei cucullam induit,idem Lambertus semper restitit,et nunquam se fieri monachum consensit : sed demum ab insequentibus monastico habitu violenter est indutus,asserens quod nunquam regulam aliquam promisit,neque ego pater ejus pallio altaris indutum illum obtuli,neque a quocunque sacerdote vel abbate,ut mos poscit,benedictione percepta regulæ unquam se monachum subjectum futurum promisit. Super his omnibus etiam protestatus est præfatus clericus Attho quia si eo tempore tam duræ observantiæ monasticam intellexisset regulam,nunquam eumdem filium Lambertum coegisset portare cucullam.Quapropter consulte Psalmographi verba recolentes, quibus voluntarie se Deo sacrificare pronuntiat, at voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat; præsentem, ut dictum est, clericum nomine Lambertum minime debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit nec optat,profecto non diligit: quod autem non diligit,facile contemnit. Nullum quippe bonum,nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit. Quapropter consultius agetur si piis suasionibus contemptum mundi, et amorem Dei prædicando,quam violentiam inferendo, ad cœlestem amorem illum accenderitis. Unde omnium vestrum charitati hanc nostri apostolatus mandare decrevimus epistolam, monentes atque

præcipientes quatenus, si ita verum est ut isti dicunt, nullus episcopus, vel abbas seu monachorum reliquorum conventus monasticis illum regulis invitum subjacere compellat, neque ullo modo fratres ejus per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum hæreditate privare : sed usque dum divina inspiratione compunctus propria voluntate regulæ se subdat, liceat eum a mundanis et laicalibus remotum vocationibus vel negotiis inter religiosos et ecclesiasticos viros in canonica degere vita. Non enim putamus, quod absit, canonicos religiosos a sanctorum monachorum vitæ et consortio conjunctos, quia unusquisque, secundum Apostolum, propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.

CXVIII.

AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

(Anno 867.)

De sententiis atque interdictis sedis apostolicæ, inter alia.

[Mansi, *ibid.*]

I. Ut archiepiscopi canonicos conventus in provinciis sibi commissis cum timore Dei faciant; ubi omnes cum venerabilibus episcopis nobiliores provinciæ conveniant; ibique integritatem fidei et canonicarum regularum observantiam audiant, et ad tenendum ne excusari possint, subscribere doceantur.

II. Ut metropolitani vigorem ecclesiasticum reverentius servent, et sive in vita, sive in doctrina singulari auctoritate præcellant; sæculares discursus et negotia vitent; zelo pietatis inflammati adversus mundialium hominum malitiam fortius et verius insurgant; principes regni adulando non decipiant, provinciarum suarum munere divino sibi commissarum in omnibus curam habeant.

III. Ut suffraganei reverentiam et obedientiam condignam metropolitanis suis exhibeant, ad metropolitanam sedem obedientes occurrant; causas ecclesiasticas cum metropolitano suo fideliter pertractent, et ab ipso formam qualiter ipsi in ecclesia sua agant accipiant.

IV. Ut archiepiscopi et episcopi plebes vel baptismales ecclesias in diœcesibus suis more antiquo constituant, et laici a talibus cavere doceantur; ad quos reliquarum ecclesiarum tituli pertineant; ut ibi conventus celebrior populorum fiat, et doctrina fidei ac Christianitatis in unum congregatis liberius prædicetur.

V. Ut archiepiscopi cum coepiscopis suis auctoritate patrum nostrorum muniti procurent, ut sacris locis dignæ personæ præferantur, et sæcularium habitacula loca Deo dicata vel sacrata non fiant. Unde et nos pios principes ubi opportunum fuit monuimus, et propter honorem Christi charitatis suæ, quod diebus illorum depravatum et destructum est, sollicitius et melius recorrigant. Ipsi quoque archiepiscopi et episcopi cupiditatem suam cohibeant, ut laicos postmodum ab illicita præsumptione liberius castigare valeant; neque sicut hactenus factum est ad scandalum et ruinam multorum aliena appetunt, et locis ad jus suum et episcopatum non pertinentibus dominari non expostulent; sed contenti terminis suis : sicque potentialius laicorum avaritiam et cautelam reprimere poterunt.

VI. De excommunicatis publice propter publicum crimen, ut per publicam pœnitentiam recipiantur, et secundum modum facti canonica auctoritate singulis pœnitentia prolongetur.

VII. Ut non temere excommunicationes fiant ne auctoritas episcopalis vilescat, neque absolutiones inordinate, nisi satisfactio ordinabiliter regulis patrum consentiens præcedat.

VIII. (25, q. 2. *Si quis d.*) Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, et pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit; anathema sit. (*Hoc vero pastremum decretum desumptum est ex capitulo quinto concilii Romani sub eodem pontifice Nicolao anno* 863 *celebrati.*)

CXIX.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 867.)

Pœnitentia injuncta illi qui monachum presbyterum occiderat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo.

Quibus genitibus (*a*), quantisque lacrymis filiorum discrimina paternus affectus condolere soleat, verum etiam oporteat, vestram satis novimus experiri prudentiam. Quapropter infulatum vestri ardoris, ecclesiastico lacte nutriti, et ad solidos prædicationis profectus perducti, volumus nosse quod iste Eriath ad apostolorum limina confugerit, indulgentiam postulando super ea quam incurrit homicidii noxam. Ferebat se utique quemdam presbyterum atque monachum nihil cum morte dignum occidisse : unde et humiliter ostendebat se pœnitentiæ velle colla submittere. Ideoque nos ei injunximus, ut duodecim annorum meta terminum pœnitentiæ sibi injunctæ includeret. Quorum tribus prioribus, ante fores ecclesiæ lugendo, singultus edendo misericordiam a Domino consequi festinare procuret. Quarto deinde, atque quinto, inter auditores omnipotentem exorare studeat, absque corporis et sanguinis Domini susceptione. Residuis præterea se-

(*a*) *Quibus gemitibus.* Flodoardus lib. III, cap. 23. Hincmari ad diversos episcopos epistolas enumerans : *Hilmerado*, inquit, *Ambianensi, pro quodam monacho, qui presbyterum et monachum in monasterio sancti Richarii occidit pro quo domnus papa Nicolaus litteras eidem domno Hincmaro direxerat pœnitentiæ tenorem continentes.*

ptem annorum curriculis, communionem Dominici sacramenti suscipere liceat celeberrimis festivitatum diebus, oblationes quidem nullatenus offerendo. Verumtamen, omnibus prædictis temporibus, excepto festivitatum diebus, et resurrectione Dominica, continue quadragesimali more usque ad vesperam jejunus perseveret. Et si alicubi opportunus habuerit iter, nullo vehiculo deducatur, sed pedestri itinere utatur. Usque ad mortem denique pœnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat : sed devotionem ejus fidei considerantes, sive quia ad suffragia apostolorum festinaverit, humanius cum illo peregimus. Interea hortamur vos, ut reverentissimo Hilmerado episcopo, suffraganeo vestro, præcipiatis quatenus permittat monachos monasterii sui sub monastico habitu quiete degere, et pœnitentiæ fructus exercere. Hos itaque apostolatus nostri apices suscipientes, ita spiritali oculo vitam futuram pœnitentiæ ipsius discutite, et catholica pietate manu discretionis quæ oportuerit perpendentes, sic cum illo peragitis, quatenus et canonica auctoritas observetur, et ovis Dominica raptoris vulnere sauciata nullo neglectu perdatur, sed examine divini judicii ad dexteram Christi remuneranda inveniatur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

CXX.

AD HINCMARUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 867.)

Accusator et accusatus simul debent adesse.

[Grat., II, 3, q. 9, c. 21.]

Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum justitiæ tramitem, et accusatum et accusatorem simul adesse, et unam partem, quantacunque et qualicunque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

CXXI.

AD HERARDUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Restituendus est, quem neque convictum, neque confessum constat esse ejectum.

[Apud Mansi, *ibid.*]

(v. q. 1. *Notum sit.*) Notum sit tuæ fraternitati quod iste presbyter, nomine Christophorus de sua angustia ad nostram clementiam lacrymabiliter sit conquestus, dicens se falsis criminibus impetitum, et ab ecclesia sua non convictum, neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum. Nam, ut ipse refert, tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se, neque de fornicationis crimine, neque de homicidii consensione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa : nisi quia suæ paupertatis causa, quæ petebantur, aut consentire noluit, aut implere non potuit : quæ suus tamen æmulus ultroneus egit, qui injuste illius ecclesiam præripuit. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut etiam quæ, te forte ignorante, Gieziaca cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur. Scilicet restituendo ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque rei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem, et nullatenus canonica instituta alicujus temeritate contemni permittas, facientem et consentientem par pœna perstringit.

CXXII.

AD FROTARIUM BURDIGALENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Invasoribus rerum ecclesiasticarum quæ pœnitentia sit imponenda.

[Apud Mansi, *ibid.*]

(12, q. 2. *De viro nefando.*) De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera, et compita insidians, vobis in ecclesiæ vestræ villa una cum clericis vestris manentibus, et populum salubribus instruere dognatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus sancta apostolorum Petri et Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, et iniquitatis complicibus, nefarias invasiones, et deprædationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpsit : et, ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare, sacraque Dominici corporis et sanguinis vasa, insuper et sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia et ad communem usum apta præsumpsit; dilectio vera consuluit, si ipse, vel qui cum eo tam impio et iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tacti divina venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis. De quibus, si tamen ita est, jubemus, cum ad pœnitentiam reverti acceleraverint, uno anno extra Ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa extra ritum fidei christianæ diripienda auferre non dubitaverint. Secundo vero anno, ante fores ecclesiæ sine communione maneant. Tertio vero anno, ecclesiam Dei ingrediantur, et inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter natalis et resurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, si his prioribus tribus annis fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes talia se ulterius, nunquam facturos, corpus et sanguinem Domini suscipere mereantur : et usque ad septimum annum, tribus in hebdomada diebus, sine esu carnium et vini potatione maneant pœnitentes.

CXXIII.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De catechismo baptizandorum.

[Apud Ivonem, I, 87.]

NICOLAUS papa JOANNI archiepiscopo Ravennæ.

Catechismi baptizandorum a sacerdotibus unius-

cujusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in sancta hac Romana, cui Deo auctore ministerium famulatus nostri exhibemus, Ecclesia solemniter fieri comprobatur.

CXXIV.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAENNATEM.

(Anno 867.)

De illis qui, uxoribus suis dimissis, ad alias nuptias transierint.

[Ivo, VIII, 221.]

NICOLAUS, archiepiscopo Ravennæ.

De senatoris conjuge, quam adulteram esse dicitis et propter adulterii reatum disjunctam a viro suo esse judicatam, et monachicam vestem indutam, atque velatam, nescimus utrum juste an aliter hoc sit terminatum judicium; et si adultera apparuit, hoc magis a viro suo debuit esse inquisitum : et si a viro suo requisitum fuit, indagatorum vel judicum præsentia debuerat examinatum esse, atque terminatum : et post terminationem et approbationem atque manifestationem, tunc aut legali calculo aut canonico judicio ipsius causæ sententiæ diffiniri. Et si nec hoc nec illud factum est, quis eam ausus est religiosa induere veste et sacro cooperire velamine? Tamen id subtilius Dei præ oculis habentes timorem, præcipimus, ut præsentia missi vel vicarii vestri, in vero examine præsente viro suo examinatio fiat. Et si justa et rationabilis eorum causa apparuerit, maneat. Et si aliter apparuerit, ut prætulimus, secundum Dei omnipotentis voluntatem atque timorem eorum definiatur causa.

CXXV.

AD ADALWINUM ARCHIEPISCOPUM JUVANIENSEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De vidua quæ post assumptum sanctimonialium velamen ad nuptias redierit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro ADALWINO sanctæ Juvaviensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Quod autem interrogasti de femina quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea ad nuptias rediit, bonum mihi videtur quia per hypocrisin ecclesiasticam regulam conturbare voluit, et non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, et revertatur ad id quod spopondit, et in sacro monasterio inchoavit. Nam si consenserimus quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, et non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus est turbatus, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum ficte suscipere, et in Christianitate permansurum se finxisse, cum per apostolum, fraude ejus decreta, quod sibi futurum esset, prænuntiatum est? Ait enim : *Pecunia tua tecum sit in perditione : cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, ut forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse* (*Act.* VIII, 20). Ideo tales, nisi resipiscunt, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicut Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt.

CXXVI.

AD EUMDEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

[Ivo, XI, 104.]

Clerici qui in adolescentia a dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum accedere non possunt.

CXXVII.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Quod episcopus vel clericus nullo modo venationi debeat insistere.

[Ivo, V, 353.]

NICOLAUS ADALWINO Juvaviensi archiepiscopo.

Quorumdam relatione fidelium auribus nostris intimatum est quod Lanfredus episcopus, qui et juvenis esse dicitur, venationi sit deditus. Quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo genere duntaxat Germanos et Gallos irreverentes [*f.*, reverentes] implicat. Verum iste, si ista est ut audivimus, merito juvenis dicitur, qui juvenilibus desideriis occupatus, nulla senum gravitate constringitur.

Item. O miseram vitam hominum et maxime sacerdotum! qui, dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, et quos capere oportet homines, capiunt aves et bestias; qui dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum! O infelicem vitam super omnem vitam? Nam in quo magis quisque carnalis apparet quam in tali vita? Venatorum enim vita nil præter carnes capit, in qua dum quisque permansit nunquam probatus est. Nam, ut beatus dixit Hieronymus, venatorem nunquam legimus sanctum. Væ hujusmodi præsulibus, qui dum debent Petrum, Andream, Jacobum et Joannem, quibus a Domino dictum est : Venite post me, faciam vos piscatores hominum (*Matth.* IV *et Marc.* I), ad imitationem suam eligere, quorum et discipuli sunt : magis Nemrod (*Gen.* X) et Ismaelem (*Gen.* XXI), atque Esau (*Gen.* XXV *et* XXVII) reprobos imitantur, qui hujusmodi adinventionibus incubuisse referuntur. Nihilominus autem de hoc episcopo relatum est apostolatui nostro quod cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem, et ob id mala fama ei orta sit : pro qua re a sanctitate tua cæterisque coepiscopis suis commonitus ac correptus est, sed nullatenus emendatus. Quæ res in hoc maxime displicet, et magis ac magis de se deteriorem reddit opinionem. In quo beatitudini tuæ et coepiscoporum suorum rationibus non obedit et per inobedientiam in culpam protoplasti relabitur. Oportet ergo fraternitatem tuam sy-

nodale cum episcopis et suffraganeis tuis convocare concilium, et hunc salutaribus eloquiis episcopum convenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere quatenus et ab omnium bestiarum et volucrum venatione penitus alienus existat, atque immoderata filiæ suæ familiaritate semetipsum omnimodo coerceat. Quod si parere contempserit, et tam pro venationis declinatione quam pro immoderata filiæ suæ vitanda conversatione; vobis admonentibus obedire distulerit, a vestro collegio excommunicatus abscedat. Quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, a ministerio cessare debebit.

CXXVIII.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Episcopo infirmante, nisi de hac vita migraverit, alter non substituatur, ne commissi talenti pulchritudo deleatur.

NICOLAUS ADALWINO Juvaviensi archiepiscopo.

Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate vel ægritudine, abjiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sunt sacerdotes expleant. In his vero quæ eis præsumere non licet, vicinorum usque ad recuperandam sanitatem episcoporum, auxilia subrogentur; et hoc cum cautelæ studio peragatur, ne per necessitatis occasionem præsumptionis pullulet ambitio. Episcopi vero qui Dominici gregis susceperunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut C accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamine eorum salubriter augeatur et triplicetur.

CXXIX.

AD SALOMONEM EPISCOPUM CONSTANTIENSEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Quod nemo damnandus sit nisi sponte confessus, vel canonice convictus.

[Ivo, VI, 122.]

NICOLAUS SALOMONI Constantiensi episcopo.

Presbyter vel diaconus quem asseris crimina nolle publice confiteri, sed velle cum sacramento defendere se, et tamen notum est episcopo esse scelus ab ipso perpetratum, non potest per aliquam pœnitentiam sacerdotali vel diaconali officio potiri. Sed mirandum, si ipse confessus non fuerit, quomodo notum possit esse episcopo scelus ab ipso perpetratum, nisi accusatore forte idoneo per testes idoneos approbante. Unde si examinante episcopo causam presbyteri vel diaconi, non fuerit per testium approbationem ille presbyter vel diaconus forte convictus, non est scelus episcopo legitime manifestatum, nisi presbyter vel diaconus sua sponte scelus ipsum confiteatur. Quod nisi fecerit, interim non videmus suo debere presbyterum vel diaconum officio privari. Sola ergo spontanea confessio, et canonicus numerus vel qualitas testium, decernentibus episcopis, A et accusatore quod objecerat comprobante, clericum privat proprio gradu.

CXXX.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Si homo aliquis duas spirituales commatres habere valeat.

[Ivo, I, 137.]

NICOLAUS SOLOMONI Constantiensi episcopo.

Sciscitatur a nobis sanctitas vestra si aliquis homo duas spiritales commatres habere valeat, unam post alteram. In quo fraternitas tua meminisse debet scriptum esse : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque cum constet quia vir et uxor una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem B constitui illi mulieri cui in matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur : et idcirco licet virum illi feminæ non posse jungi in copula quæ commater erat ejus, cum qua idem una fuerat caro effectus.

CXXXI.

AD EUMDEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De pœnitentia parricidarum et incestuosorum.

[Ivo, X, 185.]

NICOLAUS SOLOMONI Constantiensi episcopo.

Constat parricidas, fratricidas, et incestuosos de quibus consulis utrum possint conjugio copulari, pœnitentiam agere, et ideo non posse carnali copulæ jungi. Quos oportet in castitate omnibus vitæ suæ permanere, mentis et corporis, servata duntaxat propter misericordiam etiam circa hos beati papæ Leonis vicesima quarta Decretalium regula.

CLXXII.

AD SOLANITANUM *vel* SOLEMONIUM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

[Ivo, I, 136.]

NICOLAUS SOLEMOMIO episcopo.

Nosse desideras utrum mulier quæ viri filium ex alia filia genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari? Quos ideo jungi posse decernimus, quia secundum sacros canones nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet D autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem : maxime cum præcipiat Apostolus : *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem, nise ex consensu ad tempus ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram* (*I Cor.* VII). Ergo si non ex consensu utriusque conjugis hoc esse factum probatur, non fraudentur invicem, sed revertantur in idipsum : præsertim cum dicat Apostolus : Uxor *sui corporis potestatem non habet, sed vir; sic vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier* (*ibid.*).

CXXXIII.

AD RODULFUM ARGENTINENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De quodam matricida pœnitente.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo RODULFO episcopo sanctæ Argentinensis Ecclesiæ.

Dum de universis mundi partibus credentium agmina principis apostolorum liminibus properant, quidam vir nomine Thotar venit, vestræ beatitudinis epistolam gerens, quam nostro contulit præsulatui, cujus paginam perlegentes matricidam illum esse cognovimus. Quo facto multis fletibus lacrymisque profusis valde doluimus, idcirco præcipimus, et Patrum almorum censuris statuimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat; ita ut per unum annum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans orans, ac deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi in ecclesiam licentiam habeat, tamen inter audientes stet, et nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis sacræ communionis illi gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus atque Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten; et quocunque ire voluerit nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur. Arma non sumat nisi contra paganos. Jejunet autem tres dies per hebdomadam usque ad vesperam. A propria ac legitima quidem conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis Domini nostri Jesu Christi particeps fiat; sin autem, ut supra statuimus, efficiatur. Tamen si illius conversationem et fontem lacrymarum in omnibus videritis floridis actionibus et optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat, mitisque omnibus demonstretur. Optamus vos in Christo bene valere.

CXXXIV.

AD GUIFREDUM MORINENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De clerico qui paganum occiderit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS GUIFREDO, Morinensis Ecclesiæ episcopo.

Clericum qui paganum occiderit non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere debet etiam acquisito. Homicida enim est. Nam cum discreti sint milites sæculi a militibus Ecclesiæ, non convenit militem Ecclesiæ sæculo militare, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire. Denique sicut turpe ac perniciosum est laicum missas facere, sacramenta corporis et sanguinis Christi co- A ita ridiculum est et inconveniens clericum arma sustollere et ad bella procedere, cum Paulus egregius prædicator dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4); ac sic liquido versa vice, nemo militans mundo implicat se negotiis spiritualibus.

CXXXV.

AD ELECTUM ET CLERUM NONENSIS ECCLESIÆ.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Sine nutu sedis apostolicæ ecclesia non debet institui.

[Gratian. D. III, d. 1, c. 8.]

Ecclesia, id est catholicorum collectio quomodo sine apostolicæ sedis instituetur nutu, quando juxta sacra decreta nec ipsa debet absque præceptione papæ basilica noviter construi, quæ ipsam catholi- B corum intra semet amplecti catervam dignoscitur.

CXXXVI.

AD RIVOLADRUM EPISCOPUM.

(Anno 867.)

De pœnitentia imposita Wimaro, qui tres filios suos deremerat.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo RIVOLADRO episcopo.

Dominici gregis curam cœlesti dogmate plenam ita convenit episcopis observare, quatenus pro suscepti ovilis neglectu aliquod periculum non incurrant. Undique etenim venientes admodum plurimi suorum facinorum proditores, quantum dolorem in- C ferant pectori nostro, plus singultu reminiscimur, quam calamo scribi queat. Inter quos videlicet istum Wimarum ad apostolorum limina festinasse cognoscite, et pœnitentiæ modum pro perpetrato trium filiorum suorum homicidio sibi impositum manifestasse. Quorum quædam temperavimus, eo quod suffragia apostolorum principis nutritoris nostri postulare devote festinavit. Nam eumdem ad beati archangeli oraculum ire volentem instantia temporis revocavit: atque constitutionis sibi impositæ modum continentem epistolam vestræ sanctitati deferendam apostolica sollicitudo transmisit. In ea igitur, hoc est in ista, ita statutum est, ut trienno ante fores ecclesiæ pro peccatis suis oraturus consistat, et deinde inter auditores permaneat quadriennio: ut septem D annorum curricula absque communione Dominici corporis et sanguinis ducat, ita quidem ut omnibus diebus vitæ suæ panem non manducet; et in isto septennio vinum non sumat, nisi diebus Dominicis et festivitatum: abinde quinquennio, tribus diebus per septimanam a vino abstineat, ut duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi uxorem propriam non deserere, ne forte incidat in adulterium, et pro occasione unius delicti præcipitetur fragilitate carnis in pejus. Concessimus enim ei calceatum ad vos pervenire, ac deinde triennio discalceatum ire debere, et vestimentis secundum qualitatem temporis et aeris temperiem indui, atque

lacte perfrui. Cæterum vero ita actus ipsius discernentes, per omnia considerate, atque disponite, quatenus et evangelica misericordia in illo cognoscatur. Attamen permittimus eum caseum sumere, atque possessionem suam habere, et post septimum annum usque ad diem mortis perseveret in jam dicta pœnitentia, atque arma, nisi contra paganos, non ferat. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

CXXXVII.

AD JEREMIAM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Quam nefarium sit consanguineis copulari.

[Ivo, IX, 12.]

NICOLAUS JEREMIÆ episcopo.

Qui consanguinatis copulas diligunt, summopere se cavere oportet, ne in laqueum diaboli cadant, quamque sit nefarium sanctimoniales, quæ mundi contempto conjugio Christo se devoverunt, aut consobrinam vel de propria consanguinitate uxores ducere, omnibus in recta fide Christi permanentibus patet.

CXXXVIII.

AD OSBALDUM CHOREPISCOPUM QUADRANTINUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Qui defendendo se paganum occiderit, sacerdotali careat officio.

[Grat. I, 50, 6.]

De his clericis pro quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere: scito nos nullam accasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Verum si contigerit, ut clericus sacerdotalis ordinis saltem paganum occiderit, multum sibi consulit, si ab officio sacerdotali recesserit: satiusque est, illi in hac vita Domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, quam alte indebite appetendo damnabiliter in profundum demergi.

CXXXIX.

AD EUMDEM OSBALDUM.

(Anno 867.)

De pœna presbyteri qui diaconum percusserit.

[Ivo, X, 24.]

NICOLAUS OSBALDO episcopo Quadrantino.

Studeat sanctitas tua persuadere episcopo tuo sibi canonicum sociare numerum collegarum, id est sex ex vicinis provinciis fratres et coepiscopos tuos: quibus tecum junctis, et decernentibus diligenter investigare, et omni annisu scrutari procurate, quatenus invenire valeatis utrum percussione jam nominati presbyteri, an cervicis fractione idem diaconus, ut fertur exstinctus est. Et si quidem a sæpefato presbytero non ad mortem percussus est, sed ex equo cadens cervice fracta interiit, secundum arbitrium vestrum pro percussione incaute agenti presbytero pœnitentiam competentem indicite: et aliquanto tempore a missarum solemniis suspendatur, denuo ad sacerdotale posthæc rediturus officium. Quod si veraciter qualicunque percussione istius presbyteri ille mortuus est diaconus, nulla hunc ratione ministrare sacerdotis more decernimus, quoniam etsi voluntatem occidendi non habuit, furor tamen et indignatio ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, sed præcipue in Dei ministris multipliciter inhibentur, atque ubique damnantur. Verum si presbyter adeo vestro studio noxius forte claruerit, præcipimus ut tale beneficium sibi ecclesiæ suæ concedatur, quo et ipse et sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.

CXL.

EX DECRETIS NICOLAI PAPÆ.

(Anno 867.)

[Apud Mansi, *ibid.*]

Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, hoc est cum relicta patris sui, vel cum amita, seu cum matertera sua, vel cum filia patrui sui, sive avunculi, vel cum filia amitæ suæ, materteræ suæ, aut cum filia filiæ, vel filii sui; sive etiam cum ava, sive etiam cum proava sua, aut cum filia fratris, sive sororis suæ, sive cum uxore fratris aut filii sui. Similiter si quæ mulier per supradictos consanguinitatis gradus se fornicari permiserit, unusquisque eorum singillatim per se XVI [annos] in hunc modum pœniteat. In primis quidem toto illo anno inclusus maneat ad ingressus domus Dei, et eodem anno, exceptis Dominicis diebus et festis, solummodo pane, aqua, et sale utatur.

Secundo anno ingrediantur quidem domum Domini, sed carnibus et vino aut sicera minime utantur in [*Del.* in *et Suppl.* exceptis, *ut infra*] festis et Dominicis diebus; postea vero aliis duobus sequentibus annis per totum anni circulum quando carne vescint, ab omni potu quo inebriari potest, se contineant; et si potum biberint, minime carne vescant. Infra hebdomadam scilicet tertiæ feriæ, et quintæ, et Sabbato; æliæ autem feriæ sint puræ, id est secunda et quarta et sexta.

Dominici vero dies sint absoluti. Deinde usque ad finem decimi anni tres legitimas ferias per tres Quadragesimas in anno legitime custodiat, sextam vero feriam, quandiu vixerit, in pane, et aqua observet. Arma non ferat nisi contra paganos. Osculum nulli præbeat. Sacrificium nisi pro viatico minime sumat, et si sine uxore esse [*f.*, contigerit] nunquam conjugio copuletur.

Si vero conjugatus est, post quinque annorum pœnitentiam non penitus privetur conjugio. Qui autem in aliis gradibus usque ad septimam lineam incestum perpetraverit, decem annis, sicut supra dictum est, pœniteat.

Sane sacerdoti considerandum est si semel peccavit, aut quanto tempore quis in vitio perduravit, aut si casu, aut si non sponte, aut nesciente incestum perpetravit, et considerata quali-

tale, sive quantitate peccati provida mente lapso pœnitentiam injungat.

Si quis fornicatus fuerit cum matre sua,aut cum sorore sua, sive cum filia sua, in primis septem annos in solo pane et aqua vivat,sicut supra dictum est,exceptis Dominicis et festis diebus, et in eisdem septem annis domum Domini minime ingrediatur; dein usque ad expletionem vigesimi primi anni tres legitimas ferias observet in pane et aqua ; postea vero omnibus diebus vitæ suæ sextam feriam in pane, et aqua custodiat, et si sine uxore est, nunquam aliquando copuletur. Quod si uxorem habet post septimum annum uxori reddatur.De armis vero, et pace et sacri eorporis perceptione,sicut supra dictum est, fiat.

Si cum amita vel matertera,si consobrimus cum consobrina, secundum antiquam diffinitionem in duodecim annis pœniteat(*a*)excommunicatus humanius diffiniere, decem si cum agnata,vel cognata a tertia usque ad septimam propinquitatem secundum antiquam et humanam diffinitionem ;si tertia fuerit duodecim annis pœniteat,si quarta decem,si quinta octo,si sexta septem,si septima quinque; si socer cum nuru, si gener cum socru, si vitricus cum privigna ; si privignus cum noverca;si cognatus cum cognata, quæ est uxor germani sui, aut germana uxoris suæ secundumanti quam et humaniorem diffinitionem decem annis pœniteat ;si secunda uxoris suæ septem annis pœniteat ; si tertia septem ;si quarta sex ;si pater et filius,aut duo fratres cum una muliere,aut cum matre et filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus secundum antiquam et humaniorem diffinitionem octo annis pœniteat ; si cum sacrata virgine, vel cum sanctimoniali, sive cum uxore alterius ; si compater cum commatre,vel frater cum sorore in Christo secundum antiquam diffinitionem decem annis pœniteat, Tolet. I, cap. 16, humana diffinitione septem ; cum devota quæ est veste mutata ; si cum electa vidua, vel desponsata alterius ; si cum presbytera, vel diacona ; si cum vidua vel pagana secundum antiquam diffinitionem decem annis pœniteat ;humana diffinitione septem; si cum vidua æquali, vel publica meretrice, aut ancilla alterius secundum antiquam et humanam diffinitionem annis quinque pœniteat ;si cum laica virgine,quam nec quoniam accipit uxorem secundum antiquam et humanam diffinitionem quatuor annis pœniteat. His autem feminis cum quibus omnibus suprascriptis personis incestis et nefandis commixtionibus commisceretur,similiter ut ordo est mulierum, ita pœniteat. Sic tantum et is qui hoc malum consenserit ;alioquin sic ut fuerit modus culpæ, ita a prudentissimo sacerdote judicentur. Præterea si, quod absit, de ordine clericorum forte ex his omnibus personis quæ supra commemoratæ sunt in aliqua ruerit,quæ incestæ dicuntur,notandum quod unumquemque laicus quinque annis judicatur ;subdiaconus septem,diaconus et monachus decem ;presbyter
A quatuordecim ;episcopus decem et octo,et his similia quæ sequuntur.

(*a*) Locus non sanus.

CXLI.

EPISTOLA AD THADONEM ARCHIEPISCOPUMM EDIOLANENSEM.

(Anno 867.)

De flagellatoribus et occisoribus episcoporum.

[Ivo, x, 20.]

NICOLAUS THADONI archiepiscospo Mediolano.

De presbyterorum flagellatoribus et occisoribus, prædonibus scilicet qui sæculari brachio minime coerceantur, juxta præceptum Domini, placuit fraterno amore conveniantur secundo ac tertio,quique si te non audierint,conveniente ecclesia eos eucharistia privare : atque si in sua obstinatione, parvi-
B pendentes sacerdotalia monita, forte permanserint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus.Quos etiam resipiscentes, tandem digna satisfactione præmissa,in gremio sanctæ matris Ecclesiæ revocari noveris posse.

CXLII.

AD EUMDEM THADONEM.

(Anno 867.)

Ut juxta gradus cognationis modus culpæ tractatur.

[Ivo, IX, 14.]

NICOLAUS THADONI archiepiscopo Mediolano.

Eos qui cum amitæ suæ filia vel patrui,vel avunculi(heu!)forte peccaverint,juxta gradus cognationis statuimus modum culpæ tractari,sicut pridem tibi per apostolicam epistolam de his qui cum spirituali
C matre hujusce flagitium commiserint, innotuimus.

CXLII.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Ut presbyter homicida sacerdotali officio careat.

[Ivo, x, 29.]

NICOLAUS THADONI a9chiepiscopo Mediolano.

Propterea de presbyteris qui non sponte homicidium perpetrarunt, et tamen homicidii noxam quæ revera homicidæ sunt incurrunt, sancimus ut subducti a sacerdotali ministerio, pœnitentia juxta sacros ordines macerentur, et post,emensis temporibus pœnitentiæ indictæ, dignam satisfactionem præbentes communionis gratiam consequantur;intemeratis duntaxat in omnibus sacro sanctis canonicis
D ac apostolicæ sedis pontificum decretis,quibus conversis et pœnitentibus misericordiam largiri posse et ecclesiæ aditum non denegamus,imo hortamur salubriter atque jubemus.

CXLIV.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 867.)

Ut si episcopus occisus fuerit, alter non subrogetur, nisi reis detectis et punitis.

[Ivo, x, 19.]

NICOLAUS JOANNI archiepiscopo Ravennæ.

De Olcoberti episcopi Gravellensis crudelissima nece multum apostolatus noster condoluit, et magno mœrore affectus est: sed rursus non minus prudentiam tuam miramur, utrum verum sit quod illuc vestrum factura episcopum sine nostra licentia transmiserit, cum licitum non sit, sicut dicitis, missum. Certe etsi aliud non impediret, saltem vos tandem scelus paululum retardare debuerat, ne cito in tali et de tali populo episcopum constitueretis, ubi oves morbidæ, Judæorum, in Dominum Salvatorem imitantes flagitium, proprium ausi sunt truncare pastorem. Sustinete igitur paulisper, et causam quam nescitis secundum beatum Job diligentissime investigate, ne forte, nisi digna examinatio prævenerit, manus super caput sanguine plenum posuisse, quod absit, inveniamini. Cum autem detectis reis atque punitis qui dignus sit apparuerit, et cleri plebisque, et ducis nostri nostram habentis auctoritatem, qui utique unus e plebe eadem esse dignoscitur, concordia effecta fuerit, celebretur electio, sicque demum, sicut in synodo deliberatum est atque constitutum, nobis hoc innotescite: et cum de electo nostro apostolatui nuntiatum fuerit, adjuvante Domino sanctione præmissa, episcopus a vestra beatitudine consecretur.

CXLV.

AD HINCMARUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 867.)

Non studio, sed ex necessitate vel ignorantia peccantes absolvendos esse.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

NICOLAUS Rhemorum archiepiscopo.

Excellentissimus rex Carolus apostolatum nostrum consulit, quid agendum sit de his, qui communicant cum his, qui cum Ingeltrude sæpe damnata communicant femina, quoniam eos cum excommunicatis et fautoribus simul prius vinculo anathemati retineri constat astrictos. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate freta, curam de his sumere audeat. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, istudque posterius duobus prioribus strictius esse puniendum, idcirco solerter invigilet, et cauta discretione singulorum mores dijudicet, quatenus hi, qui ex necessitate, vel ignorantia delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur, si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera, et non simulata, vel non ex voluntate processerit, qualiter bene nosti. Plerique sunt qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse; unde psalmista de hujusmodi: Noluerunt, inquit, intelligere, ut bene agerent (*Psal.* XXXV). Illos autem qui studio suo obligantur, et contemptu interdicta nostra postponunt, nonnisi digna satisfactione præveniente, volumus a te prorsus absolvi.

CXLVI.

AD THEUTBERGAM REGINAM.

(Anno 867.)

Arguit quod contra seipsam tædio victa scribat. negatque fieri posse quod suggerit, ut continentiæ studio conjugium dissolvat, nisi Lotharius maritus cœlibem quoque vitam promittat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ TEUTBERGÆ gloriosissimæ reginæ.

Epistolam suggestionis tuæ præsulatui nostro deferentibus legatis tuis missam suscepimus, et quod nihil ipsa litteris, quam quod illi verbis indicaverit, evidenter agnovimus. Verum in utroque obstupefacti pariter et mirati sumus, atque tam repente styli et petitionis mutata verba considerantes, nihil tale te nobis intimasse quoque tempore recoluimus. Sed quid nobis talia scribis et suggeris, cum nos te nobis hæc et scripturam et suggesturam longe ante præscierimus? Verum cum ad relationem omnium pene insignium personarum, quæ in Gallicanis et Germanicis regionibus consistunt, mentis inflectimus oculos, multum inter se distare conspicimus, quod ipsa nunc duntaxat significas, et quod illi quotidie propemodum verbis et apicibus innuunt. Omnes enim te irremotam afflictionem, intolerabilem oppressionem, nimiamque violentiam pati testantur. Tu autem his contraria suggerens, nullo cogente, sponte ac libenter a regia dignitate exui te velle ac optare fateris, et cætera, quæ illi quidem aliter tu vero aliter prosecuta esse dignosceris. Ita ut omnimo assertionibus legitime a Lothario rege admissa, inique deinde accusata, post hæc purgata, deinceps denuo repulsa, postremo decreto nostro jure recepta dicaris: tu autem his omnibus contraria nunc effecta, et tuæ ipsius oblita professionis, nescio quæ frivola fatearis, quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Intelleximus tamen eum qui nocuit sanctæ Dei Ecclesiæ, nocere adhuc, et qui in sordibus erat, sordescere adhuc. Intelleximus, inquam, jumenta in stercore suo proposuissse putrescere, et cui non sufficit solum adulterium perpetrasse, et falsitatis præstigia ac iniquitatis adinventiones in funiculo vanitatis contraxisse, apposuit ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum præcipitaret exitium. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium acquisivit interitum, qui in sublimi positus per exemplum suæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos demersit? Illud tamen quod Waldradæ perhibes testimonium, dicens eam fuisse legitimam uxorem Lotharii, frustra conaris astruere, quandoquidem tuo nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat: cum magis nos ita sentiamus quod justum est, et ita intelligamus quod æquum existit, ut te etiam reprobata, etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis sine sui discrimine regulis, Wal-

dradam mœcham in uxorem unquam permitteretur assumere. Utrum ergo Waldrada legitima fuerit aliquando conjux, Ecclesia Dei satisfactione tua non eget. Unum tamen scito, quoniam nec nos, nec eadem sancta Ecclesia, Deo auctore, qui adulteros judicabit, Lotharium, si Waldradam quandoque resumpserit, etiam te ut prætulimus decendente, dimittet omnibus modis impunitum. Illud vero quod dicis, Romam te velle venire, nobisque passiones et quædam secreta tui pectoris reserare ; fieri non convenit, quoniam et securitas itineris quam prætendis, nulla est, et quandiu Waldrada ita Lothario juxta posita est, ab illo quoquam te discedere non permittimus. Dum enim tu discesseris, illa recipi procul dubio creditur, et in longinquitate tua ipsa confestim admittitur. Quod autem sterilis, ut asseris, permanere dignosceris, non hoc corporis infecunditas, sed viri facit iniquitas : quamvis Deo fecundante legamus, quoniam *sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est* (*I Reg.* II). Perhibes etiam, quod matrimonium inter vos non divinitus fuerit ordinatum, et idcirco permanere non possit : quoniam *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV). Sed recole quia vineam Deus plantavit, quam exspectavit juxta Isaiam ut faceret uvas, fecit autem labruscas (*Isa.* V), et quæ secundum Jeremiam conversa est in amaritudinem vitis alienæ (*Jer.* II). Deus ergo plantavit matrimonium vestrum : sed conjugis tui vitio conversum est in amaritudinem : et dum exspectatum est ut faceret uvas, fecit, heu! labruscas, vel etiam spinas. Sed hæc quidem ex innumeris epistolæ tuæ sola commemorare libuit. Cæterum quis ignorat hæc te multis pressuris subactam depromere, ac innumeris malis attritam proferre, cum etiam, ut prediximus, omnes religiosi et clari Galliarum et Germaniæ viri hæc ita se habere frequenti relatione testentur, adeo ut hæc te nobis scripturam fore ante multum temporis agnoverimus? Sed his omissis, hortamur te, ac vehementer admonemus, ut ipsa tibimet manum non inferas, nec mortis fomitem generes. Melius quippe tibi est, ut veritatem loquentem alius te occidat, quam tu te ipsam mendacium dicens interimas. Sta igitur intrepida atque constans, et mortem, quam quoquomodo semel experiri debes, præcipue pro veritate sustinere ne paveas. Quoniam cum Christus sit veritas, quisquis pro veritate moritur, pro Christo procul dubio moritur, pro qua videlicet et Joannes occisus Baptista martyrium sumpsisse dignoscitur. Quod si ille proximi justitiam loquens interficitur : quanto potius tu Dei justitiam loquens, et de veritate tua testificans, nullius mortis formidare debes exitium? Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V), non solum alterius, sed et suam. Verum nos hanc confessionem tuam, quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus : nec permittimus tantum vitium radices extendere, quod nisi evulsum intime fuerit, ad multorum perniciem potest accrescere. Denique si hoc licet, omnes viri possunt, quas jure sortiti sunt feminas, si has odio habuerint, diversis afflictionibus macerare, et quod legitime non fuerint assumptæ, fateri cogere : quin etiam, ut mortale crimen contra se dicant, illatis intolerabilibus pœnis compellere. Quis enim magis nocere valet, quam civilis hostis? vel quis amplius lædere poterit, quam uxorem maritus? Sed nos tales fraudes præcavere debemus, et ne proficiant, in ipso novitatis earum principio detruncare. Nec tamen putamus Lotharium, virum videlicet tuum, in tantam sui perniciem devolvendum, ut vitæ tuæ insidiari quocunque modo consentiat, cum non sibi vel regno suo minus quam tibi, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus esset, acquireret omnino dispendium. Siquidem tu, quantum humanus intellectus sufficit invenire, non solum innoxia sæpe comprobata es, verum et Ecclesiæ semper auxilium provocasse dignosceris. Insuper et sancti apostolorum principis præsidium refugiumque petistis. Unde sedes apostolica tuam causam cœpit discutere, et speciali quidquid quæstionis emersisset judicio suo reservare proposuit. Quamobrem quisquis contra te agit, non solum Ecclesiam Dei graviter lædit, verum etiam sedem apostolicam de cujus judicio non licet retractari, vehementer adversus se commovere convincitur. Sane si tu Romam venire disponis, et licentiam proficiscendi a conjuge tuo adipisci vis; nos e contra multo magis exhortamur, ut suadere modis omnibus eidem viro tuo procures, quatenus prius securitatem tibi certissimam tribuat, qua fretra nusquam metuas te per hominem aliquid incidere læsionis. Quod omnino non provenire poterit, nisi Waldrada prius Romam mittatur, et de ea quod conveniens sit diffiniatur; et ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, ut tu nec veniens, nec commemorans, nec hinc rediens aliquod patiari incommodum. Quod si renuit ad repellendam a se sinistram opinionem agere, cessa, et ne talibus fraudis insidiis acquiescas omnino præcave. Callide quippe tam ille, quam satellites ejus, te decipere moliuntur, et versutæ suæ tergiversationis pedicis supplantare procul dubio machinantur. Porro si amore pudicitiæ, ut asseris, solutionem matrimonii quæris, hanc tibi nullo pacto noveris tribuendam, nisi vir tuus eamdem pudicitiam non ficte sectatus exstiterit. Denique ut cum beato Gregorio papa dicatur, si continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet : quia scriptum est : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (*I Cor.* VII). Optamus gloriam tuam in Christo nunc et semper bene valere, dilectissima filia. Data IX Kalendas Februarii indictione XV.

CXLVI.

AD EPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

De Waldradæ excommunicatione tertio jam scribit: notat illorum desidiam, et referri ad se jubet, an Lotharius cum Theutberga conversetur, et quomodo eam tractet.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, sanctissimis et reverentissimis confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis in regno Lotharii regis Ecclesiam Dei gubernantibus.

Optaremus tandem aliquando securi de correctione Lotharii regis effecti, ad alia ecclesiasticarum dispositionum negotia stylum protendere. Sed nec peccata consummata ipsius, quæ mortem generant, utcunque permittunt, nec studium vestrum, quo finem tantum scelus accipiat, ita vigilanter ac episcopaliter adversus id saltem nobiscum decertando fervorem justitiæ demonstrat. Quapropter attonite satis cor vestrum non solum miramur, sed et deflemus. Quis enim non lugeat tantam linguæ desidiam? tam remissas negligentiæ manus? quando inter tot pastorum custodias, nec lupi gregi non parcentis insidiæ præcaventur, nec leonis aditus quærentis quem devoret excluduntur. Et certe cum unumquemque Christianum zelus Dei comedere debeat, multo magis vos eodem zelo uti oportuit, qui ejusdem sanctæ domus, utinam non ad majus periculum vestrum, eminentiorem gradum estis et ordinem consecuti. Sed his prælibatis, ecce tertio nunc vobis omnibus esse Waldradam, filiæ nostræ Theutbergæ reginæ iniquissimam æmulam, consortio Christianorum et communione privatam nostris epistolis indicamus. Denique postquam imminentia missi nostri, sicut ipsi nostis, Lotharius Waldrada repulsa Theutbergæ reginæ conjugi suæ obedienter sese restituit, et præstiti sacramenti satisfactione certissima finem sceleri dedisse merito credi poterat: statutum est, ut tanto fieret ab eodem rege Waldrada remotior, quanto antiqui hostis calliditas talibus non deesse convincitur. Statutum est etiam, ut ipsa mulier in Italia interim remorata, nostræ præstolaretur censuræ tenorem: et si hanc Romam venire necessarium duceremus, incunctanter occurreret: quatenus coram nobis consistens, aut se si posset innoxiam exhiberet, aut commissum confessa misericordiam impetraret. At illa in Italiam quidem licet coacta venit: Romam vero mentis obstinatione vita proficisci despexit. Imo tanquam irreprehensibilis conscientiæ retro conversa in provinciam properandi gressum protendit. Quo audito, intelleximus eam flagitium suum nulla velle correctione terminari, nec proprium vulnus ulla desiderare subsequente medela curari. Quapropter sententiam in eam excommunicationis, usque ad correctionem, et idoneam nostram et totius ecclesiæ satisfactionem, protulimus. Nam quantum sit ipsa cunctis severius punienda, in hoc certum est demonstrari, quod rex

A quidem Lotharius adeo iniquitatem suam agnovit ut hanc etiam et corrigeret. Ipsa vero nec agnovit, nec confessa est, nec venenum suæ mentis deseruit. Verumtamen ab itinere cœpto reducta, nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam. Quippe quæ nec reversa est ad percutientem se, nec etiam duriora vulnera sensit. Merito ergo ea inter mortuos reputata: quæ nimirum neque [*edit. Rom. addit* ut viva vocem prædicantium audit neque in suis, etc.] in suis penetralibus occultata, imo jam fœtida jacens, per confessionem foras egreditur. Vobis ejusdem in jam fatam mœcham sententiæ prolatæ notionem duximus nostris litteris exaratam denuo destinandam: admonentes videlicet, ut saltem vos et subjectos vestros ab operibus ejus mortuis observaretis, et ut præceptum est, pollutum B minime tangeretis (*Isa.* XII). Quamvis easdem litteras, ut relatione nonnullorum audivimus, imo ut lucri nullius effectu didicimus recipere fraternitas vestra renuerit, nec in hoc pro quo missæ sunt, vel a nobis excitata vigilare, sive quamlibet operam dare curaverit. Quæ res si veritate minime fulciretur, profecto quantum proficeret, aut non proficeret, pontificio nostro solertia vestra jamdudum congruo [*pro* congrue, HARD.] retulisset. At vero cum nil ex hoc nobis retulerit, patenter datur intelligi, nihil hinc studii, ut admonita fuerat, eam penitus habuisse. In quo liquido patet, quid ageretis nullis hortatibus nostris pulsati, qui nullum in ecclesiasticis correctionibus laborem geritis etiam a nobis toties incitati. Sed saltem nunc quod hactenus omisistis C incipite, ita ut unusquisque vestrum veraciter dicere cum psalmista valeat: ***Nunc cœpi*** (*Psal.* LXXVI). Et novissime cum apostolo securus et lætabundus fateri: ***Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, et de cætero reposita est mihi corona justitiæ*** (*II Tim.* IV). Verum jam fortasse malitia sibi finem imponeret, nisi quidam vestrum magis sua, quam quæ Jesu Christi sunt, quærerent. Quidam sibi peritura seu toxicata beneficia subtrahi metuunt, pro justitia quidam loqui renuunt, favere autem mœchis tota virtute contendunt, ac per hoc æternis beneficiis justo judice decernente privantur. Quanquam meminisse nihilominus debeant, nos penitus non latere, quantum ipsi favorem mœchis præstiterint: nimirum qui surreptiones suas in D profanis gestis non dudum reperisse non nesciunt. Quibus etsi forte apostolica moderatione ignovimus, qualiter tamen his quibus pepercimus fuerit ignotum recolimus. Denique sic præterita dimisimus, ut futuris congruam adhiberemus cautelam; et sic se nossent illi provisum judicium evasuros, si se scirent in idem flagitium favendo nunquam penitus incursuros. Nunc ergo, quoniam minus sese caute ab eo munierunt, in judicium quod dilatum est inciderunt, quamvis et illis, et his, qui mittere pro impetranda venia contempserunt, valde providendum est, ne a communione nostra, ac per hoc ab universalis Ecclesiæ compage ruant, sicque demum

de gradibus suis minus in finem, quam volunt, exsultent. A Præterea si quis, ut fama mentitur, æstimat nos Waldradæ in Galliam remeandi licentiam dedisse, vel si qui sunt, ad quorum notitiam epistolæ nostræ propter occultationem earum non pervenerunt, si scire non recusant quæ super hujusmodi negotio nostra fuerit immota semper intentio, Christianum et Waltarium comites interrogent, quos Romam, licet non uno eodemque, tamen continuato tempore venientes, non solum ut Lotharius, quatenus a pravitate tandem cessaret, jugiter admoneretur, hortati sumus: verum etiam eis, quia Waldrada erat excommunicata multipliciter intimavimus, pro eo scilicet, quia impœnitens permanere proponens, a nobis salutis suæ remedium ad limina veniens apostolorum, ut statutum fuerat, minime postulaverit. B In quo considerandum est, quia si idcirco potissimum per nos Waldrada mulctata est, quoniam cœptum salutiferum iter non perfecit, quomodo ut retro rediret nostram licentiam habere valuerit, ignoramus. Sed ad vos nunc nobis, fratres charissimi, sermo est, et ad vestræ beatitudinis reverentiam noster stylus dirigitur: quatenus si adeo [*edit. Rom.* a Deo] zelus vester non accenditur, ut Phinees imitari videatur, videlicet ut quod ille materiali, vos exerceatis gladio spirituali, saltem Nathan, Eliam, cæterosque prophetas, qui delinquentes reges salubriter corripuerunt, æmulatione sacerdotali, seu pastorali sollicitudine revocare non renuat. Nam etsi quondam Elias, infirmitate victus humana, furorem principis fugit, sed et scelera ejus sæpe redarguit, et impavidus exprobavit. C Similiter et iste beatus pastor Ecclesiæ Petrus, qui prius quidem ad unius mulierculæ vocem, fragilitate superatus et ipse humana, quod est divina gestum dispensatione, dum mori timuit, auctorem vitæ negavit: post acceptum sancti Spiritus donum, cujus partem et vobis inesse non immerito credimus, adeo etiam post minas, post cædes, vires principum pressit, ut merito in igneis linguis Spiritum sanctum accepisse probetur. Nimirum qui quos replevit ardentes, fecit pariter et loquentes, necnon et flamma divini zeli, atque suorum mirabilium verborum facibus corda principum mundi accedentes. Et revera quis infirmabatur, et illi non infirmabantur? quis scandalizabatur, et illi non urebantur? Sed ne diutius immoremur, verbis vos solum jam nunc ipsius apostolorum D principis convenire curamus, et quod ille presbyteros alloquens prosecutus est, ad vos multo magis pertinere colligite; et quale malum sit adulterium, vel quid vos maneat, si studiosi vel si desides fueritis inventi, ex sermone illius, qui per B. Clementem recitatur, attendite, ait enim: Et quid in omnibus peccatis adulterio gravius? secundum namque in pœnis obtinet locum: quoniam quidem primum habent illi qui aberrant a Deo, etiamsi sobrie vixerint. Propter quod vos, o presbyteri, Ecclesiam excolite, et adornate sponsam Christi ad pudicitiam. Sponsam autem dico omnem Ecclesiæ Christi congregationem: quæ si pudica inventa fuerit a sponso suo, ingentibus ab eo donis et muneribus honorabitur, et vos, velut ministri sponsæ et amici sponsi, ingenti gaudio et lætitia perfruemini. Si vero sponsa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tanquam indigna extrudetur a regalibus toris: vos autem pœnas dabitis, si forte per vestram negligentiam et desidiam obrepserit contagio sæva peccati. Ecce audistis præmium, studiosi; ecce audistis discrimen vestrum, inertes. His itaque decursis, sanctimoniam vestram hortamur, et per incomprehensibilem sanctam Trinitatem vos omnes pariter obsecramus, ut litteris vestris sine mora per legatos vestros idoneos directis nobis veraciter indicetis, si secundum juramentum præstitum coram misso nostro, Lotharius cum Theutberga conversetur, aut si ita illam tractat, quemadmodum rex legitime sibi conjunctam debet tractare reginam. Et qui sint illi qui nullo pacto a nobis dissidentes, adulteris nullum consentiunt præstare favorem. Necnon et hanc epistolam nostram ostendatis, et excommunicationis Waldradæ tenorem manifestum facere studeatis. Jam vero qui hæc vestrum agere, et intimare quæ diximus postposuerit, ipse se obnoxium et fautorem adulterorum palam ostendet: et hoc nobis erit signum, eum tanto consensisse facinori, si obedire huic instituto nostro neglexerit, ac per hoc tanquam conventum a nobis et admonitum, ac salubri monimini satisfacere nolentem, sed per omnia nobis in obedientiem, nostra seu totius Ecclesiæ hunc communione constituimus esse remotum: in promptu videlicet, secundum Apostolum, habentes omnem ulcisci inobedientiam (*II Cor.* x). Sane cui personam dirigendi nulla facultas suppeditat, saltem scripta eamdem indicantia mittere minime parvipendat. A qua indulgentia Viridunensem antistitem non inconvenienter excipimus: quem omnino præcipimus non solum litteras ad nos, verum et personam de proprio clero mittere, sine qualibet mora vel excusatione, prorsus idoneam. Optamus sanctitatem vestram nunc et semper in Christo bene valere. Data VIII Kalendas Februarias, indictione XV.

CXLVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 867.)

Quod Theutbergæ judicium Lotharius retractare, per monomachiam decernere velle dicatur. Petit ut illam in regnum suum recipiat: tum ut epistolas dirigat, quas Lothorio eidem, ejusque episcopis scribit.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Nunquam dolorem generat, sicut spes frustrata, nunquam æque mentem vulnerat, ut molestum nuntium veniens insperatum. Sed quod dicimus aperiamus. Denique inter alios sanctæ Dei Ecclesiæ religiosos propugnatores, atque veritas strenuos defensores, neminem magis super Theutbergæ gloriosæ reginæ contritione sollicitum, neminem magis

ipsius incommoditatibus condoluisse, quam vestræ pietatis affectum, recolimus. Adeo ut in vita fratris ejus causam ipsius sedi apostolicæ retuleritis, et eam largitate munificentiæ vestræ non pauco tempore sustentaveritis, nosque frequenter ad auxilium illius exhortari studueritis. Quocirca sedes apostolica tantam vestræ charitatis circa eam intuens abundantiam, quoniam celeri executione, pertinacia perversitatis obstante, causam ejus perficere non prævaluit, vestræ hanc, tanquam Deo contemplante, atque beato secum Petro apostolorum principe contradente, tutioni seu clementi munitioni commisit. Nunc autem, sicut audivimus, Lotharius rex adversus eamdem Theutbergam rursus armatus, ut assensum quoque vestrum huic nefariæ intentioni suæ copulare potuisset, fœdera vobiscum iniisse dicitur, et quodam regni sui collato monasterio, pro perdenda præfata Theutberga nutum sibi vestrum univisse, diffusa longe lateque fama protenditur. Quod si, ut multi ferunt, verum est, vehementer exstitit dolendum et amarissime deplorandum; videlicet ut a priori consilio pietatis nunc retro, quod absit, conversi consilium detis impietatis, et qui hactenus favorem præstabatis æquitati, nunc assensum præbeatis iniquitati. O incomparabile detrimentum! o inenarrabile pii regis compassionis dispendium! Sed absit hoc a tanto principe, absit a fidelium cordibus de tanto Christi cultore tale quid facile credere, cum potius credendum est, eos qui Balaam imitantur merito reprehendere, qui contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit, et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit (*Num.* XXII.) Sed quia de præbendo nequitiæ consensu vestro nondum ex toto credere patimur, restat ut ad exhortandos vos, quo circa jam fatam reginam pium ac inchoatum opus consummetis, interim calamum temperemus. Ecce enim Veritas dicit: ***Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*** (*Matth.* X). Ecce de offerente juge sacrificium beato Job legitur: ***Sic faciebat Job cunctis diebus*** (*Job.* I). Quod B. papa Gregorius exponens ait: In sacrificio igitur sancta actio, in cunctis autem diebus sacrificii constantia actionis ostenditur. Sed his ita præmissis, excellentiam vestram nolumus ignorare, adeo Lotharium regem Theutbergam conjugem suam diversis afflictionibus subdidisse, et innumeris pressuris contra præstita juramenta subegisse, ut nobis coacta nunc scriberet, regia se velle exui dignitate seu copula, et sola privata vita fore contentam desiderare. Cui nos scripsimus non aliter hoc fieri posse, nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Verum, sicut multorum relatu didicimus, ipse Lotharius conventum celebrare disponit, et eamdem Theutbergam examini proprio in judicio [*al.*, et judicio, HARD.] subjicere meditatur, et si quidem eam præstigiis falsitatis suæ, vel argumentosis ambagibus potuerit exhibere, quasi non fuerit legitima uxor, vult etiam a se penitus sequestrare: sin autem, vult eam tanquam propriam quidem uxorem admittere, sed deinde, tanquam mœchata fuerit, insimulare, atque pro hoc hominem suum et hominem Theutbergæ ad monomachiam impellere, et si homo ipsius reginæ ceciderit, disponit hanc sine dilatione perimere. Quæ quantum sint omni vel divinæ vel sanctorum Patrum legi contraria, magnitudo quidem prudentiæ vestræ dignius jam advertit. Sed et nos hinc aliquid strictim volumus demonstrare, prius asserentes, quia de retroacta controversa Theutberga non debet ulterius ad iteratam responsionem provocari: quoniam quod bene semel diffinitum est, et interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas, retractari. Deinde quia Ecclesiæ refugium quærens, et ecclesiasticum judicium semper expetens, sæculari non debet submitti judicio. Post hæc vero, cum nos ex utraque parte, id est, tam a Theutberga, quam a Lothario fuerimus provocati judices, nosque amborum controversiam exsecuti simus, ad nullos alios convenit super hoc negotio judices convolare: cum secundum sacros canones, a judicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare; et ubi concessa est provocatio, non nisi ubi est major auctoritas, liceat provocare. Itaque cum non sit apostolicæ sedis auctoritate, quæ amborum negotium exsecuta est, usquam major auctoritas, nescimus si alicui liceat de ejus judicare judicio, vel ejus retractare sententiam. Siquidem juxta quod ecclesiastica lex et mos antiquitus observatus indicat, ad illam quidem provocatum, et aliorum ipsam dissolvisse judicium novimus: ab ipsa vero provocatum, vel sententiam ejus quosquam violasse non novimus. Illud vero, quod Lotharius Theutbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum et omni iniquitate? Denique si uxor ejus, ut ipse jactat, non est, quid pertinet ad eum de adulterio illi calumniam texere, cum nec mœchari potuerit, si alicujus uxor non exstitit? Porro de adulterio si a Lothario accusatur, et, si convicta fuerit, ultio præparatur, necesse est ut fateatur uxorem. Quid ergo incassum laborat, anxiatur, et quod sua non fuerit uxor, quibuscunque modis et qualibuscunque argumentis satagit invenire? Necesse, inquam, est, ut ante omnem controversiam uxorem confiteatur, si hanc ut mœchatam impetendam existimat. Sed de hoc illa coram missi nostri præsentia purgare se voluit, sed ipse non annuit. Monomachiam vero in legem assumi, nusquam præceptum fuisse reperimus: quam [*edit. Rom.*, quia] licet quosdam iniisse legerimus, sicut sanctum David et Goliam sacra prodit historia (*I Reg.* XVII), nusquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina sancit auctoritas, cum hoc et hujusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur. His ita prælibatis, dilectionem vestram obnixe deposcimus, ut cura et sollicitudo, atque omne omnino studium, seu auxilium, quod circa eamdem feminam semper fervidum habuistis, nullo tempore

frigescat, imo nullo pacto tepescat; sed potius, A quantum vires cœlitus collatæ ministrant, nullatenus ei nocere quocunque gemina [*forte*, genuina, Hard.] charitas vestra permittat ingenio, ne, si forte quidquam læsionis inciderit, ipsi pro illa in terribili divino judicio cogamini reddere rationem; cujus nos, tanquam Deo, sicuti prædiximus, contemplante, illam vice principis apostolorum, cujus præsidium ascivit, salvandam tuitioni commisimus. Ad extremum vero, et quando jam nulla securitas, et immunitatis ejus, quod gementes dicimus, inveniri poterit remedium, atque imminens sibi certissimo prævidetur interitus, recipite illam ad vos, et quousque de ea quod Dominus revelaverit ordinetur, in regno vestro fovete, ac ei solita pietatis vestræ beneficia ministrate: et ita demum, si quid illi objicitur, au- B ctoritate nostra præveniente, ipsius æmuli prosequantur. Sed notate quoniam tunc hæc fieri permittimus, cum a prudentia vestra, vel eorum qui nobiscum sapiunt, nulla spes salutis Theutbergæ remanere præscitur. Præterea sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium sit agitandum, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario posse legalem inire conflictum, vel legitimum controversiæ subire certamen, nisi prius ad tempus fuerit suæ potestati reddita, et consanguineis propriis libere sociata. Inter quos etiam locus providendus est, in quo nulla sit vis multitudinis formidanda, et non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam a sanctis canonibus, quam a venerandis Romanis legibus, in hujusmodi controversiis requiruntur. Verum hæc non ut fiant dicimus, quæ C sine decreto vel ordinatione nostra fieri non posse supra docuimus: sed ut ostendamus quem legum conflictum Lotharius congredi posse autumat, cum personam, quam in suis penetralibus quotidie fatigat, quotidie conterit, quando vult ad judicium educit, quando vult ad claustra reducit, et cum educta fuerit, nisi ea profiteatur quæ ipse præceperat, quis est qui dicere possit quantis malis introducta submittitur? Proprie igitur libertati committi, et ab omni oppressione ac potestate ipsius, cum quo initur conflictus, oportet liberari, atque in suis licenter uti, et suspectas personas convenit declinare, quæ se ab objectis ostendere cupit immunem. Sed jam ut, fili charissime, epistolæ finem ponamus, semper vos illud quod de bene operante beato Job D supra commemoravimus, recolere, semper in causa sæpedictæ reginæ habere præ oculis admonemus: quia frustra laudabile quid geritur, si cunctis diebus quibus vivit, hoc non exsequitur operator: atque incassum in stadio currit, qui antequam ad designatum perveniat locum succumbit. Scriptum quippe est: *Væ qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II). *Vos autem sic currite, ut comprehendatis* (*I Cor.* IX). Quæ præterea de Waldrada mœcha et excommunicata decreverimus, vos non latet. Quæ vero, quoniam nobis non annuentibus in Galliam habitatura repedavit, super ea episcopis regni Lotharii scripserimus, in epistola quam eis misimus, potestis agnoscere: cujusque transcriptum exemplar venerandis antistitibus in regno vestro Ecclesiam Dei gubernantibus vestra tribui gloria faciat. Præterea rogamus, ut vestra sublimitas sine omni dilatione præsentem, crebro dicti regis Lotharii nomine titulatam, per fidelem ac prudentem virum eidem destinare maturet epistolam, cujus exemplar ecce dilectioni vestræ transmisimus. Idipsum etiam vos de illa rogamus agere, quam præsulibus ejus regni transmisimus. Sed sciendum est quoniam quidam timoris aut favoris causa nostram suscipere parvipendunt epistolam: quidam vero suscipiunt quidem, sed palam demonstrare formidant; vel etiam Lothario placere volentes, hanc aliorum visione perniciosissime privant. Quapropter obnixe precamur ut per talem eamdem epistolam nostram virum jam designatis antistitibus vestra sapientia mittat, qui prudenter incedens, nullum prorsus eorum prætereat, cui hanc non tradidisse quocunque modo clarescat. Quo caute ac indifferenter acto, qui hanc susceperit, vel non susceperit, per charitatis vestræ legatum vel litteras protinus ac certissime, sed pleniter nobis poscimus intimari. Nam licet omnes arguendi sint ob nimiæ soporem desidiæ, multo tamen illi severius increpandi vel percutiendi consistunt, qui toties etiam a nobis moti excitari pestifero torporis somno depressi refugiunt. Sed priusquam veraciter hos agnoscamus, nihil de his definitivum deliberare prorsus absentia, seu potius ignorantia, justitia dictante, permittit. Optamus gloriam vestram in Christo nunc et semper bene valere, dilectissime fili. Data VIII Kalendas Februarias, indictione XV.

CXLIX.

AD LOTHARIUM REGEM.

(Anno 867.)

Quod Theutberga tædio aflictionum contra se ipsam scribat; cæterum dissolvi ejus conjugium non posse, nisi Lotharius cælibem quoque vitam spondeat.

Lothario glorioso [*edit. Rom.*, gloriosissimo] regi.

Audito, revertente misso nostro, correctionis tuæ ut ita dicamus initio, gratias Deo condignas egimus, et ut tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparavimus. Sed, heu! adversa nuntia venientia hujus intentioni nostræ proposito celeriter obviarunt. Quapropter compulsi sumus mutare vocem, et qui ad gratiarum actiones os aperire disposueramus, in luctus et increpationes adhuc officium linguæ coacti dirigimus. Siquidem epistolam nunc suggestionis Theutbergæ gloriosæ reginæ missam, deferentibus legatis ejus, suscepimus, quam nihil intimare reperimus litteris, nisi quod illi asserere videbantur verbis. Verum in utroque obstupefacti pariter et mirati sumus: atque tam repente styli et petitionis mutatæ sensus apprehendentes, nihil tale illam nobis intimasse quoque [*al.*, quoquo, Hard.] tempore recoluimus. Siquidem cum ad relationem

omnium pene, qui ex Gallicanis et Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt, vel multorum illic degentium, oculos mentis inflectimus, plurimum distare conspicimus, quod ipsa nunc duntaxat significat, et quod hi omnes quotidie propemodum verbis et apicibus innuunt : quippe quam inremotam cuncti afflictionem, ac intolerabilem pressuram, nimiamque violentiam pati testantur, quamvis illa contra, sponte ac libenter a regia dignitate exui se velle ac optare fateatur et copula. Quæ illi quidem aliter, hæc vero aliter prosequi cernitur, ita ut omnium assertionibus legaliter a te admissa, inique deinde accusata, posthac judicio, quo tibi et omnibus subjectis tuis, necnon et episcopis placuit, evidenter purificata, deinde secundo repulsa, postremo monitis et decreto nostro, pariter et hortatu filii nostri excellentis Augusti, jure recepta dicatur. Ipsa autem his omnibus contraria nunc effecta, et suæ ipsius oblita profectionis, nescimus quæ frivola fateatur : quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Didicimus tamen multorum relatu ac multis indiciis, te ad imitationem eorum conversum de quibus apostolorum princeps dicit : *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus impliciti superantur, facta sunt eis porteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim illis illud veri proverbii, canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti.* Didicimus, inquam, te, qui prolixo tempore in scelere permanens, Ecclesiæ Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc, et qui in sordibus eras, sordescere adhuc. Et certe in reversione legati nostri te correptum audientes, ultra quam dici valeat exsultavimus, et omnipotenti Domino gratias immensas retulimus : putantes videlicet, de apprehensis a te honestis moribus, tandem aliquando flagrantiam in odorem suavitatis ad Dominum dirigi, non fœtorem de iteratæ nequitiæ tuæ colluvione per mundum ultra dispergi. Sed heu! e contrario, pro suavi odore fœtor, non in quo currendum sit, sed qui tota velocitate fugiendus existat, ecce hac illacque diffunditur. Siquidem, ut opinamur, tibi non sufficit solum adulterium perpetrasse, nisi apponas ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium exitium acquisisti, quando in tanta sublimitate positus, per exemplum tuæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaveris? Nam majora facit crimina sublimitas dignitatum. Illud autem, quod prænominata regina quasi Waldradæ testimonium perhibet, dicens eam fuisse tuam uxorem legitimam, aut invita, aut frustra conatur adstruere : quandoquidem illius nulla prorsus hinc testimonio quis indigeat. Cum magis nos ita sentiamus quod justum, et ita intelligamus quod æquum est, ut etiam Theutberga

A mortua, tu nullis legibus, nullis regulis unquam Waldradam in uxorem possis aut permittaris assumere. Utrum ergo Waldrada legitima tua fuerit aliquando conjux Ecclesia Dei satisfactione Theutbergæ non eget. Unum tamen scimus, quoniam nec nos, nec eadem sancta Ecclesia, auctore Deo, qui adulteros judicabit, te, si Waldradam quandocunque resumpseris, etiam Theutberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. Illud vero quod dicit Romam se velle venire, nobisque passiones et quædam secreta sui pectoris reserare, fieri non convenit : quoniam et securitas itineris, quam prætendit, nulla est ; et quandiu Waldrada ita tibi juxta posita est, diaboli versutia non abesse convincitur. Dum enim Theutbergæ discedit, Waldrada incunctanter acce-

B dit : nimirum quia dum lex repellitur, prævaricatio confestim inducitur. Cæterum quis ignorat Theutbergam hæc contra se multis pressuris subactam deponere, ac innumeris malis attritam, imo mortis periculum formidantem, quod solo Deo custode frequenter evasit, asserere? Cum etiam, ut prædiximus, pene omnes religiosi et clari viri Galliarum et Germaniæ hæc ita se habere relatione testentur; adeo ut hæc eam, quæ nunc scripsit, nobis scripturam fore ante multum temporis præscierimus. Verum nos talem confessionem ejus, quam non voluntas sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus. Quamobrem quisquis contra Theutbergam agit, non solum Ecclesiam Dei graviter lædit, verum etiam sedem apostolicam, cujus judicium non licet retractare, vehementer adversus se commovere con-

C vincitur, quoniam illa ex utraque parte provocata, id est tam a te quam a Theutberga, cujus vestri negotii executrix [*Edit. Rom.*, interpretrix] et interemptrix effecta est. Jam vero si eadem Theutberga Romam venire disponit, et licentiam a te, conjuge videlicet suo, proficiscendi adepta fuerit, securitas est ei prorsus certissima tribuenda, qua freta nusquam metuat se per hominem aliquid incidere læsionis. Quod omnino non provenire poterit nisi Waldrada Romam prius mittatur, et de ea quod conveniens sit diffiniatur : et ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, ut sæpedicta Theutberga nec veniens, nec commorans, nec rediens, aliquod patiatur incommodum. Quod si minime pro repellenda a te sinistra suspicione promiseris agere, cessandum est, ne talibus

D fraudis insidiis ac quiescamus, omnimodis præcavendum. Tuque summo studio præfatam Theutbergam conjugem tuam tanquam propriam carnem fovere ac diligere procurato, et ne illam separari a te ullo pacto consentias, vigilanter attende. Unde si vult a te discedere, corripe, imo corrige eam, et a tali intentione per omnia satage revocare. Jam vero si amore pudicitiæ separationem quærit, et conjugalis connubii solutionem efflagitat, certum est, Apostolo prædicante, quoniam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Verum si et ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissolvere vis, tantum ne simultate fiat, concedimus. Nam licet scriptum

sit, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Deus tamen et non homo separat, quando divini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis, non grato permittimus animo, celeremque præbemus assensum. Aliter autem fieri mutuam vestram separationem prohibemus: siquidem scriptum legimus: *Erunt duo in carne una*. Quod divus Gregorius exponit dicens: Si igitur vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conversio, in qua una eademque caro, et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? quando certum est quod omnipotens Dominus, qui minora concessit, majora non prohibuit. Porro si sterilitas accusatur, cogita Saram nonagenariam. Annam quoque simul et Elisabeth: quam tamen sterilitatem fortasse non facit infecunditas, sed iniquitas. De aliis postremo vitiis, audi quid cœlestis bibliothecæ cultor dicat Hieronymus: Grave, inquit, pondus uxorum est, si, excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix et maledica, tenenda erit istiusmodi? volumus, nolumus, sustinenda est. Cum enim essemus liberi voluntate nos subjecimus servituti, et revera, ut verbis utamur Apostoli, *alligatus es uxori? noli quærere solutionem*. Ergo, gloriosissime rex, esto propria contentus uxore, et præter illius, alterius unquam ne quæras consortium Et certe, quantum humanus invenire sufficit intellectus, eadem crebro memorata mulier non solum insons sæpe comprobata est, verum et Ecclesiæ auxilium atque judicium provocasse dignoscitur. Insuper et sancti apostolorum principis Petri præsidium expetivit. Unde sedes apostolica causam vestram per ipsam cœpit discutere, et quidquid quæstionis emersisset, speciali judicio suo reservare proposuit. Qua de re non putamus te in tantam tui perniciem devolvendum, ut contra nostras diffinitiones, vel adversus crebro dictam feminam, beati Petri confugio prorsus innixam, agere quocunque modo consentias: cum tibi potius, et regno tuo, quam Theutbergæ, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus fueris, acquiras omnino dispendium. Igitur consilium nostrum, accipe, et monita nostra tanquam affectuosi patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem, linguam, corpusque refræna, præcipue Waldradæ pellicis tuæ, et dudum a te repudiatæ, communionem declinans, et ejus consortium perpetuæ oblivioni contradens. Excommunicata est enim, et usque ad præsentiam nostram, ab omni Christianorum contubernio sequestrata, sicut totus jam novit Occidens, et jam jamque quoque per missos nostros minime cum plagis cæteris Oriens ignorabit. Quamobrem cavendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulieris passione, et ad sulfureos fœtores, et brevissimi temporis desiderio, vinctus et obligatus ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt: ac per hoc ipsi crudelius quam cæteri puniuntur. Sed ut manifestius vera nos dicere scias, beatum papam Gregorium audi, qui ait: Scire etenim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, qnot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt non soli moriuntur. Hæc autem nos tibi nunc scripsisse, et quasi inter nos et te verba nostra excessus tuos corripientia discurrisse sufficiat. Cæterum præcave nequando nobis, secundum Domini præceptum, duos aut tres testes adhibeamus: imo vero, ne hoc Ecclesiæ sanctæ dicamus, et, quod non optamus, de cætero fias cunctis sicut ethnicus et publicanus.

Porro excellentiam vestram hortamur, ut hoc exemplar epistolæ ad Lotharium missæ, quousque illum nostris monitis obedire perfecte cognoveritis, apud vos, nemine alio sciente, retineatis. Si autem suæ obstinationi non cesserit, et quæ ei ad præsens dirigemus, perficere distulerit, vel si Theutbergam reginam debito honore non retinuerit, vestra ad omnium notitiam, quæ de eo statuimus faciat venire sublimitas, et juxta nostræ censuræ modum ad gloriam vestram transmissum huc illucque dispergat.

CL.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 867.)

Ut Lotharium ad diligendam Theutbergam excitare pergat, et Ingeltrudem ad Bosonem maritum redire compellat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ludovico glorioso regi.

Precamur amabilem dilectionem vestram ut regem Lotharium monere nullo pacto desistatis ut debitam dilectionem Theutbergæ reginæ uxori suæ semper impendat: nec sibi blandiatur, quasi studeat eam cogere ut aliquod sibi crimen impingat, et per hoc valeat illam a suo consortio sequestrare: quoniam hoc nec ipse legaliter agere prævalet, nec nos talibus præstigiis, et tam fraudulentæ calliditati locum dare permittimus. Sed etiamsi abundante iniquitate, qualibet astutia, potius autem violentia, tale quid machinari potuisset, Waldradam ei mœcham, cujus immundo desiderio ad ista intendit, anhelat, et pervenire dementer affectat, nullus conjugali fœdere permitteret sociari, nisi forte quis omnium legum, nisi cunctarum regularum temerator et infractor inveniri voluisset. Agite igitur circa eum benigne, et quoniam filius germani vestri est, tanquam os vestrum et carnem monere, increpare, imo vero etiam severius, corripere, quin et quoquo modo corrigere studeatis, mentis scilicet ejus salu-

tem magis quam corporis anhelantes. Postremo, fili charissime, non vos latere credimus, quot et quantos labores pro refuga illa Bosonis uxore sæpe pertulimus, et quoties eam, ut ad justitiæ tramitem remearet, salubriter admonuerimus : et qualiter etiam non resipiscentem, sed nequitia sua pertinaciter persistensem, gladio anathematis percusserimus. Quæ nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam. Vir autem ejus, innocens videlicet, in ejus absentia hinc inde labore non modico fatigatur, quoniam nec ipsi reconciliari absenti prævalet, nec alterius illa vivente consortium ei conjugale conceditur. Qua de re quoniam improbitatem et insolentiam ejusdem viri continuam patimur, volentis scilicet ardenter ad secundum, imo ad illicitum convolare connubium, obnixe dilectionem vestram deposcimus, ut pro revocanda ea omne studium pro Dei amore sumatis, quinimo et eamdem perditam ac sæpe damnatam feminam lucrari Domino valeatis, ita ut si monitis provocata viam suæ salutis non arripit, saltem pressuris per vestram industriam angustata resipiscat : et quæ ad Dominicam cœnam sponte intrare noluit, dum tantum intret, vel compellatur invita. Nam forte de hujusmodi Dominus per prophetam dicit : *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos : quæret et non inveniet eos, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc* (*Ose.* II.) Quod venerandum oraculum si tropice disseratur non parvam utilitatem generat. Verum nunc breviter dicendum est, quoniam si eadem femina, sicut nec debet, nullius communione frueretur, et non exquisitis voluptatibus potiretur, si denique vias suas spinis septas pateretur, si in terrenis desideriis de impossibilitate lassaretur, jam Deum profecto ad mentem reduceret, et ad amorem viri proprii vel invita rediret. Sic ergo pervicax illa et impœnitens anima, quæ diu est adultera, conata persistere, sic fortasse, si tamen necessitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur, fidelis jam decerneret esse conjux, quæ merito ac veraciter deinde dicere posset : *Revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quam nunc.* Optamus gloriam vestram bene valere, dilectissime fili. Data Nonis Martii, indictione XV.

CLI.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 867.)

Confirmatur auctoritate pontificia vetus privilegium metropoleos Viennensis.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reve- A rentissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni[1] archiepiscopo decretum perpetuum Viennensis Ecclesiæ.

Quod reverenter petiit sanctitas tua a sede apostolica, et humiliter expostulavit, ut privilegium antiquum a patribus et prædecessoribus nostris Viennensi sacræ sedi concessum renovaremus, auctoritas hujus sanctæ sedis, quia digna res petebatur, non abnuit. Sicut ergo ab antecessoribus nostris, beatissimo scilicet Leone et a reliquis pene ad nostra tempora, tuis antecessoribus præstitum est largitione apostolica, ut juri Viennensis Ecclesiæ quatuor civitates vel oppida, Gratianopolis scilicet, Valentia, Genava, Darentasia, perpetue subjectæ manerent, ita modo noster præsulatus futuris temporibus B firmum et inconvulsum durare præsenti decreto constituit, et ut ad potestatem et dispositionem Viennensis metropolis pertineant immobiliter definivit. Neque tamen propterea Darentasiensis Ecclesia si aliquod munus privilegii illi concessum est perdet, quia nec hoc modo Viennensis archiepiscopus et primas ipsius a nostra auctoritate postulavit, ut iisdem in tribus oppidis vel civitatibus quæ nunc additæ et commissæ videntur non ordinaret, et episcopos eorum ad se, cum opportunum videret, non advocaret. Sed ut sub jure Viennensis Ecclesiæ ita se positum semper sciat, ut per dispositionem ipsius hæc omnia ecclesiastice agat, et ad synodum ejusdem archiepiscopi et primatis vocatus pariter cum eisdem ipsis sibi concessis occurrat;, et quantum ad generalem observationem attinet, nihil præter auc- C toritatem Viennensis præsulis definire præsumat : sitque humiliter, sicut a sanctæ recordationis prædecessoribus nostris salubre firmatum et statutum est, Viennensi Ecclesiæ ita suppositus, ut postmodum liberius dignitatem suam a nobis sibi concessam habere et tenere prævaleat; ne forte si aliter fecerit aut præsumpserit, non solum aliqua sibi concessa amittat, sed etiam propter transgressionem et inobedientiam durius damnatus in futurum humilietur. Data Idus Jun., indictione XV.

CLII.

AD HINCMARUM ET CÆTEROS EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

Exponit causas odii et invidiæ Græcorum adversus D *Ecclesiam Latinam : mittit illorum objectiones, ut eas refellant, et quæ contra illos invenerint, in Urbem transmittant.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis Hincmaro et cæteris confratribus nostris archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis ecclesias constitutas regentibus.

(*a*) Omnium nos portare onera qui gravantur imo

(*a*) *Omnium nos portare.* Quod sub finem hujus epistolæ facere jubetur Hincmarus, ut eam ad alios archiepiscopos deferendam curet, id ad ipso diligenter præstitum docet Flodoardus lib. III, cap. 1. *Quam,* inquit, *epistolam Hincmarus suscipiens, in Corbonaca palatio consistenti regi Carolo cum pluribus*

hæc in nobis portare beatissimum Petrum, qui nos administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes, fraternitas vestra liquido novit. Verumtamen inter alia quæ nos immensis laboribus inserunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis, imo universæ occiduæ parti, a Græcorum imperatoribus, Michaele scilicet et Basilio, et ab his qui sibi parent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio et invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quasi crimina hæreseos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri et invasoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ atque neophyti, a depositis et anathematizatis factam promotionem non solum non approbavimus, sed et damnavimus : fratris scilicet et comministri nostri Ignatii ejusdem ecclesiæ patriarchæ dejectionem, utpote a subjectis, et ab imperiali potentia factam, nullo suscipientes assensu. Invidia vero, quia regem Bulgarum Michaelem nomine, cum gente sua, Christi fide suscepta, a sede beati Petri institutores et doctrinam expetivisse audierunt. Volentes quippe, nimiumque anhelantes, eosdem Bulgares a beati Petri subjectione subducere, suosque imperio sub prætextu Christianæ religionis callide subjugare, talia de sancta Romana Ecclesia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios, et diversarum hæreseon squaloribus respersos, vitent, declinent, atque penitus deserant. Denique cum clamor malornm, quæ in Constantinopolitana Ecclesia tam per eosdem principes, quam per eos qui illis sive metu, sive affectu ad votum parent, multiplicatus et consummatus esset, nostrisque auribus increscens, immensum cordi super tanta nequitia dolorem incuteret, etiam ipsis petentibus et obnixe precantibus, ad hanc inquirendam et nobis referendam missos nostros, Rhadoaldum scilicet et Zachariam, tunc episcopos, Constantinopolim destinavimus, qui illuc pervenientes, patriarcham Ignatium damnando, et Photium communione sua firmando, contra interdictum nostrum factioni consensere Græcorum. Cum autem patrato nefando scelere Romam reversi fuissent, missus est etiam ab imperatore Michaele cum ipsis ad nos proprius legatus, nomine Leo a Secretis. In quorum adventu cognoscentes tam præfatum Ignatium injuste depositum, quam Photium mœchum irregulariter in sede Constantinopolitana firmatum, molestissime tulimus scribentesque nostram summæ auctoritatis epistolam, eidem Leoni a Secretis imperatori per indictionem decimam hanc deferendam contulimus. Per quam videlicet nos nec illam damnationem, nec talem promotionem, utpote utramque inique patratam, admissuros fore prædiximus, [illegible]avimus. Deinde bi[illegible]to concilio, et lectis profanis gestis, quæ prædictus Leo a Secretis detulerat, ubi putatæ depositionis fratris et coepiscopi nostri Ignatii tenor continebatur, inventi sunt iidem missi nostri tam in damnatione Ignatii, quam in communione Photii, omnino culpabiles. Unde nos ecclesiam nostram sine omni volentes macula, sicut semper, subsistere, ne videlicet in ea, illis impunitis remanentibus, vel tenuis subsannandi oriretur occasio, aut nos eorum pravitati consensisse videremur, utrumque damnavimus, et excommunicationi submisimus : damnationem vero Ignatii, vel promotionem Photii, penitus respuimus et condemnavimus. Reverso autem Leone a Secretis Constantinopolim, Michael imperator comperiens per epistolam nostram, quam per ipsum transmisimus, quod nec depositionem Ignatii, nec promotionem Photii suscepissemus; mox quemdam legatum suum, nomine Michaelem, protospatharium, cum epistola injuriis plena ad nos direxit, et ut sententiam nostram ad votum ipsius commutaremus, vehementer hortatus est. At nos injurias quidem nostras non curantes, licet circa Ecclesiæ injurias non tacuissemus, scripsimus epistolam nostram, et hanc per indictionem quartamdecimam præfato imperatori per jam nominatum Michaelem protospatharium legatum suum direximus, tam videlicet a nostra ecclesia falsas objectiones repellere cupientes, quam ipsum imperatorem cum sequacibus suis super hoc negotio ad rectum justitiæ perducere tramitem anhelantes. Sed ut plenius hæc tam ipsi imperatori, quam aliis fidelibus intimari potuissent, convocatis quibusdam e vicinis locis fratribus et coepiscopis nostris, de his quod nobis canonice visum est, prædecessorum nostrorum secuti vestigia, decrevimus et ordinavimus, quod etiam sanctitati vestræ post modicum, Deo favente, plenius intimare disponimus. Quo rite sicut arbitramur ordinato, quærere cœpimus opportunitatem, qua freti missos apostolicæ sedis etiam adhuc Constantinopolim cum exhortatoriis epistolis destinaremus : qui et pro salute ipsorum competentibus eos monitis ædificarent, et quæ fuerit de illis apostolicæ sedis prolata sententia, manifeste denuntiarent : juxta quod et magna synodus Nicæna (*can.* 5), de his qui abjiciuntur sanxisse dignoscitur. Videbatur enim nobis iter navale satis difficile, et propter eorumdem Græcorum expertas insidias valde cavendum. Cum his itaque anxietatibus undique coarctaremur, et ingentibus premeretur angustiis, ecce subito legati jam fati regis Bulgarum nobis adesse nuntiantur, Unde, quis est qui dicere possit, quanto gaudio, vel quanta exsultatione simus repleti ? eo quod et eorum salubrem conversionem per divitias bonitatis

episcopis relegit, et ad alios archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit. Idem etiam suffraganeos suos, ut Græcorum objectis responderent, excitavit, ut Odonen Bellovacensem, ad quem Hincmari de hoc argumento exstat epistola IV, Kalendas Januarias hoc anno scripta. Respondit ergo inter cæteros Odo, et librum a se compositum Hincmaro misit, ut Flodoardus idem tradit lib. III, cap. 23, catalogum texens epistolarum Hincmari ad Odonem. Respondit et Æneas Parisiacensis episcopus, cujus ea de re liber exstat in bibliotheca Thuane. *Unde tibi prologum exhibemus.* JAC. SIRM.

Dei cognovimus ; et quia illos doctrinam beati Petri apostoli,seu sedis ejus,exquisisse comperimus,qui, licet longe positi corpore,nobis tamen facti sunt fide præsentes : sed et quia per eorum regnum facilem ac terrenum missis nostris ad terram Græcorum accessum patere perspeximus.Ordinatis igitur tam quæ Bulgarum gentis congrua fidei rudimentis agnovimus,quam quæ Constantinopolim mittere disposuerimus, missos quoque nostros cum legatis jam nominati regis per ipsius transituros regionem direximus. Quos imperatores Græcorum non solum recipere minime consenserunt, verum etiam vehementer adversus Bulgares animos commoverunt,eo quod per suam eos terram transire permiserint: nihil aliud procul dubio innuentes,nisi quod eos,si per sibi subjectas regiones transissent, illis periculis traderent, quibus B præfatæ urbis hæretici principes sæpe sedis apostolicæ legatos,pro causa fidei vel correctionis ecclesiasticæ destinatos,tradidisse leguntur. Præterea cum Bulgarum rege demorantibus, et ad urbem Constantinopolitanam eisdem nostris accedere missis conantibus, iidem imperatores epistolam suam ipsi regi Bulgarum transmisere : quam ille accipiens nobis per legatos nostros deferri devota mente decrevit. Accipientibus itaque nobis, et perscrutantibus eamdem cum aliis scriptis epistolam, non hanc sæpe memorati principes dictantes, nisi in lacu blasphemiæ tinxisse calamum, et luto erroris usi pro atramento fuisse procul dubio patuere.Conantur enim tanta nostram specialiter,quam omnem generaliter quæ lingua Latina utitur, Ecclesiam reprehendere,quod jejunamus in sabbatis,quod Spiritum C sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros sortiri conjuges prohibemus ; et insimulare tentant, quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus : quod tamen chrisma non ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur,agnum in pascha,more Judæorum,super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt,quia penes nos clerici barbas D radere suas non abnuunt, et quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur ; cum ipsi etiam illum,quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere,ut ipsi putant, minime formidaverint. Et adhuc, quod est gravius et insanius, a missis nostris, contra omnem regulam,et præter omnem consuetudinem,libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula, quam ea tenentes anathematizarent : necnon et epistolas canonicas ab his ei,

A quem suum œcumenicum patriarcham appellant. dandas improbe requirebant.In his igitur, explosis cæteris curis, vos, fratres, summopere convenit desudare : et quia communia sunt hæc opprobria, quæ universali Ecclesiæ, in ea duntaxat parte quæ Latina uti dignoscitur lingua, sicut prætulimus, ingeruntur,communiter omnes,qui divino sacerdotio illustrari videmini,decertare debetis,quo paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant : sed quæ pravi quippe consueta contentione tam mentientes quam errantes maculare gestiunt,manu communis defensionis ab omni nævo blasphemiæ funditus eruantur. Ridiculum est enim,et satis abominahile dedecus,ut temporibus nostris vel falso insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus,vel eas traditiones quas antiquitus a patribus nostris suscepimus,pro libitu semper errantium infringi patiamur. Quapropter necesse est ut eorum conatibus resistamus, et falsis illorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem, opitulante snperna potentia, prout valemus, agere non omittemus : nec, cum opportunitas cœlitus datur, contra illos pro Ecclesia Christi tacebimus. Sed magnopere convenit, ut et vestra quoque fraternitas, morem secuta majorum, concertans nohis et unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem, nisi mente recessit, nunquam Hesperiæ regiones (ut de aliis mundi plagis interim taceamus) a sede B.Petri in hujuscemodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt.Unde unusquisquo vestrum qui metropolitana jura sortitus est,junctis sibi fratribus et coepiscopis suis qui sub se sunt,de his diligentem curam suscipiat, et quid invidis eorum detractionibus opponi necesse sit, rimari studeat, et invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocius transmittere minime parvipendat : quatenus id nos quoque adversus eorum vesaniam cum cæteris assertionibus nostris deinde mittere valeamus.Nihil enim in nobis tam visibilis quam invisibilis hostis, sicut concordiam, exhorrescit. Ideoque mutuo studia nostra provocemus,et contra communes hostes,non quasi hac vel illac palantes,sed tanquam castrorum acies ordinati reperiamur.Sicque fit,ut dum nos vestram unanimitatem ad communem incitamus conflictum, et vos nostris certaminibus interestis, ut et nos vestram sanctimoniam debito mentis affectu diligere fraterneque venerari cernamur, et vos in nullo a capite, id est a sede Petri dissidere noscamini. Quanto autem livore, quantaque vecordia, jam designati, Græcorum principes, eorumque satellites, adversus nos, pro eo quod suis noluimus parere illicitis animositatibus,armati sint,in eo manifeste datur intelligi quod aut falsa sunt quæ nobis impingere moliuntur, aut certe jam a prisco tempore sine cujusquam contradictione in Ecclesia Romana, imo in tota occidentali parte, hactenus custodita : et cum floruerint etiam apud ipsos magni doctores Ecclesiæ,nullus tamen eorum de his reprehensionem fecit, nisi hi qui non zelo justitiæ fervidi, sed zelo

A invidiæ perculsi, Ecclesiæ lacerare traditiones anhelant. Præcipue cum de jejunio sabbati tempore S. Silvestri confessoris Christi sit satis discussum et disputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum, nullusque post hæc ausu temerario contra illud statutum venire, aut saltem mutire præsumpserit: cum potius e diverso sedis apostolicæ institutio, et Ecclesiæ Romanæ sequens observantia, ejusdem salutiferi constituti exsecutrix fuisse hucusque reperiatur. Præterea de processione Spiritus sancti quis nesciat illustres viros et præcipue Latinos, nonnulla scripsisse, quorum fulti auctoritatibus, istorum oppido sane respondere possemus insaniæ, si vel illis non reprehendendi, vel nobis eis contentiosa fauce gannientibus rationem reddendi consuetudo quælibet exstitisset? Sed quid mirum si B hoc isti prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse? Ita ut ejusdem invasor Ecclesiæ Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet. Videte ergo, fratres, si hæc Ecclesiæ Christi non præjudicent: videte si tolerabilia valeant æstimari: considerate si debeant illi Ecclesiæ Romanæ hujusmodi derogationes vel detractiones ingerere, cum ipsa, ex quo cœpit Christianæ religio dilatari, quæ semel in Petro patrono ac institutore suo suscepit, immutilata tenuerit, et in- C corrupta per alia climata mundi docuerit: nec apparuerit quisquam per tot saltem sæculorum curricula, qui ejus traditionibus derogaverit, aut obviare præsumpserit; licet, ut prætulimus, in Ecclesia crebro insigni doctores effulserint: nec visa sit unquam Ecclesia, ut non dicam Constantinopolitanam, quæ longe post instituta est, cujus hæc doctrinam vel auctoritatem secuta sit, cum ipsa potius alias ecclesias instituerit, atque his nonnullas traditiones contulerit: adeo ut, quemadmodum Bonifacius sedis apostolicæ præsul testatur, institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpserit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Perpendite ergo, fratres, si hæc utilia sint Ecclesiæ Dei, si hæc congrua videantur ejus ordinationibus. Perpendite, rogo, si sedis apostolicæ missos a vi- D sione sua excludere, vel eos aut epistolas nostras spernere debuerint, et ubi sit aliquando gestum, quæso, memorare contendite, alioquin contra tantum laborare contemptum nobiscum tota virtute curate. Nam si hujusmodi mos in Ecclesia Christi fuerit exortus, videlicet ut legati seu litteræ singularum ecslesiarum, vel personarum ad his quibus mittuntur minime suscipiantur, quis locus restet saluti nos penitus ignoramus, præsertim cum per legatorum et epistolarum destinatarum interventionem ad fidem nonnullos conversos, et ab errore multos revocatos, et ad pacem cæterasque correctiones plurimos vel rediisse vel accessisse noscamus. Et certe si hoc licitum esse posset, nullus profecto nobis tranquilliorem vitam ducere valuisset, nimirum quos quotidiana undique veniens, annuente Christo, frequentia non modice reddit sollicitos, nec paucos constituit subinde sudoribus fatigatos. Perpendite nihilominus, si a legatis nostris libellus exigi debuit, aut quæ hinc exempla præcesserint: cum nec scripto insertum, nec memoriæ commendatum tale quid inveniri credatur. Nunquid nos alicujus novitatis inventores exstitimus? nunquid alia, nisi quæ ad salutem ipsorum, et ad communem Ecclesiæ statum pertinebant, transmisimus? nunqnid nos hæretici aliquando fuimus? Nam licet nos peccatores quidem esse non denegemus, quorumlibet tamen errorum fæce pollutos, Deo gratias, minime recognoscimus, quemadmodum illi, qui nunquam sine schismate, nunquam prorsus ab errore reperiuntur extranei. Libellos autem nos ab illis et exigere et suscipere, non autem illos a nostris requirere solere, consuetudo hucusque custodita demonstrat. Cum enim, Christi munere, propter primatum Ecclesiæ Romanæ in beato Petro concessum, nemini sit de sedis apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum: constat nimirum eos ab his nullum jus possidere libellos exigendi, quos habere fas judicandi nullo jubentur canone, nullo probantur exemplo. Potiorum enim est ab inferioribus, non inferiorum a potioribus, violenter exigere rationem, aut exortam elicere satisfactionem. Commendatitias autem epistolas, etiamsi tale quid antiqua consuetudo fieri a nobis efflagitasset, dandas Photio modo mitteremus: quippe quem non litterarum nostrarum communione in Ecclesia Constantinopolitana stabiliendum, sed nostræ sententiæ jam mucrone perculsum, ab ea penitus decreveramus tanquam adulterum propellendum. Verum pro his et his similibus causis canonice discutiendis et rite definiendis tam vestram, quam aliorum fratrum et coepiscoporum nostrorum, reverendam ad nos convocare vellemus præsentiam, nisi nos diversæ mundi calamitates, et quotidianæ pressuræ id gerere vetuissent. Sed quæ nobiscum ageretis præsentes, hortamur agite saltem absentes, qui tamen dum intra sinum charitatis, quam latum mandatum Psalmista nuncupat (*Psal.* CXVIII), vos circumplectentes semper intuemur quasi præsentes, terrarum profecto spatiis nunquam potestis haberi visibus nostris absentes. Verumtamen si huc veniendo [*forte*, veniendi, HARD.] recusatis laborem arripere, nec jussa terreni principis, nec ulla impedimenta sæculi, pium studium vestrum a communi hac ecclesiastici negotii meditatione, seu necessaria sollicitudine, cohibere quoquo modo valeant. Alioqui vestram ad nos fraternitatem convocandi, et pariter de hujuscemodi quæstionibus tractandi, nobis erit omnino necessitas: ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud S. Petrum convenientes, communes Ecclesiæ contumelias repellamus, qui commune sa-

cerdotii culmen in Christi Ecclesia, singuli secundum suorum qualitatem privilegiorum, promeruisse diguoscimur. Præcipue cum non solum propter hujusmodi generalis Ecclesiæ negotinm, sed etiam pro specialis hujus sedis exorta causa prædecessores vestri una cum prædecessoribus nostris hic soliti sint non immerito convenire. Nam mirandum quamobrem iidem imperatores ita sæviant, ita commoveantur, ita in convicia nostra prorumpant: cum, si bene gesserunt, eos non nobis conviciari, sed de bono gratias auctori referre, et in se ipsis gloriam habere, et missos vel legationem nostram respnere, sed utpote suis bene gestis congratulantia libenter admittere, et nobis congrua responsa dirigere, profecto decuerit. Si vero male operati sunt, ut quid non corrigi potius et meliorari satagunt, sed indignantur, anhelant, et in tot contumelias adversus ordinationes Dei et Ecclesiæ traditiones insiliunt? Quamvis non tam indignati, quam deterriti fuisse videantur, conscientia namque remordente intellexerunt, pro judicanda canonice sui obligatione nos illas partes misisse. Quamobrem hujuscemodi consilio usi sunt, quo videlicet legati nostri nullatenus admitterentur: scilicet ne per illos, vel de recuperato fratre et coepiscopo nostro Ignatio, vel de damnato Photio invasore, sedis apostolicæ sententia penes se diffamari, nec rursus iidem, tanquam fautores tantæ perversitatis, ac per hoc obligati, manifestius, quia errent, excommunicati, sciri eorum attestatione, aut scriptorum nostrorum serie potuisset. Unde quis non videat, eos idcirco de nobis illa derogationum verba depromere, ut sua quæque pravitatis possent acta contegere; et ideo velle nostra suis præstigiis offuscare, ut sua valeant tenebrarum opera longe lateque clarificar? Nam quis stylus sufficiat exarare, quanta et qualia, priusquam missi nostri illuc directi fuissent, vel etiam post reversionem eorum, tam per legatos, quam per litteras suas, ut de nostris specialiter omittamus, de beati Petri principis apostolorum laudibus, de sedis ejus, vel Ecclesiæ Romanæ privilegiis, nobis præconia destinarint? Cum autem eosdem apostolicæ sedis missos in suam nequitiam traduxissent, et instar quarumdam prostitutarum libidines suas ipsis convenientibus explevissent, primo quidem conati sunt nos iteratis laudibus efferentes, et versutis blandisque lenociniis adeuntes, ad suos inflectere pessimos actus, et ut his a se perpetratis nostro consensu firmitatem tribueremus supra modum hortati sunt et deprecati. At ubi nos, inspiratione divina, quæ acta sunt perperam commissa fuisse comperientes, ea non solum justitia magistra, ut jam diximus, non approbavimus, sed et damnavimus: protinus illi versa sententia, plectrum linguæ in derogationes et blaspGemias acuerunt, et tanquam suimet obliti, contraria his quæ primitus prosecuti fuerant tractarunt. Et quia, Deo auctore, de nobis quid specialiter impeterent non invenerunt, traditionibus paternis divinis testimoniis roboratis detrahere curaverunt, et quod agere majores eorum minime præsumpserunt, isti etiam quæ antiquitas Romana suscepit, cum numerosis hanc sequentibus ecclesiis, generaliter accusare et blasphemare ore polluto minime timuerunt. Quin et privilegiis apostolicæ sedis, quorum valetudine sua quoque roborari poposcerant, quia suis malignitatibus non favimus, conviciari et derogare vice tergiversatoria multifarie studuerunt. Porro autem, quia nos apostolicæ sedis auctoritatem, Deo gratias, non ignorantes, hactenus quodammodo singulariter eorum pravitatem, nullo solatio vestro more prisco muniti, constantia summa repressimus, actus suos illi nonnisi nobis displicere, nonnisi nos exsecrari, fallaciter arbitrantur. Quamobrem fieri potest, ut hæc sua venenosi graminis semina per alias mundi partes dispergant, et simpliciorum piorumque fidelium corda suis illicitis votis incurvent. Adeo ut, sicut ipsi gloriantur, ad Alexandrinum et Hierosolymitanum patriarchas jam miserint, eos videlicet ut in dejectione Ignatii patriarchæ, et in promotione invasoris Photii sibi consentiant, adhortantes. In quo non nos eorum concordiam, fortasse contra statuts seu traditiones apostolicæ sedis improvide conglutinatam, Deo adjuvante, pavemus: sed ne suasionibus illectos pravorum eos ad suum ipsorum discrimen contingat ab æquitate decidere, condolemus. Sunt quippe diris et continuis Agarenorum pressuris attriti: ac per hoc evenire valet, ut vel decepti, vel pro sui relevatione sibi plurima tribuere spondentibus Constantinopolitanis principibus, quod et gementes dicimus, assentire cogantur. Quapropter venerabilis industria vestra talem se de cætero exhibeat necesse est, ut sole clarius hanc a sede Petri in nullo dissidere, quin potius cum illa in cunctis sentire, iidem hostes cognoscant: ita ut præsulatui nostro scripta divinitus inspirata sapientia vestra, reprehendendo, et forti prorsus invectione feriendo tantam eorumdem imperatorum vesaniam, mittat; quæ nos suscipientes, rursus ea cum aliis assertionibus nostris ad ipsorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus. Ita ut cum unum pariter idemque nos hostes sentire cognoverint, nec injurias a se nobis illatas ulcisci solummodo nos affectare mendaciter astruant, nimirum cum adversus se monomachiam aggredi quodammodo nos intuentur, et per hoc quod sint et alii Christi dilectores, et eorum perversitates odientes liquido comprehendant, et ora loquentium iniqua penitus obstruantur, ita ut Christo duce una mente, et ore, ac brachio, quasi strenui propugnatores, phalanges hostium premere ac debellare communi studio reperiamur, eorumque perniciosam factionem, ipso auxiliante, socia concertatione funditus interrupisse comperiamus, et tam inventores mendaciorum, quam fabricatores perversorum dogmatum, paternis definitionibus, ac veracium assertionum clypeis, in nomine Domini nostri Jesu Christi unanimiter triumphare ac superare per omnia digno-

scamur. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Tua vero, frater Hincmare, charitas cum epistolam legerit, mox ut etiam ad alios archiepiscopos, qui in regno filii nostri Caroli gloriosi regis consistunt, deferatur, summopere agere studeat; et ut de his singuli in diœcesibus suis, una cum suffraganeis suis, in cujuscunque regno sint constituti, convenienter tractare, et nobis quæ repererint suggerere curent, eos incitare non negligat. Ita ut eorum omnium, quæ præsentis epistolæ circumstantia continet, tu et strenuus exsecutor illis existas; et apud nos verax et prudens scriptorum tuorum serie relator inveniaris. Datum x Kalendas Novembris, indictione prima.

CLIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 867.)

Petit ut auxilio sit episcopis ad conventus habendos de negotio quod ipsis demandavit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Comperiat celsitudo vestra, nos metropolitanos præsules regni vestri ad quædam tractanda ecclesiastica negotia, quorum gloriæ vestræ tenorem ostendi præcepimus, singulos cum suffraganeis suis pariter convenire mandasse: cujus videlicet exsecutionis summam fratri et coepiscopo nostro Hincmaro commisimus. Quapropter rogamus piam dilectionem vestram, ut tanto negotio auxilians, quo facilius iidem fratres nostri convenire valeant, suffragari dignetur: quatenus ipsis vestro solatio potitis, præsens negotium rite tractantibus, vos quoque pro tantæ pietatis studio præmium consequamini. Erit autem eis et aliud post modicum decreto nostro synodice ventilandum: sed ne duplicatus labor eis onerosus existat, interim in hoc operam dare illos oportet, ut videlicet ad alterum libentius ac expeditius, Deo juvante pertingere possint. Optamus gloriam vestram nunc et semper in Christo bene valere, dilectissime fili. Data ix Kalendas Novembris, indictione prima.

CLIV.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 867.)

Ut desinat tandem intercedere pro Theutgualdo et Gunthario.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ludovico glorioso regi.

Epistolam serenitatis vestræ pro Theutgualdo et Gunthario dudum episcopis nos obnixe precantis accepimus, et quamobrem pro illis tot vestra celsitudo labores assumat, admodum fateor miramur et obstupescimus. Quanta nempe mala nos perpeti, quanta incommoda sustinere sæpe audistis, et liquido nunc cognovistis? nusquam tamen quia causa A nostri doluistis apparuit: et quod cum charitate vestra dicimus, sic Ecclesiæ matris vestræ semper damna duxistis, tanquam si nihil ad vos inde quoquomodo pertineret, et veluti ejus non esse filii per omnia videremini. Quantos autem sudores, quantaque certamina pro recidendo malo, cujus Guntharius et Theutgualdus auctores et conflatores inventi sunt, pertulimus, imo vero indesinenter perferimus, et ne rediviva iterum radice succrescat, incessabilibus laboribus fatigamur? Nunquam tamen vos in his omnibus concertantes aut collaborantes nobis adhærescere consensistis. Sed nunc pro reconciliandis Theutgualdo et Gunthario, totius hujus mali fabricatoribus, satagitis, curritis, anxiamini, et nobis crebro id ipsum mittere minime recusatis: quousque nescio B quomodo amaricatos appelletis, dum certe illi pene quotidie potum amaritudinis propinare nobis non desinunt: nam quoties eorum facti memoria inter aliorum dura quæque nobis ingerentium infertur, toties nos absque multi mœroris amaritudine remanere nequimus. Cesset itaque vestræ gloriæ jam nos super hoc pulsare sublimitas, et quod fieri non potest, tandem aliquando prætermittat. Dum enim non possumus adipisci quod volumus, necesse est ut hoc velimus consequi omnino quod possumus et debemus. Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat: nisi forte sic prolata sit ut retractari possit, vel immutanda secun- C dum præmissæ tenorem conditionis existat. Theutgualdus igitur et Guntharius hujus sanctæ et apostolicæ sedis sententia perculsi, si patienter egerint, et malorum quorum plantatores fuere, eradicatores exstiterint, atque si hæc perfecta in se humilitate, dignisque pœnitentiæ fletibus abolere [*edit. Rom.*, abluere] studuerint, poterunt utique alia miserationis ecclesiasticæ beneficia præstolari; prioris tamen ministerii, aut cujuscunque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt, resumere autem in sempiternum non poterunt. Sed quia charitas excellentiæ vestræ pro his dolet, laudamus: quia et nos, sicut ad eorum detrimentum tunc zelo et justitia Dei commoti gementes devenimus; ita et nunc, quoties eorum reminiscimur, toties D ingenti cruciatu mentis accendimur, atque de ipsorum discrimine illis valde compatimur et condolemus. Secundum Apostolum namque, si quid patitur unum membrum, compatiuntur et omnia membra (*I Cor.* XII). Verum si de his, vel de actibus eorum, vel quæ sit penes nos de ipsis fixa sententia, pleniter ut innuitis cognitum vobis fieri cupitis, ad epistolæ tenorem, quam ad venerabiles episcopos regni vestri transmisimus, si placet, industria sublimitatis vestræ recurrat. Optamus gloriam vestram in Christo nunc et semper bene valere, o dilectissime fili! Data III Kalend. Novembris, indictione 1.

CLV.

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

Reprehendit illos quod Theutgualdum et Guntharium suis gradibus restitui cupiant. Exponit quam graviter deliquerint, tum in suscipienda Ingeltrude Bosonis conjuge refuga excommunicata, tum in astruendo et defendendo Lotharii repudio, et quod propterea merito fuerint depositi. Quare hortatur ut desinant, et ut Lotharium ad exsequenda jussa pontificis inflectant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis in regno Ludovici gloriosi regis constitutis.

Gaudemus quidem, fratres, et plane vobis non immerito congaudemus, quoniam per charitatem vos Theutgualdo et Gunthario dudum damnatis compati et condolere conspicientes, etiam pro recuperandis his in pristinum dignitatis gradum non modice satagere contemplamur. Sed tristamur, et valde tristamur, charissimi, quia sic pro duorum hominum dejectione satagitis, ut plurimæ multitudini Christianæ plebis per eos læsæ minime consulatis : sic pro duorum hominum restaurando statu pro criminibus manifestis eliso certatis, ut tot fidelium casum, qui eos per præcipitia sunt secuti, nullo modo perpendatis: Sed quid mirum, quando etiam cum essetis vicini locis illis, in quibus Theutgualdus et Guntharius Ecclesias Christi sibi commissas videbantur quidem regere, non autem regebant, in quibus etiam licenter, ad sine quavis prohibitione, tam Waldrada, quam Engeltrudis uxor Bosonis, prostitutionis suæ sibi lupanaria quodammodo præparaverant, nec contra insurgentem morbum medicinale ferrum exacuistis, nec ad excitandos sopore noxio oppressos eodem tempore fratres charitatis pedibus cucurristis, sapientissimo Salomone de talibus admonente atque dicente, *Discurre, festina, suscita amicum tuum?* (*Prov.* VI.) Quod non solum tunc minime vos egisse liquet : verum etiam nec postquam nos erecti sagittas divinæ pharetræ jaculare adversus hujusmodi pronefas longe lateque cœpimus, nobis collaborare sollicite procurastis : denique ubi super hoc labor vester apparuit? ubi concursus, vel ubi sacerdotale studium claruit? quando ascendistis super montem excelsum? quando evangelizastis Sion? quando quasi tuba exaltastis vocem? quando annuntiastis cuilibet in hac culpa detento scelera sua? quando ascendistis ex adverso, et opposuistis murum pro domo Domini? quando pro ea latratus dedistis? quando Phinees, ut cessaret quassatio, imitati estis? quando Danielem in puniendis adulteris presbyteris sectati estis? vel quando nobiscum ut castrorum acies ordinati stetistis? quando nobiscum Dominum in choro laudastis? vel quando columbas imitati gregatim contra milvos incedere studuistis? quando cantavimus simul : *Deus in loco sancto suo. Deus qui habitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII : et rursus : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum?* (*Psal.* CXXXII.) in unum scilicet mente magis quam corpore. Quod si nihil horum egistis, nec in nullo nobiscum convenire voluistis : sed sicut laboribus nostris diverso tempore, pro destruendis quæ viri prædicti fabricaverant impensis, minime communicastis, ita et dolorum nostrorum participes, fieri recusastis : quid nunc satagitis, et anxiamini, et pro duorum virorum restauratione, innumerorum prævenire vultis fidelium subversionem? An plurium interitum parvipenditis, et duorum virorum casui solummudo condoletis? Et sola quidem illorum vobis ruina gravis, nostra vero et totius Ecclesiæ, cui Deo auctore servimus, quotidiana sollicitudo, et pro eradicandis quæ ipsi plantaverunt malis ineffabilis cura ei intolerabilis profecto vexatio, levis et contemnenda videtur? Sed nos quæ pertulimus, imo quæ de factorum ipsorum origine quotidie toleramus, non contemnenda ducimus, nec levia possumus æstimare, quorum gravissima nos cernimus, et non vos, pondera bajulare, quamvis et charitatem vestram incommodis nostris cognitis compati minime diffidamus, et jam nunc exposita nequaquam perfunctorie posse credamus.

Ordiamur ergo historiam Theutgualdi et Guntharii, si tamen non tragœdia potius sit dicenda : et ut partim saltem quæ nos experti sumus, de illis vos quoque scire valeatis, quantum epistolæ caventes prolixiorem sermonem cursim disserere possumus, texentibus nobis advertite. Igitur cum Engeltrudis, uxor Bosonis comitis, ad Gallias relicto proprio viro cum adultero adultera transmigrasset : et vir ejus eam cum multo labore reducere voluisset, nec tamen aliquo modo potuisset, ecclesiastica cœpit auxilia postulare : ordinemque servans, primam in toto terrarum orbe sedem appellans, ut ecclesiastico decreto eam ab his, qui illam muniebant, erui et sibi reddi præciperet, supplicavit. Unde decessor noster sanctæ memoriæ Benedictus papa, quousque superstes exstitit, apud imperatorem et regem ac principes interveniens et concertans, atque episcopis et cunctis fidelibus scribens, ut revocaretur suadere, et auctoritate apostolica jubere non destitit. Cui decedenti, effectu nullo percepto, per Christi gratiam nos in episcopatu subrogati, successimus etiam in labore, cui licet longe meritis impares successimus in honore. Qui ut revocaretur eadem femina, et verbis, et frequentibus litteris ad omnes personas in omnes partes missis, ad quas necessitas postulabat, non destitimus agere. Sed et sic minime nobis proficientibus, cœperunt hinc inde a pontificio nostro episcopales litteræ destinari, suggerentes videlicet, ut tam morbida ovis, ne totum gregem contaminaret, ecclesiastico judicio de ipso grege Dominico pelleretur, maxime quæ tot salubribus monitionum medicamentis sanari minime consensisset. Decretoque et auctoritate præmissa, jussum est Mediolani episcoporum concilium fieri; ad quod ipsa

vocata si certo tempore non occurreret, ab ipso sacrato collegio vinculis anathematis vinciretur. Quodque illa statuto tempore non occurrente patratum est, sententiamque in ipsam a synodo auctoritate nostra convocata nos quoque, ut sacri canones præcipiunt, consensu nostro firmavimus. Inter hæc vero, cognoscentes eamdem feminam in regno degere Lotharii regis, non satis habuimus quæ de ipsa gesta femina fuerant : sed ad hanc revocandam prioribus nostris laboribus adhuc quærendi studium apposuimus : reminiscentes videlicet Domini, qui de cœlis ideo ad terram descendit, ut quæreret quod perierat, juxta quod a Psalmista rogabatur confitente atque dicente : *Erravi sicut ovis quæ perierat, require servum tuum* (*Psal.* CXVIII). Missaque epistola nostra, fratrum et coepiscoporum nostrorum in regno præfati regis constitutorum, et præcipue Theutgualdi atque Guntharii, in quorum diœcesibus eadem perdita libere mulier morabatur, torporem valide redarguimus, et quamobrem inter eos licenter illam degentem minime ad virum proprium redire coegerint, non mediocriter increpavimus : indicantes etiam hanc a nobis anathematis vinculo innodatam, et ab omni Christiana communione remotam. Sed Theutgualdus atque Guntharius, tunc episcopi, et præcipuum locum et familiaritatem apud principem obtinentes, non solum eam, cum possent, nequaquam ad conjugem proprium reverti suasione fecerunt, aut auctoritate canonica, juxta quod a sede apostolica crebro fuerant adhortati, minime compulerunt; præsertim cum in diœcesibus eorum commorari sæpe commemorata et damnata femina diceretur : verum etiam, ut licite posset omnium frui communione, atque in refuga obstinatione, sine cujusquam contradictione vel impedimento subsistendi, valeret potentum quorumcunque potiri solatiis, hanc absolvere, quantum in ipsis fuit, atque recipere temere præsumpsere. In quo etiamsi sedis apostolicæ judicium a quovis retractandum esset, etiamsi ab inferioribus potiorum sententia solvenda prorsus existeret, quantum Theutgualdus atque Guntharius circa sacros canones, et præcipue Nicænos, qui luculenter innuunt non debere qui abjiciuntur ab aliis recipi, contumaces exstiterint, ipsi vos solerter advertite. Sed ne tale quid eos commisisse dubitetis, scitote coram omni Ecclesia nostra illos hoc se peregisse confessos.

Interea flagitium in Theutbergæ reginæ dejectione, et admissione Waldradæ, a rege Lothario perpetratum, horum cœpit adulationis et iniquæ defensionis fomentis crescere, atque latius diffamari. Qua de re nos agnoscentes, quanta potuimus instantia, ne tantum scelus committeretur inhibuimus, et per fideles quosque, necnon et scripta nostra suadere contendimus. Mittit rex Lotharius duos ad nos comites, per quos in scriptis et verbis innuit episcopos regni sui, cum aliis quibusdam, sibi dare auctoritatem Theutbergam repellendi, et Waldradam in matrimonium sortiendi : sed se, ut ordo custodiretur, a no-

A bis hujusmodi potius auctoritatem et judicium petere, atque consilium præstolari. Quo nos audito, missos quidem destinare tam concite nos pro hujusmodi negotio non posse respondimus : missuros tamen eos postea certissime repromisimus, admonentes etiam, nullatenus interim a quodam de hujusmodi causa quidquam penitus deliberandum. Sed ille horum, Theutgualdi et Guntharii, tunc episcoporum, ut postea claruit, auctoritate fretus, legatos nostros non præstolans, publico festoque nuptiarum ritu celebrato, Waldradam sibi jure matrimonii sociavit. Verumtamen sedis apostolicæ, qui jam profecti fuerant in Gallias, atque ad Lotharium pervenientes, quod ad illum fuerint missi secundum pollicitationem nostram dixerunt, et quod binos ex regno gloriosissi-

B morum regum, Ludovici scilicet, Caroli majoris et Caroli junioris, convenire secum pariter cum episcopis regni sui faceret, juxta præceptionem nostram ipsi regi suggerere studuerunt : et quod Theutbergam sedem apostolicam appellantem, data idonea a rege Lothario securitate, eidem conventui adesse præceperimus, verbis asseruerunt. Non enim epistolas, quas ad vos vestrorumque regnorum episcopos miseramus, secum habere poterant : quippe qnas sibi ab amicis Lotharii regis jam constabat ablatas. At vero rex Lotharius, horum duorum magisterio usus, nec Theutbergæ reginæ indubitatam de servanda justitia, vel de non inferenda violentia, certitudinem tribuere voluit, nec alios præter regni sui antistites, videlicet quos vel beneficiis, vel minis, jam ad votum suum deflexerat, ad illum

C conventum, qui penes urbem Metensium congregabatur, penitus exspectavit. Sed corruptis, imo et ad favorem suum traductis legatis nostris, quod libuit nullo resistente patravit : factoque conventu, antistites qui convenerant, inter quos præcipuum Theutgualdus, atque Guntharius fastigium retinebant, et eminentiori potestate vigebant, prævenientes, imo sibi usurpantes, atque vindicantes judicium nostrum, videlicet quod et reginæ Theutbergæ primum appellatione, ac deinde Lotharii regis petitione permoti, jam nos laturos repromiseramus, inchoatumque tam per missos, quamque per epistolas nostras habere luce clarius videbamur, Theutbergam reginam obnoxiam crediderunt, atque condemnandam in absentia putaverunt. Scriptoque de his, quæ illic pro

D voto regis iniqua sunt fauce deprompta, quodam profano libello, ea sic censentes, illibata persistere, propriis subscriptionibus roboraverunt, Theutgualdo primitus et Gunthario in ipsis subscriptionibus, sicut et in cæteris gestis, præcellentibus, et alios se sequi pestifere compellentibus. Qui mox Romam venturos, ac nobis de his quæ gesserant rationem posituros se per omnia spoponderunt. Tandemque pervenientes nostro sunt conspectui coram omni Ecclesia præsentati, et dum ab eis qualiter illa fuerint gesta requireremus, jam memoratum libellum offerentes, perhibuerunt nec plus, nec minus, nec aliter quidquam se gessisse, nisi ut oblatus videba-

tur continere libellus. Quo accepto, ac coram episcoporum nostrorum cœtu, qui nobiscum aderat, atque coram ipsis, Theutgualdo scilicet et Gunthario, recensito, quam multipliciter hunc reprehendimus, ac per omnia reprehensibilem judicavimus, et quæ in eo gesta legebantur, qualiter inimica justitiæ, Deoque perosa consisterent, audientibus ipsis [*edit. Rom.*, episcopis] elimatius exposuimus. Quamvis nec tunc omnia reprehensionum ejus loca in ipsis profanis gestis inventa sint, nec rursus omnia quæ inventa sunt, nunc ad memoriam nostram valeant repedare : tanta tamen ac talia fuere, ut pro his merito canonicam depositionis Theutgualdum et Guntharium oportere subire sententiam, sancta mecum synodus residens sæpius acclamaret. Qua de re zelo divino, ecce coram Deo dicimus, permoti, nec aliud nisi justum judicium exercere cupientes, communi sensu, cassato primum adulteris favente concilio, quod apud Metensium urbem congregatum fuisse supra commemoravimus, in eos, quod gementes memoramus, depositionis sententiam dedimus, et si juxta præcedentem consuetudinem aliquid de ministerio sacro deinceps forte tetigissent, excommunicavimus. Primo quidem, quia nostris pro Engeltrudi, vel Theutberga, seu Waldrada salubrius jussis obedire contempserunt. Nam inobedientia tam horrendum malum est, ut idololatriæ merito comparetur, dicente Samuele : *Quasi peccatum hariolandi est repugnare : et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* xv)). Unde merito Apostolus ait : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* x). Secundo, quia eamdem Engeltrudem a nobis et a synodo abjectam et anathematizatam recipere et absolvere præsumpserunt : et hoc contra canones, et præcipue contra ipsum Nicænum magnum concilium, quod, hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur, sanxisse dignoscitur. Sed et beatus papa Gelasius, quod eadem quæ ligavit, et maxime prima sedes, debeat absolvere non semel exponit. Tertio, quia fraudis vel falsitatis rei manifestissime claruerunt, dum epistolæ nostræ, missis nostris pro causa Engeltrudis refugæ transmissæ, atque apud urbem Metensium in jam designato nefando conventu recitatæ, quædam fraude subtraxisse, quædam vero falso addidisse, atque commutasse reperti sunt, talemque illam effecerint, qualem libitui suo congruere posse judicaverunt. Quarto, quoniam adulterio detentis non solum pastoraliter non restiterunt, nec ut speculatores venientem gladium annuntiaverunt, verum etiam his consentiendo et favendo, in nequitia persistendi fiduciam tribuerunt, et tantum flagitium tota virtute defendere fine tenus tentaverunt. Unde merito adhærescere fecit Dominus linguam eorum palato ipsorum : videlicet ut qui linguam facinus arguendi non habuerant, hanc nec ad bona quoque prædicandum saltem habere potuissent, juxta quod alias cantatur : *Peccatori autem dixit Deus*, usque *et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Ps.* XLIX). Ille quippe cum adulteris portionem suam ponit, qui his vel consentiendo, vel favendo, vel non corripiendo, similis illis sicut vitiis ita et pœnis efficitur : juxta quod et apostolus hujusmodi scribit : *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum, qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.* Quinto quia de negotio unde ab utraque parte, id est, et a Theutberga, et a Lothario, juxta quod jam memoravimus, fuerat appellatum, isti præter auctoritatem nostram id sibi subripientes judicare ac diffinire temere præsumpserunt : et hoc adversus canones ; siquidem de appellationis, quæ apud memoriam sancti Petri fiunt, judicandum Romani præsulis arbitrio et consilio sacræ regulæ commiserunt. Verum isti, beati Petri reverentiam præ oculis non habentes, et judicium quod utraque pars a nobis efflagitavit, et nos exsequi cœperamus, temeraria præsumptione deffinierunt, et Theutbergam, etiam ad ecclesiam confugientem, damnatione opprimi censuerunt. Sexto, quia hoc in absentia peregerunt, contra illud quod tropice dicitur : *Ne maledicas surdo.* Surdo quippe maledicit, qui absentem condemnat. Surdus namque quodammodo est, qui in absentia positus quæ sibi objiciuntur non audit. Quamvis absentia ipsa, non studio Theutbergæ, vel conscientia vulnerata, ut isti putant, sed timore regis idoneam illi nolentis tribuere securitatem, et factiosi consilii suspicione, fuerit merito procurata. Septimo, quoniam non solum ipsi subscribentes in profanis gestis, cuncta quæ male compilata fuerant, sine respectu sedis apostolicæ roboraverunt, verum etiam alios subscribere compellentes, eorum omnium prævaricationis auctores effecti sunt, et tot animarum rei constituti sunt, quot, utpote præminentes, in hoc vel verbo vel facto prævaricationis præcipitium demerserunt. Sed si volumus cuncta, quæ ab illis gesta fuisse, tam per oblatum a se libellum, quam per alia indicia, nobis et sanctæ synodo patuerunt, latius scriptis insinuare, facilius charta, quam nobis sermo deficiet. Septem ergo capitula, quæ causam depositionis Theutgualdi et Guntharii præcipue genuerunt, nos commemorasse sufficiat. Solet namque per septenarium numerum universitas significari. Cæterum quis eorum omnia, quæ sive ante, sive post damnationem, perperam commiserunt, enarrare sufficiat? Qualiter videlicet nos se frustra redarguisse mentiti sunt, contra illud quod Deo dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v.) Qualiter primum quidem Theutbergam per electum ab illis judicium purgatam, denuo impetere contra divinam et humanam legem minime formidaverint. Qualiter hanc postea (hoc utraque lege inhibente) sine accusatore damnaverint, qualiter testes quosdam quidem, quibus imperari a rege poterat, contra leges publicas in ejus damnationem, quosdam autem domesticos imperantis admiserint. Qualiter contra reverentiam sacerdotalem, turpis quæque, adversus apostolum, ac criminosa, necnon et nauseam penitus et pudorem omnibus inferentia verba etiam scriptis tradiderint, et palam cunctis ostenderint, cum teste Domino etiam de otioso verbo reddituri sint

homines rationem. Vel qualiter jam damnati auribus imperatoris adversus sacras regulas molesti fuerint : vel qualiter ordinationi Dei in beato Petro Ecclesiæ Romanæ collatæ restiterint, et contra privilegia sedis ejus capitula obtrectationum conscripserint,et per totum pene occidentale clima disseminaverint : qualiterque per ea, etiam jam pro tanto piaculo perculsi,Lothario in scelere perdurandi robur dari suaserint. Sive qualiter nos tyrannice penes sanctum Petrum positos afflixerint, oppresserint,et quibus potuerunt malis fatigaverint : adeo ut homines eorum adyta sancti Petri violaverint,et in ecclesia ipsius sanguinem fuderint. Qualiter etiam ibidem nobis matutinales hymnos celebrantibus,illi noctu post tribunal ecclesiæ ipsius,cum complicibus et fautoribus suis, contra Chalcedonense concilium conjuraverint et conspiraverint, et in ipsis diœceseon nostrarum principalibus locis conventus,et singulorum negotiorum ordinationes, et conciliabula, canonibus id inhibentibus, etiam adversus nos factiose patraverint,et cum nostris quoque suffraganeis tractatus iniquos, et fictiones quasdam texuerint. Postremo qualiter ecclesias dudum sibi commissas,et postea cum sacerdotio perditas, hactenus obtinere occupatas præsumant,et ut tyranni pro suo libitu moderentur. Ecce quæ in Ecclesia Chrisi Theutgualdus et Guntharius operati sunt et operantur, præter illa quæ Guntharius specialiter commisit, divinum tangendo ministerium,pro quo a sacris regulis etiam locum habere satisfactionis penitus interdicitur. Verum in ipso jam suæ prosecutionis exordio, quod penes crebro dictum perniciosum Metensem conventum habuerunt, talem se gerere animum liquido monstraverunt. Nam licet postea ibidem missi nostri deviaverint,dicendi tamen principium satis pacifice orsi sunt.Sed hi,quia modicum quid redargutionis contra se sonuisse audierunt,protinus in furorem proruperunt,et verba, quæ nos de illis minime dixeramus, nos dixisse perhibuerunt. seque fautores, plantatores, et rigatores vitiorum appellare asseveraverunt. Et certe nos ea quæ de illis dolenda supra descripsimus,nondum cognita tenebamus, ut de ipsis tunc ista secure fateri possemus : et tamen hi jam, conscientia stimulante,nos astruere garriedant, quæ nos,utpote incognita, minime dicere convenerat.Quid est hoc,nisi quia nobis etiam tacentibus Spiritus sanctus jam quod plantatores et rigatores vitiorum essent, non per aliena, sed per propria ipsorum ora ostendere voluit? et sicut olim per Caipham quod oportebat fieri protulit, ita et per istos, licet non ex se, quod manifestari conveniebat expressit? Quæ tamen isti non de se loqui penitus denegabant,si vitam eorum moresque cognitos haberemus : hæc videlicet ore suo et labiis propriis asserere procurantes, ut laudatæ vitæ ac morum esse per omnia viderentur.Jam vero si ludibria ipsorum, et scenica vultis acta liquido nosse,gesta præfati Metensis concilii,quod nos tamquam adulteris favens,prostibulum dum cassaremus duximus nuncupandum, quærite et revolvite.Favit sane idem prostibulum adulteris, dum Lothario, Waldradæ,et Engeltrudi cuncta pro voto consenserit, et aliis hoc sequentibus adulterandi exempla præbuerit. Ecce pro quibus toties rogatis, ecce pro quibus indefessi satagitis.Quamvis et nos non mediocriter charitati vestræ congratulemur, cum vos mœrentibus proximis compati conspicimus : quoniam et nos de illis non modice condolemus,et crebris urgemur pro eis gemitibus. Et revera dolendi sunt, quia dum inter suos caput primitus essent, docentes mendacium facti sunt cauda : Ecclesiam videlicet Domini tantis fluctibus immiscere,ac tantis laboribus immittere procurantes.Dolemus ergo illos, dolemus plane et Ecclesiam Dei, quæ tot per eos discrimina sustinet.Nam sic per prophetam Samuel Saulem legitur deplorasse (*II Reg.* xv). Quinimo et Dominus prævidens Jerusalem maxime culpa sacerdotum funditus evertendam flevisse ab evangelista describitur (*Luc.* IX). Non autem nos, qui membra sumus, injuriarum nostrarum memores esse volumus, aut talionem, ut ipsi forsitan arbitrantur, eis reddere meditamur. Sed quia ipsi præcipue caput nostrum in repulsione innocentis feminæ, et admissione mœchæ,ad iracundiam provocaverunt,illos plangimus et deflemus. Adeo ut in memoratorum scriptis gestorum ab his interlocutio facta solummodo memoretur,[*leg.*et] ita ut omittamus alia in eisdem gestis aperte scriptore dicente reperiatur : *Theutgualdus et Guntharius, qui causam Theutbergæ recognoverant et judicaverant*, et rursus rege Lothario de istis astruente : *Quidquid in ista causa feci, horum sanctissimorum episcoporum usus sum consilio.* Quin etiam dum in jam dictis fœtidis gestis, inter innumera detestanda,quæ ad confirmationem ipsius facinorosæ mœchæ hinc inde compilare præsumpserunt,episcopi qui convenerant subscribentes,eadem gesta, imo per ea flagitium roborarent, ventum est ad quemdam fratrum et coepiscoporum nostrorum, qui tantum usque ad nostram deliberationem subscripsit eadem esse gesta servanda.Quod cernentes Theutgualdus et Guntharius, arrepto cultello,omne quod antistes providus ad deliberationem nostram servandum esse descripserat, raserunt nomine solo episcopi relicto, cætera sicut ipsi voluerunt temere perscribentes.Quod nobis idem episcopus intimavit, et id ita gestum esse,in ipsis authenticis gestis luce clarius patet,nam ubi sanum est,evidentissime claret.In tantum quippe ad roborandum flagitium cor et linguam et calamum acuerunt, ut quæ semel vel dicto vel scripto in ejus confirmatione dffinierant, etiam coram nobis omni sua virtute,quousque ceciderunt, defendere niterentur. Verum quid in pluribus immoramur,et eorum gesta peremptoriam illis damnationem inferentia narrare conamur,cum hæc nec lingua loqui,nec ipsa mentis memoria retinere sufficiat? Sed quia fraternitas vestra studet scriptis suis benigne his misericordiam implorare,et restitutis priori statui consolationem his postulat adhi-

beri, et nos non inconvenienter quod licitum est,et rationabiliter flagitatur,concedere procuramus. Denique si præfati viri,Theutgaldus scilicet et Guntharius, patienter egerint,et malum,quod sui favoris studio perficere passi sunt,radicitus extirpatum exstiterit; atque si hoc perfecta in se humilitate, dignisque pœnitentiæ fletibus abolere studuerint, quin et pax,quam conturbaverunt,Ecclesiæ Christi reddita fuerit : tunc profecto poterunt Dei solius intuitu,et vestræ fraternitatis affectu,alia ministrationis Ecclesiæ nostro nutu atque ope freti beneficia promereri : prioris tamen ministerii,vel cujuscunque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt,resumere autem in perpetuum non poterunt.Cesset itaque vestræ fraternitatis jam nos super hoc pulsare solertia,et quod fieri non potest, tandem aliquando desinat. Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur,tantaque postmodum deliberationis gravitate profertur, ut retractari non egeat, nec immutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit, vel immutanda secundum præmissæ tenorem conditionis exstat. Portent igitur ignominiam dejectionis suæ, quia *est*, teste Scriptura, *confusio adducens gloriam* (*Eccli.*IV).Sint interim in signum et in portentum omnibus, quos vel ipsi deceperunt,vel quibus audaciam persistendi in nequitia præstiterunt : qnatenus et isti tanta confusione respersi,quod ore fatentur, corde quoque teneant et salventur, et illi non bene sibi subreptum fuisse, ut ad tantum piaculum laberentur, patenter agnoscant.Nam malum adhuc imminet, adhuc foveri non desiit,adhuc libertatis editum et licentiæ tempus exspectat.Probat hoc Waldradæ,etiam post adulterii publicum scelus, gloria vigens : atque reginæ Theutbergæ dilectæ filiæ nostræ,etiam post præstita juramenta nec ancillarum qualitati coæquata dejectio.Denique quando Lotharius rex uxorem sibi debitam, sæpe fatam scilicet Teutbergam, in præsentia missi nostri resumpsit, duodecim,sicut audistis,illustres comites juramento sua vice repromittere jussit,se de cætero ita Theutbergam fore retenturum et tractaturum,quemadmadum regem legitimam conjugem suam reginam retinere convenit et tractare. Sed proh dolor! tanto nunc, quod vos forte non latet, hanc submittit opprobrio, tantæque detestationi, tantæque, quod solo dictu grave est,inopiæ subjicit,ut non dicamus aliquem penes virum *pro* pane virum,HARD.]necessitatem patientum adjuvare, verum nec sibi, nec propriis queat homunculis omnino præstare. Sed e contra Waldrada,mæcha,et omni communione privata,licet a Lothario solo corpore videatur exclusa, cujus tamen cordi nunquam deesse multis exhibetur indiciis, et cacumen regium, et nocendi vel adjuvandi quos vult omnimodam obtinet potestatem. Ecce fratres, germina; ecce fructus, qui de Theutgaldi et Guntharii jacto semine sunt exorti. De quibus tamen,si fraternitas vestra veraciter ac utiliter dolet, et aliquod eis vult impertiri suffragium ; curet necesse est vulnus, quod ipsi non solum minime ferro justitiæ resecarunt, verum etiam oleo iniquæ adulationis et persuasionis fovente crescere longe læteque fecerunt,nobiscum pariter incidere ac studiose mederi.Quamvis ipsi jam fati viri,ut prætulimus, quantum ad sacerdotium spectat, recipiendi nullam valeant habere fiduciam.Si enim quod in his destruximus reædificaremus, prævaricatores a Domino procul dubio constituemur, et quasi de non bene gestis pœnitentiam [*edit. Rom. addit* agentes in melius sententiam commutasse,etc.]commutasse videbimur.Ac per hoc nec isti hujusmodi animadversionem paventes emendabuntur,nec hi qui hactenus inchoatum scelus introrsus retinent,puniendum putabunt ; nec cæteri,qui ad hujusmodi possunt relabi flagitium,per hos salubriter eruditi,consultius committere pertimescent,quod tanta viderint dissoluta remissione relaxari. Revertimini ergo, fratres, ad vos,et redite ad cor,et recognoscite contra vitia ministerium vestrum,ipsum per quem tantum Ecclesia Dei scandalum patitur, Lotharium scilicet regem, zelo ferventiori,et majori corripientes et admonentes instantia quo subveniat [*edit. Rom. addit* sibi subveniat et miseris, etc.] et miseris illis, quos pro se juramento constrinxit.Reginam videlicet Theutbergam,conjugem suam,juxta tenorem præstiti sacramenti tractans,et se a reatu vice sua jurantium tegens,mittat etiam ad nos Waldradam,ut per hoc et ipse securam de cætero vitam ducat, et nos causa illius tantis ulterius laboribus non subdamur. Non enim justum est,ut legitima tantam apud ipsum incommoditatem ac dehonestatem patiatur,et ab adultera gloria dignitatis ejus subripiatur. Quod si rex Lotharius ita fieri denegat,et se veraciter audire ac perficere velle monita nostra fatetur, quemadmodum nobis dilectus filius noster Ludovicus rex inclytus ex ipsius assertione significavit, quæsumus interrogetur vel a vobis,vel studio vestræ suggestionis a jam fato pio rege, quare nobis scribens, vel aliis satisfaciens, sicut indicat de Waldrada, quod post missi nostri reversionem non ad eam accesserit,ita non indicat de conjuge sua Teutberga, quod eam secundum datorum tenore juramentorum tractet atque retineat. Nisi quia non habet unde glorietur, nec agit sic erga eam,ut nobis id veraciter referre possit,et gratiarum a nobis inde perficere valeat actiones : dum non solum illa nulla munificentia ipso largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis et egestate summa tabescit. Dicatur ergo ei a pio principe,vel a vestra sacerdotali suadeatur industria, ut quando nobis mittit,ad Waldradam se nequaquam contra interdictum nostrum accedere, mittat etiam quod et Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet,et secundum regiam dignitatem retineat : ita duntaxat ut, quod mittit,veritate fulciri aliis etiam attestantibus cognoscamus. Denique quando illa repulsa ipse rex Lotharius Theutbergam uxorem suam reduxit,diffinitum fuisse

constat, ut eadem Waldrada in Italiam mitteretur, A quatenus utrum Romam necne pervenire debuisset, nostræ censuræ decreto præstolaretur [*al.*, postularetur, HARD.]. De his quippe personis, quarum sedes apostolica specialiter inchoat agitare negotium, sicuti nos Lotharii et Theutbergæ regum, atque Waldradæ pellicis exsequi controversiam cœpimus, nulli fas est alii vel removere, vel aliquid diffinire, nisi forte cui ipsa præceperit. Waldrada ergo, quam nostris hortatibus, nostrisque decretis, a Lotharii constat remotam esse lateribus, nostris quoque specialiter debet, ad congruam Ecclesiæ quam læsit satisfactionem, submitti judiciis. Quod quandiu Lotharius non egerit, sicuti nec nobis requies, nec Theutbergæ securitas, sic nec ipsi poterit tuta pax aut aliqua inesse salutis fiducia. Tanto igitur sollicitius B ad correctionem illius operam date, tantoque instantius non solum illum, ut in his nobis obediat, admonete, verum etiam et dilectum filium nostrum Ludovicum excellentissimum regem, quo eum ad audienda nostra monita semper incitet, cohortamini, quanto attentius legitis : *Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam suam a morte, et operiet multitudinem peccatorum (Jac.* v). Non solum autem hinc gloriosum regem vestrum adite, verum etiam specialiter deprecamini, ut admoneat et suadeat eidem Lothario, quatenus Romam non nisi purgatus, et quando nos annuerimus, venire præsumat. Nam nisi nobis obediens suspicionum et malæ famæ sordes diluere primum curaverit, videat ne forte leprosorum more de castris Dominicis cum maxima confusione pellatur. Quomodo vero C ipsas possit ponere sordes, breviter intimamus : videlicet, si Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, et secundum regiam dignitatem retineat, Waldradamque ad nos accelerare compellat, atque in præfatis Ecclesiis, ordine quem ei dictavimus, antistites ordinare permittat. Nam quandiu Waldradam sic manere dimiserit, sicut omnibus liquet, Theutbergamque nec regio cultu, nec conjugali dilectione tractaverit, quandiu etiam Theutgualdum vel Guntharium ecclesias dudum sibi cum sacerdotio ablatas obtinere permiserit occupatas, nec a lepra inusti criminis, nec a sordibus pessimi odoris, id est, malæ opinionis, vel suspicionis, liber esse poterit, nec puris ecclesiam gressibus intrare valebit, nec sacerdotibus Christi libera eum vel secura D tangendi, vel intra castra recipiendi profecto quibit esse facultas. Ergo laborate in hoc nobiscum, charissimi, decertate pariter, fratres : quia sicut labor est multiplex in terris, ita nos merces copiosa manebit in cœlis. Nec dubium est hunc juvenem plurimos habere nunc pro sua potentia vel dominatu sibi consentientes : de quorum omnium profecto conversione ac salute omnes simul lætabimur, si horum princeps, Dei gratia præveniente, communibus nostris sudoribus perfectius emundabitur. Præterea noverit sanctitas vestra, jam memoratum sublimissimum regem vestrum pro Theutgualdo et Gunthario ea qua vos nobis affectione scripsisse, cui quia super hoc brevi scripto respondimus, si plenius nosse placet, quæ de illis sit penes nos fixa sententia, industriam ejus ad hujus epistolæ, quam fraternitati vestræ destinavimus, tenorem scrutandum direximus. Quamobrem agat sanctimonia vestra, ut ipsius piis ad legendum obtutibus cum debita reverentia, seu celeri diligentia deferatur. Porro si aliqui fortasse sunt, qui dicant liberam esse Waldradam, et ideo hunc proficiscendi ei non debeat imponi necessitas; noverint non esse liberam, quæ a peccato superata, ipsius et ancilla addicta est : Petro dicente apostolo : *A quo enim quis superatur, ejus et servus addictus est* (*I Petr.* II), et rursus alibi : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). A quo videlicet ista nondum liberata, ejus profecto adhuc ancilla credenda, ac per hoc nostro est judicio speciali purganda, cujus decreto iniquitas ejus agitari cœpit, et Christo propitio abolitionem percipere. Nam nisi illam nondum a crimine liberam esse sciremus, nequaquam eam pro liberatione, tam sua quam fautorum ejus, in Italiam venire quoquomodo faceremus : licet eam per ministros suos postea, ne huc perveniret, Satanas impedierit. Jam vero, si jussa nostra vel sanctiones impleverit, ideo se putat ancillam ; ergo Lotharius rex servus dici debet, qui utcunque nostra fecisse mandata dignoscitur : ergo ista teneatur pro domina, quæ inobediens permanet, et dominetur Lothario, qui utcunque nostris studuit obedire decretis, quod absurdissimum est, et omnino nefandum. Verum si tanta rex Lotharius intentione Waldradam voluisset mœcham ad nos mittere, ad ejus scilicet a nobis causam legitime definiendam, quanta voluit legitimam Theutbergam destinare conjugem, ad falsa contra se extorta scelera proferenda ; forte jam nobis qualiscunque pax vel reddita requies haberetur. Atque utinam sic studeat Waldradam ad nos destinare, quæ habet de scelere suo quod pandat, sicuti gestiebat reginam Theutbergam, quæ non quidem habebat quod de crimine panderet, sed quod de violentia et jugi pœna illata sibi multipliciter enarraret, et quam injustis minis, ut contra se falsum crimen coram nobis depromeret, multifarie compellebat. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data pridie Kalendas Novembris, indictione I.

CLVI.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 867.)

Conqueritur de Lothario, quod nihil eorum præstet quæ promisit. Prohibet ne Romam veniat, priusquam Waldradam, ut jussus est, eo dirigat, et Theutbergam tractet ut reginam, et Treviris atque Coloniæ legitimi episcopi ordinentur. In embolo, de reditibus sancti Petri.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio LUDOVICO glorioso regi.

Syllabarum vestrarum tenore pandistis, vos una cum dilecto filio nostro Carolo glorioso rege, fratre videlicet vestro, ad commune colloquium venisse; cui quia defuit Lotharius rex, nepos scilicet vester, perhibetis vos ad eum jam dictum fratrem vestrum Carolum regem, adjuncto sibi quodam ex episcopis regni vestri, misisse: quatenus, prout vobis per epistolas nostras ad vos directas injunximus, ab illis admoneretur, ut in omnibus jussionibus nostris obediens existeret: Quod quia tam utpote pii principes justitiam diligentes, quam proximi salutem per charitatem quærentes, nostrisque nihilominus adhortationibus obsecundantes, egistis, debitas gratias agimus: quantum tamen lucri efficacia vestra vel nostra monita penes eumdem regem Lotharium impetrarint, fateor hactenus non elucet. Sed dicitis eum tam absentem quam postea præsentem, a vobis ipsam admonitionem benigne suscepisse, deindeque professum fuisse in omnibus se nostris præceptionibus pariturum. Quod quia sæpe audivimus, non tamen hinc effectum percepimus, satis ingemiscimus, et hujus rei gratia ultra quam dici possit affligimur: nimirum qui etiam pro sua ipsius salute quotidie laborantes apud ipsum nihil omnino proficimus, dum quod sermone dicit, facto non perficit: et præcipue cum verba ejus, ut arborum folia, sonare quidem possint, saturare vero, cum sint sine fructu, non possint. Quamobrem, dum quærimus cui hujusmodi vir valeat comparari, nullus menti convenientius occurrit, quam ille filius, cui apud Matthæum pater dixisse legitur: *Fili, vade hodie, operare in vinea mea*: at ille respondens ait: *Eo, Domine, et non ivit* (*Matth.* XXI). Unde merito figuram Judaici populi exprimit. Ipse quippe repromittebat Moysi dicens: *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus* (*Exod.* XIX): non tamen quæ verbis repromittebat rerum effectibus adimplebat. Ita, proh dolor! et iste nepos vester, semper quidem nostra monita velle audire, semper adimplere cupere protestatur: non tamen quod ore, quod scriptis opportune, importune sæpissime profitetur, operibus exercere vel factis exhibere contendit, et paternis monitis nostris non tanquam filius obediens paret, sed tanquam ingratus post tergum repedavit. Si quidem in quo aliquando apparuit rex Lotharius nobis obediens? aut quid ab illo exegimus nisi salutem suam? nisi jurationem quam læsit [*forte*, præstitit] Ecclesiæ? nisi Theutbergæ reginæ conjugis ejus apud sanctum Petrum præsidium requirentis securitatem? nisi nostram etiam post tot labores aliquando requiem? Nam hinc inter innumeras alias curas præcipue laboramus, hinc omnimodam de Waldrada mœcha et excommunicata suspicionem adimenda sæpe decrevimus. Hinc etiam ut novi Treverensi et Coloniensi Ecclesiis antistites darentur injunximus: videlicet qui nec per Theutgualdi et Guntharii dudum episcoporum, nec per jam fatæ Waldradæ favorem proveherentur, sed canonice a filiis et de filiis jam nominatarum ecclesiarum electi, ab his qui earumdem ecclesiarum antistites soliti sunt A consecrare, regulariter ordinarentur. Sed cum hæc omnia nos opportuna esse ac necessaria prospicientes, ipsi regi Lothario crebro mandassemus, quo nostræ institutionis exsecutor effectus, ut hæc consummarentur annueret, imo ut sua prorsus exsecutione perpetrarentur insisteret, aliquid horum effectum quemlibet accepisse nos profecto nondum cognovimus, et tamen ille nostra se velle perficere in omnibus monita profitetur. Denique Waldradam ad nos non solum non misit, sicut sæpius illum hortati sumus; verum etiam Ticinum, dum ad nos tendere crederetur, jam profectam, in Gallias reducere procuravit. Filiam vero nostram Theutbergam reginam, quæ beati Petri se tegmine semper muniri poposcit, non solum sicut reginam secundum præstitum jura- B mentum non tractat: verum etiam nec pro timore Dei, nec pro sancti Petri reverentia, nec pro conjugali fœdere, nec etiam pro eodem collato juramento, saltem in minimis quibusque negotiis suam hanc esse participem recognoscit; quippe quam omni egestati, omni opprobrio, omni prorsus abjectioni submittit. Porro de præmemoratis ecclesiis ordinandis non solum mandata nostra contemnit, sed et sacrorum canonum præcepta conculcat, dum videlicet ecclesiis non compatitur, sed has tanto tempore sine rectore manere permittit. Ecce, fili charissime, quomodo Lotharius rex instituta nostra custodit, ecce quomodo verum est, quod dicit nostra se velle in omnibus observare decreta. Et adhuc ad nos se properare velle demonstrat, cum id ne sine nostra licentia præsumeret, nos ei sæpe districtius injun- C xerimus et prohibuerimus. Verum quam ob rem Lotharius Romam proficisci gestiat, miramur si vestram latere potuit prudentiam. Itaque impleat prius cuncta quæ præmisimus, totius occasionis vel sinistræ suspicionis fomitem a se procul abjiciat, imo vero a nostris mentibus amputet, et tunc, si ei sit huc veniendum, a nobis est sollicite providendum. Siquidem etiam si cuncta, quæ nos ei supra commemoravimus injunxisse, penitus adimpleta potuisset ostendere, nec sic ei contra interdictum nostrum Romam fuerat properandum: quanto minus nunc, quando toties a nobis admonitus nihil de eis consummasse convincitur? Igitur dilectio vestra illum nunc venire Romam quæso prohibeat: alioquin, mihi credite, si contra D propositum nostrum forte præsumpserit, minime eum qua cupit honestate vel hic suscipietur, vel hinc profecto regredietur: Nam sicut mulier Domino fide proximans tangit; turba vero licet tangit, tamen comprimit; sic proh dolor! isto in tempore quidam etsi approximare videntur, tactus tamen eorum, quia non ex fide, pressuram gignit, et approximatio turbationem adducit. Ergo necesse est ut talem se in cunctis exhibeat rex Lotharius, ut nos eum gratanti animo primitus suscipere delectemur, et ita demum venientem expansis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit, nisi Waldrada Romam, sicuti cœptum fuerat, dirigatur, ut videlicet nos

causam ejus ad finem legitimum perducamus, qui de ipsius prævaricatione semel initium judicandi suscepimus : et nisi reginam Theutbergam.secundum tenorem juramenti, ab ipso audiamus rege Lothario conjuge suo tractari : videlicet ut talem se circa illam mente demonstret et opere, qualem diligens rex erga dilectam conjugem suam se debet demonstrare reginam : et nisi de proprio clero in Agrippinensi colonia atque Treverensi ecclesiis episcopos ordinari permiserit, eos scilicet, qui nec Waldradæ, nec Guntharii, nec Theutgualdi favore vel eligantur, vel etiam consecrentur. Hæc sunt, charissime, quæ si Lotharius nepos vester callide non perfecerit,hunc veraciter nos audire nolle procul dubio poterunt indicare, atque si saluti ejus vestra charitas consulit, eum magnopere suadeat incitare, et non ejus foris perstrepentibus verbis facile credat : sed operum facta, secundum perspicacissimam proprii affluentiam sensus consideret. Dicit enim Joannes apostolus : *Filioli mei,non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* v). Nam si nosse libet excellentiæ vestræ, quid sit unde Lotharius jactat se nostram in omnibus adimplere voluntatem,nos evidenter aperiemus. Videlicet quia nobis, imo Deo nostro obediens, Theutbergam conjugem suam recepit, Waldradam vero, utpote adulteram, merito sequestravit, nec ad illam post reversionem legati nostri accessit. Sed prudentia gloriæ vestræ jam valet advertere, quid prosit si ad eam non pedibus corporis, et tamen passibus mentis accedit. Quid prodest quia forinsecus ab illa sequestratus cernitur, qui tamen ei valde conglutinatus intrinsecus intelligitur? Quid autem proficit dilectæ filiæ nostræ Theutbergæ reginæ, quia non ex toto ab illa videtur corpore prolongatus, dum tamen esse cum ea mente minime probatur annexus? Quid ei proficit conjugalis fœderis,vel regiæ dignitatis nomine solo frui, quæ caret omnibus quæ ad perfectæ dilectionis et consimilis ditionis pertinere videntur insignia? Nam quis nisi æmula ejus, Waldrada videlicet, quæ non solum pro adulterio commisso,sed pro impœnitenti corde vinculis est excommunicationis innexa, regni cum Lothario culmina possidet,gloria fruitur, jura tenet, et omnia suo disponit arbitrio : quæ licet a colloquio ejus sejuncta specie tenus videatur existere,per internuntios tamen, et diversos satellites,tantumdem penes ipsum,vel etiam magis valet,quam si legitima conjux haberi quoquomodo potuisset. Nam nemo apud regium apicem est adjutus,nisi per illam : vix usquequaque læsus, nisi propter illam, quisquam esse refertur.Illa quippe penes eum gratiam poscentibus impetrare, ipsa sola quibus mavult beneficia parare eo suevit.Jam vero si ita non est ut dicimus, id est si vel Theutberga regina tantam apud ipsum incommoditatem et dehonestatem non patitur, nec Waldrada mœcha gloria tanta non fruitur; quare nobis scribens, vel aliis satisfaciens, sicut indicat de Waldrada, quod post missi nostri reversionem non ad eam accesserit, ita non de conjuge sua Theutberga,quod eam secundum datorum tenorem juramentorum tractet atque retineat, nisi quia non habeat unde glorietur? nec agit sic erga eam, ut nobis id veraciter referens gratiarum a nobis inde percipere valeat actiones? dum non solum illa nulla munificentia ipso largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis,et ut prætulimus egestate summa tabescit? Dicite ergo illi vos,charissime,et vestra sagaci conventione suadere contendite, ut quando nobis mittit, ad Waldradam post reditum missi nostri contra interdictum nostrum se nullatenus accessisse,mittat etiam quod Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, et secundum regiam dignitatem retineat: ita duntaxat ut quod mittit veritate fulciri aliis etiam attestantibus cognoscamus. Mittat nihilominus nobis, quod in præfatis ecclesiis ordine,quem supra dictavimus, episcopi sint regulariter ordinati : et tunc perhibenti se nostra velle jussa perficere credemus, et condignas Deo gratias referemus. Nam quandiu Theutbergam regio cultu et conjugali dilectione non retinet, et Theutgualdum vel Guntharium ecclesias dudum sibi cum sacerdotio ablatas obtinere permiserit occupatas, licet Waldradam non videat, hi tamen gradus sunt,quamvis [*forte,* quemvis,Hard.] ad ima mergentes,per quos illum sensim ad ipsam tendere prudens quisque patenter agnoscit: dum et illos fovet,quos ad pronefas ductores habuisse claret, et eam affligit, quam debita correctione præmissa Christo juvante recepit. Accusatores autem habere Lotharium, non nisi illum, qui accusator fratrum in Apocalysi Joannis appellatur (*cap.* xii, et opera ejus,quæ et ipsa ejusdem antiqui hostis instinctu patrantur, profecto comperimus. Quæ vero Lotharius rex vester nepos operatur,accusatore non indigent.Manifesta quippe,Apostolo teste,sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria (*Gal.*v), et reliqua. Optamus gloriam vestram nunc et semper bene valere, dilectissime fili.Data in Kalendas Novembris, indictione i.

EMBOLUM.

Statuit præterea nobiscum excellentiæ vestræ legatus,ut mediante Maio mense hujus primæ indictionis, pro unius anni reditibus rerum S. Petri in regno vestro sitarum recipiendis, nostros missos direxissemus : cum duorum annorum jam tempora præterierint, ex quo reditus ex illis debuerunt esse collecti, et nos ex eis nihil recepimus. Porro si, sicut per multos et hunc eumdem vestrum legatum cognovimus,Arsenius inde aliquid collegit,licet nobis aliquid non detulerit, de præteritis annis collegit,non de futuris.Unde rogamus gloriam vestram,ut pro mercedis vestræ cumulis,collectis omnibus illis, per vestri culminis viros ad apostolorum limina orationis gratia venientes, antequam de finibus regni vestri foras ea duci jubeatis, nobis significetis, ut his interim in tutissimo a prudentia vestra statuto

loco reconditis, si a speciali filio nostro Augusto obtinere potuerimus, ut cum ipsius homine nostrum illuc dirigamus, et ea ut nobis sine aliquo dispendio deferantur, recipiamus, gratiarum actiones Domino rependendæ sunt. Sin autem, missum nostrum Deo opifice destinabimus, qui qualiter in vestro regno sint recondita ac custodita, cum vestro misso prævideat; et his nihilominus interim in vestro regno bene salvatis, aut nobis renuntiet, aut certe quidquid prævideremus, vel sanxerimus, facere non omittat. Aut si gloria vestra, quæcunque illa fuerint infra territorium ditionis vestræ, videlicet usque Bononiam aut Ravennam perduci fecerit, tantum ut secura sint, hoc multo amplius utile et gratum habebimus, quoniam et nos deinde modo quo valuerimus usque Romam ea ferri jubebimus.

CLVII.

AD EPISCOPOS LEGATOS IN FRANCIAM MISSOS.

Mittit ad eos commonitorium pro causa Theutbergæ.
[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV

Reverentissimis et sanctissimis Rhodoaldo et Joanni episcopis.

Quemadmodum sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideles estis, et apostolicæ sedis columnæ existitis; ita custodientes omnia secundum priorem præceptionem nostram peragere festinate, et Metis apostolica auctoritate synodo evocata, nostra jussa perficite. Quod si synodus episcoporum se illuc minime collegerit, aut Lotharius venire distulerit, tunc vos ad eum pergere studete, et nostra jussa atque instituta declarate. Et deinde cum pro causa Baldini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioso regi epistolas synodicas, et has quas nunc vobis dirigimus, pariter cum commonitorio præsentibus cunctis ostendite; et non solum ei, sed et omnibus episcopis, et universis fidelibus hoc notum facientes palam legere et denuntiare studete. Præterea scitote a nobis vestræ sanctitati duas dirigi epistolas vice ablatarum, unam Carolo regi, secundam vero uxori. Episcopis autem Galliæ et Germaniæ alteram cum hac ipsa ad vos destinata mandamus.

COMMONITORIUM LEGATIS SUPRADICTIS DATUM.

(*a*) Lotharius profitetur Waldradam se a patre accepisse, et sororem postmodum admisisse Huccberti. Ubi primum diligenti investigatione inquirite, et si eumdem gloriosum regem prædictam Waldradam præmissis dotibus, coram testibus, secundum legem et ritum, quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse, et publica manifestatione eadem Waldrada in matrimonium ipsius admissa est; restat ut perscrutemini cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem gloriosus rex metu Teutbergam, admisisse se dicit : vos illud evangelicum recolite, quod Dominus : *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x); et iterum ait : *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* vi.) In quibus Dominicis sententiis considerandum est, quod si occisores corporum timendi non sunt contra justitiam hominem impellentes, et lucrum totius mundi non prosit homini anima perdita, quanto minus metu unius hominis tantus rex debuit, contra divinum præceptum, in immane præcipitium mergi? In hoc certe se magis reprehensibilem ostendit, in quo amori mundi amorem Dei postposuit. Ubi nihil vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem nostra voce freti, causam illius definiatis. Sin vero minime probatum fuerit, Wadradam uxorem fuisse legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis, per beneditionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario exstitisse conjunctam : suggerite illi, ut non moleste ferat legitimam sibi, si ipsa innocens apparuerit, reconciliari uxorem; nec in hoc canis voci obtemperet, sed potius divinis præceptis obediens, pudeat eum, imo pertimescat, in luxuriæ stercore putrefieri, et voluntatem propriam sequendo ante tribunal Christi strictam ponere rationem. Præterea vos scire volo, quia præfata Theutberga apostolicam sedem bis et ter appellavit, et se a præfato rege glorioso questa est injuste fuisse dejectam, et vi coactam falsum contra se composuisse piaculum. Nam eo tempore ad apostolicam sedem libellum appellationis suæ misit, in quo non quidem adhuc confessam, sed ut contra se falsum diceret crimen, cogi sese innotuit. Insuper subjungens. Quod si amplius compulsa fuero, scitote non veritate, sed timore mortis, et evadendi studio, quia aliter non possum, quod voluerint dicam. Vos autem memores estote mei hæc vobis insinuantis. Unde præcipimus vobis, ut cum eadem Theutberga ad condictam synodum sicut statuimus advenerit, causam ejus diligenti examinatione tractetis; et si ei objicitur, quod illa crimen se aliquod admisisse confessa fuisset, et contra illa violentiam se pertulisse proclamaverit, vel si inimicos sibi judices fuisse testata fuerit; tunc illud renovetis judicium secundum æquitatis normam, ut injustitiæ mole non opprimatur.

CLVIII.

AD ROTLANDUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSENM.

Missa cum altera epistola, qua Nicolaus Rotlando vices suas delegabat.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Rotlando archiepiscopo Arelatensi.

(*a*) *Lotharius profitetur.* Apud Ivonem parte viii, cap. 334, et apud Gratianum 21, q. 2, duæ voculæ perperam inferuntur, *Lotharius in commonitorio profitetur*. Redundant enim, pertinentque ad titulum epistolæ, quo recte in Romana Gratiani editione observatum est. *In commonitorio* itaque dictum, quod ab aliis *commonitorium*; ut *Zosimus commonitorium presbyteris et diaconibus qui Ravennæ sunt*, et illud apud Gregorium in dialogis : *Sabinus Christi servus commonitorium Pado*. Jac. Sirm.

Susceptis sanctitatis tuæ litteris, totius humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus; tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum commendamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveret, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim sanctæ conversationis pedem, quo tendere debeas, perspicacius cognoscere poteris, et supervenientia pravorum jacula prævidere et declinare liberius, revelante Domino, prævalebis, si in apostolicæ sedis petra, more majorum, præsidium tuum locaveris, ejusque fidei doctrinis vel decretis arctius inhærere contenderis; quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus ejus Christus Ecclesiæ suæ voluit primum et speciale retinere fastigium, quin et cœlestis atrii delegit summum constituere janitorem, quod jam beatitudinem tuam strenue persequentem debitis attollimus omnino præconiis non solum in hoc, verum etiam in eo, quod apostolatum nostrum ad perseverantiam cohortaris. In quo enim tam manifeste nostrarum sanctionum et decretorum ostendere te poteris esse custodem, quam in eo, quod nostram quoque soliditatem supra firmam petram fundatam, ut in his perseveret, studiosius animare procuras?

Quod autem deprecatur tua fraternitas, ut scrutemur, quales prædecessores nostri circa prædecessores tuos antiquitus fuerint, et postulas, ut liceat tibi rescripto cognoscere, utrum fidenter crebro litteris vel legatis non audeas [*lege*, nos audeas, HARD.] frequentare, et quæque congruentia temporibus opportunis suggerere; sciat beatitudo tua, nos bene cognoscere, quod prædecessores mei inter alia honoris beneficia prædecessores tuos adeo dilexerint, ut eis vices suas in illis partibus retinere consenserint, quemadmodum quinta refert sancta et universalis synodus. Tu vero si promissa tuæ dilectionis perfeceris, et nobis consentiendo, contra pravos quosque vel contra molestos nobis hærere contenderis, et a decretis deviare refugeris: noveris te deinde apostolatus nostri clypeo protegendum, et charitatis ac pietatis brachiis modis omnibus complectendum; sanctam quoque Ecclesiam divinitus tibi creditam nostra sollicitudine et vigilantia, auctore Deo, peramplius et perfectius augmentandam. Mittere autem nobis legatos vel litteras tanto libere debetis, quanto charitas, qua circa sanctitatem tuam flagramus (quam latum mandatum psalmographus nuncupat), intra sinum amplitudinis suæ omnes recipit, omnes fovet, et protegit proximos suos; quia juxta apostolum Paulum, *benigna est, et omnia suffert* (*I Cor.* XV). Verum a charitate tua unum hoc necessario postulamus, scilicet ut cum aliquem ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua monere fraternitas, quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat; eo quod omnium ecclesiarum Dei (sicut ipse nosti) cura constringimur, et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem et dapsilitatem spargere per diversos. Illud autem valde placuit, unde etiam immenso tripudio exsultavimus, scilicet, quoniam ab apostolatu nostro sciscitati quid tua sanctitas sequi debuisset, prudentissime decrevisti. Verum quamvis multa sint quæ tibi mittere possemus: interim tamen quæ in alia nostri apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Siquidem quæ circa nos, circaque sedem beati Petri, non est aliud signum devotionis tuæ, quam polliceris, nisi obtemperantia et consummatio decretorum et definitionum nostrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Christi, ipsius vicarii sumus. Data mense Maii, die 12, indictione XII.

CLIX.

AD CAROLUM REGEM MAJOREM.

Fragmentum.

De conjugio Caroli junioris.

Dilectus filius et coæquivocus vester Carolus ad nostram apostolicam nunc in præsenti destina restuduit paternitatem, intimans videlicet quod pro quadam femina a primo jam matrimonio relicta, quam sine vestro, quod non debuerat, consensu sibi sociavit in conjugium, vestræ paternitatis offensam incurrerit.

Item. De uxore filio vestro conjuncta, si talis contra divinitatem invenitur causa pro qua nullo modo eam habere debeat, volumus nobis a vestra dilectione mandari. Quod si nulla invenitur ex latere alia causa quod grave pariat peccatorum, non reperitur auctoritas ut eorum scindi debeat conjugium, nec nostrum est eis sine manifesta delicti culpa suæ separationis inferre præjudicium.

Item. Quanquam sciamus filiam vestram, si libet, posse vos Balduino legaliter in uxorem dimittere, et pietatis vestræ clementer gratiam impertiri, non tamen jussa misimus, sed preces obtulimus.

APPENDIX.

DECRETA SEU RESCRIPTA NICOLAI PAPÆ I

EX GRATIANI VOLUMINE

Per JOANNEM COCHLÆUM *in unum collecta et in viginti titulos distributa.*

(Apud Mansi, Concil. general. tom. XV.)

De constitutionibus Ecclesiæ, tit. I.

I. (Dist. 10, c. 1, *Episcopis in concil. apud Const.* VI *congreg.*) Imperiali judicio non possunt jura ecclesiastica dissolvi ; nec possunt imperatorum leges evangelicis et apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, inferre præjudicium.

II. Dist. 12, *Ridiculum.*) Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur.

De consuetudine, tit II.

I. (Dist. 8, c. 8, *Mala.*) Mala consuetudo non minus quam perniciosa corruptela abjicienda et vitanda est.

II. (Dist. 22, *Mich. imp.*) Nihil absunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore constitutiones vel consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas.

III. (Dist. 21, *Denique.*) Illi qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente consacerdote, cujuslibet rei benedictionem dare nitatur. Sed et anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere, quia in Epistola ad Hebræos legimus quod minor a majore benedicitur (*Hebr.* III).

De judiciis, tit. III.

I. (Dist. 12, c. *Inferior.*) Inferior sedes potiorem absolvere, aut judicio ligare non potest, nec propriis diffinitionibus subjugare.

II. (Ibid., c. *Nolite.*) Filios circa spiritualem patrem, ut discipulos erga magistrum, ita sobrios ac devotos esse decet, ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam dijudicandam, nec saltem tenuiter reprehendendam, prosiliant.

III (Ibid., c. *Nunc.*) Non potest quisquam rite ab his qui inferioris ordinis vel dignitatis sunt, judicialibus submittti diffinitionibus. Unde factum est ut in concilio episcoporum nullus in Marcellinum papam, qui tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum idolis compulsus sacrificaverat, sed postea insignis martyr effectus est, sententiam proferre ausus fuerit, dum ei sæpissime omnes dicerent : Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio Et iterum : Noli audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, etc.

IV. (Ibid., c. seq.) Acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, et majorum non exspectatur sententia, cum et in causa clericum inferioris gradus solius episcopi sui judicium tantummodo postulandum [*al.*, præstolandum] fit.

V. (Ibid., c. seq.) In tantum hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quod ponens in cœlum os suum, lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem papam dictavit.

VI. (2, q. 2, c. 2, *Carolo regi Francorum.*) Omnes leges, tam ecclesiasticæ quam vulgares et publicæ, præcipiunt ut omnia sibi ablata restituantur ei qui suis est rebus exspoliatus.

VII. (3, q. 5, c. 2, *Mich. imp.*) Quod suspecti et inimici judices esse non debeant, et ipsa ratio dictat, et plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius et amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum commiserit, quem lædere forte voluerit.

VIII. (3, q. 9, *Revera.*) Revera justus mediator non est, qui uno litigante, et altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat.

IX. (Ibid., c. *Indicans.*) Indicas Hermannum episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum : pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus.

X. (Ibid., c. 6, *Si forte.*) Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documentum, ac secundum justitiæ tramitem, et accusatum et accusatorem simul adesse, et unam partem, quantacunque et qualicunque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

XI. (4, q. 1, c. 2, *Michael imp.*) Hæreticis non licet accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis facere negotiis. Hæreticos autem dici-

mus tam eos qui olim ab Ecclesia projecti sunt, quam qui post hoc a nobis anathematizati sunt. Præter hos autem et eos qui fidem sanam negant vel simulant confiteri.

XII. (4, q.4, c. fin.) Contra ritum ecclesiasticum contraque venerandas leges producitur accusator vel testis de imperialibus ædibus, et cui imperari potest. ad falsum dicendum testimonium adhibetur; fiunt suspecti judices; et lupi, custodes.

XIII. (6, q. 4, *Quod bene Carolo regi Francorum.*) Quod bene semel diffinitum est, et interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas, retractari.

XIV. (24, q. 1, *Ait Mich. imp. August.*) Ait Cœlestinus papa, Orientalibus episcopis scribens : Si quis ab episcopo Nestorio, vel ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus vel exutus est seu antistitis seu clerici dignitate, in nostra hunc communione durasse et durare manifestum est. Nec judicamus eum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui jam se præbuerat ipse removendum.

XV. (33, q. 2, *Historia. Carolo regi Francorum.*) Historia ecclesiastica ab Eusebio Cæsareensi episcopo confecta, de muliere quadam qua de castitate a marito accusabatur, ait: Præceptum est ab imperatore, lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tunc demum responderet objectis. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quam vulgares publicæque præcipiunt. Si autem de mulieribus et sæcularibus viris hæc constituta sunt, multo magis ecclesiasticis hominibus et sacerdotibus sunt concessa.

XVI. (Ibid., c. *Sive. Eidem.*) Sive de conjugii fœdere sive de adulterii crimine judicium agitandum sit, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario posse inire certamen, nisi prius ad tempus fuerit reddita suæ potestati, et consanguineis propriis libere sociata. Itaque etiam locus providendus est, in quo nulla vis multitudinis formidetur, ne sit difficile testes producere vel cæteras personas, quæ tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requiruntur.

De Romana Ecclesia et sede apostolica, tit. IV.

I. (Dist. 22, c. 1, *Mediolanensibus.*) Omnes, sive patriarchæ cujuslibet apicem, sive metropolis primatus, aut episcopatum cathedras, vel ecclesiarum cujuscunque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia. Illam vero solus ipse fundavit, et supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul et cœlestis imperii jura commisit (*Matth.* XVI.)

II. (Dist. 79, c. 1, *Si quis pecunia.*) Si quis pecunia vel gratia humana, aut populari seu militari tumultu, apostolicæ sedi sine concordi et canonica electione cardinalium ejus Ecclesiæ ac deinde sequentium clericorum religiosorum inthronizaiur, A non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur. Liceatque cardinalibus et aliis clericis Deum timentibus, et laicis, invasorem illum anathematizare, et humano auxilio a sede apostolica pellere.

III. (Dist. 97, c. *Ludov. imp.*) Licet nunquam apostolicæ sedis modus fuerit absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere, nos tamen sublimitatem vestram in nobilissimo viro ac strenuo legato vestro honorantes, ejusque gravitatem et eloquiorum illius veridicas cognoscentes assertiones, nihilo minus eum absque epistola vestra suscepimus.

IV. (1, q. 1 et 9, q. 3, c. *Per principalem. Mich. imp.*) Per principalem beatorum apostolorum Petri B et Pauli dextram, et potestatem et jus habemus, non solum in monachos, verum etiam in quoslibet clericos de quacunque diœcesi, cum necesse fuerit, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus, invitare.

V. (2, q. 6. *Arguta Rhemensi archiepiscopo.*) Arguta sapientia tua materiam depositionis adversus Rothadum assumpsit, et ab itinere apostolicæ sedis removit, et continuatim apostolicam sedem appellantem damnavit, et carcerali custodiæ mancipavit. Privilegia tamen apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullo modo debuissetis, quibus venerandi canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent.

VI. (6, q. 3, *Patet. Mich. imp.*) Patet profecto sedis apostolicæ, cujus auctoritate majus non est, ju- C dicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Nec de ejus judicio canones unquam præceperunt judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt.

VII. (15, q. 6, c. 2, *Episcopis Galliæ.*) Auctoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, et nominatim beatissimi papæ et martyris Alexandri quinti, a beato Petro, ab omnibus juramentis et cujuscunque obligationibus, quibus illi sese, coacti violentia impiorum, obligaverunt, absolvimus, et ne illa serventur vetuimus, tam archiepiscopum Trevirensem quam ejus præpositum, et omnes qui tunc temporis capti se illis quoquomodo obligaverunt. Neque ullam eos proinde infamiam vel calumniam, D aut a suis bonis sequestrationem unquam, auctore Deo et sanctis apostolis et nostris prædecessoribus, sustinere permittimus, sicut per prophetam Dominus dicit: *Dissolve colligationes impietatis*, etc. (*Isa.* LVIII).

VII, (17, q. 4, *Nemini. Omnibus episc.*) Nemini est de sedis apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere in beato Petro apostolo divinitus collatum.

IX. (55, q. 2, *Si quis.* Universali synodo præsidens.) Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide vel ecclesiastica disci-

plina pro correctione imminentium vel futurorum malorum, a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

X. (35, q. 9, *Sententiam. Michaeli imp.*) Sententiam Romanæ sedis non negamus posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum, dispensatione quædam ordinare decreverit; quoniam et egregium Paulum apostolum dispensatorie legimus quædam fecisse, quæ postea reprobasse legitur. Quod tamen observandum est, quando illa Romana videlicet Ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit; non quando ipsa quæ bene sunt diffinita retractare voluerit.

XI. (*De consec.* dist. 1, *Ecclesia. Clero et plebi Viennensis Ecclesiæ.*) Ecclesia, id est catholicorum collectio, quomodo sine apostolicæ sedis instituetur nutu, quando juxta sacra decreta, nec ipsa debet absque præceptione papæ basilica noviter construi, quæ ipsam catholicorum intra semet amplecti catervam dignoscitur.

De decretis Romanorum, pontificum, tit. V.

I. (Dist. 11, c. 2, *Mich. imp.*) Quo a sedis apostolicæ rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis occasione removeatur.

II. (Dist. 19, c. 1, *Archiepiscopis et episcopis per Galliam constitutis.*) Si Romanorum pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod vere sedes apostolica probavit, hodie teneatur acceptum; et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potius ea quæ ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus [*al.* motibus] diverso tempore scripsit, omni honore debent præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus vel opportunitatibus, discretione vel dispensatione magistra, reverenter assumi, etc.

III. (Dist. 20, c. fin., *Clero Constantinopolitano.*) Si decreta Romanorum pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis redarguendi; si vero habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi.

De imperatoribus, tit. VI.

I. (Dist. 10, c. 1, *Mich. imp.*) Imperator suis reipublicæ quotidianis administrationibus debet esse contentus, non usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt.

II. (Dist. 96, c. *Ubinam. Eidem.*) Ubi legistis imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos?

III. (Ibid. c. seq. *Denique Eidem.*) Denique hi quibus tantum humanis rebus, non divinis præesse permissum est, quomodo de his per quos divina ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus.

IV. (Ibid., c. *Cum ad verum. Eidem.*) Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, idem rex et pontifex, actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, et Deo militans minime se negotiis sæcularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur qui esset sæcularibus negotiis implicatus.

V. (Ibid., c. seq. *Satis Eidem.*) Satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec solvi prorsus nec ligari pontificem, quem constat a pio principe Constantino Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est.

VI. (1, q. 1, *Non quales. Eidem.*) Non quales sacerdotes Domini sint, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum quid sint, sed quid pro correctione Ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos dicetis inferiores Scribis et Pharisæis sedentibus super cathedram Mosis, de quibus Dominus præcepit, dicens: *Quæcunque dixerint vobis, facite*, etc. (*Matth.* XXIII.)

De regibus, tit. VII.

I. (Dist. 63, *Porro Lothario regi.*) Relatum est nobis quod quicunque ad episcopatum in regno tuo provehendus est, nonnisi faventem tibi permittas eligi. Idcirco apostolica auctoritate, sub divini judicii obtestatione, injungimus tibi ut in Trevirensi urbe et Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro apostolatui fiat.

II. (2, q. 1, *Quæ Lotharius, Carolo regi Francorum.*) Quæ Lotharius rex nepos vester fecit, accusatione non indigent. *Manifesta* enim *sunt*, teste Apostolo *opera carnis, fornicatio, immunditia*, etc. (*Galat.* I.) In manifestis enim calliditate accusantium non opprimitur reus, nec tergiversatione proprium crimen celatur, cum culpa sub oculis omnium sponte se ingerat; atque ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur.

III. (Ibid., c. fin. *Episcopis per Galliam, Italiam et Germaniam constitutis.*) Scelus quod Lotharius rex, si tamen rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis illicitis ejus motibus cedit, in duabus scilicet feminis Theutberga et Waldrada commisit, omnibus manifestum est; sed dudum episcopos Theutgaudum et Guntharium in tali facto eum habuisse tutores atque fautores, pene totus orbis undique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat. Igitur decernente nobiscum sancta synodo, in præsentia depositi, et ab

officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt.

IV. (11, q. 3, *Præcipue. Lothario regi.*) Præcipue Waldrade pellicis tuæ, et dudum a te repudiatæ, communionem declina. Excommunicata est enim, et usque ad præsentiam nostram ab omni contubernio Christianorum sequestrata. Excommunicata est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulierculæ passione vinctus et obligatus, ad perenne trahatis exitium.

V. (Ibid., c. *Ita corporis. Eidem.*) Ita corporis tui motibus cedere consensisti, et relaxatis voluptatum habenis, temetipum in lacum miseriæ et in lutum fæcis prohibitum dejecisti, ut qui positus fueras in gubernatione populorum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc Theutgaudii et Guntharii dudum episcoporum legitimus casus, qui pro eo quod te minime competenter erudierint, quin imo, quia prævaricationem tuam argumentis suis tegere, et sub quadam justitiæ specie, fucatis quibusdam exquisitis adinventionibus, æquitatem obruere studuerunt, nostra sunt apostolica depositi auctoritate, et ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati.

VI. (Ibid. *Excellentissimus. Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.*) Excellentissimus rex Carolus apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his qui cum Ingeltrude sæpe damnata communicant femina, quoniam eam cum communicatoribus suis et fautoribus pari vinculo anathematis constat esse astrictam. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod de studio delinquitur; istudque posterius duobus prioribus districtius esse puniendum : idcirco solerter invigilet, et cauta districtione singulorum modos dijudicet, quatenus qui ex necessitate aut ignorantia delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur. Illos autem qui studio suo obligantur, et contemptu interdicta nostra postponunt, nonnisi digna satisfactione præveniente, volumus a te prorsus absolvi.

VII. (24, q. 3, *An non. Lothario regi.*) An non districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech et flagitium imitatus esse dignosceris? quod Dominus nonnisi post septuaginta septem generationes suo salutifero adventu delevit, cum Cain fraticidium septima generatione aquis abolitum sit cataclysmi, id est diluvii (*Gen.* VI).

De patriarchis et archiepiscopis, tit. VIII.

I. (Dist. 63, *Episcopos. Joannni Ravennati archiepisc.*) Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem vel consensum cleri et populi.

II. 3, q. 6, *Hæc quippe. Salomoni regi Britonnum*). Hæc ordinatio Dei Patris tui, et hæc est lex Ecclesiæ matris tuæ, videlicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse est enim metropolitanus, et omnes episcopi regni tui suffraganei ejus sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt. Neque enim Ecclesias Dei per discordias regum divisionis aliqua damna pati necesse est, cum, quantum ex se est, pacem quam prædicant, servare studeant in invicem et omnes.

III. (9, q. 3, *Conquestus Bituricensi archiepiscopo.*) Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus, archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos, eo invito, ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tui disponas : cum hoc neque antiquitas (cui sancti Patres sanxerunt reverentiam) habeat, et auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus.

IV. (11, q. 3, *Theutgaudum. Omnibus episcopis Galliæ et Germaniæ.*) Theutgaudum Trevirensem primatem Belgicæ provinciæ, et Guntharium Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos, nunc coram nobis et sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii regis et duarum mulierum ejus, Theutbergæ scilicet et Waldradæ, recognoverint et judicaverint, scriptum super hoc propriis manibus roboratum offerentes, et sententiam quam a sede apostolica in Ingeltrudem uxorem Bosonis, sanctissimus frater noster archiepiscopus Mediolanensis Thado et cæteri coepiscopi nostri petiverunt emittendam, et nos divino succensi zelo, sub anathematis attestatione canonice protuleramus, publice se viva voce violasse confitentes; in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, et æquitatis normam nequiter temerasse, ab omni judicamus sacerdotii officio manere penitus alienos. Et ideo sancti Spiritus judicio, et beati Petri per nos auctoritate, episcopatus exutos regimine consistere diffinimus.

De sacris ordinibus, tit. IX.

I. (Dist, 23, *Præterea. Rodulfo Bituricensi archiepiscopo.*) Quæ in consecrationibus et ordinibus observanda sint, beati Innocentii papæ canonica decreta, præsertim principia paginæ ad Decentium Eugubinum episcopum emissæ, affatim edocebunt.

II. (1, quæst. 1, *Statuimus*, c. 2.) Simoniaci simoniace ordinati vel ordinatores, secundum ecclesiasticos canones, a proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniace a non simoniacis ordinati, similiter ab officio male accepto removeantur. Simoniacos autem non simoniace a simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.

De episcopis, tit. X.

I. (Dist. 34, c. 1. *Alvino archiepisc. Januensi.*) Episcopi ab omni bestiarum vel volucrum venatione penitus alieni existere, et ab immoderata filiarum suarum familiaritate, unde male oriatur fama, abstinere debent. Nullum enim sanctum, ut ait beatus Hieronymus, venatorem legimus.

II. (D. 43, c. fi. *Mich. imp.*) Episcopis dispensatio cœlestis seminis injuncta est. Væ si non sparserint, væ si tacuerint, sicut vas electionis formidat et clamat. (*I Cor.* IX.)

III. (6, quæst. 3, *Denique.*) Si quælibet ambiguitas vel aliqua fortasse super Suffredi examinatione vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem apostolicam referri convenerat, et nostra his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus exspectare. Quod quia omissum est hactenus, dolemus. Dilectissimi, igitur gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio; et hic, si aliquid reprehensione dignum gessit, postea vel correctione vel digna animadversione diffinietur.

IV. (7, q. 1, *Pontifices. Alvino Januensi.*) Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate vel ægritudine, abjiciendi non sunt: nec alii in loco eorum consecrandi sunt, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sacerdotes expleant. In his vero quæ his præsumere non licet, vicinorum usque ad recipiendam sanitatem episcoporum auxilia subrogentur.

V. (Ibid., c. *eodem. Eidem.*) Episcopos vero qui Dominici gregis suscipiunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur et triplicetur fructus.

VI. (Ibid., *Sciscitaris. Hunfrido Morinensis Ecclesiæ episcopo.* Sciscitatis utrum cum a Northmannis de episcopio depellaris, debeas de cætero in monasterio conversari. In quo scias, charissime frater, quod si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus quod persecutorum non fugiamus, maximeque paganorum, insidias, cum ad tempus sæviunt, et ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire ultro non debeamus, et multos prophetas et apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet: sed quod præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui et horum pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem perquirere, et in unum colligere, et ejus animos cœlestis patriæ pace potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus.

VII. (23, quæst. 8, *Reprehensibile. Carolo regi Francorum.*) Reprehensibile valde constat esse quod
A subintulisti, dicendo, majorem partem omnium episcoporum die noctuque cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, et ob id episcopi impediantur venire; cum militum Christi sit, Christo servire; milites vero sæculi serviant sæculo, secundum quod scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*I Tim.* II). Quod si sæculi milites militiæ student, quid ad episcopos et milites Christi pertinet, nisi ut vacent orationibus.

VIII. (*De cons.* D. 1. *Porro. Rodulfo, Bituricensi archiepisc.*) Porro *Gloria in excelsis Deo* ab episcopis in Cœna Domini intra missarum solemnia more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti est illis licitum, quibus est ab apostolica sede
B permissum.

De presbyteris, tit. XI.

I. Dist. 32, *Nullus. Omnibus episcopis.*) Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem.

II. (Dist. 58, *Sacerdotes. Carolo archiepiscopo Moguntino et ejus suffrag.* Sacerdotes si in fornicationis ceciderint laqueum, et criminis manifestus sive ostensus sit actus, sacerdotii honorem habere non possunt, secundum canonicæ institutionis auctoritatem.

III. (Ibid., c. *Studeat. Osvaldo coepiscopo Quadrantino.*) Si presbyter aliquem percusserit, non ad mortem, pro percussione pœnitentiam agat, et aliquanto tempore a missarum solemniis suspendatur. Si vero
C qualicunque percussione ejus aliquis mortuus fuerit, nulla ratione ministrare sacerdotis more debet; quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen et indignatio in omnibus, et præcipue in Dei ministris, multipliciter inhibetur atque damnatur.

IV. (2, quæst. 1, *Notum sit. Herardo Turonensi archiepisc.*) Presbyter iste dicit se falsis criminibus impetitum, et ab ecclesia sua, non convictum neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum. Nam tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neque de homicidii confessione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut quæ, te forte ignorante, Gieziaca
D cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur, scilicet restituendo ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque ei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem.

V. (15, quæst. 8, c. fin. *Ad consulta Bulgarorum.*) Sciscitantibus vobis si a sacerdote qui fuerit comprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem recipere necne, respondemus: Non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Qualiscunque enim sacerdos sit, quæ sancta sunt coin-

quinari non possunt. Idcirco ab eo, quotcunque judicio episcoporum reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat : et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur (fides est enim, quæ hunc mundum vincit), et quia non dantis meritum, sed accipientis fit, dicente beato Hieronymo : Ad credendum omni animæ baptismus est perfectus, et in omni sacerdote corpus Christi est perfectum.

VI. (17, quæst. 4, *De presbyterorum. Thadoni archiepisc. Mediolanensi.*) De presbyterorum flagellatoribus et occisoribus, prædonibus scilicet, qui sæculari brachio minime coercentur, juxta præceptum Domini placet, ut fraterno amore conveniantur secundo et tertio : qui requisiti si te non audierint, conveniente Ecclesia, eos sacra communione privare, atque si in sua obstinatione permanentes sacerdotalia monita forte contempserint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus.

De clericis tit. XII.

I. (Distinct. 12, *De illo. Adoni Viennensi archiepiscopo.*) Clericus, qui per ordines ecclesiasticos usque ad subdiaconatum caste vixit, uxorem ducere non potest. Nullis enim datur licentia, exceptis illis quibus ecclesiastica regula uxorem habere permittit.

II. (Dist. 50, *Clericum. Osvaldo coepiscopo Quadrantino.*) Clericum qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquisito, homicida enim est. Nam discreti sunt milites sæculi a militibus Ecclesiæ, quibus militare sæculo non convenit.

III. (Ibidem, c. *Hi qui arborem.*) Hi qui arborem incidere videntur, si contigerit ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt atque innoxii, quia nec voluntate eorum nec desiderio homicidium perpetratum est. Si vero aliqua culpa eorum vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt a gradu, et in sacro ordine nullatenus suscipiendi.

De votis monasticis, tit. XIII.

I. (Dist. 27. *Quod interrogasti. Adoni Viennensi archiepisc.*) Femina quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine monialem esse, postea vero ad nuptias rediit, debet pœnitentiam agere de illusione nefanda, et reverti ad id quod spopondit.

II. (20, quæst. 3, *Præsens. Omnibus episcopis in regno Ludovici.*) Præsens clericus, nomine Lambertus, una cum patre suo nomine Atto, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans, adiit præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater ejus in laici adhuc ordine, in præ-

A diis propriis ædificasset duo monasteria, voluntatem gerens ut post suum decessum præsens ejus filius Lambertus in locum ejus succederet, quem infra teneram ætatem inter octavum et decimum annum constitutum, memoratus pater proprio arbitrio, absque regulari institutione, extra omnem illius voluntatem cucullam induit. Igitur post quoddam ipsius temporis spatium, ut ipse dicit, Salomon episcopus, cum quibusdam aliis, absque patris oblatione vel abbatis percepta benedictione, eumdem Lambertum monasticum habitum induere fecit, ut ferunt, invitum. Et sub hac occasione paterna seu materna hæreditate a fratribus suis privatum esse, atque contra omnem, ut dictum est voluntatem suam quasi regularem illum monachum permanere volunt. Et infra :
B Quapropter consulte Psalmographi verba recolentes, quibus voluntarie se Deo sacrificare pronuntiat, et voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat (*Psal.* XXXIII), præsentem clericum nomine Lambertum minime debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit nec optat, profecto non diligit : quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum ergo bonum, nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam (*Matth.* X), per quam violentia ulli inferatur, præcepit, etc.

III. (27, quæst. 1, *Vidua. Carolo archiepiscopo Moguntino et ejus suffrag.*) Vidua quidem, quæ capiti sacrum velamen imposuit, si inter cæteras velatas feminas in ecclesia oraverit, et oblationes cum illis obtulerit, si professa est se in eodem habitu
C permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere, a religionis observantia discedere non præsumat.

De laicis, tit. XIV.

I. (Dist. 18, c. fin. *Ad consulta Bulgarorum.*) De presbyteris, vobis qui laicis estis, nec judicandum est, nec de vita eorum quidquam investigandum, sed episcoporum judicio, quidquid id sit, est reservandum.

II. (Dist. 96, *In scripturis, Ludovico II imp.*) In scripturis narratur Constantinus imperator dixisse : Vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui in monachi habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamydem meam exspoliarem et coeperirem eum, ne ab aliquibus videretur. Hoc di-
D cimus, cautos vos reddere cupientes, ut si de Domini sacerdotibus, qui jure patres animarum dicuntur, aliquid contigerit vos audire quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo verecundiam contegatis (*Gen.* IX), ut affluenti, quemadmodum et illi, benedictione repleri, moderante Domino, mereamini.

De ecclesiis tit. XV.

(22, quæst. 1, c. *Nulla. Ex ejus decretis.*) I. Nulla ædificia in atrio ecclesiæ ponantur, nisi tantum clericorum.

II. (11, quæst. 2, *De rebus. Adoni Viennensi archiepisc.*) De rebus quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur atque diripiuntur, sancimus ut prius consulatis principem ad resecandam tam præsumptivam factionem, et cognoscendum utrum sit illius concessio, an invasoris præsumptio. Quod si principis inordinata fuerit largitio, et ipse princeps sit pro emendatione redarguendus; si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem, excommunicationis sit vindicta coercendus.

III. (37, quæst. 4, *Sicut antiquitus Omnibus episcopis.*) Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus ut major ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat. Capellæ vero vel minores ecclesiæ triginta. Qui autem confinia eorum confringere tentaverit, aut personam hominis aut bona ejus inde subtraxerit, nisi publicus latro erit, quousque emendet, et nisi quod rapuerit reddat, excommunicetur.

De baptismo, tit. XVI.

I. (*De consec.*, dist. 4, *A quodam Ad consulta Bulgarorum*, cap. 104.) A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi sicut in Actibus apostolorum legitur baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus Ambrosius exponit), (*a*) quia non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent (*b*).

II. (Ibid., *Catechismi.* Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in hac sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore ministerium exhibemus nostri famulatus, solemniter fieri comprobantur.

De pœnitentia, tit. XVII.

I. (12, quæst. 2, *De viro. Frotario archiepiscopo Burdigalensi.*) De viro nefando, Burgando nomine, qui, rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera et compita insidians, vobis in vestræ ecclesiæ villa una cum clericis vestris manentibus, et populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus sancta apostolorum Petri et Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, et iniquitatis complicibus, nefarias invasiones et deprædationes violentas inferre, dæmoniaco ausu præsumpserit, et ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare sacraque Dominici corporis et sanguinis vasa, insuper et sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia et ad
A communem usum apta, præsumpserit, dilectio nos vestra consulit, si ipse vel qui cum eo in tam impio et iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque, gratia tacti divina, venire voluerint, quos eos pœnitentiæ vinculo constringatis, institutionis nostræ censuram exposcere curastis. De quibus tamen si ita est, jubemus, cum ad pœnitentiam quandoque reverti acceleraverint, uno anno extra ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa extra ritum fidei Christianæ deripiendo auferre non dubitaverunt. Secundo vero anno ante fores ecclesiæ sine communione maneant. Tertio vero anno ecclesiam Dei ingrediantur, et inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ dies.
B Quarto præterea anno, si his prioribus tribus annis eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes talia se ulterius nunquam facturos, corpus et sanguinem Domini suscipere mereantur, et usque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium et vini potatione maneant pœnitentes.

II. (26, quæst. 7. *De his.*) De his vero qui pro criminibus pœnitentiam egerunt, et ad cingulum militiæ convertuntur, constat eos contra sacras regulas agere; verum quia crimina non æqualia sunt, perhibes quoque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad paganos fugisse: tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca et tempora regionis illius, et mo-
C dum culpæ, nec non et pœnitentiam et gemitus hominum ad confessionēm venientium præsens positus inspicere vales.

III. (33, q. 2, *Interfectores. Rodulfo Bituricensi archiepisc.*) Interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis, adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt quam homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? Quibus penitus conjugium denegatur, exceptis adolescentulis, de quibus est beati Leonis papæ vigesima quinta regula decretalium, imo indulgentia, observanda.

IV. (Ibid., c. 2. *Latorem. Rataldo episcopo sanctæ ecclesiæ Argentoratensis.*) Latorem præsentium matricidam esse cognovimus, cui præcipimus ut sub
D pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, et orans et deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo introeundi in ecclesiam licentiam habeat, tantum inter audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis, sacræ communionis ei gratia concedatur. Oblationes

(*a*) Deest aliquid. Vide cap. 104 Respons. ad Consult. Bulgar., seu epist. 97.

(*b*) Ob hunc canonem Magdeburgenses Nicolaum I erroris redarguunt, sed valde imperite; cum ille docuerit in nomine Christi baptizare posse eadem ratione qua apostoli Act. II, VIII, X, XI et XIX de falso baptizarunt. Ita Suarez, tomo III de Sacramentis, disputatione 21, sectione 3. Bellarminus lib. IV de Romanis Pontificibus, cap. 12, Nicolaum falsæ et erroneæ sententiæ non aliter quam privatum doctorem adhæsisse ait. Quam sententiam omnes communiter doctores amplectuntur. SEV. BIN.

vero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festivis diebus atque Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra paganos. Jejunet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam ; a propria et legitima conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante annorum trium cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis et sanguinis Domini nostri particeps fiat, Sin autem, ut supra statuimus efficiatur. Tamen si illius conversionem et lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus et optimis operibus pullulare, humanius circa eum sollicitndo pervigil appareat, mitisque in omnibus demonstretur.

V. (Ibid., cap. seq. *Ad consulta Bulgarorum. Conc. Wormat.*, cap 33,) Si quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sancta Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, et castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere, Similiter et mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos. Sed hoc de lacis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

De matrimonio, tit. XVIII.

I. (27, q. 2, *Sufficiat.*) Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque consensu et conjunctionibus agitur. Qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.

II. Ibid., cap. *Scripsit. carolo regi Francorum.*) Scripsit nobis Theutberga regina se regia dignitate vel maritali copula velle exui, et sola vita privata esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus non aliter hoc fieri posse nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Nam licet sit scriptum : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* xv), Deus autem, et non homo, separat, quando divini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis, matrimonia dissolvuntur. Aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus.

III. (10, q. 2, c. 1.) Ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, et e converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat.

IV. (30, q. 5, *Nostrates. Ad consulta Bulgar*). Nostrates, tam mares quam feminæ, non ligaturam auream vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt ; sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissio, fœdera quoque consensu eorum qui hæc contrahunt, et horum quorum in potestate sunt, celebrant. Et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ejus, scripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege diffinitum tale quid facere præsumant, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum in ecclesiam Domini cum oblationibus, quas offerere debent Deo, per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem et velamen cœleste suscipiunt.

V. (31, q. 2, *Lotharius. Rhodoaldo Portuensi, et Joanni Ficolens episcopis*). Lotharius rex in commonitorio profitetur Waldradam se a patre præmissis dotibus accepisse, et sororem postmodum admisisse Hucberti. Ubi primum diligenti investigatione inquirite. Et si eumdem gloriosum regem prædictum Waldradam præmissis dotibus coram testibus, secundum legem et ritum quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse, et publica manifestatione eadem Waldrada in matrimonium ipsius admissa est, restat ut perscrutemini cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem gloriosus rex metu Theutbergam admisisse se dicit, metu unius hominis tantus rex non debuit contra divinum præceptum in immane præcipitium mergi. In hoc certo se magis reprehensibilem ostendit, in quo amorem Dei amori mundi postposuit, cum nec etiam occisores corporis sint timendi, contra justitiam hominem impellente, Nihil itaque vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem, nostra vice freti, causam illius diffinitatis, etc.

VI. (32, q. 1, *Quidquid. Ad consulta Bulgar.*) Quidquid mulier contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda, vel odio prorsus habenda.

VII. (52, q. 8, *Hi qui. Carolo Moguntinensi archiepiscopo.*) Hi qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem et causam conjugia talium solvi non possunt. Similiter sciendum est de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.

VIII. (33, q. 2, *Inter hæc. Alvino archiepiscopo Junuensi.*) Inter hæc sanctitas vestra addere studuit ut si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere : sed sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus. Gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat.

IX. (33, q, 5, *Nec uxorem. Ad consulta Bulgarorum.*) Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse ullo modo arbitror.

De impedimentis matrimonii, tit. XIX.

I. (30, q. 1, *Nosse. Salonitano episcopo.*) Nosse

dasideras utrum mulier quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, mullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem, maxime cum Apostolus præcipiat : *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Dor.* VII.)

II. (Ibid. *De his Rodulfo Bituricensi archiepisc.*) De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est qui filios uxoris suæ de priori viro dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, si in scientia (sicut asseris) fiat, licet sit peccatum, non tamen usque ad separationem conjugii puniendum est. Lugeant tamen, et digna pœnitentia hoc diluentes Domino dicant : *Delicta iguorantiæ meæ ne memineris* (*Psal.* XXXIV.)

III. (30, q. 5. *Ad consulta Bulgarorum.*) Ita diligere debet homo eum qui suscepit ipsum de sacro fonte, sicut patrem. Item : Est inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri quodlibet legale conjugium) Quandoquidem nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item: Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit quanto potius a carnali oportet inter se conturbernio cessare illos quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus jungit ? (c. 2. *ad consulta Bulgar.*) Longe ergo congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is quem divina gratia potius quam humana volnntas nt filius patris mei vel frater meus esset, elegit, prudentiusque ab alterna corporis commistione secernitur.

IV. (30, q. 4, c. 1. *Salomoni Constantiensi episc.*) Sciscitatur a nobis sanctitas vestra si aliquis homo duas commatres habere valeat unam post alteram. In quo meminisse debet scriptum esse : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque cum constet quia vir et mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum verum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur.

V. (33, q. 2, *Si quis.*) Si quis cum matre fornicatus fuerit spirituali, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus, legitimam tamen, si habuerit, non dimittat uxorem.

VI. (35, quæst. 2, *De consanguinit. Suffraganeis Ecclesiæ Amalsitanæ.*) De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit. Laicus vero uxorem simul et concubinam habens non communicet Ecclesiæ.

De bellis, tit. XX.

I. (2, q. 4, *Monachiam. Ex ejus decretis.*) Monomachiam in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus, cum hæc et hujusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur.

II. (15, q. 6, c. 2, § *Quin etiam. Episcopis Galliæ.*) Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Treverensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus, hæc in mandatis damus ut spirituali simul et materiali gladio tandiu malignos illos eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones vel quæcunque res ecclesiasticæ hoc facto vel quocunque pacto distractæ seu direptæ sunt, revocentur.

III. (23, quæsi. 5, *Omnium. Exercitui Francorum.*) Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis, quod non optantes dicimus, in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minime negabunfur.

IV. (23, quæst. 8, *Si Nulla. Ad consulta Bulgarorum.*) Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est a præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget importunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam sua quam patriæ seu legum paternarum est bellorum præparationi procul dubio parcendum : ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, et suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet.

V. (24, quæst. 3, *Illi qui. Omnibus episcopis.*) Illi qui peregrinos vel oratores cujuscunque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas, aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint. Pax vero illa, quam (*a*) treguam Dei dicimus, fideliter observetur, sicut ab archiepiscopis et episcopis uniuscujusque provinciæ constitua est. Qui autem eam infregerit excommunicationi subdatur.

(*a*) Hæc non videntur hujus ætatis.

RESPONSIO EPISCOPORUM GERMANIÆ

WORMATIÆ COADUNATORUM

DE FIDE SANCTÆ TRINITATIS

CONTRA GRÆCORUM HÆRESIM

(Ex codice ms. Vindob., *Hist. eccles.;* apud Neutgard., Const. Episc.)

Omnis ecclesiastica disciplina in individuæ Trinitatis fide est ab omnibus salubriter credenda, ut cœlestium dignitatum concordia semper et ubique maneat in cunctis gentibus una. Sed quia Michaelem et Basilium imperatores Græcornm cum suis fautoribus ab hac catholica fide audivimus in aliquibus causis immoderate exorbitasse, necessarium ducimus ut quod ad unitatem concordiæ et ad custodiam pertinet cœlestis disciplinæ nulla negligatur nec violetur dissensione, neque turbetur concertatione, ut firma possit consistere compago et unitas fidei nostræ. Scimus etenim sanctissimos Patres atque doctores nostros per gravissimos hostilitatis incursus multas hæreticorum blasphemias pro pace et unitatæ sanctæ Dei Ecclesiæ divina falce prudenter resecasse et omnes unanimiter in individuæ Trinitatis fide credenda perseverasse.

Unde ex eorum plurima multitudine eligamus unum qui blasphemias prædictorum imperatorum divinis conterat assertionibus. Quoniam si Veteris et Novi Testamenti et omnium doctorum auctoritates contra hæc assumpserit, et copia magnitudinem excedet, et fastidium prolixitas legentibus et audientibus gignet. Ergo quia memorati hæretici Spiritum sanctum non a Filio sed a Patre solummodo procedere ausi sunt dicere, monstrandum est quid proprium, quid communiter Pater et Filius et Spiritus sanctus in individua Trinitate habent, et quomodo ab utroque Spiritus sanctus veridice et æternaliter procedit, et quomodo ipsa sancta Trinitas inseparabilis existit. Designandum est etiam, eam simul operari cuncta et esse coæternam, et Patrem et Filium, a quibus procedit Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ existere. Et quod unus et solus et verus Deus est ipsa sancta Trinitas, et quod Spiritus sanctus Patri et Filio æqualis accipitur, et utriusque Spiritus dicitur, et charitatis nomine intelligitur: et cum rectissime Spiritus sanctus sit Deus, vocetur donum Dei, et quomodo ipsa sancta Trinitas nec confusa nec separata, nec locorum vel finito vel infinito spatio contineatur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur.

Augustinus in libro de Verbis Domini in Evangelio secundum Matthæum (*serm.* 61): *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro:* « Ideo, inquit, remissio peccatorum, per quam in se non divisus spiritus evertitur et expellitur regnum. Ideo societas unitatis Ecclesiæ Dei extra quæ non fit ipsa remissio peccatorum tanquam proprium opus est sancti Spiritus, Patre sane et Filio cooperantibus, quia societas est quodammodo Patris et Filii ipse Spiritus sanctus. Nam Pater non communiter habetur Pater a Filio et Spiritu sancto, quia non est Pater amborum, et Filius non communiter habetur Filius a Patre et Spiritu sancto, quia non est Filius amborum, Spiritus autem sanctus communiter habetur a Patre et Filio, quia Spiritus est unus amborum. Quod autem ipse sit Spiritus Patris, ipse Filius dicit: *de Patre procedit;* et alio loco: *Non enim vos estis qui loqui-* A *mini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Quod vero ipse sit Spiritus Filii Apostolus dicit: *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater;* hoc est, clamare facientem. *Et in hoc cognoscimus,* sicut dicit apostolus Joannes, *quoniam Christus manet in nobis de Spiritu sancto quem dedit nobis; ipse Spiritus testimonium reddet spiritui nostro quia sumus filii Dei.* Unde scriptum est: *Si qua igitur exhortatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus.* » Et Paulo supra: « Neque enim habitat in quoquam Spiritus sanctus sine Patre et Filio, nec Filius sine Patre et Spiritu sancto, nec sine illis Pater. Inseparabilis est quippe habitatio, quorum est inseparabilis operatio. » Hinc in eodem libro in Evangelio secundum Joannem, de una Trinitate trinaque unitate idem Augustinus dicit: « Ipsa enim fide rectissime, ac robustissime retinemus, Patrem, Filium, Spiritum sanctum inseparabilem esse Trinitatem, unum Deum B non tres deos ita tamen unum Deum, ut Filius non sit Pater, ut Pater non sit Filius, ut Spiritus sanctus nec Pater sit Filius, sed Patris et Filii Spiritus. Hanc ineffabilem Divinitatem apud seipsam manentem omnia innovantem, creantem, recreantem, mittentem, revocantem, indicantem, liberantem. »

Hanc ergo Trinitatem ineffabilem simul novimus, ut inseparabilem et inseparabiliter eam pateat cuncta operari. Paulo post in eodem Evangelio Augustinus ait: « Occurrit itaque quæstio, quam in nomine Domini et ejus voluntate solvendam suscepimus. Nihil facit Pater sine Filio, et nihil Filius sine Patre. Filius quidem, inquit, non Pater, de virgine Maria natus, sed ipsam nativitatem Filii, non Patris, de virgine Maria et Pater et Filius operatus est. Non est quidem passus Pater, sed Filius, passionem tamen Filii et Pater et Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius. Resurrectionem tamen Filii et Pater et Filius operatus est. » Ac deinceps quia C Pater nativitatem Filii fecit, audi Apostolum: *Cum venerit plenitudo temporis, misit Deum Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* An forte movet quod dicit ex muliere? Utrumque Scriptura dicit: et *ex virgine* et *ex muliere.* Ex virgine: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium.* Ex muliere: sicut audistis non est contrarium. Proprietas enim locutionis Hebrææ mulieres non corruptas virginitate, sed feminas appellat. Habes evidentem Scripturam Geneseos, quando ipsa primo facta est, dicit: *formavit eam in mulierem.* Dicit et alio loco Scriptura: *Jubere Deum separari mulieres, quæ non cognoverunt cubile viri.* Fecit Pater nativitatem Filii, *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Probavimus ergo nativitatem Filii a Patre factam, probemus et a Filio factam. Dicit enim Apostolus: *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* In hoc loco videamus nativitatem Filii ab ipso Filio factam. Fecit Pater passionem Filii, *qui proprio Filio non pepercit*

sed pro nobis omnibus tradidit illum; fecit et Filius passionem suam, ut Apostolus ait : *Qui me dilexit, et tradidit semetipsum pro me.* Tradidit Pater Filium, tradidit Filium seipsum. Quid fecit hic Judas, nisi peccatum? Transeamus hinc, veniamus ad resurrestionem. Operatus est Pater resurrectionem Filii, sicut dicit ipse Apostolus : *Propter hoc enim exaltavit eum, et donavit ei nomen quod est super omne nomen.* Resuscitavit ergo Pater Filium exaltando eum et excitando a mortuis. Resuscitavit Filius seipsum, ut in figura corporis manens de templo dixit : *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Videamus itaque si Filius animam suam posuit, et ei animam suam Pater reddidit non ipse sibi. Quia Pater reddidit, psalmus dicit : *Exsuscita me et reddam illis;* et quoniam Filius animam suam posuit et resumpsit, ait : *potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam, et iterum sumo eam.*

His vero breviter juxta sponsionem Christianæ fidei veridice et breviter prælibatis, restat ut coæternitatem sanctæ Trinitatis juxta promissionem nostram proferamus ex libris sancti Augustini in Evangelio secundum Joannem (*serm.* 117) : «*In principio erat Verbum*, loquitur dicens. Quid possumus, fratres mei, in Creatore invenire, quando in creatura nihil invenimus æternum. Inveni æternum Patrem in creatore, et inveni coæteruum Filium; si autem non invenis æternum et vincunt se in tempore, sufficit, ut ad similitudinem inveniamus coævum. Coævos quotidie dicimus eos qui eamdem habent mensuram temporum, non alter ab altero tempore præceditur, ambos tamen esse cœpisse quos dicimus coævos. Si potuerimus invenire coævum quod nascitur ei a quo nascitur, si possint invenire coœva duo, generans et generatus, hic invenimus coæva, ibi intelligimus coæterna. Si hic invenero genitum ex eo esse cœpisse, ex quo cœpit generator intelligimus certe Filium Dei ex eo esse non cœpisse, ex quo non cœpit generator. Ecce fortasse, fratres, invenimus aliquid in creatura, quod de alia re nascatur, et tamen ex eo tempore esse incipiat, ex quo cœpit aliud, unde nascitur. Hoc ex eo, ex quo illud cœpit, illud ex eo, ex quo illud non cœpit. Hoc ergo coævum, illud coæternum. Inveniamus itaque coæva, et de Scripturis admoneamur. Ad has similitudines legimas in Scriptura de ipsa sapientia : *Candor est enim lucis æternæ.* Dicta est *imago Patris.* Hinc capiamus similitudinem, ut inveniamus coæva, ex quibus intelligamus coæterna. Ignis enim lucem fundit : lux ab igne funditnr. Attende eum, qui lucernam accendit. Non accensa lucerna nondum est ignis, nondum est et fulgor, qui ab igne exiit. Ponamus ergo ignem Patrem illius splendoris, quia jam prælocuti aumus coæva nos quærere, non coæterna. Si lucernam accendere cupio, nondum est ibi ignis, nondum est ille splendor, mox autem ut accendero, simul cum igne et splendor existit. Da mihi hic ignem sine splendore, et credo iibi Patrem fuisse sine Filio.» Et paulo post : «Ponamus ergo aliquid natum super aquam velut virgultum aut herbam : Nonne cum imagine sua nascitur? mox ut incipit existere, incipit cum illo existere imago ejus; non præcedit nascendo imaginem suam. Non mihi ostenditur natum esse aliquid super aquam et postea apparuisse imaginem ejus, cum illud sine imagine prius non appareret, sed nascitur cum imagine sua et simul esse incipiunt virgultum et imago ejus; nunquid non fateris imaginem esse de illo virgulto, non virgultum de imagine genitum? Ergo de illo virgulto confiteris imaginem, itaque et generans et quod genitum est simul esse cœperunt, ergo coæva sunt. Si semper virgultum, semper et imago de virgulto; quod autem de alio est, utique natum est. Potest ergo semper esse generans et semper cum illo, quod de illo natum est. Ergo Filius Dei secundum hoc dicitur, quod Pater est, quod habet de quo sit, non secundum quod prior est Pater et postea Filius. Semper Pater, semper Filius de Patre. Et quia quidquid de aliquo est natum est; semper igitur Filius natus, semper Pater, semper de illo imago. Quomodo imago illa virgulti de virgulto nata est, et si semper virgultum semper nata est et imago de virgulto. Non potuisti invenire coæterna genita æternis genitoribus, et invenisti coæva nata temporalibus gignentibus. Intellige coæternum Filium natum æterno gignenti. Quod enim est temporali coævum, hoc est æterno coæternum. »

Hic jam modicum est quod advertatis, fratres, propter blasphemias. Hinc in epistola ad Consentium idem doctor scribit : « Manifestum est enim quod Verbum Dei Filium Dei unicum accepimus. Unde et evangelista inquit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et iterum : *et Verbum caro factum est*, propter nativitatem Filii incarnationis ejus, quæ facta est in tempore ex Virgine. In eo autem declarat, non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patræ substantiæ : quia tum dixisset : *Deus erat Verbum, hoc erat*, inquit, *in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factnm est nihil* : neque enim dicit *omnia*, nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia, et si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est, et quæ creaiura non est, Deus est. Et si non est Filius ejusdem substantiæ, cujus Pater, ergo facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At si omnia per ipsum facta sunt, unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est, et ideo non tantum Deus, sed et verus Deus. Quod idem Joannes apertissime in Epistola sua dicit : *Scimus, quod Filius Dei venerit et dederit nobis intellectum, ut cognoscamus verum et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Htc est verus Deus et vita æterna.* Hinc etiam consequenter intelligitur, non tantummodo de Patre dixisse apostolum Paulum, *qui solus habet immortalitatem*, sed de uno et solo Deo, quod est ipsa Trinitas; et post pauca, *ut serves*, inquit Apostolus, *mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, quem temporibus propriis ostendet beatus et solus potens rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, cui est honor et gloria in S. S.* In quibus verbis nec Pater proprie nominatus est nec Filius, nec Spiritus sanctus, sed beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, quod est unus et solus et verus Deus ipsa Trinitas.

Nunc coæternitatem atque unam eamdemque substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti in sancta et individua Trinitate, ipso Deo largiente, pro sensus capacitate exposuimus; proferamus etiam in ipso uno solo ac vero Deo, quomodo Spiritus sanctus Patri et Filio æqualis accipitur et utriusque Spiritus Deus et charitatis nomine intelligitur, et cum Spiritus sanctus sit Deus cur donum Dei vocatur, quia ratio frequenter iterata patescit evidentius, Augustinus in libro de Civitate Dei sexto, titulo nono, ex Domini testimonio, et Patrem unum verum Deum dicimus, et Filium unum verum Deum, et Spiritum sanctum, id est simul ipsam sanctam Trinitatem, non tres veros deos sed unum verum Deum. An quoniam addidit : *et quem misisti Jesum Christum*, subaudiendum est, unum Deum verum? et ordo verborum est, ut et te, et quem misisti Jesum Christum cognoscant unum verum Deum? cur ergo tacuit et de Spiritu sancto? An quoniam consequens est ut ubicunque nominatur unum, tanta pace uni adhærens, ut per hanc utrumque unum sint, jam ex hoc intelligatur etiam ipsa pax, quamvis non commemoretur? Nam et illo loco Apostolus videtur quasi prætermittere Spiritum sanctum, et tamen ibi intelligitur ubi ait : *Omnia vestra, vos autem Christi, Christus*

autem Dei. Et iterum : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* ; id est caput Christi Trinitas, cum in trinitate sit Christus, ut sit Trinitas. Hinc etiam dicitur de Spiritu sancto, qui Patri et Filio æqualis accipitur, et utriusque Spiritus dicitur, et charitatis nomine intelligitur, cum quælibet in Trinitate persona sit charitas. »

Ex libro de Civitate Dei quinto decimo, titulo octavo, idem Augustinus : « Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiæ cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipsa sapientia, ita Spiritus proprie nuncupatur vocabulo charitatis cum sit et Pater et Filius universaliter charitas. Sed Dei Verbum, id est unigenitus Dei Filius aperte dictus est Dei sapientia ore apostolico, ubi ait *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Spiritus autem sanctus ubi dictus sit charitas invenimus, si diligenter Joannis apostoli scrutemur eloquium, qui cum dixisset : *Dilectissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est,* secutus adjunxit : *et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscet Deum ; qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus charitas est* ; statim volens de hac re apertius aliquid eloqui, *in hoc,* inquit, *cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Et apostolus Paulus : *Charitas,* inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Dilectio igitur, quæ ex Deo est et Deus est, et proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quem nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum proprie quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum. » Probandum est ergo Spiritum sanctum donum Dei esse dictum juxta verba Domini dicentis : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Porro evangelista secutus adjunxit : *Hoc autem dixit de Spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum ;* et apostolus Paulus ; *Et omnes uno Spiritu potati sumus.* Quod vero ipsa sancta Trinitas inconfusa et inseparata, nec per tempus nec per locum moveatur, idem egregius doctor in libro octavo Geneseos ad litteram exprimit. Diximus itaque summum ipsum verum unum ac solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Idem verum Deum Verbumque ejus et utriusque Spiritum Trinitatem ipsam neque confusam neque separatum Deum, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat incessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito vel infinito spatio contineri, nec temporum finito vel infinito volumine variari. Hæc est vera fides catholica, in qua lex et prophetæ ac Christi Evangelium omnesque orthodoxi doctores cunctis modis sub sacra religione concordant, sub qua ab initio usque ad finem vigendo floruit et florebit sancta Dei Ecclesia omni auctoritate cœlitus munita, quæ juste credentibus perpetuam et spiritualem adhibet medelam, incredulos vero et schismatos nisi resipiscant absque ullo remedio perpetualiter damnat.

Igitur quia memorati Græci nos irrationabiliter reprehendunt cur non jejunemus Sabbatis, et cur septem hebdomadibus non abstinemus ante Pascha a comestione ovorum et cæsei, et octo hebdomadibus ab edulio carnium, dignum videtur ut quæ juxta sunt ad satisfactionem respondeamus eis ad Casulanum presbyterum verba Augustini (*epist.* 36) : « Quod ergo me consulis, utrum liceat Sabbato jejunare, respondeo : Si nullo modo liceret, profecto quadraginta continuos dies nec Moyses nec Elias nec ipse Dominus jejunasset. Verum ista ratione concluditur etiam Dominico die non illicitum esse jejunium, et tamen quisquis hanc diem jejunio decernendam putaverit, sicut quidam jejunantes sabbatum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ, nec immerito ; in his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insumet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem charitatis obnubilet. » Et paulo post : « Nunc vero quis ferat per omnes Orientales et multos etiam Occidentales populos Christianos de tot tantisque famulis famulabusque Christi sabbato sobrie juste modesteque prandentibus, ab isto dici, quod in carne sint, et Deo placere non possint, et quod de illis sit scriptum : *Recedant iniqui a me, viam eorum nosse nolo.* » Et rursum : « Cum vero his opprobriis atque maledictis insectatur Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem, die Sabbati pene ubique prandentem, admoneo ut quisquis est, ut sese cohibeat. » Ac deinceps : « Si ergo male facimus quando in Sabbato prandemus, nullo die Dominico bene vivimus, quod nefas est dici. » Et post pauca : « Lapidare Deus hominem jussit, qui sabbato ligna collegerat ; nusquam autem legimus lapidatum vel aliquo digno supplicio judicatum sive jejunantem Sabbato, sive prandentem. » Et in sequentibus : « Eo ipso sabbati die, quo Christi legimus manducasse discipulos, vulserunt utique spicas, quod Sabbato non licebat, quia contradictio veterum prohibebat. Videat igitur ne forte congruentius ei respondeatur, ideo Deum illo die a discipulis hæc duo fieri voluisse, unum de spicis vellendis, alterum de alimentis sumendis, ut illico esset adversus eos qui sabbato volunt vacare. Hoc autem adversus eos, qui cogunt Sabbato jejunare, » et reliqua. Et iterum : « Nempe si tunc non erramus quando jejunamus, et aliorum sex dierum errores tunc abluimus cum Sabbato jejunamus, nullus erit Dominico die deterior, nullus Sabbato melior ; credo, dilectissime frater, nemo legem sicut iste intelligit, nisi qui non intelligit. » Sequitur : « Verumtamen in hujus Sabbati jejunio sive prandio, nihil mihi videtur tutius pacatiusque servari, quam ut *qui manducat, non manducatem non spernat ; et qui non manducat manducantem non judicet,* quia neque si non manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus egebimus. Custodita scilicet eorum inter quos vivimus et cum quibus Deo vivimus in his rebus inoffensa societate. Sicut enim quod ait Apostolus, si verum est malum esse homini, qui per offensionem manducat, ita malum est homini, qui per offensionem jejunat. Non itaque simus is similes qui, videntes Joannem non manducantem nec bibentem, dixerunt : *Dæmonium habet ;* sed nec rursus eis qui, videntes Christum manducatem et bibentem, dixerunt : *Ecce homo vorax et vinosus amicus publicanorum et peccatorum.* Unde quodcunque facimus, omnia in gloriam Dei faciamus, et quantum in nobis est sine offensione simus Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus ; illæ autem observationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelliguntur, unde ibi dicitur : *In fimbriis aureis circumamicta varietate.* Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur. » Et rursum : « Ego in evangelicis et apostolicis litteris totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium ; quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat præcepto Domini vel apostolorum, non invenio definitum. Cur autem quarta et sexta feria aliquando maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur quod considerato Evangelio ipsa quarta sabbati consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi ; intermisso autem uno die, cujus vespera Dominus pascha cum discipulis manducavit, traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati pertinebit. Hæc

dies prima Azimorum fuit a vespera incipiens. Quapropter et ipsa sexta Sabbati recte deputatur jejunio. Jejunia quippe humilitatem significant, ut *humiliabam jejunio animam meam.* Sequitur Sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit. Sicut in primis operibus mundi requievit Deus illo die ab omnibus operibus suis Hinc exorta est ista in regia illa veste varietas, ut alii sicut maxime populi Orientis propter requiei significantiam malunt relaxari jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana et nonnullæ Occidentis Ecclesiæ ; quod quidem uno die, quo Pascha celebratur, propter renovandam rei gestæ memoriam, quia discipuli humaniter mortem Domini doluerunt, sic ab omnibus jejunatur, ut etiam illi Sabbati jejunium devotissime celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent, utrumque videlicet significantes, et in uno anniversario die luctum discipulorum, et cæteris Sabbatis quietis bonum. Nam venerandus Ambrosius, cum de hac causa interrogaretur, « Quid possum, inquit, hinc docere amplius quam ipse facio? Quando Mediolani sum, non jejuno Sabbato, quando Romæ sum, jejuno Sabbato, et ad quamcunque Ecclesiam veneritis, inquit, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere. Sed quomodo contingit ut in una Ecclesia vel unius regionis Ecclesiæ alios habent Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorumdem populorum congregatio regenda commissa est. »

Postremo, ut nil inexpletum remaneat unde in exorta quærela ratio titubare queat, monstrandum est quæ sint tempora jejunii a Christo ex lege et prophetis divinitus Christianis ad observandum sancita, ut in omnibus pro concordia omnes satisfactionem recte et legaliter habeant. Augustinus in libro primo ad quæstiones Januarii : « Quadragesima sane jejuniorum habet auctoritatem et in veteribus libris ex jejunio Moysis et Eliæ et ex Evangelico, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege et prophetis, inter quos in monte gloriosus apparuit, ut evidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus : *Testimonium habens a lege et prophetis.* In qua ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passionis, quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, ut ab ipsius mundi amicitia jejunetur, quæ utique fallaciter blandiri et illecebrarum fucos circumspargere atque lactare non ce. sat. Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius, in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum, ita in hoc mihi videtur exprimi, quia creatura, quæ septenario figuratur adhæret creatori, in quo declaratur unitas Trinitatis per universum mundum temporaliter annuntianda : qui mundus etiam a quatuor ventis delimatur et a quatuor elementis erigitur, et quatuor annus temporum vicibus variatur. Decem autem quater in Quadragesima consumatur. Quadragenarius autem partibus suis computatus addit ipsum denarium et fiunt quinquaginta, tanquam merces laboris et continentiæ. » Unde idem Augustinus in libro supra scripto : « Partes autem æquales habet quadragenarius numerus. Primo quadraginta in singulis, deinde viginti in binis, deinde decem in quaternis, octo in quinis, quinque in octonis, quatuor in denis, duos in vicenis. Unum ergo et duo et quatuor et quinque, et octo et decem, et viginti simul ducta efficiunt quinquaginta. Quapropter sicut guadragenarius numerus æqualibus suis partibus computatus pariter per denarium usque ad decem fit decalogus, et sic per decalogum usque ad quinquaginta, et fit quinquagenarius, sic tempus fidei rerum pro nostra salute gestarum et gerendarum cum æqualitate vitæ actum imperat, intellectum stabilis sapientiæ, ut non solum credendo sed etiam

A intelligendo disciplina firmetur. » Unde et inter alia beatus ait Gregorius (*homil. 16 in Evang.*) : « Ab exordio etenim Quadragesimæ usque ad paschalis solemnitatis gaudia sed hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta et duo fiunt, ex quibus dum sex dies Domini abstinentia subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus dicitur, nos per triginta sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus. » Typice ergo quadraginta et duos dies in Quadragesima habemus, quoniam tot mansiones filii Israel habuerunt, qui baptizati sunt in mari Rubro, quando exierunt de terra Ægypti, de dura servitute, et pervenerunt ad terram repromissionis : tot enim generationes sunt seriæ Christi cum hiethoxia bis computato et eodem Christo. Merito qui ad cœlestem patriam tendunt eodem numero mansionum satagunt, quo filii Israel ad terram repromissionis venerunt ; et merito qui ad Christum transeunt per baptismum, eodem numero ad eum perveniunt, quo Christus ad nos venire dignatus est, sicut beatus Hieronymus ait in libro Mansionum filiorum Israel (*epist. ad Fabiolam*) : « Nec mirum, sed in illo numero sacramenti perveniamus ad regna cœlorum, sub quo Dominus atque salvator a primo patriarcha pervenit ad virginem quasi ad Jordanem quæ pleno gurgite fluens Spiritus sancti gratiis redundabat. »

B

Igitur hoc quadragesimale jejunium a Christo et sanctis apostolis nobis traditum regulariter tenemus, et cætera jejunia, quæ a Septuagesima et quatuor anni exsolvimus tempora sponte et humano arbitrio agimus, non auctoritate evangelica, vel apostolorum doctrina ; unde eorum reprehensio nobis videtur frivola, qui nos redarguunt, cur septem hebdomadas a casei et ovorum non abstinemus carne ante Pascha. Siquidem ut non transgrediamur terminos quos posuerunt patres nostri, talem observantiam

C in hoc tenemus, qualem a sanctis doctoribus et sequi videmus et docere, ut convenienter totum corpus Ecclesiæ in una sibimet concordet observatione ; de talibus enim ait Apostolus, qui extra morem ecclesiasticum judicare præsumunt, non enim amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum ; et licet ipsi reprehensores non intelligant, novem hebdomadibus ante pascha exhibemus nostræ delectationis mortificationem, quarum hebdomadarum primam vocamus Septuagesimam secundum Sacramentorium et Antiphonarii titulationem, quæ inchoatur die Dominica, et in septima Sabbati finitur post Pascha ; populi Dei tempus captivitatis significat qui in Babylonia detentus est captivus sub numero septuagenario. Unde Jeremias : *Perdam ex eis vocem gaudii et lætitiæ, et servient omnes gentes istæ regi Babylonis* septuaginta annis. Quapropter illo tempore *alleluia* non cantatur apud nos, et dulcissimus hymnus angelorum *Gloria in excelsis Deo.* Alle-

D luia propter honorem et latitudinem primæ linguæ præclarus est Hieronymus in Isaiæ libro undecimo. Ad comparationem enim linguæ Hebraicæ tam Græci quam Latini sermonis pauper est. Pauperem linguam in supradictis diebus frequentamus : *Laus tibi, Domine, rex æternæ gloriæ.* Dicit psalmus : *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Alleluia et Gloria in excelsis Deo* cantica cælestia sunt. Unde Joannes in Apocalypsi : *Post hæc audivi vocem magnam in cœlo dicentem,* Alleluia. De *Gloria in excelsis Deo* nulli dubium quin angelorum cantus est : oportet enim nos sedentes id est humilitatos super flumina Babylonis fiere dum recordaremur Sion, et hac Septuagesima nos ad quadragesimalem pugnam vitia fugiendo præparare. Dicit Apostolus ad Ephesios : *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia necnominetur in vobis sicut decet sanctos* De supradictis septuaginta annis dicit Augustinus in libro de Doctrina Christiana tertio :

« Possunt et septuaginta Jeremiæ pro universo tempore spiritualiter accipi, quod est apud alienos Ecclesia. » Et iterum idem in duodecimo libro contra Faustum : « Nam quod etiam post septuaginta annos secundum ejusdem Jeremiæ prophetiam reditur ex captivitate, et templum renovatur, quia fidelis Christianus non intelligat, post evoluta tempora, qui septenarii dierum numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est Ecclesiæ Dei, ad illam cœlestem Jerusalem ex hujus sæculi peregrinatione redeundum, per quem nisi per Jesum Christum vere sacerdotem magnum, cujus figuram gerebat ille Jesus sacerdos magnus illius temporis, quo templum Dei ædificatum est post captivitatem. » Sexaginta quippe dies sunt a septuagesima usque ad quartam feriam ante Cœnam Domini. Per hunc numerum viduæ, quæ in magna tribulatione sunt, designantur, quam tribulationem et afflictionem monstrat compositus digitorum, qui memoratum numerum exprimit indice supra posito pollice. Tres dies quæ supersunt usque ad resurrectionis Domini triduanum jejunium, quod secundum Septuaginta Interpretes Ninivitæ exercuerunt, designant, ut nostra peccata pro quibus affligimur in clarificatione resurrectionis Domini aboleantur, ut et mysticum septuagenarii tempus sit compassio captivorum, *quia si compatimur, et conregnabimus.* Sexagesima denique percurrit infra septuaginta ad quartam feriam habet convenientiam cum quarta ætate mundi, in qua David et Salomon regnaverunt. In quarta ætate gens illa cœlesti fide inclyta regno David et Salomonis gloriosa templi etiam sanctissimi altitudine totum nobilitatur in orbem. In nostra vero quarta feria triumphat David, qui vicit leonem, et Salomon æternus pacificus regnat, de quo dicit Apostolus : *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Templum ædificat nobilissimo Deo Patri, cui dicturus est in fine : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.*

Ad id regnum per Sexagesimam nos oportet currere; senarius enim numerus partibus suis computatus primus perfectus est, sexta unum tertia duo, medietas tres, unum enim et duo et tres sex faciunt. Hic numerus perfectionem demonstrat. Beda in libro de temporibus : Ubi notandum, quod non ideo senarius numerus perfectus est, quia Dominus in eo mundi operam perfecerit; sed sicut Augustinus ait: Ideo Dominus, qui simul omnia creare volebat, in eo dignatus est operari, quia numerus est ille perfectus, senarius per denarium ductus sexaginta faciunt, denarius ad mercedem operum respicit. Si quis per senarium, id est perfectionem mercedem operum requirit, ipse recipiet regnum quod nobis promittitur in quarta feria Paschæ. A Sexagesima quippe usque ad sanctum diem resurrectionis octo hebdomadæ sunt, ex quibus si de singulis hebdomadibus primam et quintam feriam subtraxeris et ipsum tantum diem Paschæ, quadraginta tantum dies remanent in abstinentia. Hæc ergo dicimus propter illos qui solvunt jejunium in easdem ferias. Meltiades namque natione Afer, vir per omnia apostolicus, tricesimus quartus post sanctum Petrum, cui successit beatus Sylvester in cathedra apostolicæ dignitatis, hic constituit ut nulla ratione in prima vel quinta feria jejunium quis fidelium agere præsumeret; nam cur in prima feria jejunium ipso tradente solvatur, non est necessitas texendo replicare. Quintam vero arbitrati sumus propter magna mysteria quæ in eo continentur, ab eo esse solutam, quia in ipsa sacrum chrisma conficitur ab abluendam totius mundi primæ originis culpam. In ipsa reconciliatio fit pœnitentium, in ipsa redemptor omnium cœnando cum discipulis panem fregit, et calicem pariter eis dedit in figura corporis et sanguinis sui, nobisque profuturum magnum exhibuit sacramentum, eo videlicet die post multa mysteria Deus et Dominus noster Jesus Christus discipulis suis videntibus gloriosa ascensione cœlos penetravit. Sed ne diutius sermo protelletur, de hac solemnitate plura scripta in sanctorum venerabilium scriptis agnoscimus. Denique in concilio Laudicense titulo quinquagesimo statutum est non debere jejunium solvi in quinta feria; sed quia unusquisque in suo sensu abundat, sive hoc, sive aliud sit, salva fide et religione nihil præjudicamus.

Quinquagesima denique primum diem venerabilis Paschæ tangit; sicut enim senarius perfectionem operum demonstrat, ita quinquagenarius omnia opera quæ perficiuntur per quinque sensus corporis. Quinquies enim decem quinquaginta fiunt. Si quis per exteriorem administrationem decem verba legis compleverit in Spiritu sancto, non dubitat ad consortium perveniendum esse beatæ resurrectionis, quæ celebratur in Pascha Domini. Religione vero crescente a Telesphoro pontifice, qui post Petrum principem apostolorum nonus in sancta Ecclesia claruit, hoc tempus in abstinentia dedicatum exstitit; et quo alio nomine rectius vocari, quam quinquagesima in ordine rationabiliter debuit? Ex hinc deinceps collecta ratione, qui octo hebdomadas observare studuerunt, Sexagesimam gradatim nominaverunt; similiter qui novem, Septuagesimam juxta post factam rationem novem imposuerunt, et non ob numerum hebdomadarum, vel dierum vel tenorem nominis servantes hæc nomina consuerunt, veluti secuti nunc fuissent qui decimam hebdomadem addere pro aliqua justa ratione voluissent, non propter numerum hebdomadarum decagesimam seu quolibet alio nomine, vel propter numerum dierum Septuagesimam, sed octavagesimam ordine conservato vocabulorum recto tramite pergente nuncupare debuissent.

His itaque temporibus modum jejunii servamus a sanctis Patribus statutum, juxta quod ait per prophetam Dominus : *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi; dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus disrumpe*, etc. Primi igitur mensis jejunium trium dierum quarta et sexta feria et Sabbato ideo etiam celebramus, quia in libro Exodi legitur dicente Domino ad Moysen: *Mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.* Ægyptus tenebræ interprétantur, sive hujus mundi vult errorem intelligi, in quo quandiu quis versatur, in tenebris ignorantiæ vel etiam infidelitate manet. Abnegato autem diabolo ante baptismum et pompis ejus atque operibus ejus per confessionem veræ fidei atque per baptismum, egreditur unusquisque de Ægypto, idem de tenebris ignorantiæ et infidelitatis percepta remissione omnium criminum præteritorum pervenit ad veram lucem Christum Dominum Salvatorem, qui dixit : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ æternæ.* Ipsum quoque primi mensis jejunium Dominus aliorumque trium temporum per Zachariam prophetam præcipit dicens : *Jejunium primi,* hoc est.... Junii, hebdomoda secunda, *jejunium septimi*, hoc est Septembris; hebdomada tertia, *jejunium decimi* hebdomada plena ante nativitatem Domini *erit vobis in solennitates præclaras.* Ipsumque jejunium primi mensis, ut supra diximus, trium dierum ideo antiqui Patres sanxerunt celebrandum propter confines dies quadragesimalis jejunii, ut his saltem diebus major congregatio fiat Christiani populi, ut in unum congregati ex conspectu mutuo de fide sancta invicem conferendo major charitas inter eos, et major oriatur lætitia vel etiam ex sancta collatione in invicem facta, unusquisque perfectionem sanctæ quadragesimæ observationis studium provocetur, et ut unusquisque ad sanctum pervenire mereatur Pascha. Porro jejunium quarti mensis quia et eodem tempore a pluribus XL dies jejunio mox Pentecosten celebratur, ideo remotim hic triduo generaliter omnibus indictum est jejunium, quia tunc in quibusdam locis Ecclesiæ mense primitiæ frugum terræ colliguntur.

A et hic mensis a quibusdam mensis *hordearia* dicitur, eo quod tunc hordeum jam fure messuerant majores nostri,et panes primitiarum Domino offerre consue verunt : *Observa mensem novarum frugum et celebrabis dies festos Domino Deo tuo.* Quo tempore Dominus supplici prece orandus est, ut nobis fructum terræ usque ad maturitatem perducat,et nobis cum gratiarum actione ad colligendum tribuat.

Quod vero memorati Græci nos reprehendunt cur nostris presbyteris prohibemus uxores accipere, respondemus quia terminos quos patres nostri posuerunt, pertransire nolumus, sed juxta statuta sanctorum canonum munditiam animæ et corporis Deo serviendo servare gestimus. Unde in decretis papæ Siricii, titulo 12: Feminas vero non esse alias patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas proprias per solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit. Unde in concilio Nicæno, titulo 3: Interdixit per omnia magna synodus : B Non episcopo, non presbytero, non diacono vel alicui omnino qui est in clero, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. Unde in decretis papæ Leonis, titulo : « Lex continentiæ eadem est altaris ministris atque presbyteris. Qui cum essent laici sive lectores, licite sibi uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos gradus provenerint, cœpit eis non licere quod licuit, » et cætera. Item ex decretis Innocentii, titulo 16 : « Propterea quod dignum et pudicum et honestum est tenere Ecclesia omnimodo debet, ut sacerdotes et Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur; scriptum est enim : *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Nam si Paulus ad Corinthios scribit dicens : *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, et hoc utique laicis præcepit, multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge C officium est semper, debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare usurpatur, aut qua conscientia quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit : *Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum* ; et apertius declamat dicens : *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt ; vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu.* » Unde in concilio Carthaginense, titulo 25, Aurelius episcopus dixit: « Addimus, fratres charissimi, præterea de quorumdam clericorum quamvis lectorum erga uxores proprias incontinentia refertur. Placuit, quod et diversis conciliis firmatum est, subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, et diaconi et presbyteri, sed etiam episcopi secundum priora statuta etiam ab uxoribus se contineant, ut tanquam non habentes videantur esse. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. » Item in Africano concilio, cap. 37 : « Præterea cum de D quorumdam clericorum quamvis (erga) uxores proprias incontinentia referretur : placuit episcopos, presbyteros et diaconos secundum priora statuta etiam ab uxoribus contineri. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. » Hinc in Neocæsarense concilio, titulo 1 : « Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur ; si vero fornicatus fuerit aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, et ad pœnitentiam redigi. » Hic unusquisque advertat, si in duorum vel trium testium stat omne verbum, quid possit aut debeat tantorum assertio sanctorum Patrum, qui multa plura de talibus scribunt.

Præterea quia memorati Græci falso conantur reprehendere quod presbyteri apud nos chrisma liniunt frontes baptizatorum, quod chrisma ex aqua fluminis apud nos confici dicunt, dignum videtur ut veridice illis respondeatur. Nunquam enim apud nos presbyteri hoc agere præsumpserunt, sed ex pinguedine Kilobalsami et olivæ, quam Deus de viride ligno dignatus est producere, unde sanctificando unxit sacerdotes, reges, prophetas et martyres, nostri episcopi sacrando exorant a Patre et Filio ac Spiritu sancto certo tempore sanctificari, ut ex oleo lætitiæ. Unde Christus exstitit unctus præ consortibus suis, a cujus sancto nomine chrisma accipit nomen, omnibus qui renati sunt ex aqua et Spiritu sancto sit chrisma salutis, eosque vitæ æternæ participes et cœlestis gloriæ Deus faciat esse consortes.

Quod vero jam dicti Græci falso fatentur, apud nos ante de diaconis episcopos quam presbyteros ordinari velut quodam saltu, firmiter respondemus, pene nos hoc nunquam accidisse, sed ordinem et modum consecrationis in omni ordine servari canonice, quod illi solent transgredi absque ulla necessitate. Nuper etenim, ut fertur, de quodam laico tonsuratum monachum statuerunt, ac sine dilatione ad archiepiscopalem ordinem contra omnia decreta promoverunt. Unde in Sardicensi concilio, cap. 13, Osius episcopus dixit: « Et hoc necessarium arbitror ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro aut ex ministratore episcopus fuerit postulatus.... perfunctus, et ita per singulos gradus si dignus fuerit ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probare qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia, et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur, quia conveniens non est, nec ratio nec disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur aut episcopus aut presbyter aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denuntiasse et prohibuisse videatur, sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita et merita fuerint comprobata ex hoc plura sunt exempla. »

Quod vero cum corpore et sanguine Christi nos more Judæorum prædicti Græci aiunt in Pascha agnum offerre, nunquam ullus nostrum hoc valuit aut voluit excogitare.

De hoc quod reprehendunt cur barbas nostri clerici radunt, respondemus, cum beato Hieronymo, quia si sanctitas est in barba, nullus sanctior est hirco. Hæc igitur contra Græcorum hæresim et illorum frivolam reprehensionem nos in credulitate scilicet nostra reprehendentes et in cæteris causis, quæ plus ridiculosa sunt quam sapientiæ intellectui ponenda construximus. Nunc inferius fidem nostram, quam firmiter tenemus confiteri, nec non omnibus generaliter pandere curavimus.

Sequitur professio fidei quæ habetur in collectionibus conciliorum.

Tum:« Hæc est professio fidei episcoporum apud Wormatiensem civitatem XVII Kal. Jun. in synodali conventu consistentium, quorum nomina sunt: Adalwinus archiepiscopus, Liutbus archiepiscopus, Rimbtus archiepiscopus, Anno episcopus, SALOMON episcopus, Gunzo episcopus, Arno episcopus, Witgarius episcopus, Luitbus episcopus, Ambrico episcopus, Otgarius episcopus, Gebehardus episcopus, Ratolfus episcopus, Ermricus episcopus, Hessi episcopus, Hildegrimus episcopus, Theodricus episcopus, Egibertus episcopus, Erolfus episcopus, Luithardus episcopus, Lantfridus episcopus, Theoto abbas, Adalgarius abbas, HETTO abbas, Brunwardus abbas, Aschericus abbas, Theotrocus abbas, Egilbertus abbas.

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM
QUÆ

In operibus S. LUPI FERRARIENSIS *continentur*.

(Hujus volum. col. 423-698.)

(*Revocatur Lector ad numeros crassiores textui insertos.*

J

L

M

N

O

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

ROTHADUS II SUESSIONENSIS EPISCOPUS.

NICOLAUS I PONTIFEX ROMANUS.

FINIS TOMI CENTESIMI DECIMI NONI.

Sancti Amandi. — Ex typis DESTENAY.